TRACTATVS DE SACROSANCTO INCARNATIONIS MYSTERIO.

PER REVERENDISSIMVM P. M.Fr.Raymundum Lumbier, Nauarrum, Sangoſanũ, in Vniverſitate Cæſarauguſtana Philoſophiæ Magiſtrum, Sacræ Theologiæ Doctorem, eiuſdem Primarium Profeſſorem, Archiepiſcopatus ipſius Synodalem Examinatorem, Concionatorem Regium, & Carmelitanæ Familiæ ſemèl, & iterùm Aragoniæ Provinciæ Priorem Provincialem.

CVM DVPLICI INDICE, ALTERVM Quæſtionum, alterum rerum, & ſimilitudinum.

CVM LICENTIA:

Cæſar-auguſtæ, Typis AVGVSTINI VERGES. Anno 1672.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO DOMINO D. MELCHIORI DE NAVARRA, & Rocafüll. Alcantarenſis Ordinis Equiti, Principi de Maſſa, Duci de la Palata, Domino de la Torrecilla, apud Salmanticenſes Maioris Overenſis Collegij ſtemmatè inſignito, in Regia Aragonum Audientia, Generalis Gubernationis Aſſeſſori, Regiam Cancellariam Regni Neapolitani Regenti, Collaterali Conſiliario, in Supremo Italiæ Senatu Fiſci poſtea Patrono, ac tandem Sacri, & Supremi Aragonum Conſilij, ſummo Vice-Cancellario, & Præſidi, & Reginæ Regentis pro Vniverſo Regimine abintimis Conſilijs.

PRODIT in Vulgus, & ſanè fœlicibus auſpicijs,, ampliſsimo, atque illuſtriſsimo tuo nixus Patrocinio lucem dum videt, princeps hic noſtrarum lucubrationum fœtus, Excellentiſsimè, & literatiſsimè Princeps. Et quidem ſi licet à ſummis, præclaram facere coniecturam, quantam ſibi à Nobiliſsimo, Sapientiſsimo, Munificentiſsimoquè Patrono non auguretur comparandam fœlicitatem? Derivatur, in oblati muneris ſplendorem, glorioſa Mæcenatis à Maioribus parta claritudo. At Te quis in Hiſpaniç Cœlo clarioribus irradiat ſplendoribus? Hinc Sereniſsimis Navarræ Regibus, præcipuum tuum NAVARRA. Cognomen, per magnum illius Regni Mariſcallum, Marchionemque de Cabrega (quibus hæreditario iure ſucceſiſti) acceptum, auguſtiſsima ſanguinis communione devincit. Ex indè præclariſsima ROCAFVLL nomenclatura, immortalibus maximorum Heroum, Legatorum, Principum, Imperatorumque geſtis ſcribit Hæredem. Iam verò qua MONCADA cudis, ab excellentiſsima Familiâ, ſummis Hiſpaniæ Magnatibus, Regia, cognatione, alijſque auguſtiſsimis laudibus inclyta, quantam, ac qualem ebibis lucem, in aliorum ſplendorem largiter & fœliciter effundendam? Sed neque minùs Sapientiæ, quam Naturæ debes. Elegit illa Te ab incunabulis dulciſsimum in Alumnum, excoluit Adoleſcentem ingenuis optimiſque omnis generis Diſciplinis, illico vero Scientiſsimum iam Magiſtrum præfecit Te Cathedris, præfecit Conſilijs, concepta vt Sapientiæ fluenta in omnium animos, cõmuni bono derivares. Loquantur Cæſar-Auguſtana, & Salmantinæ Ex edræ, loquatur Aragonia, loquatur Italia, loquatur tandem vniverſa Hiſpania, vbique enim talem Te exhibuiſti, & num etiam exhibes, lateat vt neminem niſi ignariſsimum divinæ tuæ litteraturæ ſplendor, & Magnitudo. Tandem Munificentiam tuam (cætera argumenta prætereo) vnus ipſe expertus ſanè ſum beneficentiſsimam. Divertiſti ad me Horpes olim humaniſsimus. Carmelitanam, Familiam vbique terrarum beneficijs foves, & illuſtras; hoc D. Ioſephi Collegium, tuum, vt eſſet, impetrata vt erigi poſſet, ab illuſtriſsimo Archiepiſcopo facultate; erogata bona eleemoſynarum ſumma: donatis prætcrea quibus maximè decoratur elegantiſsimis Romanis tabulis, milleque nominibus effeciſti. Tandem nobiliſsimam Cæſar-auguſtanam Academiam, in qua ipſe Primarij Teologiæ Profeſſoris partes ſuſtineo, novo Magiſtris, à Catholica Hiſpaniarum Regina, Minerualis impetrato auctuario, Matrem olim tuam ſuaviſsimam illuſtri liberalitatis, & gratitudinis edito teſtimonio, arctius, ſuaviuſq; Tibi devinxiſti. Quare hoc qualecumque officioſum munus devotiſsima voluntate conſecratum, vt Authorem hactenùs, grata ſic (ſpero fidentiſsimè) benevolentia complecteris. Aeternum vive Tibi, Nobis, Hiſpaniæ atque adeo Orbi.

Excellentiſſimæ tuæ Dominationis.

Humillibus in Chriſto ſervus.

Fr. Raymundus Lumbier.

Digitized by Google

LICENTIA ORDINIS.

HARVM ſerie litterarum Licentiam impartimur R.A.P.M. Fr. Raymundo Lumbier, noſtræ Provinciæ Aragoniæ Profeſſo Sacerdoti,& eiuſdem Exprovintiali, Examinatori Synodali, Qualificatori Sancti Officij, & Primario Profeſſori Theologiæ in Vniverſitate Cæſar-Auguſtana, vt poſsit typis dare Librum inſcriptum: *Tractatus Theologici de Deo Vno, Trino, & Incarnato*, prævijs tamen approbationibus Reverendorum Magiſtrorum Dionyſij Blaſco, & Alberti Sos, quorum examini committimus, & ſervatis aliàs ſervandis. Horum fide,&c. Dat. Romæ. 15. Novembris 1662.

Fr. Hieronymus Ari, Generalis Carmelitarum.

Fr. Sebaſtianus Fantonus Caſtrucius, Provintialis Hiberniæ, & Secretarius Ordinis.

APPROBATIO ORDINIS.

TRactatum hunc à nobis, iuſſu Reverendiſsimi Patris N. Generalis reviſſum Nos infraſcripti Doctores digniſsimum, qui typis mandetur, iudicamus in Carmelo Cæſar-Auguſtano, die 26. Maij anno Domini 1672.

Fr.Dionyſius Blaſco,Sacræ Theologiæ Doctor, Primarius Hoſcenſis Vniverſitats Cathedrarius Sancti Offic. à Qualificatoribus.

M.Fr.Albertus Sos, Sacræ Theologiæ Doctor Cæſar-Auguſtanus.

R.P.

Digitized by Google

R. P. IOSEPHI ANDRES E SOCIETATE IESV, SACRÆ THEOLOGIÆ *in Cæſar-Auguſtano Collegio Profeſſoris Primarij, & rerum fidei Cenſoris, de hoc Opere Iudicium.*

EX Præſcripto D. D. Lazari Romeo in Cæſar Auguſtana Diœceſi Vicarij Generalis, modò relegi, quem ex ſtudioſi animi imperijs antelegeram, *Tractatum de Magno Incarnationis Myſterio*, à magno etiam Auctore elaboratum; vt nec Myſterij ſublimitatem, nec Interpretis Magnitudinem delibarares: vt (ſi lubeter) Myſterium novum crederes, & circumducere *Magni Myſterij, & Magni Auctoris* conſortium. Hic eſt Reverendiſsimus P. M. Raymundus Lumbier, Carmeli decus, & ornamentum maximum, quem Aragonum Provincia ſemel Antiſtitem ſuum, omnium ſuffragijs renuntiarat; vt omnium Parentem revereretur eum, qui ſeſe tùm litteris, cùm Religione dignißimum Eius filium diù probaverat: vtque religioſiſsima, & conſultiſsima Provincia primi non credere ut facti pœnituiſſe, iterum Votis potius, quam ſuffragijs imperium tantis impoſuit humeris, qui nec Primariæ Cathedræ in Cæſar-auguſtano Lycæo, nec graviſsimorum Sacratioris Conſilij negotiorum mole, geminatis oneribus cedere crederentur.

Superſtitioſa, ſulſque in commentis non delira, ſed ingenioſa Antiquitas *ſub Pueri ſpecie finxit Amorem*, cuius obvelavit lumina, & armavit dexteram, vt Sagittarius eſſet Animus, non oculus: nec vulneris à cæca ſagitta infligendi certitudo, mentis exiſtimaretur vis, ſed pondus voluntatis. Hic Amor meus (ne mihi impoſturam faciat, vt de Niſſeno olim loquebatur Photius) ex oculis ſuis male obductum abijcit velamen, vt ſagittas tanti Auctoris patientiam vulneraturas, Mens intorqueat, non eiaculetur Voluntas. Hæc internis ſatis ſibi interim faciat ardoribus, exultetque impatiens inter viſcera, dum ſemèl Mens hic quaſi intruſa, & alienæ Iuriſdictionis ambitioſa conceptus loquitur, non affectus. Vix ergo ingenioſum hoc opus, vt iterum in publico Cæſar-auguſtano Lycæo avidi Alumni è ſuggeſtu exciperent, accuratè expolierat, & eruditè auxerat, exarſit animus tantæ rei ſollicitare ſplendorem, ne (vt de nimis verebar humilitate) noſtram Poſteri execrarentur ſocordiam. Hic ſtrictæ in illum obſervantiæ antiqua iura examinans, amicitiæ Leges, & venerationis debita haud prætergreſſum iri duxeram, ſi de illius male mererer humilitate, dùm ſuperbus ego ad publicam tanti operis commendationem ſtimularem. Audiji me ſæpius inter domeſticos ſuos parietes cohortantem: Vidi illum mea, aliorumque ſtudioſorum conſilia ægrè ferentem, & amicitiæ neſcio quod crimen obiurgantem; ita vt dicere auſim, ſemèl, tantum Virum iracundia eff ruiſſe, eum humilitati modus, & lex præfigeretur. Verùm vt huic cederet, ſuis obedivit exiſtimans fore, vt obedientia humilitatis diſpendia repararet, & meritorum ſtipendium ſuſciperet, nec in hac rerum ſeriè mei, ſuorumque tanto viro famulantium meminimi imperia, qui vt reluctantem cogeremus, gaviſi ſumus, non ſervijſſe, ſed imperaſſe. *In manibus* (loquebatur olim Iob. 36.) *abſcondit Lucem & præcepit ei, vt rurſus adveniret.* Amœniſsima Lucis Facies ynatiæ conditionis licentia in publicum ambit prodire: cuiuſvis carceris, aut ergaſtuli impatiens crepabit, vt erumpat. Sub ipſa Nativitatis auſpicia vix è divinæ Omnipotentiæ emicuerat manibus, toto eſt diffuſa terrarum Orbe, nec vna, aut altera contenta Vniverſi plaga probavit ſe Solis filiam, quæ vel infans in paternam præproperè venerat hæreditatem. *Abſcondit*, inquit Iobus, aliquando Deus *in manibus Lucem*, aliquando ſolvit, vtque iterum revocetur ad carcerem, præceptu imponit: adeò grave & acerbum cadit Luci cohibendi ſplendoris imperium; adeò ingrata venit nativę temperandæ licentiæ obedientia; vt vna præcepti vis, & coercere poſsit lucem, & illius ardorem moderari. Huius ingenioſi operis feſtiviſsima oculis noſtris lux diſsimillimæ originis, & non vulgaris conditionis eſt: præceptis enim, & quod rarius eſt, ſuorum indiget impetijs, vt luceat, quæ ſibi, vtpotè religioſæ ſolitudinem imperat, & receſſus humilis ſtudioſiſsima eo ſibi lucidior, & ſpecioſior creditur, quo occultior.

Hinc crederem gravem noſtram à poſteris vindicatam iniuriam, quam ſæcula præſentia ſubirent, ſi tanti viri opus omnibus numeris abſolutum tenebris obſcurari criminosè pateremur. Vel ipſa emortua pretioſa Metalla, ingenita neſcio, qua ambitione è tenebricoſis terræ viſceribus amant exhumari. Gemmæ ipſæ, quæ in penitiſsimis, ſive Marium, ſive Montium receſsibus ſordeſcebant, in Regum diademato capite de ſibi debita ſorte gratulantur; ipſe etiam ſyderum ſupremus Rex ingratè & iniquè è noſtris oculis feſtinaret in occaſum, ni occaſum crederet eſſe, ad alterum vicinum orbem, Ortum: ergo omnium erat ingenioſum hoc Opus, quod ex ingenita conditione deliteſcebat, ad lucem, vel invitum vocare, & ex religioſis, quibus quieſcebat, tenebris ad publicum vindicare ſplendorem. Illud in primis principem veneraт oni locum ſibi vendicare viſum eſt, quod tot, tantiſque Auctor noſter & regiminis, & Cathedræ, Sacrarumque concionum è ſanctioribus noſtræ Hiſpaniæ ſuggeſtibus non ſemèl, aut iterum occupationibus diſtentus, quaſi huic vni invigilans operi, gravem hanc & ingenioſam, ac Sanctorum Patrum eruditione ſpectabilem molem ſtruxerit: Aſtrorum enim Princeps ita de quotidiana lucis ſuæ in Orbem diffuſione ſollicitus creditur, vt in omnium rerum propagine, & totius naturæ multiplicatione, muneris negligens, aut tantæ Monarchiæ oblivioſus eſſe videatur. Eviſceres etiam interim, & quaſi emedulles neceſſe eſt Opus hoc; ampla tibi, ſed non pœnitenda admirationis ſeges obveniet. In brevi volumine numeroſam perfectionum multitudinem inſpicies; brevitati par claritas: Profunditas non exhaurienda: Eruditio, ac rerum infinitis propè Mæandris circumvolutarum extricatio ſingularis: quæſtionum varietas, quarum nodos obiter ingenioſè diſſolvit, adeò compendioſè diffuſa; vt nihil in ſacris immenſæ Theologiæ arcani & reconditum veneremur, quod hìc mira illuſtratione reſeratum non ſit.

Ægra quæque & difficilima, mentibus noſtris hodieque in viam, gratis, & non aſpernandis ſimilitudinibus, oculis noſtris redduntur pervia. Verum vt vnico ſenſum meum aperiam Verbo: *THEOLOGICA ENCYCLOPOEDIA EST.* Cur ergo tantarum rerum & perfectionum multitudo, omnium ſibi meritura admirationem, aut iacet in pulvere, aut male quieſcit in tenebris? Ergo videat lucem Theologicum hoc Opus; vt Orbis Vniverſitas Cæſar auguſtano non invideat Lycæo, ac omnium iure optimo revereatur Magiſtrum, à quo ſententiarum (quarum non niſi conſultiſsimè cauſam agit, & ſumit patrocinium) ſpecioſitas, Robur accipit; alienæ etiam de ſingulari ſibi mutuato ſplendore, & maieſtate glorientur, ita vt & exteræ, Approbationis debitum; domeſticè verò maioris excellentiæ, & lucis merita profiteantur. Denique nihil eſt in opere hoc ingenioſo, quod Religionem, aut pios poſsit mores lædere: quare digniſsimum cenſeo publica luce ad publicam omnium vtilitatem, & tanti Auctoris gloriam. Salvo, &c. Cæſar-Auguſtæ in noſtro Societatis Ieſu Collegio, die 15. Aprilis anni 1672.

Ioſephus Andres.

IMPRIMATVR.

D.D. Lazarus Romeo Offic. & Reg. Vic. Gñl.

Digitized by Google

R. P. Fr. FRANCISCI GOMEZ, EX ORDINE SERAPHICO DIVI *Franciſci, Sacræ Theologiæ in Collegio Cæſar-Auguſtano D. Didaci profeſſoris Primarij.*

APPROBATIO.

PErilluſtris D.D. Gregorius Xulve, Regiam Aragoniæ, Regens Cancellariam, meo cõmendat examini Tractatum de ta de Magno Incarnationis Myſterio, apprimè *Elucidatum* à Sapientiſſimo, ac Reuerend. P.M. Fr. Raymundo Lumbier in Cæſar-Auguſtana Academia Sacræ Theologiæ Profeſſore Primario, fidei rerum æquiſsimo Cenſore, iure Concionatore Regio, Carmelitanæ Obſeruantię ſecundo Prouinciali digniſsimo. Authoris nomen expreſsit Iam Radium, iam Solem, iam Vniuerſæ doctrinæ effigiaui Prodigium. Quis ergo poterit eſſe Cenſor, cuius nec dignus, & ſi exambiens, Laudator? Et quis operi ſupra ſtuporem ſubtili, pro iudicio, non dabit encomia? Meliora mihi diſcendi Cupido, illud iam olim parauerat, & novus ſemper Lector, noua, & fere extatica voluptate deuolvo. Omnia mentem rapiunt, quia omnia pleniſsimè Mira. Sed quis tam Magni Magiſtri crederet iſtud opus, ſi quid in eo non ſublime videret? Si quid non inſpiceret mirum? Fauſta ſorte fuit ad maxima natus; ideò in omnibus ſummus, ideò in ipſo non riuuli, ſed ſapientiæ pelagus, nec vtcumque pelagus, ſed vndequaque Solaris. Id ſanè in hoc opere magnum, quod eius pœnè immenſa profunditas, Solis in vertice exardet, Lucis plenitudine cingitur: vbique ſubtilitas, ſed vbique reſplendens; quo magis eleuata, fulgentior: ergo Sol noſter Author. Et cur ei minor gloria irroganda, dùm ſolus omnibus reſerat, hactenùs occluſa Doctoribus? Hic eius ingenij proprius, & notiſsimus triumphus; hæc victoria Doctori decantata Mariano, (*Ioann. Piſſeur de reb. Anglicis pag.* 391.) (Nihil tàm occultum, nihil tàm abſtruſum, quod perſpicax eius in genium non penetrauerit, & è tenebris eruerit, nihil denique tàm nodoſum, quod ille, quaſi quidam Oedipus non diſſoluerit.) Neque his finiuntur eximia. Calamum ita laxat & frenat, vt nec multis det pauca dùm moroſus, nec paucis non multa, dùm breuior: parum hoc. Sacrum ad Incarnationis flumen, integrum vocat Theologiæ mare, & quin exeat à flumine, totum porrigit pelagus. Quid vltra, ſi jam in flumine mare? Nondum quieſcit Calami ingenioſa dexteritas. Ita graditur, vt tot videatur Orthodoxa firmare, quot exarat ſubtilia, tot dogmata expendere, quot aſſerta præfigit. Ita denique currit, vt nullum expreſſo nomine lędat, nec arte figurata perſtringat. Fœlix præ plurimis Calamus, qui cum totus ſis igneus, totus ſiſtis in luce. Scribis Sacrata Magnus, ideò ſtylo Gregorij: (*D. Gregor. Nazianz. Oration. circam* 150. *Epiſc.*) (Non enim Aduerſarios contumelijs, & conuicijs inceſsimus, quemadmodum plerique faciunt, rationum & argumentorum infirmitatem, maledictis interdum contegentes.) Hęc de ſe Thologus ſummus, nec in noſtro minora. Nulla non verè maxima, hoc in volumine copulauit: Opus eſt, quo nec vidi præſtantius, neque ſpero futurum. Opus eſt Carmelitici *Raymundi*. Maius ne expectes elogium, vbi exuberant laudanda. Prodeat igitur ociſsimè, & vt irradiet Luminibus, & vt fœlicitet Orbem. Subſcripſi Cęſar-Auguſtæ in Collegio S. Didaci, Die 18. menſis Aprilis anni 1672.

Fr. Franciſcus Gomez.

IMPRIMATVR.

V. Gregorius Xulve Reg. Cancellariæ.

ILLVSTRISSIMO DOCTOR RAYMVNDO LVMBIER.

VNIVERSITAS PRIMARIO INTERPRETI IESV, S. QVÆSITIONIS Qualificatori, Aragoniæ Provinciali, &c.

IOANNES BARBIANVS SOCIETATI IESV, PRIMARIVS ACADEMIAE Salmanticenſis Cathedrarius Neſtoris annos.

PErvenit tandem ad manus P.G. de Henao pretioſum oppido munus liber, ſeu *Tractatus tui de Magno Incarnationis Myſterio*: quem ego, vt operis argumentum, quo vt nullum ſublimius, nec mihi charius vllum: vt te Authorem, quem omnium ornamentorum encyclopediaornatiſſimum, & (quod interim caput eſt.) non modò Primarium Academiæ Profeſſorem, verùm etiam primæ, ac ſummæ notæ Theologum, & à multis retro annis inaudiueram, & cum illac pertranſiui, omnium conſenſione perdidici: qua etiam per motus te inſalutatum præterire non ſuſtinui, vt tanti viri ſpeciem proprijs ipſe oculis haurirem, altiuſque menti defigerem: Vt vnquam, libri argumentum, & Authorem comperi, non vno *actutum* deſiderio exarſi, cũ videlicet explorandi, an opus famæ conſentiret tantũq; nomen impleret. Tùm etiam perſcrutãdi, ſi qua fortè rebus noſtris conſentanea in nouam lucem protuliſſes. Ergo vi potiùs, quam prece ob tentum, primò quidem raptimque, carptimque delibare, dein accuratius intueri, donec legendi dulcedine ineſcatus, non

prius

priùs ab incœpto temperare potui, quam funditus totum à carcere ad metam, nec verò leui curſu, peragraui: atque id noua ſenſim auiditate ſuccreſcente tertiandi operam accuratiori ſtudio, & omnia impenſius perluſtrandi.

Scilicet proprio vſu comparaui non te modò famam implere, ſed ex longo interuallo ſuperare; vt iam, quos dixi eius Præconibus iure poſsim occinere, *non propter veſtram loquelam credimus, ſed ipſe vidi, quia hic eſt verè* Theologus profundiſsimus, Scholaſticus ſubtiliſsimus, abſolutiſsimus Interpres, aut vno verbo, Doctor Illuſtriſsimus: *Ipſe probaui verum eſſe ſermonem, quem audieram, & quod media pars mihi nuntiata non fuerat, maior que ſit Sapientia eius, quam rumor quem audiui.* Tanta molis fuit tuam illam condere *tractationem*, paruæ quidem molis, ſed immenſæ operoſitatis & conſumati opus Magiſterij, Opus inquam, collecta tenens, quæ rarò vel diſperſa inueniuntur: conſociari autem, propè miraculum eſt. Stylum aio, Scholæ in paucis accommodatum, neque tamen incomptum, aut neglectum: vocum atque terminorum vſurpationem natiuam & ingenitam, rerumque notionibus exprimendis maximè propriam & formalem: verè ſummam, & vix mortalibus conceſſam claritatem ſimul, atque breuitatem obſcuriora quæque profundiùs intueri, nouiſque ſimilitudinibus, ac exemplis per æque acutis & ad rem ipſam natis, magis atque magis colluſtrare: miram in metaphyſicis ſubtilitatem, exquiſitam in dogmaticis eruditionem, communiora tractare ſingularius, nouas proferre rerum atque ſententiarum vbertates abſque vllius nouitatis labe, abſque vllius periculi ſuſpitione: neminem durius exercere, vi potiùs argumentorum, & conſtanti moderatione, Aduerſarios confutare. non crambem recoctam obtrudere, non extra theſim vagari, nihil abiectum inane, redundans ingerere: ordinatiſsimam docendi methodum inſiſtere, omnia ſuis modò librata ponderibus, ſuiſque modò numeris abſoluta in tempore, ac loco producere: Ex hiſce omnibus efflореſcentem exactiſsimi Magiſterij formam exhaurire, atque breuis & claræ, ſubtilis, ac eruditæ, veteris, ac nouæ, grauis & neruoſæ, Scholaſticæ, dogmaticæ, ſanæ, vtilis, ſolidæ, temperatæ, numeroſæ tandem, æquabiliſque doctrinæ inæſtimabilem quandam precioſitatem, & mirificam veluti harmoniam, atque concentum informare.

Hæc ſunt Lumbieri Decora, quæ cum omnia complecti, propè, vraiebam, miraculum ſit; omnia tamen (vt alia non pauca, neque enim panegyrim texo, eiſdem gemina prætercam) vſque ad miraculum, complexus eſt *Tractatus* ille tuus verè aureus totus, & verè totus æternitati conditus, æuiſque omnibus ferendis natus. Eum igitur non tibi modò tuiſque, ſed omnibus impenſe gratulor Sapientibus; omnes enim illius diuitijs augeri poſſunt; & porrò etiam non modicè augendos haud vana fide præſentio. Tu vide ſis, ne alias lucubrationes tuas *ſub modio condiтas* velis, ac non magis *ſuper candelabrum poſitas, Vt luceant omnibus qui in Orbe ſunt.* Vide inquam ne illa *conditio* repugnet Euangelio. Interim verò plura iam editæ exemplaria ad grauiſsimum hoc tuum Collegium nulla mora tranſmitte, queis Academia noſtra ſtatim valeat fortunari.

Venio ad quam dixi ſecundam noſtri illius *deſiderij*, cauſam vt nimirum cernerem, ſi quæ fortè noſtrarum propoſitionum tuo etiam ſuffragio leuaretur. Nam licèt omnes, trecentorum & amplius Theologorum ſubſcriptionibus muniantur: alijſque validiſsimis circumvaleantur, tum authoritatis, tum rationis fulcimentis, ſunt tamen, quineque his omnibus contenti, cenſuras adhuc, flamaſque fulminaque intentare audeant: quibus equidem in officio continendis nihil potentius eſſet, quam ſi te modò eius famæ Doctorem (Quem nec ipſi Agonothetam recuſare poſſent, niſi ea ipſa, tanti Nominis recuſatione videri vellent pleniſsimè conuicti) partibus noſtris accedere, ſuis verò cernerent aduerſari. Ergo hìc etiam voti me compotem ex parte video, qua nimirum tueor Animam Chriſti te ipſa Deum videre increata cognitione. Hanc enim propoſitionem *nullam mereri Theologicam cenſuram*, ea Patrum & Conciliorum, quoſque damnant errorum, atque Sectarum comprehenſione, ea rationum, atque reſponſionum ſubtilitate conuincis, vt aliàs quidem alios, hìc verò te te ipſum ſuperaſſe videaris. Multis ergo nominibus huius Epiſtolæ officium tibi perſoluere debui; cuius itidem, ne prolixitate deſeratur, intuitu, iamdudum illam abſoluo. Tam tu equi bonique conſulas; nec latine ſcriptam mirari iubeat; minùs enim latine, quam Hiſpane Barbarus ſum; placuit verò minùs inconditè, atque impolitè, vel in familiari Epiſtola delibare tantæ maieſtatis argumentum. Salmanticæ, ſexto Kal. Mart. Anni 1672.

REVERENDISSIMO P.M.F. RAYMVNDO LVMBIER.

THOMAS MVNIESA SOCIETATIS IESV, SACRÆ THEOLOGIÆ Lector in Collegio Barchinonenſi, & Sanctæ Inquiſitionis Qualificator.

ASSE qui verbis haud potero, quantam animi voluptatem attulerint tranſmiſſæ nuper ad me dignatione, qua ſoles maxima, recentes, eque doctiſsimæ de Incarnato Verbo Diſſertationes: quas luci tandem aliquando publicæ conſecras, vt quam in ſe lucem ab ingenij, & nominis tui ſplendore ſortitæ ſunt; legentium oculis, mentibuſque iam poſsint emolumento longè maximo Theologicæ facultatis, affundere. Et quidem poſt habitam tibi pro munere iucundiſsimo quam humilimè gratiam; iure emerſerunt, & ex habito mihi honore tranſmiſsi è prælo ipſo voluminis, congratulatio, & ex optatiſsima eiuſdem operis editione voluptas. Dolebam enim acriter, adeò miſeram tuis lucubrationibus ſortem obtigiſſe, vt ſub anguſti vnius, quantumvis Auguſti, Gymnaſij vmbra contentas, prodire numquam eas in vniuerſaliorem Solis claritudinem, nubes illa tuæ modeſtiæ pateretur. Hunc animi ſenſum, non tam ille, quo me rapi ſentio in ingenij tui admirationem ebibitus cum diſciplinis Theologicis amor, quàm ſolidè iacta Doctrinæ ſublimitas, tantoque ex ſemine naſcitura ſeges, indidere. Theologiam ſubij, Te Magiſtro, Diſcipulus, totoque quadriennio, eo nomine fœlix, excolui: Doctrinæ iuxta, atque benevolentiæ tuæ, qua diſpulum perhumaniter honorabas, conſtanter adhærens, vt à Seculo in Sacram Ieſv Societatem deſuper evocatus, ne boni quidquam Magiſtro optimo non deberem, non niſi tuo primum inito maturiſſimo conſilio à Te diuelli potuerim. Sed redeo ad præſens tuum quod ſtudioſè evolvi de Incarnatione volumen: & ne me prætereat data opportunitas hanc meam obteſtationem, primo huic quem lucidas mentis tuæ Partui agnatam, ſi nihil vt æternum perſtet, evulgandi; fatebor ingenue, in quale quale grati pectoris ſpecimen, quidquid mea tenuitas in Scho-

laſ-

ſaſtico Pulvere nacta eſt, primis in hunc, & alios Theologiæ Tractatus tui calami lineamentis acceptum, referri debere: Iam vero ſecundis, poſtremiſque doctiſsimæ tuæ dexteræ curis, adeo numeris omnibus abſolutum eſt opus, vt accuratiùs aliquanto perpenſis vltro citroque Scholarum Sententijs, tuto poſsint ingenia è penna tua, vel in diuerſa volatum erigere. Vno cunctationis ita diuturnæ nomine nonnullam Orbi literario feciſſe mihi videris iniuriam: cæterum & huius, ſi liceat dicere, noxæ, ipſa tui animi ad omnia facti magnitudo, & ingenij ad quæque prompti fœlicitas rea eſt. Attamen parem omnibus, maiorem ſingulis, tantarum turbæ rerum immiſcent tuæ Te dotes, vt animos mihi certè nunquam fecerint, vnum aliquid, qua maxima, & amoris, & animi contentione potuerim, obſecrandi: Quin potiùs, dú recens editio obſecrationi meæ viam ſatis aperuit; grati Diſcipuli nec partes, nec ipſum nomen impleverò, ni Te ſemel, atq; iterú ſolito nunc obnixiùs orarem, Reverendiſsimæ Pater; nolles, quando fœliciter incepiſti, reliquas in reliquam Theologiam Commentationes, è quibus tantum in omnes commodi, tantum in Academiam ſplendoris, tantum in Tui vel inuiti celebritatem exiſtimationis effluxit; nolles, inquam, eas diuturnioribus ſcriniorum vmbris obvoluere. Si Hildebertum, vt opinor, ipſe legeris: *Scientia diſtributa ſuſcipit incrementum, & avarum dedignatur poſſeſſorem: niſi publicetur, elabitur*; eo ne Te ducat modeſtiæ ratio, vt Tecum de ipſa vt intempeſtiuè reluctanti, Sapientia conqueratur. Longum annorum ſpatium, quod deſiderabat olim in Doctiſsimo quoque Theophraſtus, mortalitati noſtræ, conditionis ipſius noſtræ thenor inhibuit. Quapropter ego, cum præ maxima amoris, & obſeruantiæ vi, longiſsimam Tibi exoptem annorum ſeriem, idque ab vna tuorum Operum laude apud Sapientem poſteritatem perennatura, Sperari vtcumq; poſſe cú videam finem precandi non faciam, Magiſter optimè, quin exorem, reliquas Theologiæ Partes vlteriori non deſinas Illuſtrare voluminum editione: vt è calamo tuo in nobis ſaltèm, qui reliquum huius Partis nobiliſsimæ corpus auidè expetimus, incrementa ſuſcipiat Theologia tua: & Carmelus tuus, cuius in Vertice fœliciter emines, ad Eſſenos ſuos, ſiue Elianos, legis olim peritiſsimos, atque obſeruántiſsimos, ad Nazianzenos, Chriſoſtomos, Cyrilos, Damaſcenos, ad Baconios, Vbaldenſes, Guidones, Beuxamios, aliaque Sapientiæ eximia Capita, quibus poſt Eliam & Eliſeum clariſsimos Inſtitutores, floruiſſe antiquitus gloriabatur; iugi, perennique Protectricis Deiparæ beneficio, Lumberios, ſiue Raymundos iure nunc merito adnumerare, non ſine magna noſtri Sæculi commendatione, poſsit. Vt dicere nobis hac mente liceat: non exiccatus eſt Vertex Carmeli: quin potiùs, vel ab aſcendentis olim Nubeculæ imbre irriguus, vel à Signato iam iam adumbratæ Virginis Fonte, ſingulari, Nomenclaturæ, Originis, atque Tutelæ prærogatiua, in Parteniſcum evireſcens Paradiſum, amœniſsimam præſefert vbertatem: Verè Mons pinguis poſtquam benigniſsimo Mariani Cœli ſtillicidio pingueſcunt ſpecioſa Deſerti, & conuallium ad inſtar, exultatione colles accinguntur: Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare, non ſecùs, atque in excultiſsimo Viridiario: quò planè potuit mutuatis ab ſponſo blandiſsimis Canticorum Verbis, Sponſa Mater & Virgo, Carmeli Cultrix, & Cuſtos ſolicitiſsima, Dilectum in aſſe ſuum viciſsim adlocuta: veni in Hortum meum. Eius emiſsiones Paradiſus: quando inter eximios illos, quos emittebat primitus Eccleſiæ Precurſores in Ioanne Eſſenorum Choriphæo: mox Propagatores in Apoſtolis, eorumque Coævis, ac Socijs Carmelitanis: ſtrenuos poſtmodú Propugnatores in Elpidio, Anaſtaſio Perſa, Girardo, Angelo, & huius roboris Heroum Chriſtique Pugilum myriadibus: vſque adeò & Paſtores Summos in Theleſphoro, Dioniſio, Sylverio, & Sanctiſsimis alijs Petri ſucceſſoribus: vt ſacrarum Seminaria Virginum in Euphraſia, Febronia, Leocadia, Tereſia, Magdalena Pazzenſi, cum propé innumeris Angelicæ Caſtimoniç Lilijs, prætermittam; nouos in Senecta vberi pro germinat Filios, primæui ſui Decoris hæredes & hæreditario veluti iure Patriæ æmulos laudis & Gloriæ: qui Eccleſiam, Maiorum ſuorum ſtudio, regimine, ſudóre, ſanguine, omnique deſeminandæ Fidei, ac Religionis miniſterio adultam & propagatam; noſtris quoque temporibus vbique Gentium è Suggeſtibus etiam Regijs, è Cathedris, etiam Primarijs, opere & ſermone, voce & ſcripto, linguæ, calamique floribus, & fructibus exornant & locupletant. Quod in hoc vniuerſim argumentum, è prædiuitè bonorum Annalium penu depromi facilè poſſet, inſti potiùs voluminis, quam Epiſtolæ negatium eſt. Quod de Te ſpeciatim, ad hæc Ordini tuo Prophetico, Apoſtolico, & Mariano communia deriuanda ſubnecti par erat; aut certè Tibi, Pater Reuerendiſsime; ſed alijs modeſtiæ cauſa; nec à me quidem toto tuo, ſed calamo liberiori, vel protſus alieno ſcribi, integrum magis fuerit & optabilius. Vale iam, Teque bono noſtro fortunet Deus, diuque ſervet incolumen ad votum meum. Barchinonæ, Kal. Ianuari anno 1672.

Reverendiſſimæ Paternitatis tuæ.

Addictiſsimus Diſcipulus, & in Chriſto ſervus.

Thomas Munieſſa Societatis Ieſu.

LECTORI.

PAucis te volo, benigne Lector, dicturus tibi breui Scriptionis meæ cauſam, & totius operis rationem. Fauentem autem accommoda, neque illico, me non audito, damnes nouam noſtram, in tam feraci doctiſsimarum Lucubrationum ſæculo, ſcriptionem. Reddidit Orbi Superiori memoria, atque etiam noſtra illuſtrium fœcundiſsima Parens Virorum, Aragonia Carmelitana Prouincia, atque adeò Cæſar-Auguſtanus Conuentus, præſtantiſsimos Heroas, Religionis & Sapientiæ lumina, Theologiæ Proceres, diuini Verbi ſanctiſsimos Præcones, Reuerendiſsimos Patres (cæteros vt nó meminerim) M. Fr. Michaelem Ripol bis digniſsimum Prouincialem, Fidei Cenſorem, Synodalem Examinatorem, & in Cæſar-Auguſtana Academia Primarium Theologię Emeritum Profeſſorem? M. Fr. Martinum Ximenez de Em-

Embun, Concionatorem Egregium, Sacrarum Literarum Interpretem, Veſpertinæ deindè Cathedræ, Primariæ tandem electum Moderatorem; M. Fr. Dionyſium Iubero, Caroli Cæſaris à Concionibus, Fidei Cenſorem, Theologiæ Profeſſorem, & Cathedr. rium, ad Sacras demum Eccleſiæ Barenſis infulas evectum; M. Fr. Franciſcum Lucca, qui Philoſophiam bis primum, in hac Vniuerſitate, Metaphyſicam deindè docuit; in Oſcenſi vero antiquiſsima Academia M. Fr. Stephanum Tous, M. Fr. Angelum Palacio, quem iterum! M. Palacin. Primum poſitiuæ Theologiæ, Scholaſtica alterum pro Veſpertina Cathedra, tertium eiuſdem Theologiæ gnariſsimum Profeſſorem; denique, ne Catalogum videar pertexere, M. Spiridionem Marin, Prouenza, Sancta Pau, pleroſque alios, vtriuſque Academiæ Duces, ſui Sæculi lucem. Tàm præclara vero ornamenta, nobiles Religioſorum Heroum Animas, perennaturas æternum, lachrymabundus Carmelus, iniquiſsimo ſupra quam dici poteſt, abreptas ſibi, dolet, fato. Siquidem (cum neque vnus eorum ad opera eximia prælo committenda viuens ſe contulerit: quæ res vna, vindicatos à mortalitate mortales reddit immortales) vix audiuntur magna illa Nomina (non ſine lugenda Aragoniæ Prouinciæ iactura), quæ continuis excepta plauſibus, exteras etiam gentes pervagata, æterno, debitoque præconio celebrarentur; vt conueniat in illos triſtiſsimum illud: *Periit memoria eorum cum Sonitu*. Id circo ex Domeſticis per multi grauiſsimo dolore perculſi, Maternęque amplificandę gloriæ ſtudioſsimi, Me (omnium ſanè minimum, neque vlla ratione ingenio, doctrina, cum Superioribus comparandum) cum per 29. annos in florentiſsima Cæſar-Auguſtana Academia (vbi Veſpertinæ Cathedræ primum in capite Subſtitutus per tres; deindè Scoti Cathedrę Proprietarius per quatuor; mox per duos Sacrarum literarum pręfui; tandem Primariæ totos viginti, num etiam annos præſum) meliorem vitæ partem Thelogiam docendo poſuiſſe, non ſine fructu (vt interpretantur ipſi) viderent, factæ reficiendæ iacturæ nacto s occaſionem rati; mirum quam moleſtiſsimis oneraint querelis, expoſtulationibus etiam, ne quos docendi munere tandiu fueram imittatus, in poſterum verecunda, & neſcio an reprehendenda non ſcribendi pertinacia pergerem imitari. Sed Domeſticis (mei, reique difficultatis probe conſcius) ſæpius impetitus, ſępiſsimè haud facile reſtiti. At vbi doctiſsimorum Externorum hominum (quos omninò reijcere re nefas eſſet) grauiſsimæ etiam, diuturnæque preces interceſſerunt, parendum, animo licet reluctante, decreui. Et cum vt bonæ, afflictæque Matri (quod avebam ipſe, nec audebam) lachrymas ſi omninò non abſtergerem, aliqua tamen ratione dolorem temperarem, tum vt Externis, Domeſticiſque, morem gererem, calamum, vel inuitus arripui, & ſcribendi Prouinciam, neſcio an meis impar occupationibus onus, ſuſcepi. Atque hæc Scriptionis noſtræ cauſa. An iuſta tuum erit, beneuole Lector, æquiſsima iudicij lance trutinare.

Venio ad operis rationem, vndè multò me breuius expediam. Quæſtiones de Diuini Verbi Incarnatione, ne vnus plus æquo turgeſceret, duplici tomo comprehendo. Hic primus dabit eas, quę vſque ad Chriſti Scientiam, in Scholis communiter agitari ſolent; reliquas vero, quæ ſingularem aliquam, & exquiſitam doctrinam pręſeferent, cum omnium Quæſtionum Epilogis, alter tomus, qui ſequetur haud ſerus continebit. In primam Partem Quæſtiones non paucas ſub prælo habeo; ſi per occupationes licuerit, quæ Publicum Magiſtrum, Concionatorem, Fidei Cenſorem, Synodalè Examinatorem, Prouincialem etiam, aliæ ex alijs, atque moleſtiſsime impediunt, non modò, quæ in illam, ſed quę in duas alteras Theologiæ partes deſiderantur, typis excudendas, benè iuvante Deo, dabo. Quo circa ſi in hoc opere, alijſque conſequuturis, quidquam occurrerit limatum minùs, aut minùs perpolitum, habes quare Scholaſticum Doctorem (me vero potiſsimum) cui magis in hoc genere indulgendum, benignus, & facilis excuſes. Vale, & hoc noſtro qualicumque labore, in tuam vtilitatem quamdiutiſsimè fruere.

INDEX QVAESTIONVM EX TRACTATV PRIMO. DE MYSTERIO ICARNATIONIS.

DISTINCTIO PRIMA. DE INCARNATIONIS POSSIBILITATE.

QVæſtio 1. de Poſsibilitate Incarnat. Art. 1. Catholica Sententia & argument. 1. à mutabilitate, à nu. 3. Art. 2. Vera ſolutio nu. 12. Art. 3. argum. 2. ab imperfectibilitate, num. 19. Art. 4. Illationes, nu. 28.

Bibliotheca S. ... Ianssoniana.

Digitized by Google

28. Art.5. argum. ab informatione,nu.35. Art.6. quædam illatio, vbi diſparitas ſubſiſtentiæ, & ſcientiæ, num. 43. Art. 7. alia argumenta, num. 50. Art.8. replica de comprehenſione, num. 56.

Quæſt. 2. de Exiſtentia Incarnat. Art. 1. errores contra Diuinitatem Chriſti, num. 64. Art. 2. errores contra Humanitatem, num. 71. Art. 3. contra Vnionem, num. 79. Art. 4. argumenta pro Neſtorio, num. 86. Art. 5. veritas Catholica, num.91. Art. 6. Error contra Exiſtentiam Incarnat. num.98. Art. 7. aliæ probationes, num. 110.

Quæſt. 3. De Incarnat. cognoſcibilitate. Art. 1. non eſt demonſtrabilis naturaliter, num.117. Art.2. argumentum à connexione carentiæ, & potentiæ obedentialis, num.124. Art.3. argumenta alia, vbi de cognitione probabili, num. 131. Art. 4. de cognoſcibilitate probabili, num. 138. Artic. 5. de cognitione poſt factam, & reuelatam 147. Art. 6. argumentum à connexione, num. 158. Art. 7. an poſt miracula, num. 162. Art.8. replicæ, num. 172. Art.9. an ex alijs Capitibus, num.176. Art.10. altera ſolutio, num.188.

Quæſt. 4. De conuenientia Incarnat. Art.1. an conueniat Deo, num. 195. Art.2. an humanitati, num. 204. Art. 4. an alijs, num.210.

Quæſt. 5. De neceſsitate Art. 1. de abſoluta, num.220. Art. 2. fortior probatio, num. 232. Art. 3. reſponſio ad inſtantias, num. 242. Art. 4. diſparitas, num.249. Art. 5. argumenta pro Granado, num. 157. Art. 6. argumenta à ratione, num.266. Art.7. alia argumenta, num.279.

Quæſt. 6. De neceſsitate ex ſuppoſitione, Art.1. aliquæ ſupoſitiones, &c. num.291. Art.2. de liberatione à ſeruitute Dæmonis, num. 302. Art. 3. aliud argumentum, num.311.

DISTINCTIO SECVNDA.

DE SATISFACTIONE.

Quæſt. 7. De ſatisfactione, num. 314. Art. 1. de naturali, num. 315. Artic. 2. argumenta, numero 310.

Quæſt. 8. De ſatisfactione condigna. Art.1. ratio P. Vazquez, num. 332. Art. 2. de ſatisfactione pro peccato proprio, num. 341. Art. 3. reſoluitur difficultas, num. 349. Art. 4. argum. à ſimilitate contritionis, & peccati, num. 353. Art. 5. idem proſequitur, num. 362. Artic. 6. de ſatisfactione condigna à pura creatura, num. 368. Art. 7. ſententia Recentiorum, num. 339. Art. 8. noua reſponſio, num. 389.

DISTINCTIO TERTIA.

DE OFFENSA.

Quæſt. 9. De neceſsitate ex infinitudine offenſæ. Art.1. præmittuntur aliqua, num. 398. Art.2. ſententia negans, num. 405. Art. 3. alia de infinitudine offenſæ, num. 411. Art. 4. reſpondetur argumentis, num. 418. Art. 5. reſponſio ad alia argumenta, num. 427. Art. 6. de relatione offenſæ ad Deum, num. 434. Artic. 7. probatur infinitudo ofenſſæ, num. 441. Art. 8. alia probatio, num. 451. Art. 9. de infinitate phyſica, num. 461. Artic. 10. argumenta, num. 465. Artic. 11. alia argumenta, num. 477.

Quæſt. 10. De ſatisfactione condigna, Art.1. argumenta pro pura creatura, num. 489. Art.2. fundamentum Scotiſtarum, num. 500. Art. 3. an ſatisfactio Virginis ſufficiat, num. 505. Art. 4. de ſatisfactione pro veniali, num. 518.

Quæſt. 11. De ſatisfactione Chriſti, Art.1. an ſit infinita, num. 526. Artic. 2. argumenta pro Scotiſtis, num. 533. Art. 3. infinitudo meriti, num. 542. Art.4. an ſatisfactio Chriſti ſit condigna ex ſe, num. 549. Art. 5. de pacto fideiuſſionis, num. 558. Art. 6. de principio *quod* ſatisfactionis, num. 564.

Quæſt. 12. De ſatisfactione ex iuſtitia. Art.1. ſententia negans, num. 572. Art. 2. noſtra ſententia, num. 587. Art.3. argumenta, num. 599.

DIS-

Digitized by Google

 141

DISTINCTIO QVARTA.

DE CAVSIS INCARNATIONIS.

Quæſt. 13. De motiuo Incarnationis. Art. 1. Incarnat. fuit primo propter Redemptionem, num. 611. Art. 2. an Chriſtus fuerit primò decretus, num. 671. Art. 3. idem proſequimur, num. 635. Art. 4. noſtra ſententia, num. 648. Art. 5. validior probatio, num. 650. Art. 6. impugnatur fundamentum aduerſariorum, num. 656. Artic. 7. idem amplius explicatur, num. 661. Art. 8. argumenta, num. 671. Art. 9. alia argumenta, num. 682. Art. 10. argumentum à prædefinitione 694.

Quæſt. 14. De extenſione huius decreti. Art. 1. an fuerit de Chriſto ſolo, num. 700. Art. 2. de aduentu Chriſti non peccante Adamo, nu. 708.

Quæſt. 15. De meritis Patrum. Art. 1. aliqua notantur, numero 713. Articul. 2. vera ſententia num. 721.

Quæſt. 16. De vnione hypoſtatica, & cauſis. Art. 1. an ſit diſtincta ab extremis, num. 726. Art. 2. de perfectionibus vnionis, num. 738. Art. 3. an vnio ſit productio humanitatis, num. 741. Artic. 4. de cauſa efficiente vnionis, & Maternitate Virginis, num. 754. Art. 5. identitas vtriuſque vnionis, num. 763. Art. 6. an vnio humana ſit hypoſtatica, num. 767. Art. 7. alia de cauſis, & terminis Incarnationis, num. 773. Art. 8. an vnio ſit ad naturam, vel perſonam, num. 782. Art. 9. de termino immediato vnionis 796. Art. 10. vera ſententia, num. 804. Art. 11. aliqua de concretis, num. 816. Art. 12. de Hidiomatum communicatione, num. 824.

Quæſt. 17. De extremo aſſumpto, Art. 1. de natura aſſumpta, num. 837. Artic. 2. de ſanguine, num. 846. Art. 3. de ordine aſſumptionis, num. 853.

Quæſt. 18. de aſſumptione in alio ordine, Art. 1. an ſubſiſtentia abſoluta Dei poſsit terminare humanitatem, num. 864. Art. 2. de perſona aſſumente, num. 877. Artic. 3. de triplici perſona aſſumente, num. 900. Art. 4. de natura in alio ordine, num. 911. Art. 5. de perſonalitate creata, nu. 920. Art. 6. argumenta de naturis incompletis, nu. 930.

EX TRACTATV SECVNDO

DE PERFECTIONIBVS CHRISTI.

DISTINCTIO QVINTA.

DE GRATIA CHRISTI.

QVæſt. 19. De Gratia vnionis. Art. 1. de ſanctitate ſubſtantiali Chriſti, num. 939. Art. 2. an humanitas ſanctificetur ab vnione, num. 947. Art. 3. an à Verbo, num. 953. Art. 4. an à perſonalitate, vel Deitate, nu. 958. Art. 5. an infinitè, nu. 968. Artic. 6. vera ſententia, num. 980. Articul. 7. argumenta, num. 989.

Quæſt. 20. De Gratia habituali. Art. 1. an detur in Chriſto, num. 1000. Art. 2. quanta ſit in Chriſto, num. 1012. Art. 3. vera ſententia, num. 1024. Art. 4. argumenta, num. 1036. Art. 5. aliud argumentum, nu. 1048. Artic. 6. duæ replicæ num. 1056.

Quæſt. 21. De plenitudine gratiæ Chriſti. Artic. 1. an ſit omnimode plenus, num. 1068. Art. 2. argumenta, num. 1077. Art. 3. explicatur plenitudo, num. 1088. Artic. 4. de perfectionibus gratiæ Chriſti, num. 1109.

Quæſt. 22. De virtutibus Theologicis. Art. 1. an detur fides in Chriſto, num. 1116. Art. 2. ſolutiones, num. 1126. Art. 3. ſolvuntur dubia, num. 1137. Art. 4. repugnantia fidei cum euidentia, num. 1147. Art. 5. notabilia pro ſolutione, num. 1154.

Quæſt.

Digitized by Google

INDEX QVÆSTIONVM.

Quæſt. 23. De Spe, & Charitate. Art. 1. aliqua de Spe, & timore, num. 1166. Art. 6. an fuerit Spes in Chriſto, num. 1180. Art. 3. alia de Spe, num. 1184. Art. 4. reſpondetur argumentis, num. 1188. Art. 5. de Charitate, num. 1195.

Quæſt. 24. De virtutibus Moralibus. Art. 1. an fufuerint in Chriſto, num. 1102. D. (hæc litera D. indicat num. 1010. qui eſt iterùm à typographo repetitus) Art. 2. de per ſe adquiſitis, nu. 1110. D. Art. 3. de pia affectione, num. 1121. D. Art. 4. de Pœnitentia, num. 1138. D.

Quæſt. 25. De Donis, & Gratijs gratis datis. Art. 1. fuerunt in Chriſto dona, num. 1145. D. Art. 2. de timore, num. 1152. D. Art. 3. de exercitio timoris, num. 1163. D. Art. 4. conuenientia vtriuſque timoris, num. 1171. D. Art. 5. de Gratijs gratis datis, num. 1181. D. Art. 6. de Prophecia, nu. 1186. D.

Quæſt. 26. De Gratia Capitis. Art. 1. quomodò ſit Caput hominum, num. 1195. D. Art. 2. eſt caput peccatorum fidelium, num. 1205. Art 3. eſt caput Angelorum, num. 1225. Art. 4. quæ gratia conſtituat Chriſtum Caput, num. 1237. Art. 5. argumenta, num. 1248.

DISTINCTIO SEXTA.

DE MVLTIPLICI SCIENTIA CHRISTI.

Quæſt. 27. De Scientia Chriſti Beata. Art. 1. an detur, nu. 1255. Art. 2. an Chriſtus vt homo comprehendat Deum, num. 1265. Art. 3. quænam paſsibilia videat Chriſtus ex vi Viſionis in Deo, num. 1278. Art. 4. quos Actus liberos Dei videat, num. 1289. Art. 5. Chriſtus ex vi Viſionis an videat omnia futura, num. 1301. Art. 6. an humanitas ſit beata per Viſionem increatam, num. 1317. Art. 7. pars negans non eſt de fide, num. 1328. Art. 8. argumenta, num. 1339. Art. 9. reliqua ſolvuntur, num. 1349. Art. 10. aliqua notabilia, num. 1357.

Quæſt. 28. De Scientia per ſe infuſſa. Art. 1. de eius obiecto, num. 1363. Art. 2. an Deus trinus ſit obiectum, num. 1370. Art. 3. an cognoſcat cogitationes cordium, & futura contingentia, num. 1378. Art. 4. an Scientia infuſſa cognoſcat naturalia, num. 1386. De ratione *quæ, & ſub qua*, num. 1395. Art. 5. de habitu ſcientiæ infuſſæ, num. 1405. In Chriſto tota ſcientia infuſſa eſt vnicus habitus, num. 1422. Art. 6. de ſpecie impreſſa, num. 1426. Art. 7. de hac ſcientia prout in Chriſto, num. 1440. Art. 8. quædam de comprehenſione, num. 1457. Art. 9. de vſu ſcientiæ infuſſæ per phantaſmata, num. 1474. Art. 10. de vſu per diſcurſum, num. 148[illegible]. Art. 11. reſoluitur difficultas de diſcurſu, num. 1487. Art. 12. aliqua de conuerſione ad phantaſmata, num. 1497. Art 13. an Chriſtus cognouerit extra Verbum omnia poſsibilia, nu. 1503. Art. 14. de identitate ſpeciei impreſſæ cum obiecto, num. 1514. Art. 15. ſolutiones impugnantur 1523. Art. 16. ſolvuntur argumenta, num. 1537.

Quæſt. 29. De Scientia per ſe adquiſita, & experimentali. Art. 1. an fuerit in Chriſto Scientia per ſe adquiſita, & à 1. inſtanti, nu. 1554. Art. 2. an hæc ſcientia creverit decurſu temporis, nu. 1566 Art. 3. an Chriſtus aliquid didicerit à creatura rationali, nu. 1576. Art. 4. an potuerit in Chriſto eſſe error iudicij, num. 1589. Art. 5. an fuerit in Chriſto ignorantia, nu. 1598.

TRAC-

Digitized by Google

TRACTATVS DE MAGNO INCARNATIONIS MYSTERIO.

AD TERTIAM PARTEM DIVI THOMÆ.

A REV.mo P. M. Fr. RAYMVNDO LVMBIER, ANNO 1646. IN VNIVERſitate dictatus, & iterum anno 1668. parum immutatus.

1 SANCTVS Thomas 3. part. à quæſt. 2. vſque ad 26. de Incarnatione diſſerit. Incarnatio autem dupliciter ſumitur. Primò, efficientèr. Secundò, formalitèr. Incarnatio efficientèr eſt effectio, ſiue actio, qua effectiuè Verbum Diuinum in carne humana poſitum, & vnitum eſt. Incarnatio formalitèr eſt vnio ipſa Verbi cum humanitate, per quam Verbum formalitér, & in facto eſſe, incarnatum, humanatum, ſiue in humanitate carnea, poſitum eſt, & cum ipſa vnitum.

2 Finis huius Incarnationis in facto eſſe eſt Chriſtus Dominus compoſitus ex humanitate, & Verbo; Deus, ſimùl, & homo: qui eſt ſcopus huius Tractatus. Sicut autem Myſterium Magnum, & Abſconditum eſt, ita eius tractatio nobiliſſima, & difficillima eſt Myſterij difficultates, numero, & obſcuritate prolixas, Deo fauente, hoc anno præſtingemus, & declarabimus.

DISTINCTIO I.

DE INCARNATIONIS POSſibilitate.

QVÆSTIO I.

VTRVM INCARNATIO SIT POSSIBILIS.

ARTICVLVS I.

CATHOLICA SENTENTIA, ET ARGVMENTVM 1. à mutabilitate.

3 AFFIRMO cum omnibus Catholicis, contrà aliquos Hæreticos, apud Medinam lib. 1. de recta in Deum fide. Primò, quia exiſtentia rei includit poſſibilitatem Logicam ipſius; ſed datur exiſtentia Incarnationis, vt infra probabo: ergo, & poſſibilitas logica ipſius. Secundò, quia nec repugnat ex parte Verbi, nec ex parte humanitatis, vt conſtabit ſolutione argumentorum.

4 Obijcies 1. Si Verbum poſſet incarnari, poſſet mutari. Prob. mutari eſt intrinſicè alitèr ſe habere; ſed per vnionem poſitiuè, & intrinſecè alitèr ſe haberet; quia ab æterno non eſſet intrinſecè formalitèr vnitum, & in tempore eſſet, & hoc non per ſolam aſſiſtentiam, aut penetrationem; ſed per intrinſecam actuationem: ergo mutaretur. Confirm. Motus eſt: actus entis in potentia, provt in potentia; atqui vnio eſſet actus Verbi, qui actuaret, & denominaret Verbum phyſicè, & intrinſecè vnitum, & eſſet actus Verbi, provt in potentia ad illam; quia ſupponebatur ſine illa: ergo mutaretur. Suarez hic diſp. 8. ait, difficultatem huius argumenti, vix poſſe ab humano ingenio diſſolui. Pro illa videatur Coninck diſp. 2. num. 63. Medina citatus, & Lugo hic diſp. 1. ſect. 6. & 7.

5 Reſpondent primò Recentiores, non mutari: quia ad hoc, vt aliquid mutetur per aliud, debet de nouo habere illud per receptionem, & ſuſtentationem, ſiuè tamquam ſubiectum inhæſionis ipſius. Verbum autem, non habet vnionem intrinſecè ſic, ſed ſolum tamquam ſubiectum adhæſionis. Sed contrà primò, quia materia prima mutatur, non per ſolam vnionem, quàm recipit; ſed per animam rationalem, & per quamcumque formã, quàm haberet, per creationem, mutaretur; atqui non recipit eas, vt ſubiectu inhæſionis: ergo, &c. Maior patet, quia talis anima, vel forma, eſt reſpectu materiæ verè: actus corporis phyſici organici potentia, vitam habentis: ergo, & actus entis in potentia, provt in potentia.

6 Contrà ſecundo, quia Ariſtoteles, in definitione motus non poſtulat ſubiectum ſuſtentationis, & inhæſionis; ſed potentiam, provt in potentia: quæ verè reperitur in embrione: v.g. reſpectu animę rationalis: imò ſi vnio animæ Chriſti, cum Verbo, ſit creata; vel ipſa creatio, vt contendit Bernal: & idem de vnione materiæ cum Verbo, humanitas verè mutaretur, per vnionem ad Verbum: nec tamen reſpectu eius, ſe habet tamquam ſubiectum inhæſionis, ſed ſolum adhæſionis, vel informationis.

7 Ideò alij reſpondent ſecundò: alitèr intrinſecè ſe habere, tunc facere mutationem, quando eſt per adquiſitionem, vel deperditionem nouæ perfectionis, vel imperfectionis; Verbo autem Diuino vnio admiſſa, nec eſt perfectio, nec imperfectio. Contrà, quia mutatio ſolum ſtat in actu entis in potentia, provt in potentia. Hoc autem omninò eſt independens a perfici, vel non perfici: ſicut ratio generica, pro natura eſt metaphyſicè independens à differentijs ſpecialibus, & præcipuè ſi daretur alia ſpecies media. Vndè, ſi per impoſſibile, Deus per inhæſionem reciperet vnionem, quamvis iſta, nec eſſet perfectio, nec imperfectio illius, adhuc mutaretur Deus. Adde, ideò non perfici, quia non actuatur per vnionem, vt potentia receptiua ipſius: ergo potius defectus potentiæ receptiuæ, eſt ratio, cur non perficiatur, quàm non perfici, ſit ratio, cur non mutetur.

8 Tertiò alij reſpondent, ideò non mutari; quia non ſe habet, vt ſubiectum vnionis, & vt potentia receptiua eius, ſed vt purus terminus. Habet enim vnionem intrinſecé, & per modum terminantis, non per modum recipientis. Vndè, ſicut ſcibile, non mutatur per ſcientiam, quàm terminat, ſed ſciens eſt, qui mutatur; ita humanitas eſt, quæ mutatur per vnionem, non Verbum illam terminans. Sed contrà, nam in primis, ſcibile, ſe habet extrinſecè ad ſcientiam; Verbum verò, intrinſecè vnionem habet: & ſic exemplum deſeruiet pro explicatione, non pro paritate.

9 Contrà ſecundo: habens de nouo intrinſecé vnionem, vt purus terminus, etiam mutatur intrinſecè. Patet in anima rationali, quæ in reſurrectione mutabitur intrinſecè; & accidentia Euchariſtiæ, ſi deſinat eſſe ibi Chriſtus, & reſtituantur ad inhærentiam, mutantur intrinſecè, & ſunt purus terminus vnionis; quia nec ſunt ſubiectum inhæſionis eius, cum de eorum potentia, vnio non educatur: nec ſe habent, vt forma vnionis, ſed ſolùm

Digitized by Google

ſubiecti : ergo ſunt purus terminus. Ratio à priori eſt, quia intrinſecè actuantur. Patet, quia perficiuntur per vnionem illam, cum ſubiecto : ergo abſque potentia receptiua, verè mutantur.

Pro ſolutione, nota 1. multiplex dari ſubiectum phyſicum intrinſecum, nempè inhæſionis, ideſt ſuſtentationis, informationis intrinſecæ: & hæc ſunt ſtrictè ſubiecta phyſica, & ſe habent à priori, & cauſaliter. Item adhæſionis, & denominationis intrinſecæ, & hæc poſſunt ſe habere terminatiuè, & à poſteriori; ſcilicet phyſicè, & intrinſecè terminando vnionem: & ſunt latè ſubiectum phyſicum.

10 Nota 2. Non omnem potentiam paſsiuam motus, debere eſſe ſubiectum receptiuum, & inhæſionis, & à priori, reſpectu actus. Etenim datur potentia paſsiua, quæ eſt paſsiua potentialitas, nata ad componendum cum alio, quod paſsiuè accipiat; licet non ſuſtentet. Hanc potentiam paſsiuam, ſiuè potentialitatem, habent formæ ſubſtantiales, reſpectu vnionis ſubſtantialis; & accidentia, reſpectu inhærentiæ; & omne ens, quod ex ſe inclinatur ad compoſitionem.

11 Vndè, licet reſpectu earum, ſit purus terminus; ſed non ſimpliciter, & abſolutè, ſed cum addito: nempè reſpectu vnionis. Ex ſe enim, natę ſunt, ſiuè ordinatæ ad componendum, vt forma, cum aliquo, ex propria capacitate, vacuitate, & indigentia, & incompletione. quod totum repugnat actui ſimpliciter puro : quia iſte, per ſe, ſolum eſt completiuus, & non eſt natus, ex ſe, ad componendum: & ſi componat, eſt ad replendam vacuitatem alterius, & indigentiam; non ſuam, cum ex ſe nullam habeat: & ſic, vt terminus ſimpliciter purus.

ARTICVLVS II.

VERA SOLVTIO.

12 RESPONDEO ergo ad argumentum : Verbum actuari per vnionem in ratione vniti, ſed non mutari, quia non actuatur in potentia, prout in potentia (quia hoc ſonat vacuitatem, vt bene Lugo.) Sed vt terminus puriſsimus, & completiſsimus. Licet enim in ipſo, detur terminabilitas; ſed non potentialitas vlla, adhuc quaſi obedientialis: ſicut reperitur in terminis creatis. Potentialitas enim obedientialis, ſupponit ad potentialitatem, & vacuitatem naturalem, & entitatiuam vnum; & addit non repugnantiam ad aliud: & hoc non reperitur in Verbo; ſed pura terminabilitas cópletiſsima.

13 Sicut enim eſt, actus puriſsimus in eſſendo, ita, & in terminando. Dicitur autem actus puriſsimus, quia omnem ſuam perfectionem excogitabilem habet actualiſsimè, ita, vt in ipſo nulla detur potentialitas, nec vacuitas, & capacitas ad vllam compoſitionem, nec intrinſecè, nec cum aliquo alio : compoſitionem inquam, per quam impleatur ipſe; benè verò, per quam impleat humanitatem. Nulla autem res creata, vel creabilis, caret potentialitate hac, ad compoſitionem; vt patet in anima rationali, reſpectu materiæ: & in Angelo reſpectu ſuę cognitionis: & in ſubſiſtentia creata, reſpectu naturæ. Vide num. 33.

14 Vnde, ſi ſubſiſtentia Angeli vniretur cum humanitate; adhuc illa vnio, reſpectu talis ſubſiſtentiæ eſſet mutatio: quia in illa ſubſiſtentia, datur potentialitas naturalis, & nata eſt eſſe pars, & componere cum natura Angelica : & eſt potentialitas naturalis ad Angelum; obedientialis verò ad humanitatem. Solus ergo Deus, dum terminat vnionem : terminat abſque vlla potentialitate: ac per conſequens, abſque mutatione. Vndè ratio, quare non mutatur Verbum per vnionem, non eſt vt cumque, quia purè terminat, ſed quia terminat ſimpliciter, & abſolutè vt actus puriſsimus.

15 Replicabis: adhuc nec ſic potuit vniri: ergo, &c. Probatur antecedens; quia ſic tranſibit de non vnito ad vnitum, quòd eſt vmbra viciſsitudinis, & mutationis; ſed hæc repugnat Deo, ex cap. 1. Iacobi his verbis: *apud quem, non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio*: ergo & vnio repugnat. Dato maiori, nego minorem; quia Iacobus, nó loquitur de immutabilitate phyſica, quia hæc vmbram poteſt permittere, ſed de morali exagetatiuè, in non tentando ad peccatum, vt explicat à Lapide, ibi.

16 Probas iterum, Verbum mutari. Paries per albedinem creatam, & vnitam, mutatur; ſicut anima rationalis per vnionem; atqui ad albedinem ſic vnitam ſolum habet potentiam obedientialem per modum non repugnantiæ : ergo etiam Verbum mutabitur, licet potentia eius ad vnionem, ſit per modum non repugnantiæ. Reſp. Conceſſa maiori, diſtinguo minorem : per modum non repugnantiæ præſupponentis potentialitatem, concedo minorem; non præſupponentis, nego minorem, & conſeq. Etenim in pariete datur potentialitas, ad accidentia educta, quæ, cum non repleatur per iſta, manet vacua. & ſic, nihil mirum, quòd repleta per albedinem creatam, mutetur per illam.

17 Dices : illa potentialitas non erat ad albedinem creatam, ſed eductam : ergo ad creatam, tantum eſt non repugnantia. Diſtinguo antecedens : non eſt ad albedinem creatam; determinatè, concedo; indeterminatè, & obedientialiter, nego; quæ, cum non repleatur educta, manet vacua, & replebitur accidentaliter creata. In Verbo autem, ad nihil eſt potentialitas, ſed pura non repugnantia, non ſupponens aliquam potentialitatem.

Replicas iterum: datur potentia, & virtus vt vniatur, ſicut in omnipotentia virtus, vt producat : ergo dum aduenit vnio, illa virtus exercetur : ergo dabatur virtus, & potentia. Reſp. nego antecedens: quia non dabatur potentia, & virtus, vt vniatur, ſed nuda entitas Verbi actualiſsima, & pleniſsima; cui tamen, non repugnat vniri humanitati, ad immutandam, & perficiendam illam. Differt autem valdè in hoc ab omnipotentia. Nam illa eſt virtus, & eſt reſpectiua; taliter, quod nequit eſſe, aut intelligi, abſque conceptu reſpectiuo ad poſsibilitatem creaturarum, quibus eſt potens dare eſſe. At conceptus Verbi, omninò intelligitur abſque vllo reſpectu ad vnionem, & indè reſultat in illo, pura non repugnantia.

18 Infero contra Martinon, hic diſp. 1. ſect. 4. nu. 35. Verbum non poſſe dici innouatum, quia hoc ſupponit potuiſſe veteraſcere, contra Paulum ad Hebræos, dicentem de cœlis : *Vt veſtimentum veteraſcere, Deum autem ſemper eſſe ipſum, & eundem.* Nec obſunt primo, plura loca, in quibus nouitas, & myſterium aſſeritur nouum. Reſp. dici nouum, vel quia inauditum, vel quia innouat omnem creaturam, vel quia myſterium vnionis, nouiter factum eſt. Nec ſecundò, quod Eccleſia dicat: *hodie innouantur naturæ.* Reſpondeo, loqui de omnibus naturis creatis, quæ innouantur, honorantur, & quaſi reſtaurantur, per Incarnationem, vt dicemus diſputantes de eius conuenientia : non autem loquitur de natura Diuina.

ARTICVLVS III.

ARGVMENTVM II. AB IMPERFECTIBILITATE.

19 NOTA : non eſſe idem poſſe mutari, & poſſe perfici, ac per conſequens difficultas huius argumenti diuerſa eſt à præcedenti. Etenim aqua, quæ per frigus perficitur, quia eſt iuxta eius naturam; per calorem imperficitur, quia eſt contra; & per aliud accidens, quòd nec eſt contrà, nec iuxtà, ſed præter ſuam naturam, nec perficeretur, nec imperficeretur: & tamen per quodlibet ex his mutatur extrinſecè.

20 Item, datur perfici abſque mutari : nam anima rationalis per vnionem ad materiam, & per gratiam in primo inſtanti; & etiam accidentia per inhærentiam in primo inſtanti, verè perficiuntur; & non mutantur, quia non ſe habent ad illam perfectionem, vt potentia, prout in potentia; quia non præceſsit carentia, in aliquo inſtanti, ac per conſequens, datur perfici, & non mutari: ſicque diuerſa eſt difficultas, à præcedenti.

21 Obijcies ergo ſecundo : ex vnione ſequitur, Verbum

Digitized by Google

bum perfici, ſicut paries perficitur per albedinem. Nec dicas, non perfici, quia ſe habet, non vt ſubiectum inhæſionis, ſed vt purus terminus eius. Contrà, quia anima rationalis perficitur per vnionem; accidentia per inhærentiam; & humanitas per vnionem hypoſtaticam (etiam ſi non ſit educta) & per Verbum; nec tamen ſunt ſubiectum inhæſionis; cum ergo vnio hypoſtatica ſit maxima perfectio, & quælibet res perficiatur per perfectionem ſibi intrinſecè, phyſicè communicatam; idem erit de Verbo, & hoc erit verum; etiam, ſi non detur vnio media, vt vult Thomiſta: nam materia, & forma, ſine vnione media, perficiuntur. Et ipſa humanitas apud illos.

22 Omiſsis varijs ſolutionibus, reſpondetur primo: Verbum non perfici per vnionem, licet illa ſit perfectio; quia eſt incapax, vt ei de nouo addatur perfectio aliqua, eo quod in ſe contineat per eminentiam adæquatam, omnes omninò perfectiones, per omnimodam plenitudinem. Sed dices contrà hoc: Verbum, non continet formaliter perfectiones creatas, ſed eminentèr. Modò ſic. Tam eminentèr habet vnionem, vt vnio eſt; quàm vt perfectio creata eſt; atqui non obſtante hoc, de nouo additur; quòd ſit formalitèr vnitum: ergo etiam, quòd ſit formalitèr perfectum, & non tantum eminent alitèr. Conſequentia probatur: Sicut enim vnio, vt vnio formaliter, eſt aliquid, quòd in Verbo non continetur formalitèr; ita quatenùs eſt perfectio creata, in Verbo, non continetur formalitèr: ergo vt ſic, poterit addere aliquid perfectionis; quia illo pacto non continebatur in Verbo.

23 Confirmatur: vnio formalitèr reduplicatiuè, vt talis, imo ſub rationem perfectionis creatæ; atqui Verbum à parte rei, non obſtante continentia eminentiali omnium perfectionum, eſt capax ad vnionem, vt vnio eſt: ergo etiam ad illam, vt perfectio eſt: aliàs eſſet realitèr, & formalitèr capax, & incapax, ad eandem omninò formalitatem vnionis.

24 Sed reſpondetur ad hanc replicam ex materia de Attributis, nullam perfectionem creatam additam Deo poſſe illum reddere abſolutè perfectiorem, adhuc extenſiuè: aliàs ſequeretur, quòd aggregatum ex Deo, & creatura, & quod Chriſtus, eſſet melior, perfectior, & honorabilior Patre Æterno, quòd abſurdiſsimum eſt. De quo Faſolus 1. part. quæſt. 6. art. 2. dub. 1. Et ratio à priori eſt; quia quidquid verè perfectionis, abſque imperfectione, reperitur in omnibus creaturis, totum erat formaliſsimè modò eminentiori, in plenitudine eſſendi Dei; & quidquid ſic non erat in Deo, non eſt perfectionis abſoluti, & ſimplicitèr, ſed potiùs imperfectionis.

25 Ad argumentum reſpondetur, Verbo poſſe addi de nouo, quòd fiat formalitèr vnitum; quia ad hoc non datur in ipſo incapacitas, nec aliquod prædicatum repugnans; & quidem in ipſo, hoc, quòd eſt vniti, poteſt eſſe nouum, quin deperdatur antiquum: & hoc, quod eſt eſſe perfectum, non poteſt in ipſo eſſe nouum; quia huic nouitati, datur prædicatum antiquum repugnans; nempè eſſentialis, & omnimoda plenitudo perfectionis: quæ eo ipſo, quòd poſſet nouam admittere, deperderet ly *omnimodâ*. Vndè perfectio Verbi, omnimoda relinquit locum nouæ denominationi vniti; quia hæc non erat formalitèr in Verbo: ſecùs nouæ, perfecti; quia hæc tota erat formalitèr in Verbo. Etenim, quòd vnio addit perfectionis, eſt intimitas cum Deo, quæ iam erat in Verbo, modò formali altiori, nempè per identitatem. Quòd ſuprà illam addit, eſt quòd illa intimitas, ſit modalis, & creata. Et hoc, potiùs eſt imperfectio.

26 Vndè. Reſpondeo ſecundo: Verbum non poſſe perfici per vnionem vt talem; quia vt talis, non eſt ſimplicitèr, & abſolutè perfectio. Imbibit enim eſſentialitèr mille imperfectiones, dependentiæ, entis ab alio, defectibilitatis, & alias. Vndè, nec eſt perfectio reſpectiua reſpectu Verbi; ſed reſpectu humanitatis. Sicut enim calor, qui eſt perfectio reſpectiua ignis, non eſt perfectio aquæ; quia non eſt iuxtà eius inclinationem; ita vnio, quæ eſt perfectio humanitatis, non eſt perfectio Verbi, quia non eſt iuxtà eius potentialitatem, & vacuitatem replebilem, & perfectibilem; talis enim potentialitas in Verbo non datur.

27 Ad confirmationem reſpondeo: Verbum eſſe capax habendi vnionem, vt vnio eſt, & habendi illam, vt impreſcindibilitèr perfectio creata eſt, ſed non eſt capax, vt ſicut denominatur vnitum per illam, denominetur perfectum. Diſparitas eſt, quia eſt vnio reſpectiuè ad Verbum, non ſupponendo vnitum; at non eſt perfectio reſpectiuè ad Verbum, cum tam ſupponat illud omninò perfectum, ac per conſequens includens repugnantiam additamenti in perfectione. Inſuper, quia ſicut calor in aqua, non eſt perfectio eius, quia non eſt iuxtà ipſam; ita vnio in Verbo, non eſt iuxtà potentialitatem; ad hoc enim, non ſufficit terminabilitas, & capacitas habendi per terminationem, ſicut ſufficit, vt vniatur; ſed requiritur vlteriùs vacuitas, quæ per nouam perfectionem impleri poſſet.

ARTICVLVS IV.

ILLATIONES, ET ALIÆ INSTANTIÆ.

28 Sequitur primò ex his: non ideò Verbum non perfici; quia non eſt ſubiectum inhæſionis: nam hoc, non requiritur. Nec ſecundò, non perfici; quia non completur per vnionem, nec ordinatur ad illam, ſicut anima ordinatur ad vnionem. Etenim, nec anima Beati ex ſe ordinatur ad gratiam, vel viſionem: nec illæ ſunt complementum eius, ſed accidens valdè contingens, & tamen perficitur per illas, eo quod datur in ipſa vacuitas replebilis ab illis; atque per illas benè ſe habeat, quod non reperitur in Verbo. Iſtud ergo non perficitur ob rationes aſsignatas.

29 Sed inſtas contra dicta 1. Verbum per Incarnationem, nec perficitur, nec de nouo bonificatur, nec accipit ſtatum meliorem, aut æſtimabiliorem: ergo inutilitèr eſt facta Incarnatio, nec erat amabilis, aut deſiderabilis à Deo. Nego conſequentiam. Tùm quia ſi non eſt vtilis, vt Verbum melioretur, eſt vtilis, vel melioraret humanitatem, & nos. Tùm quia, licèt non attulerit Deo augmentum bonitatis phyſicæ, attulit tamen magnam gloriam, in manifeſtatione ſuorum attributorum.

Replicas: humanitas per Verbum melioratur, & perficitur: ergo, & Verbum. Prob. conſeq. omnis appetitus perficitur, quando ſatiatur; ideſt, quando conſequitur ſummum, quòd extrà ſe appetere poteſt; Verbum autem, eſt ſummè diffuſsiuum, & communicatiuum ſui. Quòd ſolum valet obtinere per vnionem. Reſpondetur dupliciter. 1. In Verbo, ſolum dari appetitum, per modum virtutis, & virium, ad communicationem; non verò per modum exigentiæ: & ſic non perficitur, nec ſatiatur; quia non præcedit in ipſo ſitis, aut exigentia, nec potentialitas.

Reſp. 2. Quando appetitus eſt in re, vt ipſa meliùs ſe habeat, fateor perfici: ſecùs quando eſt, vt alia res meliùs ſe habeat. Sol enim non perficitur producendo in mineralibus; quia appetitus producendi non eſt, vt ipſe, ſed vt mineralia meliùs ſe habeant. Similitèr eſt in Verbo.

30 Nec contra dicta obeſt: quòd vnio, vt dictum eſt, imbibit multas imperfectiones, entis ab alio, &c. ergo communicata Verbo, reddit illud imperfectum. Conceſſo enim antecedenti: nego conſequentiam. Cum enim ſit incapax imperfectionis, communicatur illi, vt vnio eſt, & non vt imperfectio eſt: ideòque, licet ipſa ſit defectibilis, limitata, & dependens, non reddit Verbum defectibile, &c. licet reddat vnitum.

31 Nec item obeſt 3. per vnionem Verbum ſit homo, paſsibilis, & mortalis; atqui paſsibilitas eſt imperfectio: ergo, & reddit imperfectum. Conceſſa enim maiori. Diſtinguo minorem: paſsibilitas eſt imperfectio naturæ humanæ, quæ patitur in ſe ipſa, concedo: Diuinæ,

Digitized by Google

næ,quæ non patitur in ſe ipſa, ſed in humana, per communicationem Idiomatum,nego.

32 Inſtabis: peccatum factum ab humanitate,& receptum in illa, erit imperfectio eius, & Verbi: ergo etiam paſsio humanitatis eſſet imperfectio Verbi. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt,quia paſsio humanitatis, verè ſolùm eſt ipſius phyſicè; at peccatum eſſet etiam Verbi in ipſo Verbo. Humanitas enim peccando,deficiebat à lege;Verbum autem permittendo peccare, deficiebat à cura,quàm debebat habere circa actiones ſui ſuppoſiti.

33 Infero 2. Duplicem dari terminum purum.Vnum ſimpliciter,& vndequáque,nempè Deus. Alium tantum ſecundùm quid. Primus nequit mutari,aut perfici; benè verò ſecundus,quia habet innatam potentialitatem. Infero 2. Quòd ſicut potentia obedientialis videndi Deum, v.g. non eſt quodlibet ens, vt lapis; ſed ens viſiuum aliorum obiectorum eleuabile, ita potentialitas obedientialis ſupponit eſſentialitèr naturalem, compoſitiuam cum alio.

34 Infero tandem,ad perfici per aliquam entitatem, ſolùm requiri in entitate perficienda potentialitatem, quæ benè ſe habeat per illam, dum intrinſecè communicatur. Et ſic,ſi ſubſiſtentia hominis eleuaretur ad complendam naturam Angelicam,non ſolum mutaretur,ſicut ſubſiſtentia Angeli communicata homini,ſed etiam perficeretur. Vndè,ſi ſubiectum inhæſionis gratiæ, v.g. anima rationalis perficitur recipiendo illam, & perficitur etiam per vnionem ad materiam, quin recipiat illam, ſed purè ſe exercendo, in eo ad quod natura ſua ordinatur;ideò eſt,quia vtroque modò intrinſecè benè ſe habet.

ARTICVLVS V.

ARGVMENTVM ALIVD AB INFORMATIONE.

35 OBijcies 3. Verbum nequit ſupplere vices ſubſiſtentiæ reſpectu humanitatis,ergo,nec poteſt incarnari, ſiquidem incarnari eſt adſupplendum illam. Antecedens probatur, quia ſi ſuppleret, eſſet per modum formæ informantis humanitatem, illamque intrinſecè denominantis ſubſiſtentem; ſicut ſubſiſtentia creata eſſentialitèr eſt forma,actuans,complens,& determinans humanitatem;& fortè hæc præſtat tanquam modus ſuperadditus; atqui repugnat Verbo ſe habere, vt formam, vel modum: nam iſti eſſentialitèr imbibunt imperfectionem incópletionis,potentialitatis,& dependentiæ ab alia comparte: ergo & quòd incarnetur. Confirmatur, quia ob hanc rationem incompletionis nequiret ſupplere vices in anima rationali intellectus creati, nec ſcientia Verbi,vices ſcientiæ creatæ.

36 Reſpondetur, negando antecedens; & ad probationem, nego maiorem de forma phyſica. Conceptus enim formaliſsimus ſubſiſtentiæ,non dicit rationem formæ phyſicę, ſed logicæ, vel denominantis: ideſt, ſolùm rationem vltimi termini,& complementi; ſicut punctum eſt vltimus terminus, lineam complens, quin ſit forma phyſica lineæ. Quòd ſi ſubſiſtentia creata ſit forma phyſica,vel modus ſuperadditus,non habet hoc, quia ſubſiſtentia eſt, ſed quia creata: dicens potentialitatem, & incompletionem, & eget compleri. Vndè, Verbum eſt forma logica,componens phyſicè, & per phyſicam vnionem; non verò forma phyſica, nam hæc dicit incompletionem in actu 1.

37 Sed replicabis: Verbum non eſt purus terminus humanitatis: ergo eſt forma. Antecedens probas multis. Et primò,quia intrinſecè determinat,& denominat humanitatem ſubſiſtentem in concreto: ergo vltrà rationem termini addit rationem formę phyſicæ. Conceſſo enim antecedenti,nego conſequentiam,quia forma phyſica præter intrinſecè denominare, addit incompletionem in ſeipſa. & per ſuam potentialitatem nata eſt ad componendum:quòd non habet forma denominans, ſiue purus terminus,vt talis.

38 Probas ſecundò antecedens:humanitas per Verbum mutatur formalitèr,& perficitur, nam fit formalitèr ſubſiſtens diuinum: ergo eſt actus talis entis in potentia ipſum Verbum: ergo etiam eſt forma eius,non minùs,quam anima rationalis, dum mutat, & perficit materiam. Nego vltimam conſequentiam,conceſſo entimemate:quia vt humanitas mutetur,& perficiatur,ſufficit, quòd eius potentialitas de nouo alitèr ſe habeat, & benè; at vt Verbum ſit forma,non ſufficit, quòd ſine mutatione ſui,actuet,& perficiat humanitatem,ſed requiritur incompletio.

39 Probas tertiò antecedens: Chriſtus eſt compoſitum phyſicum ex per ſe,& humanitate, & Verbo: ergo tanquam ex parte materiali, & formali. Confirmatur: humanitas in Chriſto ſe habet, ſaltim reſpectu vnionis eductę, vt cauſa materialis: ergo correſpondet illi, cauſa formalis,quæ erit ipſum Verbum:nam ſunt correlatiua. Pater Bernal hìc diſput. 1. iudicat indiſſolubilem hanc confirmationem,ſi vnio hypoſtatica ſit educta. Reſpondeo tamen,diſtinguendo anteced.Chriſtus eſt compoſitum phyſicum per modum naturæ, nego antecedens; per modum ſuppoſiti,concedo antecedens, & nego conſequentiam: quia illud, & non iſtud petit formam phyſicam. Ad confirmationem reſpondetur, correſpondere cauſam formalem; hæc tamen non eſt Verbum, ſed ipſa vnio,vt contingit in alijs modis inhærentibus.

40 Tandem probas: concretum ſubſiſtens dependet intrinſecè, & eſſentialitèr à ſuis conſtitutiuis, & componentibus: ergo & Chriſtus ab humanitate, & ſubſiſtentiæ, vt conſtitutiuis; atqui ab humanitate pendet tanquam à parte indifferenti,& determinabili: ergo vt à parte materiali: ergo & à Perſonalitate Verbi tanquam à determinante, ſpecificante, & eſſentialitèr complente,in ratione ſuppoſiti: ergo & tanquam à parte formali. Reſpondetur, concedo totum de parte formali intrinſecè denominante,& non de forma phyſica.

41 Pro quo nota: diuerſum eſſe, ſe habere, vt formam phyſicam, & vt rationem formalem, ſiue partem etiam phyſicè; nam primum imbibit eſſentialitèr prædicata formæ phyſicæ, quæ ſunt incompletio, & ordinatio ad informandum. Secundum verò, petit imitationem formæ phyſicæ,ſed non in his imperfectionibus, ſed ſolum in actualizando,determinando,& ſpecificando. Hæc autem munera competunt termino puriſsimo, qui proptèr illa poteſt dici forma: nó phyſica,ſed vel logica, vel metaphyſica, vel vt loquitur Arauxò, forma intrinſecè denominans.

42 Ratio eſt, quia forma phyſica, ſiue pars formalis phyſica,non ſolum reſpectu totius,ſed abſolutè in ſeipſa, eſt ens incompletum, & ordinatum ad componendum; secùs terminus purus ex ſe, ſiue forma logica,aut metaphyſica, intrinſecè denominans. Dato ergo antecedenti,& quoad duplici conſequentia, diſtinguo tertium conſequens: pendet à ſubſiſtentia Diuina, vt parte formali phyſica,nego; phyſicè denominante, concedo. Verbum enim,quin extrahatur à ratione puri termini formalitèr denominat,complet, & conſtituit concretum ſubſiſtens; ſitque forma denominans,ſicut punctum reſpectu lineæ.

ARTICVLVS VI.

QVÆDAM ILLATIO, VBI DISPARITAS SVBſiſtentiæ, à ſcientia increata.

43 EX hijs ſequitur: Verbum, non poſſe formalitèr ſupplere vices, nec exercere munus aliquod imperfecti entis, in eo in quo imperfectum eſt; vel in quo imbibitur potentialitas, vel alia imperfectio: ideò nequit fieri per vnionem, intellectus humanitatis, ad producendas vitalitèr humanitatis cognitiones: nec fieri poteſt ſapientia, ſiuè cognitio, qua humanitas noſcat; ſi ratio cognitionis diſtinctæ à noſcente, imbibit conceptum formæ phyſicæ, vt communitèr docent Theologi.

44 Sed

44 Sed inſtas 1. Subſiſtentia Diuina ſupplet pro creata, vt eſt humana: ergo ſupplet etiam imperfectiones eius. Antecedens prob. quia ſuplet, vt faciat hominem. Reſpondetur negando antecedens; ſed pro illa, vt de humanitate faciat hominem. Ad hoc autem, non requiritur, vt ſuppleat pro humana, vt humana; ſed pro ipſa, vt ſubſiſtentia. Eo enim ipſo, de humanitate facit hominem, quin ſuppleat pro humana, vt tali, ſed pro illa vt ſubſiſtentia.

45 Sed adhuc inſtas 2. Contrà dicta: ſubſiſtentia Verbi, nec vt forma denominans poteſt complere humanitatem: ergo quamvis non informet, non complet. Antecedens probatur; quia in ſolo Verbo habet exercitium ſimplicitèr infinitum, & adæquatam terminationem ſuam: ergo nequit habere aliud exercitium. Pater, quia aliàs exercitium illud, eſſet inadæquatum, & Verbum ordinaretur ad aliud. Confirm. quia Diuina Paternitas, eo quod habeat in Verbo adæquatum exercitium, nequit ipſa intrinſecè denominare Patrem, alteriùs Filij, quàm Verbi: ergo ſimilitèr, nec aliud ſubſiſtens poterit denominare præter diuinum.

46 Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem: diſtinguo antecedens: habet in Verbo exercitium adæquatum, loquendo de connaturali, & debito, concedo; de extranaturali ad perficiendum aliud, nego. Licet enim non poſſit habere aliud ex indigentia, poteſt ex ſuperabundantia; ſicut capacitas naturalis, animæ rationalis, adæquatè completur per perfectiones naturales, & tamen extranaturalitèr, obedientialitèr, & ſecundariò recipit, & perficitur per ſupernas.

47 Ad confirmationem reſpondetur, Paternitatem hypoſtaticè vnitam humanitati, poſſe hominem denominare Patrem Verbi; ſicut Filiatio Chriſtum Filium Patris. Verum tamen eſt, Paternitatem ſumptam, vt relationem ſpecialem, ſolum poſſe denominare Patrem Verbi, & non alteriùs Filij diſtincti à Verbo. Ratio autem eſt, quia ſolum eſt correlatiua Filij Diuini, eo quod ſolum adducat ſecùm generationem actiuam Verbi, & non alteriùs Filij, quæ generatio eſt conditio fundandi relationem ad Verbum. At ſubſiſtentia, vt talis ſolum eſt correlatiua naturæ potentis ſubſiſtere, qualis jam eſt natura humana, abſque alia conditione fundandi.

48 Contrà diſparitatem ſubſiſtentiæ à ſcientia, inſtas 3. Verbum poteſt eſſe ſubſiſtentia humanitatis: ergo ſcientia eius poteſt eſſe ſcientia animæ Chriſti. Prob. conſeq. quia ſubſiſtentia, vel eſt per identitatem, vt in Deo, vel per informationem, vt in nobis; atqui his, non obſtantibus, ſubſiſtentia in genere ſumpta non petit informationem: ergo nec cognitio in genere ſumpta. Reſpondetur negando conſequentiam. Ad prob. conceſſa maiori, & minori, nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia de conceptu generali ſubſiſtentiæ ſolum eſt, quòd ſit ſuſtentaculum; ad ſuſtentandum autem non requiritur in ſuſtentante exigentia ſuſtentati, ſed potius in illo, ad illud.

At conceptus genericus cognitionis eſt repræſentatio alicuius alicui per modum actus vitalis, & immanentis, & ab intrinſeco, & ſic ex ſuo conceptu generico ordinatur ad intelligens, ordinatione exigentiæ; ſuſtentaculum autem ſolum per modum non repugnantiæ. Quòd ſi iſtud etiam petit naturam ſuſtentatam, id contingit, non ex conceptu ſuſtentaculi; ſed ex alio capite; nempè, quia etiam ipſum, vtpotè modus, vel forma ſuſtentandus eſt. Sicut baculus, & arbor ſuſtentantes ſenem, qui illis innititur, differunt, quòd baculus ſuſtentat ſenem, & ſimùl indiget, vt à ſene ſuſtentetur in manu, quia aliàs baculus cadet. At arbor ſuſtentat ſenem, & non eget à ſene ſuſtentari. Sic Verbum adhæret humanitati, & ſubijcit illam ſibi, ipſam ſuſtentaturum; non verò ſubijcitur illi, ab illa vllo pacto ſuſtentandum.

49 Adhuc dices iterum: Sicut ſubſiſtentia, vt ſic, præciſa à diuina, & humana, non trahit ſecùm perfectionem, ſed contracta; ita nec cognitio vt ſic: ergo ſicut illa non repugnat Verbo, reſpectu humanitatis, nec iſta vt ſic. Diſtinguo antecedens: ita nec cognitio imperfectionem, ſecùm, & per ſe, concedo; ſecùm per conſequentias, nego; quia trahit immanentiam, & vitalitatem, quæ cum non poſſit eſſe per identitatem, debet eſſe per productionem, & inhæſionem ad ſubiectum.

ARTICVLVS VII.

ALIA ARGVMENTA.

50 QVARTVM etiam ab inconuenienti; ſequeretur enim, quòd ſicut humanitas redditur completa per Verbi Perſonalitatem, per illam reddatur filia naturalis Dei; atqui hoc eſt falſum, cum non ſit ſimilis in natura Deo: ergo & illud. Maior prob. Tùm quia Perſonalitas Verbi ex ſe, ſicut eſt complementum; ita ex ſe filiatio naturalis: ergo poteſt filiare, ſicut, & complere. Tùm, quia humanitas completa per Verbum eſſet Chriſtus, atqui Chriſtus eſt Filius naturalis Dei: ergo & humanitas completa. Maior prob. quia compoſitum, non diſtinguitur à partibus, ſimùl ſumptis: ergo nec Chriſtus ab humanitate completa.

51 Reſpondetur negando eſſe filiam, quia eſt incapax eſſendi filiam naturalem; eſt autem capax ſubſiſtendi. Sed contrà dices: ſicut humanitas ex ſuo genere eſt capax complementi in genere, ita & filiationis in genere: ergo ſicut illa capacitas poteſt eleuari ad complementum diuinum, ita poterit eleuari ad filiationem diuinam. Sed conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia ad filium eſt eſſentialis ſimilitudo in natura cum Patre Diuino. Item requiritur eſſentialitèr, vt conditio fundandi, quòd ſit verè genita à patre. Ad hoc autem, vt compleatur, ſufficit ſuſtentari in ſuppoſito, & ex abſtracto fieri concretum ſubſtantiale. Hinc patet ad primam probationem argumenti. Subſiſtentia enim eſt complementum cuiuſvis naturæ complebilis, non autem eſt filiatio, niſi naturæ ſimilis, & acceptæ per generationem à Patre.

52 Ad ſecundam probationem, nego maiorem, quia ex modò concipiendi humanitas completa per Verbum dicit naturam in recto, & complementum ſpecificatiuè, & in obliquo. Chriſtus autem, & naturam, & ſubſiſtentiam dicit, entitatiuè, & in obliquo æquè conſtitutiuè in recto. Etenim aggregatum ex vtroque, & vt tale, eſt Filius Dei naturalis. Sic non eſt verum, materiam primam vnitam animæ rationali eſſe hominem, ſed aggregatum ex materia, & anima vnitis eſt homo.

53 Addo filiationem diuinam nec naturam diuinam reddere filiam naturalem Dei, ſed ſuppoſitum Verbi reddit filium. Multo ergo minus naturam humanam. Ratio autem reſpectu naturæ eſt incapacitas. Solent enim formæ dare ſubiecto aliquas denominationes, alias verò ob incapacitatem non dare, ſed reſeruant illas ſibi. Sicut anima rationalis eſt vita corporis, & etiam eſt ſpiritus, & eſt immortalis. Reddit ergo corpus viuum, non tamen ſpirituale, nec immortale, quia eſt incapax. Sic etiam Deitas ob indiſtinctionem à Patre, eſt incapax, vt ſit filia naturalis Patris.

54 Obijcies 5. Si humanitas vniretur hypoſtaticè Verbo, ſequeretur, quòd quoties Chriſtus moueretur localitèr, deſtrueretur talis vnio, & noua alia produceretur; ſed hoc eſt falſum, nempè compoſitum illud; ſcilicet Chriſtum toties deſtrui, & ſubire tot ſubſtantiales mutationes: ergo & illud. Sequela maioris probatur, quia Verbum per immenſitatem habet infinitas replicationes ſui eſſe in diuerſis partibus loci; ſicut anima rationalis in diuerſis punctis materiæ, quæ replicationes ſunt inter ſe virtualitèr diuerſæ: imò ſi pars loci deſtrueretur, deficeret vna replicatio, manente alia: ergo mutato quolibet loco à Chriſto, mutatur terminus eſſentialis ſpecificatiuus vnionis, nempè replicatio: ergo deſtruitur vnio, & compoſitum.

55 Sed pro nunc reſpondetur negando, vnionem mutari, nec terminum vnionis. Iſta enim eſt Verbum ipſum ſecundum ſe, & ſecundum ſuam ſubſiſtentiam enti-

tatiuam, quæ eadem eſt vbique, non enim ſecundum aliquid ſuperadditum illi. Etenim, vel in Verbo non dantur diuerſę replicationes; ſed ſolum ſua entitas, per ſeipſam infinitè diffuſam, dependenter à locis, vt docui in materia de Attributis; vel ſi dentur replicationes, diuerſis locis correſpondentes, vnio ſolum ſpecificatur ab illis, ſecundum quod dicunt de entitatiuo, non verò de correſpondentia ad locum. Entitatiuum autem idem omninò indiuiſibiliter eſt vbique.

ARTICVLVS VIII.

QVÆDAM REPLICA DE COMPREHENSIONE.

56 OBijcies 6. Humanitas, & Verbum diſtant phyſicè infinitè. ergo nulla erit in illis proportio, vt vniantur, nam finiti ad infinitum, nulla eſt proportio. Conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, & diſtinguo probationem: finiti ad infinitum non eſt proportio entitatiua, concedo; proportio accomodationis, & vt vniantur, nego. Sicut enim corpus, & ſpiritus, licet non detur proportio entitatiua, datur proportio, vt vniantur in homine.

57 Sed inſtas: vt vnio accomodetur Verbo, ipſaque humanitas, requiritur proportio entitatiua. ergo ſi hæc non datur, nec datur proportio accomodationis. Antecedens probatur à paritate: cognitio, quæ ſit comprehenſio Dei, requirit entitatiuam proportionem cum Deo, & propterea nulla creatura poteſt Deum comprehendere; quia nulla eſt æqualis Deo in entitatiua perfectione: ergo multò magis requirit illam vnio. Probatur conſequentia. Tùm quia coaptio vnionis cum Deo eſt phyſica, & multò maior, quam intentionalis: ergo requirit maiorem proportionem. Tùm quia vnio eſt comprehenſio phyſica Verbi. Per eam enim Verbum ſecundum totam perfectionem ſuam entitatiuam clauditur intrà humanitatē; vnde eſt cōprehenſio magis rigoroſa.

58 Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem nego paritatem de comprehenſione. Diſparitas eſt, quia comprehenſio Dei non ex ratione generica cōprehenſionis, ſed ex alio capite ſpeciali, requirit proportionem, & æqualitatem entitatiuam cum Deo, nempè, quia eſt conſtitutiuum metaphyſicum naturæ diuinæ, vel attributi diuini, vt talis. Conſtitutiuum autem rei, requirit entitatiuam, & omnimodam æqualitatem cum re conſtituta. Vnio verò phyſica habens Deum pro termino non eſt conſtitutiua Dei, & ideò, nec ex hoc capite, requirit talem æqualitatem, nec ex natura vnionis phyſicæ, vt patet in vnione corporea ad animam rationalem, quæ etiam clauditur intrà corpus.

59 Vnde ad probationem, dato, quod vnio phyſica ſit ex ſuo genere maior coaptatio Dei cum humanitate, quàm cognitio ex ſuo genere cum obiecto, nihilominus, cognitio comprehenſiua Dei requirit ſtrictiorem æqualitatem ob rationem conſtitutiui, iam datam. Adde, per comprehenſionem Deum communicari comprehendenti modò phyſico infinito, quia quantum Deus habet de cognoſcibili, tantum communicatur immediatè ipſi cognoſcenti, & ſic immediatè communicatur Deitas, Omnipotentia, aliáque attributa, quantum cognoſcibilia ſunt, itavt in linea intentionali, nec Deo communicentur ampliùs, quàm communicarentur intellectui creato comprehendenti, & iſte eſſet tam ſapiens, quam Deus, tamque habens de cognoſcitiuo, quàm Deus de cognoſcibili, & ex hoc capite repugnat.

60 At Perſonalitas Verbi per vnionem, communicatur humanitati modò phyſico, ſed fortè non infinitò modò, phyſicè loquendo, ſed ſolum infinitate morali; non enim eſt phyſicè ſumma communicatio. Tùm, quia non eſt per identitatem, ac per conſequens, nec tota altitudine poſsibili. Tùm, quia vinculum vnionis eſt multò laxius, quàm vinculum identitatis, quia illud eſt per phyſicam communicationem. Vnde licet humanitas vnita habeat intra ſe phyſicè, non ſolum ſubſiſtentiam, ſed Deitatem, & omnia attributa: habet tamen iſta quaſi concomitantèr, & mediatè, ideóque non ſumma communicatione poſsibili, cum propterea, nec poſsit reddi Dea, nec Omnipotens. Non ergo eſt paritas de comprehenſione ad vnionem.

Replicabis: maior accomodatio, & ſtrictior nexus eſt in vnione phyſica ad Verbū, quàm in cōprehenſione, vtpotè intentionali; atqui iſta repugnat creaturæ; ergo & illa. Diſtinguo maiorem: maior ex genere, concedo; contracta ad comprehenſionem Dei, & vnionem Dei, nego maiorem. Sicut maior perfectio eſt in linea intentionali, quam in volitiua ſumptis in genere, non tamen contracta ad intentionalem diuinam, & volitiuam diuinam. Et propterea Verbum non excedit Spiritum Sanctum in nobilitate originis contractæ. Concedo ergo minorem, & nego conſequentiam.

Ratio eſt, quia comprehenſio contracta ad Deum, dicit identitatem cum ipſo. Tùm, quia eſt differentia propriſsima eſſentialis Dei, & propterea debet eſſe Deus. Tùm, quia comprehenſio Dei eſt quoddam perfectiſsimum capere Dei, quantum poteſt ex parte ſua capi à Deo, quæ captio neceſſariò petit æqualitatem cum Deo, ac per conſequens identitatem. At vnio phyſica contracta ad Deum, nec petit identitatem cum Deo, nec æqualitatem, ſed ex quocumque quaſi latere, Deum phyſicè apprehendat, abſque adæquatione perfectionis, ipſius, vt talis, manebit phyſicè vnitus.

EPILOGVS TOTIVS DISPVTATIONIS.

61 MANEAT ergo, quòd Incarnatio eſt poſsibilis. Tùm ex fide. Tùm ex non repugnantia, tàm ex parte Verbi, quàm humanitatis. Nec enim ſequitur primò, vnionem mutare Verbum. Nam ſe habet ad ipſum, vt ad puriſsimum terminum, & non vt ad potentiam, ideſt potentialitatem, vel vacuitatem. Nec ſequitur ſecundò, Verbum perfici. Tùm, quia vnio reſpectu ipſius, non eſt perfectio, cum non ſit iuxtà ipſum, vel iuxtà potentialitatem aliquam eius. Tùm, quia eſt incapax perfectionis, proptèr prædicatum repugnans, cum additamento perfectionis, quod prædicatum eſt omnimoda plenitudo, quàm de ſe habet. Nec tertiò ſequitur, fore formam phyſicam humanitatis, vt ſubſiſtentis. Nego enim, quia forma phyſica imbibit incompletionem in ſe. Solum ergo eſt forma logica intrinſecè denominans ſubſiſtentem.

62 Nec quartò ſequitur, humanitatem fore filiam naturalem Patris. Tùm, quia repugnat illi eſſe filiam ſic, cum non ſit ſimilis in natura. Tùm, quia caret conditione fundandi filiationem, quæ conditio, eſt eſſe genitam à Patre. Nec quintò, Verbum, & humanitatem, proptèr infinitam diſtantiam dicere improportionem: ergo non vniuntur. Reſpondetur enim, dicere improportionem in eſſe entis, ſecùs in eſſe accomodationis ad vnionem. Nec tamen ſequitur, in quolibet motu locali Chriſti mutari vnionem, quia mutatur terminus, nempè replicatio. Nego enim mutari, quia terminus eſt entitas Verbi, ſecundum ſe, non verò replicatio, vt reſpectiua loci.

QVÆSTIO II.

DE EXISTENTIA INCARNATIONIS.

63 HIc erat tractanda cognoſcibilitas poſsibilitatis. Sed de ea quæſt. 3. vbi de cognoſcibilitate etiam exiſtentiæ. Plures fuerunt errores contra Myſterium Incarnationis excitati ab Hæreticis, à Iudæis, & à Paganis. Cum enim Incarnatio conſiſtat in vera phyſica, & actuali vnione humanitatis ad Perſonam Diuinam, poſſunt errores contra ipſam ad quatuor reduci claſſes. Prima, contra Diuinitatem. Secunda, contra humanitatem. Tertia, contra vnionem. Quarta, contra myſterij exiſtentiam.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS I.

ERRORES CONTRA DIVINITATEM CHRISTI.

64 PRIMVS error negat in Chriſto veram naturam Diuinam, ſolumque admittit Diuinitatem participatam, ſicut in nobis. Ita Ebion, Fotinus, Cherintus, alijque celebres Hæretici. De quo Suarez hîc diſp. 2. ſect. 2. vbi plures adducit Authores, qui contra ipſos ſcripſerunt. Inſuper P. Gonet, hîc, & plures alij. Contrà hunc errorem Diuus Ioannes Euangeliſta ſuum ſcripſit Euangelium. Teſte D. Hieronymo, vbi Ioannes dicit: *quòd in principio, ideſt ab æterno, erat Verbum, & erat apud Deum, & quod Deus erat Verbum, & quod per ipſum omnia facta ſunt, & quod tale Verbum, caro factum eſt*, ſiuè Incarnatum eſt. Ex quibus verbis patet contra Hæreticos vtriuſque naturæ veritas.

65 Contrà Iudæos autem, qui Euangelium negant ex veteri Teſtamento, quòd admittunt, probanda eſt Diuinitas. Et primò ex Pſalm. 2. vbi Pater Æternus dicit Meſsiæ: *Filius meus eſt tu, ego hodie genuite. Tu* ad differentiam aliorum, *eſt genitus à me*, vtique generatione naturali, & æterna, & non adoptiua, ſicut alij. Inſuper ab Iſaia vocatur, *ſimul Paruulus datus nobis, qui vocatur admirabilis, Deus, fortis*, &c. alibi dicit: *verè tu eſt Deus abſconditus, & non eſt alius Deus præter te.* Hos, & alios textus invenies apud Suarez ſect. 3. pro hac concluſione, & fidei articulo neruoſè ponderatos.

66 Sed objicies: Moyſes Deuteronomi 14. loquendo de Meſsia dicit Iudæis. *Prophetam de gente tua, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus*: ergo ſi ſicut Moyſes erit, purus homo erit. Nego conſequentiam; ſed erit homo verus, ſicut Moyſes, & de eadem plebe; ſed non purus homo, aliàs, ſi omninò ſicut Moyſes eſſet, nec eſſet Redemptor à peccato, nec natus de Virgine, nec eius imperium eſſet æternum.

67 Replicabis: Moyſes ibi promiſsit Prophetam, ſicut populus petebat à Domino; ſed petebat, quòd non eſſet Deus: ergo promiſsit hominem, non Deum. Minor patet, quia populus tunc petebat dicens Moyſi: *Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus*: ergo petebat, *non Dominum*. Reſpondetur, aliud eſſe, quòd Propheta promiſſus non eſſet Deus, & aliud, quòd non eſſet modò illo, quo tunc erat Deus, cum loquebatur, nempè *Deus terribilis*, & inter denſas nubes, atque fulgura formidabilis. Promiſſus ergo Propheta à Moyſe, erat homo, ſed etiam Deus, tamen accomodatus populi intentioni, nempè Deus in alio habitu, benignus, & humanus, ſicut Moyſes.

68 Similem errorem, nempè, quòd Chriſtus non ſit verus Deus, coguntur admittere Apolinarij, & alij Hæretici, dicentes, in Chriſto; naturam Diuinam, fuiſſe conuerſam in naturam humanam, ſiquidem Verbum factum eſt caro; ſicut in Canaà Galileæ, aqua vinum facta eſt, per conuerſionem. Sed contrà. Tum ex ſymbolo Athanaſij, vbi dicitur, quòd Chriſtus eſt homo, *non conuerſione diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum.* Tùm, quia Verbum eſt æternum, & indefectibile. Quòd autem conuertitur in aliud, deſinit eſſe, quòd erat, & ſic non eſſet verus Deus.

69 Nec obeſt, quòd ſicut in Canaà Galileæ, aqua, vinum facta conuerſa eſt in vinum, ac per conſequens, non manſit aqua, ſic dicitur, quòd Verbum factum ſit caro. Eadem enim omninò locutio eſt: ergo Verbum conuerſum eſt in carnem. Sed reſpondetur negando aſſumptum, & paritatem; licet enim locutio, quoad corticem videatur eadem, ſed non eſt. In Canaà enim poſt miraculum, tota locutio eſt de vino, tamquam puro; at tota Sacra Scriptura, poſt Verbum caro factum, loquitur de eo, tamquam verò Deo: ergo non eſt facta conuerſio.

70 Sed quomodo probabitur contrà Paganos, negantes vtrumque Teſtamentum? Reſpondetur, probandum eſſe. Tum ex præſenti credibilitate omnium myſteriorum, de qua in materia de fide. Tum ex Oraculis Sybillarum antiquiſsimis, quæ omnes fuerunt Gentiles, & tamen prophetauerunt de Meſsia, vt vero Deo, & vero homine. Similitèr, de Chriſto clariſsimè, plura prædixerunt. Tum ex adimpletione prophetiarum de Chriſto, quæ in Teſtamento veteri ſunt, & in nouo inueniuntur completæ, quòd vrgentiſsimè probat veritatem. Nec enim Chriſtiani potuimus illas prophetias poſtea confingere, cum conſtet, nos eas accepiſſe à Iudæis, qui etiam ſi ſint hoſtes Chriſti, fatentur hoc.

ARTICVLVS II.

ERRORES CONTRA CHRISTI HVMAnitatem.

71 DE erroribus contrà veram Chriſti humanitatem, agit Belarminus tom. 1. lib. 3. de Incarnatione à cap. 1. negantes veram humanitatem, multiplici incedunt via. Quidam enim negant totam. Quidam partem. Alij enim negant veram animam. Alij, veras operationes animæ, & alij, veram carnem hominis.

72 Primò enim Manichæi, totam humanitatem negarunt, aſſerentes, omnia, quæ de ipſo dicuntur, vt homine, vt mortuo, & vt reſurgente, ſolum apparentèr, & phantaſticè contigiſſe. Cum enim ipſi teneant, omnes creaturas productas eſſe à diabolo, docebant, dedecere Verbum, aſſumpſiſſe opus diaboli.

73 Sed hi conuincuntur, ex Verbis Chriſti ad Apoſtolos, pòſt reſurrectionem de ſua carne loquentis: *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Ex quibus Verbis conſtat etiam, tunc Chriſtum conſervare veram carnem, côtrà Anabaptiſtas negantes fuiſſe in ipſo veram carnem. Et contrà Eutichianos, & alios Hæreticos, humanitatem, non fuiſſe conuerſam in diuinitatem; ſed in vero humanitatis eſſe permanſiſſe ſempèr.

74 Secundò alij docuerunt in Chriſto, non fuiſſe veram animam rationalem; ſed loco animæ, Verbum ipſum vnitum eſſe carni, vt anima vices gereret. Hic error tribuitur Arrio, & alijs. Impugnatur tamen. Tùm, quia abſque vera anima humana, Chriſtus non poſſet eſſe verus homo. Tum ſpecialitèr, quia Chriſtus dixit in Euangelio, *animam ipſius eſſe turbatam*, & alibi *eſſe triſtem, vſque ad mortem.* Triſtitia autem, & turbatio, non cadunt in Verbum Diuinum: ergo habebat animam humanam.

75 Tertiò, alij concedentes, verum corpus, & veram animam, virtualitèr iſtam negabant, cum negarent in Chriſto mentem, ſiuè intellectum humanum, vt Apolinarij, vel negabant voluntatem humanam, atque operationes humanas, vt Monotolitæ dicentes, intellectum, & voluntatem Verbi, ſuppleviſſe pro creatis, vnicamque fuiſſe in Chriſto operationem intellectualem, nempè Verbi ſcientiam, & vnicam etiam operationem voluntatis, nempè increatam. Sed Concilia valdè ex profeſsò, & luculentèr, & præcipuè in 7. Synodo, agunt contrà iſtos, probando in Chriſto duas operationes propriiſſimas, vtriuſque naturæ; atque diuerſas, & inpermixtas, nempè creatam, & increatam, fuiſſe creatam in intellectu Chriſti. Patet, quia Chriſtus orabat, & admirabatur; in voluntate etiam patet, quia triſtabatur, dicebatque, *non mea, ſed tua voluntas fiat*: ergo in Chriſto erat duplex operatio vtriuſque naturæ. Ratione autem probatur, quia Chriſtus merebatur pro nobis, quòd non fit, niſi per intellectum, & voluntatem.

76 Alij quartò negant veram carnem, vt dictum eſt, concedentes apparentem, & licet aliqui, vt Valentinus, & alij conceſſerint verum corpus, illæ concedebant cœleſte; alij formatum de ſubſtantia Diuina Patris; & alij formatum ex elementis, ſed non carneum, nec formatum ex Virgine. Virgo enim ſolum fuit, quaſi canalis, vt tranſiret per illam de cœlo ad nos. Sed hic error manifeſtè conuincitur, ex multis Scripturæ locis, & præcipuè

Digitized by Google

puè ad Romanos 1. in quibus promiſſus fuit Chriſtus, *ex ſemine Dauid ſecundum carnem.* Vndè non de cœlo allatam, ſed ex Dauide deſumptam. Item ad Galatas 4. *Deus miſit Filium ſuum factum ex muliere.* Sæpè autem alibi vocatur filius hominis: ergo humanum eſſe ipſius, quòd verè habuit, non ſolum venit ad nos, per mulierem, vt Canalem, ſed factum ex ipſa, & genitum ex ipſa.

77 Nec obeſt 1. Illud Pauli 1. ad Corinthios 5. *Primus homo de terra terrenus. Secundus homo de cœlo cœleſtis*: ergo, quia habebat corpus cœleſte, ſicut Adam terrenum. Nego conſequentiam, quia ex D. Thom. dicitur cœleſtis à ſuppoſito Diuino; Suarez autem, hic diſp. 15. ſect. 3. reſpondet, dici cœleſtem, quia vita eius, & conuerſatio, cœleſtis erat, ſicut Adami, terrena, vel quia impeccabilis erat, ſicut Adam peccabilis. Vel quia conceptio eius, cœleſtis erat, & de Spiritu Sancto, Adami verò productio, fuit naturalis primo homini.

78 Nec obeſt 2. Illud Pauli 2. ad Corinthios 5. *& ſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iam non nouimus.* Ideſt vt inquit hæreticus: antea in Chriſto exiſtimabamus fuiſſe carnem, ſed mutata ſententia aliter induamus. Vndè alibi dixit, quod factus fuit in ſimilitudinem hominum; ideſt apparentèr homo. Sed reſpondetur, alium eſſe ſenſum Pauli, ſolum enim vult dicere, ſe ante ſuam conuerſionem, iudicaſſe de Chriſto indignè; ſicut deambulante, ſecundum carnem. Sed poſtea mutaſſe ſententiam. Vel vult nouiſſe, Chriſtum ante reſurrectionem vixiſſe, ſecundum conditiones pœnales carnis. Poſt reſurrectionem autem, iam illum alitèr nouimus, ſcilicet impaſſibilem.

ARTICVLVS III.

ERRORES CONTRA VNIONEM.

79 IVXTA Catholicam veritatem, humanitas, & Verbum phyſicè verè, & realitèr vniuntur, itavt humanitas careat propria ſubſiſtentia, ſubſiſtatque & compleatur per ſubſiſtentiam Diuinam, ſibi ſubſtantialitèr vnitam, itavt ex vtróque reſultet vna tantum perſona, ſubſiſtens in duplici natura humana, & Diuina, vtráque tamen permanente in ſuo ipſiſſimo eſſe, quòd propriori habebat. Similitérque, quavis ſuas ſpeciales operationes patiente, nempè humana, humanas, & Diuina, Diuinas.

80 Contra hanc veritatem, errauit primo Eutiches, apud Belarminum cap. 2. aſſerens in Chriſto vnam tantum naturam poſt Incarnationem, quia per illam vnionem, talis eſt facta commixtio, quòd Diuinitas conuerſa phyſicè fuit in humanitatem, & ſic verificabat, quòd diuinitas eſt paſſa, & mortua, quia mortua eſt humanitas. Impugnabitur tamen artic. ſequenti, probando in Chriſto vtrámque naturam in ſuo eſſe permanſiſſe; nec Verbum fuiſſe carnem per conuerſionem, ſicut aqua vinum, ſed per coniunctionem, vel aſſumptionem carnis. Sicut Aaron dicitur factus Pontifex, & Dauid factus Rex. Contra iſtam veritatem vnionis, ſimilitèr errauerunt, qui dicebant, naturam humanam fuiſſe conſumptam, & conuerſam in Diuinam.

81 Secundò, errauit Neſtorius, cui ex diametro voluit opponi Eutiches. Neſtorius enim concedebat, iuxtà Scripturam in Chriſto, verum Deum, & verum hominem, ſed non vnam perſonam, ſed potiùs duas, nempè Filium Dei, Filium Virginis.

82 Sed quomodò Scriptura, Chriſtum vocat verum Deum, verúmque hominem? Reſpondebat, quia talis homo erat Deus, non per vnionem ſubſtantialem, ſed accidentalem, & moralem; v.g. per ſummam conformitatem voluntatum, quia *amicus alter ego.* Et ſicut vir, & vxor licet ſint duæ perſonæ, dicuntur vna caro per coniunctionem carnalé, ita iſte homo, & Deus per intimitatem ſpiritualem affectionis, & per ſummam communicationem, in authoritate Diuina, & Regia. Sic ille, qui apparuit in rubo phyſicè erat Angelus, ſed quia apparebat nomine Dei, veſtitus authoritate, & repræſentatione Dei, dicebat: *Ego ſum Deus Abraham, &c.* Sic etiam Deus dedit Chriſto nomen Dei, honores, & poteſtatem Diuinam, tanquam ſuo intimiſſimo amico, ſimulq; inſtrumento ſuo, per quod diuina operabatur ipſe Deus.

83 Sed iſte error, contra fidem Catholicam, damnatus ſæpè in Concilijs, & præcipuè in Epheſino, Præſide P.N. Cirilo Alexandrino, vbi differentia eſt identitas perſonæ filij Virginis, & filij Dei. Beatáque Virgo fuit declarata vera Mater Dei, ideſt, *Theotocòs*, vt patet talis identitas ex Matthæi 16. vbi de filio hominis dixit Petrus ex reuelatione: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Item Lucæ 1. *Quod naſcetur ex te Sanctum*, ideſt Filius Virginis, *vocabitur Filius Dei.* Ioannes 10. dixit Chriſtus: *Ego, & Pater Vnum ſumus*, nempè eadem natura Diuina. Item Ioannis 9. Ieſus, qui curauit cæcum, dixit illi: *Tu credis in Filium Dei?* Reſpondit illi: *Quis eſt, Domine, vt credam in eum?* Dixit ei Ieſus. *Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.* At ille ait: *Credo, Domine.* Et procedens adorauit eum. Quid clariùs pro identitate perſonæ hominis illius Filij Virginis cum Filio Dei.

84 Nec dicas: eſſe vnum cum Filio Dei, non quidem vnitate perſonæ, ſed vnitate habitationis, affectionis, operationis, ſiue authoritatis, & repræſentationis, quomodò Angelus in Verbo dicebatur Deus. Sed contrà. Tùm, quia Cherinthus apud Belarminum cap. 4. hæc omnia de Chriſto confitebatur, ſcilicet hanc vnitatem, & tamen Ioannes Apoſtolus Epiſt. 1. contra ipſum, & contra omnes diuidentes, inter Ieſum, & Chriſtum, ſiue inter Ieſum, & Filiú Dei, ait cap. 4. *Omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum* (ideſt diuidit) *ex Deo non eſt. Omnis ergo, qui confeſſus fuerit, quoniam Ieſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet.* Hæc Ioannis.

Tùm, quia eſſe Deum modò dicto, & Neſtoriano, etiam conuenit alijs Sanctis, & non eſt proprium Chriſti. Illi enim 1. ad Corinth. 3. dicuntur, eſſe *Templum Dei*, & 1. ad Corinth. 6. eſſe *vnum ſpiritum cum Deo*, adhærendo illi, & ad Romanos 15. *Operari vt inſtrumentum Dei*, & ad Galat. 4. *Quod ſunt Filij Dei*, & de Moyſe in Exodo, quod *Deus Pharaonis*, per authoritatem quidem. Tota autem Scriptura in modò eſſendi Deum, loquitur de Filio Virginis, ita quam de vno, & vnico Creatore omnium, & per quem omnia facta ſunt, Ioannis 1. Ergo valdè aliter, nempè phyſicè ipſe eſt Filius Dei per vnitatem perſonæ.

85 Si dicas: etiam Angelus in rubo dicitur ſæpè Deus, & quod ipſe eſt, qui eſt; atqui intelligitur repræſentatiuè ſolùm; ergo idem erit de Chriſto. In primis, plures docent, eſſe ipſum Deum in rubo, & non Angelum. Conceſſa tamen maiori, & minori, falſa eſt conſequentia. Tùm, quia alia loca Scripturæ indicant fuiſſe Angelum, & alia loca indicant, differre à ſeſe, in eo, quod non fuerit phyſicè vnitus Deo. Dicitur enim de Verbo, quòd *nuſquam Angelos apprehendit* (vtique per phyſicam vnionem) *ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Tùm etiam, quia Eccleſia habens Scripturæ clauem, & intelligentiam, loca de Chriſto definit, intelligi de identitate perſonæ, ſecùs de Angelo in rubo.

ARTICVLVS IV.

ARGVMENTA PRO NESTORIO.

86 Nec obeſt 1. Quòd humanitas vocatur in Euangelio Templum Dei: *ſoluite templum* hoc, &c. Et etiam indumentum Dei, teſte Auguſtino lib. 83. quæſt. 73. & Cyrilo lib. 11. in Ioannem in illo textu: *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* Templum autem, & indumentum, non dicunt vnionem phyſicam, cum induto. Reſpondetur enim, has phraſes probare in Chriſto naturas diſtinctas; quia vna eſt habitatio coopertorium, & notio alterius: non tamen poſitiuè excludere vnionem phyſicam. Patet, quia corpus noſtrum vocatur habitatio animæ. 2. Ad Corinth.

5. &

5. & 2. Petri 1. corpus vocantis *Tabernaculum.* Etiam vocatur indumentum, & ſtola animæ in Apocalypſi, quin excludatur vnio. Hinc manet intellectus Baſilius, qui Pſalm. 59. Chriſtum vocat Deiferum: hoc non excludit vnionem, ſicut nec, quòd corpus ſit ferculum portans animam. Aliter ſoluit Belarminus tom. 1. lib. 3. cap. 7.

87 Vndè, Verbum dicitur factum in ſimilitudinem hominum. Hoc autem non tollit, quominus veriſsimè ſit homo. De Adamo enim dicitur, genuiſſe filium ad ſimilitudinem ſuam, & tamé erat homo eiuſdem ſpeciei cum Adamo. Dicitur autem, eſſe in ſimilitudinem hominum: ſumpto homine, vel pro puro homine, vel pro homine peccatore, & genito ex Adamo, in culpa, & miſerijs, quibus Chriſtus in apparentia ſimilimus habebatur: vel in ſimilitudinem hominum; quia cum habeat eandem omninò ſpecie naturam cum alijs, ſimilis eſt illis, in ſpecifica hominis natura. Hæc ergo non impediunt phyſicam vnionem.

88 Nec obeſt 2. Contra vnitatem perſonæ, & Maternitatem Dei, quod ad Hebræos 7. *Melchiſedec dicitur ſine Patre, & ſine Matre, & ſine genealogia, aſsimilatuſque Filio Dei*: ergo Filius Dei, non habet Matrem, diſtinguiturque à Filio Matris. Imprimis reſpondetur, etiam dici ſine Patre, & tamen non eſt ſine Patre Æterno. Reſpondetur inſuper, Melchiſedec dici ſine Patre, &c. Non quia illos, non habuerit; ſed quia Scriptura introducit illum repente, ad modum non habentis illos. Aſsimilatur enim Filio Dei in multis, apud Cornelium à Lapide ad iſtum locum, vbi explicat, quomodo ſit Typus Chriſti, præcipuè quoad generationem vtramque: nam Chriſtus in Diuina, eſt ſine Matre: in humana, ſine Patre, & abſque genealogia ſtricta Patris, quod non tollit eſſe eandem perſonam.

89 Nec obeſt 3. Quod Filius Virginis eguit conſolatore in horto, in Cruce conquæritur derelictus, & vbique orat Patrem vt inferior; atqui iſta non conueniunt Filio Dei. Item Filius Dei eſt æternus, & ante Mariam. Filius autem Mariæ, eſt poſterior ipſa. Tandem Filius Dei, non eſt cum Maria Homovſion, ideſt eiuſdem ſubſtantię, & eſſentiæ ſpecificæ; atqui Filius Mariæ eſt eiuſdem eſſentiæ, cum ipſa: ergo alius eſt Filius Dei, & alius eſt Filius Mariæ.

90 Reſpondetur, illa omnia convenire eidem perſonæ; ſed non reſpectu eiuſdem naturæ, vt argumenta probant, ſed diuerſæ. Sic eidem homini conveniunt oppoſita, ſecundum diuerſa; v.g. purè ſpeculari, & non purè ſpeculari, ſed ad opus progredi, ſecundum diuerſas ſcientias, ſpeculatiuam, nempé, & practicam. Vndè Maria rigoroſè eſt *Theotocòs*, veraque Mater Dei, licet non genuerit Deitatem, ſicut Mater Ariſtotelis, verè fuit Mater Philoſophi gignendo filium, & perſonam: licet ipſa non genuerit Philoſophiam.

ARTICVLVS V.

EXPLICATVR VERITAS CATHOLICA.

91 HÆC, docet, quòd Chriſtus per veram vnionem phyſicam, & hypoſtaticam, eſſendo vna tantum perſona, ſimùl ſit Deus, & homo: vtramque naturam impermixtam, inconfuſam, intranſmutatam retinens, & quamlibet in ſuo eſſe reali, & phyſico, ſine vlla naturę diminutione conſeruans: & qualibet ex illis naturis, ſuas conſeruante proprietates ſibi; dempta ſubſiſtentia humana, quę ideò ablata eſt, vt poſſet conſurgere vna ſola perſona. De ijs ſæpiſsimè in Concilijs. In tota natura, non eſt facilè, imò nec poſsibile inuenire exemplum declaratiuum, æquale; inæquale autem, & quod non teneat in omnibus, reperiri valet multiplex.

92 Primum eſt, quòd ſicut anima rationalis, & caro, qualibet in ſuo eſſe manente, eſt vnus homo, per phyſicam vnionem, ſimilitèr Deus, & homo, per phyſicam hypoſtaticam, ſunt vnus Chriſtus. Differentia ſolùm ſtat, quod in homine, vnica eſt perſona, & vnica natura; in Chriſto verò, vnica perſona, & duplex natura.

93 Secundum eſt: rubus incombuſtus, & ardens, ſicut enim rubus, & ignis coniungebantur, quin rubus fuerit conſumptus ab igne, ſed potiùs conſeruatus, & illuſtratus, & è contrà, rubus non extinxit ignem; ſic humanitas conſeruabatur à Verbo inconſumpta, nec Verbum deſtruebatur. Tertium, dum ramus Pyri inſeritur arbori Malo, phyſicè vnitur, & phyſicè ſit vna arbor: itavt arbor, & ramus, ſuas conſeruent naturas, producentéſque fructus ſuos valdè diuerſos: ſic humanitas, phyſicè inſerta fuit Verbo, & conſurgit vna perſona, conſeruando ambas naturas, & diuerſas operationes in illis: & ſicut arbor illa, eſt Malus, & Pyrus, per diuerſos ramos, ſic Chriſtus, Deus, & homo.

94 Hinc ſequitur, quòd quidquid conuenit Verbo, in concreto, verè dicitur de homine in concreto, filióque Virginis; & hoc non ſolum per verbalem communicationem Idiomatum, vt dicunt hæretici, ſed per veram, & realem; ſic verè dicimus, quòd Deus, & Filius Dei, natus eſt ex Virgine, & quod Filius Virginis, eſt Filius Dei, per quem omnia facta ſunt. Hæ autem prædicationes, non poſſunt conuenire ipſis naturis in abſtracto. Tum, quia quælibet natura, iuxtà Concilia, debet conſeruare ſuas proprietates, vt ſuas; quin communicentur alteri: & ſic ſola Deitas, eſt Omnipotens, non verò humanitas. Nec hæc, eſt immenſa, nec vbique eſt, nec immortalis, ſed ſola Diuinitas. Item humanitas ſola, eſt mortua, non vero Deitas. Tùm, quia aliàs, neutra natura maneret in ſuo proprio eſſe; ſed vna eſſet tranſmutata in alteram. Hinc benè dicimus (& eſt exemplum D. Auguſtini) quòd Philoſophus eſt mortuus, non tamen mortua eſt philoſophia. Vndè, quæ dicuntur de perſona in concreto, non dicuntur de formis, ſiuè naturis in abſtracto.

95 Hanc vtriuſque naturæ permanentiam, abſque vlla tranſmutatione, vel diminutione, præter Scripturæ loca adducta, Articulis præteritis, alia innumera clamant, contra Eutichem. Præcipuè illud ad Philip. 2. *qui cum in forma Dei eſſet, formam ſerui accepit.* Ecce vtrāque ſimùl formā, & natura. Vndè Symbolum Athanaſij expreſsè dicit eſſe de fide, quòd Deus Ieſus Chriſtus, *Deus, & homo eſt, perfectus Deus, perfectus homo, non converſione Diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum.*

96 Nec ex hoc ſequitur, quòd ſi ſunt in Chriſto duę naturæ, ſint in ipſo duo Chriſti. Nego enim quia multiplicar naturas, non eſt multiplicari perſonas. Nec 2. ſequitur: ſi Diuinitas non eſt mortua: ergo ſolus homo, & non Deus eſt mortuus. Nego conſequentiam, conceſſo antecedenti. Deus enim eſt concretum, eſt ſuppoſitum, & Perſona Diuina: & talis Perſona Diuina, mortua eſt, non quidem in propria natura, ſed in natura aliena. Nec enim mors, hoc pacto, dedecet Perſonam Diuinam.

97 Nec tandem tertiò, ex illa phraſi SS. PP. apud Belarminum, vocantium carnem Deificatam, ſequitur tranſmutatio carnis in Deitatem, imò potius, oppoſitum; ſicut enim rubus ardebat inconſumpta; ita caro per vnionem ad Verbum ardebat igne Deitatis, eratq; Deitate quaſi delibuta. Quòd ſi in Concilio Calcedonenſi, actione 1. Euſtachius Epiſcopus, retulit ex Cyrillo, in Incarnatione intelligi, non duas naturas, ſed vnam naturam Dei Verbi, Incarnatam. Reſpondetur, vel hæc verba non eſſe Cyrilli, ſed ab Hæreticis addita; vel eſſe intelligenda de natura Diuina, non immediatè, ſed mediante hypoſtaſi habuiſſe vnitatem; ſicut & caro mediante hypoſtaſi, manſit per vnionem Deificata.

ARTICVLVS VI.

ERROR CONTRA EXISTENTIAM INCARNATIONIS.

98 NEgare Meſsiam veniſſe, eſt error Iudæorum pertinaciſsimus. Eius adventus, ex tota no-

nouo Teſtamento conſtat ; ſed quia ipſi non admittunt. Probatur ex veteri, triplici probatione, quàm diſp. 1. proœmiali, art. 3. perſtrinxit Gonet, cum latè, & eruditè, propoſuiſſet illas Suarez hic. Prima probatio eſt, ex Gen. 49. vbi Iacob benedicens filios ſuos, dixit ad Iudam filium ſuum quartum : *non auferetur ſceptrum de Iudà, nec Dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium* ; atqui iam eſt ablatum : ergo iam venit Meſsias.

99 Vt amplius illuſtretur hæc probatio, in primis, patet loqui de Meſsia. Tùm, quia Paraphraſis Caldaica, quæ apud Hebræos eſt magnæ authoritatis explicat de Meſsia. Tùm, quia cuilibet alij applicetur prophetia, non accomodatur illi. Vel enim non fuit de fœmore Iudà, vt v.g. Saùl vel non fuit expectatio gentilitatis, v.g. Dauid, vel Salomon, ſicut fuit Chriſtus Dominus, quem gentilitas expectabat, & recens natum, adorauit in Magis.

100 In hijs ergo verbis, Iacob, duo prophetat : nempè Tribum Iudà, habituram Regnum, ſiue Ducatum, poteſtatemque ſupremam iudicandi, quam quidem habuit in Dauide, & Salomone, alijſque Regibus, vſque ad captiuitatem Babylonicam, & poſt illam abſque titulo Regio in Ducibus, ſcilicet Zorobabele, eiuſque ſucceſſoribus, vſque ad adventum Chriſti. Secundò prophetat, non ceſſaturam in Tribu Iudà, ſicut ceſſauit in alijs decem Tribubus : nec auferendam, donec veniat qui mittendus, ideſt Meſsias.

101 Quòd ſi dicas ; hæc poteſtas fuit per multos annos, nempè 165. in Machabæis ; atqui iſti, non erant de Tribu Iudà, ſed de Levì. Erant enim Sacerdotes, nec tamen propterea advenerat tunc Meſsias : ergo iſta prophetia, non loquitur de Meſsia. Conceſſa maiori, diſtinguo primam partem minoris : non erant de Tribu Iudà, per lineam paternam, concedo ; nam erant Levitæ ; per maternam, nego. Per illam ergo, erant de fœmore Iudà. Quòd ſi iterum inſtes : apud Hebræos fœminæ, non poterant nubere, niſi cum viris ſuæ Tribus : ergo ſi per lineam paternam erant de Levì, non poterant per maternam eſſe de Iudà. Reſpond. primò, antecedens eſſe verum, quando fœminæ erant hæredes, & hoc fiebat, ne bona vnius Tribus tranſirent ad aliam Tribum. Vel ſecundò reſpondetur, Tribum Iudà, & Levì, quoad hoc, fuiſſe diſpenſatas propter ſuam dignitatem.

103 Ex quibus ſequitur argumenti efficacia ſumma. Ablatio, & ceſſatio Regni, & Ducatus, & ſupremæ poteſtatis iudiciariæ, erat iuxta hanc prophetiam, certiſsimum ſignum probans, adveniſſe Meſsiam : ſiquidem auferenda, non erat ab ipſo, donec veniret Meſsias ; atqui multis ab hinc ſæculis, ablatam ab illis eſſe, omnibus eſt patens. Ipſi enim ſunt per varios populos diſperſi, ſubiecti Principibus extraneis, quin habeant ex propria gente Regem, vel Ducem.

104 Hæc mirè conformantur cum Euangelio. Scribit enim Matthæ. cap. 2. *Chriſtum natum fuiſſe tempore Herodis Regis* ; iſte enim habebat in illo populo tunc, poteſtatem ſupremam ; certiſsimum autem eſt, Herodem, iam non fuiſſe de fœmore Iudà ; imò nec de vlla alia Tribu eiuſdem populi ; ſed potius alienigena, filius cuiuſdam Idumæi, conuerſi ad fidem. Tunc ergo ablatum eſt à Iudæis Regnum, & datum extraneis, fuitque tunc adventus Meſsiæ prophetati.

105 Sed obijcies 1. Non potuit tunc, iuxtà hanc prophetiam, eſſe adventus Meſsiæ : ergo contrà probationem. Antecedens probatur, quia adhuc regnabat Tribus Iudà, in fœmina ; vxor enim illius Herodis, in cuius diebus, natus eſt Chriſtus : erat Mariamnen de Tribu Iudà, filiaque Hircani Pontificis, ad quam pertinebat Regnum : ergo non eſt ablatum Regnum tunc. Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem reſpondeo, iam tunc ablatum Regnum ; quia Herodes, non regnabat proptèr vxorem ; ſed proptèr ſeipſum, cui Senatus Romanus, & Cæſar Auguſtus, conſentiente populo, Regnum conceſſerant, teſte Ioſepho lib. 17. cap. Inſuper, quia prophetia loquebatur de Duce, ſiuè viro deſcendente de Iudà, etiam per lineam maternam, non veró de fœmina.

106 Replicabis : nec tunc ceſſauit in viro regnum : ergo, &c. Antec. prob. quia adhuc poſt mortem, & Aſcenſum Chriſti, regnabat in populo Iudaico, Herodes Agrippa, filius Ariſtoboli, filij dictæ Mariamnen : ergo aduentus Chriſti non ſupponebat regnum ablatum. Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem, conceſſo antecedenti, nego conſequentiam ; quia tempore primi Herodis, verè erat ablatum regnum, vt probatum eſt, licet tempore Herodis Agrippæ, fuerit quaſi reſtitutum. Prophetia autem non loquebatur de non reſtituendo, ſed de non auferendo Regnum, vel Ducatum, donec Meſſias veniſſet.

107 Vel dic, Agrippam iam non regnaſſe titulo, & Iure deſcendentis ex fœmore Iacob, quia ius iſtud iam erat quaſi extinctum, vt dicemus ſtatim : ſed regnaſſe, vel vt deſcendentem, ex Herode primo : vel ex conceſsione Romanorum : vel ex alio titulo, & ſic iam erat Regnum à Tribu Iuda totalitèr ablatum, modò dicto.

108 Obijcies ſecundò, & vrgentiùs : ante Chriſti Domini Conceptionem, & aduentum, iam Herodes primus regnabat : ergo cum ille non ſit de fœmore Iuda, Regnum iam erat ablatum, ante aduentum Chriſti : ergo ablatio Regni, non erat certiſsimè probans, quod iam aduenerat Meſsias ; vel Chriſtus Dominus noſter non eſt Meſsias, in illa prophetatus. Reſponderi poteſt primò, quòd prophetia non dicit, quòd aduentus Meſsiæ præcedat ablationem Regni. Non enim dicit, non auferendum donec priùs veneriт Meſsias ; ſed donec veniat : ideſt donec de valdè proximò inſtet eius aduentus : ſiue donec ſit à re fores. Qui aduentus proculdubio, fuit ſtatim, ac Herodes cœpit regnare.

109 Sed aliter, & meliùs reſpondetur ex Sylveira tom. 1. lib. 2. in Euangelia, cap. 4. quæſt. 1. & ex Abulenſi tom. 1. in Matth. cap. 2. quæſt. 3. Herodem primum, in principio regni, non habuiſſe Regnum in proprietate, ſed in adminiſtratione, pro fratre paruulo vxoris ſuæ, & ſucceſſore Regni. Et tunc conceptus eſt Chriſtus, quando nondum erat ablatum ius Regni, à Tribu Iuda. Poſtea Herodes, paruulum illum, fecit natantem ſuffocari, & tunc obtinuit Regiam poteſtatem in proprietate à Romanis ; fuitque totalitèr ablata à Iudæis, & data alienigenis, ſed nato iam Chriſto. Hæc Abulenſis deſumpſit à Ioſepho.

ARTICVLVS VII.

ALIÆ PROBATIONES.

110 SEcunda probatio ſumitur ex 9. Danielis, vbi Gabriël Archangelus, Danieli oranti in Babylone, pro libertate populi à captiuitate, reuelauit : *Abreuiatum eſſe tempus aduentus Meſsiæ, & redemptionis mundi, & ſic ad hebdomadas* 70. fore, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, atq; adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum. Atqui multis ab hinc ſæculis, completæ fuerút ſeptuaginta hebdomades : ergo & aduenit Meſsias. Minorem probat Suarez, quia Danieli Hebræo, & doctiſsimo, Angelus loqui debebat de hebdomadibus more Hæbraico, vel Scripturæ, ſumptis. Quo pacto hebdomada, vel eſt ſeptem dierum, vt Levitici 23. vel ſeptem annorum, vt 25. in quo vltimo ſenſu, faciunt annos 490. & iſtud eſt tempus, quòd fluxit à revelatione, vſque ad adventum Chriſti.

111 Quòd autem loquatur de Meſsia ; probatur contrà Hebræos ; quia Sanctus Sanctorum vnctus, per cuius adventum, peccatum aufertur, & iuſtitia ſempiterna introducitur, non eſt alius, niſi verus Meſsias. Nec dicas, fuiſſe contrà intentum Danielis, loqui tunc de Meſsia, cum ſolum oraret liberationem à Babylone. Etenim Daniel,

Digitized by Google

niel, vtpotè vir Sanctus, & valdè illuminatus à Deo, vtramque libertatem deſiderabat; & propterea vocauit illum Angelus, virum deſideriorum, quia multa deſiderabat. Inſuper, quia valdè frequens eſt in Diuina liberalitate, petentibus temporalia, ſpiritualia ſimùl concedere.

112 Confirmatur, quia plura ex dictis ab Angelo, mirificè aptantur Chriſto, & non alteri. Inquit enim, quòd poſt illas hebdomadas, occidetur Chriſtus, & deſinet eſſe populus eius, ille, qui eum negaturus eſt; & quod populus, cum Duce venturo (ideſt Gentilis cum Tito, & Veſpaſiano) in pœnam huius ſceleris, Ciuitatem, & Sanctuarium diſſipabit, vaſtabit, atque deſolabit; quòd iam factum fuit, poſt Chriſti mortem. Inſuper inquit, quòd hebdomada vna (ſcilicet vltima) confirmabit pactum multis, quòd intelligitur, de pacto noui Teſtamenti.

113 Addidit tandem, quòd tunc in Templo, in dimidio hebdomadæ, deficiet Hoſtia, & Sacrificium, eritque in illo abominatio deſolationis perſeverans, vſque ad conſummationem, & finem; quòd indicat Sacrificium illius Templi, ex tunc eſſe innane, diſplicenſque Deo. Quòd autem deficientia Sacrificij ſit in medio hebdomadis vltimæ indicat, in tribus illis annis, & dimidio, (medietatem hebdomadæ facientibus, in quibus Chriſtus prædicauit, mortuus eſt, & reſurrexit, ſiuè in quibus Lex Euangelica confirmata eſt) Hebraica Sacrificia ceſſare. Quid aptius, & conformius prophetiæ Gabrielis, quàm quod Euangelium narrat, de Chriſti Dñi eventibus? ergo tunc advenit Meſsias. Pro hoc argumento videndus eſt Suarez hîc diſp. 1. ſect. 2.

114 Tertia probatio, ex cap. 2. Aggæi: *Veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria*, ideſt Templum Hieroſolymitanum, nouitèr à Zorobabele reædificatum, implebo gloria; vtique per præſentiam, doctrinam, & miracula Meſsiæ; atqui ſi Meſsias non veniſſet tunc, & Templum intraſſet, iam non poteſt impleri prophetia; quia Templum fuit tunc deſtructum. Nec dicas poſſe impleri in alio, quòd ibi ædificari poteſt. Contrà, tùm quia iam non erit domus iſta, ſed alia; ſicut iſta eſt alia, à Templo Salomonis deſtructo, & reædificato, & eſt alia in phraſi Prophetæ. Tùm, quia tale Templum ædificari non permittet Deus, cum ſæpè Iudæi cõnati fuerint, & nunquam permiſsi ſint perficere. Alias probationes de adventu Meſsiæ, vide apud Suarez.

QVÆSTIO III.

DE INCARNATIONIS COGNOSCIBILITATE.

115 PRocedit difficultas, tàm de poſsibilitate, quàm de eius exiſtentia. Eſtque multiplex ſententia. Omiſſo ergo errore dicentium, non eſſe demonſtrabilem, quia eſt impoſsibilis. Prima ſententia inter Catholicos dicit, poſſe naturalitèr demoſtrari poſsibilem, ſaltim imperfectè, ideſt, non repugnantem. Ita Valentia diſp. 1. punct. 2. Docet ſecunda ſententia exiſtentiam eius poſſe naturalitèr demonſtrari, poſtquam facta iam eſt; quia ſic iam datur medium in natura ad illam demoſtrandam. Tribuitur Scoto. Hoc autem licet Arriaga, non admittat de Incarnatione, tamen de alijs entibus supernis, ſaltim aliquibus, docet poſſe naturalitèr demonſtrari poſtquam iam exiſtunt. Ita tomo 1. in primam part. diſp. 3. & tom. 2. diſp. 10. ſect. 3.

116 Tertia, & communior ſententia omnem negat naturalem euidentiam, tàm de poſsibilitate Incarnationis, quàm de eius exiſtentia. Quidquid ſit de exiſtentia demonſtrabili aliorum supernorum. Quarta, & vltima, ſuperaddit tertiæ, non repugnare probabilem notitiam Incarnationis. Ita docent iam plures moderni in Manuſcriptis.

ARTICVLVS I.

POSSIBILITAS INCARNATIONIS NON EST demonſtrabilis naturalitèr.

117 ITA communis ſententia. Conſtat primò, ex multiplici Scripturæ text. & pluribus Patribus adductis à Granado, & Bernal; hoc myſterium eſſe incognitum, valdéque abſconditum principibus huius ſæculi: ideſt ingenijs creatis, etiam valdè ſublimibus. Vndè Patres paſsim affirmant, prætervolare etiam Angelorum acumen. Diu. Paulus vocat illud, Sacramentum abſconditum, etiam à ſæculis; imò aliquando ait eſſe tale, quòd nec in cor hominis aſcendit, ideſt, quòd nec homini in mentem venit.

118 Ratione autem probatur ſecundò; poſsibilitas Incarnationis, nõ ſolũ eſt supernaturaliſsima in genere entis, ſed etiã in genere ſcibilis: ergo ſuperat omnẽ naturalẽ ſciendi capacitatem intellectus creati, quæ non extenditur, niſi ad naturale ſcibile. Antec. prob. quia in tota natura, nullum eſt medium connexum, inferenſque poſsibilitatem Incarnationis; non enim datur aliqua cauſa, vel effectus, vel proprietas, quæ ſpecialitèr incarnationem indicet. Intellectus autem creatus, abſque medio naturali, nequit facere naturalem demonſtrationem.

119 Dixi, *eſſe supernam, etiam in genere ſcibilis*: atque vſus ſum hoc modo probationis, vt præſcinderẽ ab illa quæſtione celebri; an aliquid supernum demonſtrabile ſit naturalitèr (vel antequam fiat, vel poſtquam factum eſt) in qua recentiores valdè diuiſi ſunt. Ripalda enim tom. 1. acritèr defendit partem negantem; quia talis demonſtratio cuiuſlibet entis superni, eſſentialitèr connectitur cum illo: ergo eſt superna, & non naturalis, aliàs enim, supernum illud, eſſet supernum, vt ſupponimus, & non eſſet: quia nõ ſuperaret omnẽ exigentiam, & connexionem naturæ (non ſuperando accidentis, ſiue demonſtrationis naturalis, eſſentialem connexionem, & entitatiuam.) Arriaga initio huius quæſtionis citatus, & multi alij tenent, bene poſſe cognoſci aliquid supernum demonſtratione naturali, quia ſuppoſito, quòd detur tale ens, conſurgit in natura medium, per quod noſcatur. De hac enim quæſtione alibi nos.

120 Obijcies primò contra concluſionem: Angelus poteſt demonſtrare, non repugnare Incarnationem, & aliàs ſcit, Deum poſſe facere quidquid non repugnat; ergo demoſtrare poteſt eſſe poſsibilem. Antecedens quoad primam partem probatur, quia poteſt ſoluere naturalitèr repugnantias omnes, quæ occurrere poſſunt, contra talem poſsibilitatem, ſicut communitèr docent Theologi ad D. Thomam 1. par. quæſt. 1. art. 1. euidentèr ſolui poſſe omnia argumenta, quæ contra fidem Diuinam fiant.

121 Sed reſpondetur: nego poſſe demonſtrare, quòd non repugnet. Vel enim ſermo eſt de Incarnatione, vt modò facta eſt ad perſonalitatem Verbi, & non ad Deitatem. Et hoc non demoſtrabit, cum inueniat reſiſtentiam in principio illo metaphyſico: *Impoſsibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe.* De quo in materia de Trinitate, diſputatione de cognoſcibilitate. Vel ſermo eſt de Incarnatione Dei in genere, & ſic etiam inueniet reſiſtentiam ad aſſenſum, ſaltim demonſtratiuum, in infinita diſtantia Dei à creatura, vel in alij repugnantijs, quæ occurrere poſſunt. Licet autem tales repugnantias fortè ſoluere poſsit probabilitèr, ſed non demonſtratiuè; demoſtratione poſitiua, de qua loquimur: qua euidentèr aſſentiatur tali poſsibilitati. Demonſtratio autem, quàm Theologi, loco citato, vocant negatiuam, non eſt ad noſtrum intentum, quia ſolum conſiſtit, in eo, quòd argumenta aduerſariorum, & repugnantias ſoluat probabilitèr; taliter, quòd detur euidentia de probabilitate ſolutionis, & de eo, quòd argumenta contraria non conuincant.

122 Alij

122 Alitèr ſecundò reſpondetur. Angelum poſſe cognoſcere hanc poſſibilitatem, ſoluereque repugnantias, probabilitèr concedo, euidentèr nego. Si inſtes: omnis repugnantia adducibilis eſt verè, & in re falſa; atqui falſitas vbique eſt quid naturale. ergo poteſt demonſtrari ab Angelo naturaliter. Conſequentia probatur, quia omnia naturalia Angelus demonſtrat. Conceſſa ergo maiori, & minori, nego conſeq. eiuſque probationem. Licet enim Angelus demoſtrare poſſit, eſſe phyſicum rerum omnium naturalium exiſtentium, & eis affinium; non tamē poteſt omnia naturalia abſolutè, etiam exiſtentia. Non enim poteſt omnes extrinſecas conuinationes rerú naturaliú, nec omnes relationes ad quaſcunq; alias res, euidētèr demonſtrare: aliàs Angelus ſibi relictus in quolibet lapide, demonſtrare poſſet Trinitatem, noſcendo naturalitèr diſſimilitudinem, quæ in lapide reſultat cum Trinitate. Idem dico de falſitate illa.

123 Reſpondeo tertiò, & principalitèr, permittendo, Angelum poſſe ſoluere omnes, contra iſtam poſſibilitatem, repugnantias, quæ ipſi occurrant, vel ab alio illi proponantur; non tamen propterea inferet euidenter: *ergo non repugnat*, ſed ſolùm inferet: *ergo vſque modò non cernitur repugnare*. Ratio autem eſt, quia licet ſolueret omnes repugnantias, quæ occurrerint; neſcit tamen, an occurrerint omnes, quæ in myſterio tam abſtruſo, à parte rei, eſſe poſſunt. Vndè licet Angelus ex vna parte, noſcat in Deo euidētèr, infinitam realem terminabilitatem, ad complendam naturam humanam; & ex alia videat in natura humana diſtinctionem realem, & ſeparabilitatem à ſua ſubſiſtentia, poſſeque diuinitùs eſſe ſine illa; adhuc non inferet euidentèr poſſe compleri per diuinam. Tùm, quia non ſcit euidentèr, humanitatem ex ſe, non eſſe determinatam ad ſubſiſtentiam modalem, vel informatiuam: vel etiam ſi hoc ſciret, adhuc neſciret; an detur alia repugnantia occulta, vel ex parte Dei, vel ex parte humanitatis.

ARTICVLVS II.

ARGVMENTVM A CONNEXIONE CARENTIÆ, & potentia obedientialis.

124 OBijcies ſecundò: carentia vnionis ad Verbum eſt connaturalis humanitati Petri, & in ſe naturaliſsima: ergo noſcitur euidentèr ab Angelo, ſi comprehendit humanitatem Petri, vel granum arenæ, in quo etiam eſt talis carentia; imò etiam ſi ſolum clarè videat, quamvis non comprehendat illas; atqui in tali carentia noſcit poſſibilitatem vnionis, quia eſt connexa cum iſta: ergo. Minor de connexione probatur primò, quia talis carentia eſt relatio tranſcendentalis ad vnionem, totáque eſſentia illius definitur per connotationem ad vnionem. Secundò probatur, quia carentia vnionis differt eſſentialitèr à carentijs albedinis, & Hircoceruis & hoc non niſi per ordinem eſſentialem ad vnionem.

125 Reſpondebis, non cognoſci vnionem, cognita adhuc carentia; nam non omnis connexio cum alio, eſt ratio attingendi illud; ſic oculus videt colorem, qui eſt connexus cum Deo, vt prima cauſa, & amor amat contritionem, quæ eſt connexa cum peccato, nec tamen per viſionem, & amorem, videtur Deus, nec amatur peccatum. Sed contrà, quia Deus non eſt de ſphæra oculi, nec connexio coloris dat Deo viſibilitatem: nec contritio, peccato bonitatem; at connexio cum alio, eo ipſo inducit in illo veritatem, & cognoſcibilitatem: ergo eſt longa diſparitas.

126 Ideò reſpondeo primò ad argumentum: Angelum non cognoſcere in ſpecie, carentiam vnionis hypoſtaticæ in Petro, nec in arena, quia talis carentia non noſcitur per ſpeciem propriam, ſed per ſpeciem formæ negatæ, de qua Angelus non habet ſpeciem; ſolùm ergo noſcit in Petro, ſtatum ipſius naturalem, cum generali carentia omnium, quæ non ſunt Petrus, & omnium, quæ ipſi non ſunt connaturalia. Carentiam autem in ſpecie vnionis, vel alterius formæ, noſcit Angelus, ſi priùs noſcat formam ipſam, & comparando iſtam cum Petro, inueniat nō reperiri in illo. Non ergo noſcit ex carentia vnionem, ſed potiùs ex vnione carentiam.

127 Nec comprehenſio poſtulat, quòd noſcat in arena, v.g. terminos omnes, & formas, quibus ipſa caret; aliàs in grano arenæ expreſsè noſci deberent, omnia, & ſingula, tam Dei, quàm poſsibilium, imò & impoſsibilium omnium; quia omnibus his caret, vel per carentiam identitatis, vel etiam per carentiam vnionis. Vndè comprehenſio non petit in re minima, noſci omnia naturalia, omneſque ipſius conuinationes contingentes, atque omnes prædicamentales relationes, vt dictum eſt, niſi ſolùm, quæ debita ſunt ipſi rei comprehenſæ.

128 Reſpondeo ſecundò ad argumentum: do Angelum noſcere abſolutè carentiam vnionis in ſpecie. Nego tamen noſcere vnionem vt poſsibilem. Tùm quia vt talis vnio non ſit in Petro, ſufficit, quòd Petrus ſit abſque illa, ſiue illa ſit poſsibilis, ſiue impoſsibilis. Sic ego certiſsimè ſcio, lapidem non eſſe ſubſtantiam ſupernam: nec tamen ſcio, iſtam eſſe poſsibilem, aut impoſsibilem. Tùm etiam, quia carentia vnionis, ſolum eſt connexa cum vnione in genere ſcibilis, quatenùs talis carentia nō poteſt clarè cognoſci, niſi per connotationem ad vnionem, vt bene probat argumentum; non tamen eſt connexa cum vnione phyſicè, & in genere entis; quia nulla datur alligatio phyſica inter carentiam, & poſsibilitatem vnionis: cum carentia vnionis per ſuam eſſentiam metaphyſicam & intelligibilem, ſolùm ſit vnionis remotio, & nihil plus.

129 Vndè relatio carentiæ ad vnionem, vel non eſt relatio tranſcendentalis, ſed ſolum ſecundum dici; vel ſi ſit tranſcendentalis, non propterea eſt medium ſufficiens, ad probandam phyſicè vnionem poſsibilem. Et ratio eſt, quia etit relatio tranſcendentalis, quin in ſuo conceptu dicat connexionem cum vnione poſsibili. Sunt etiam valdè diuerſa, apud plures; ſe habere per ſe ad aliud, & connecti per ſe cum alio; nam primum, ſolum dicit reſpectum, & connotationem, quę poteſt eſſe ad impoſsibile. Secundum verò dicit entitatiuam alligationem. Patet: aqua enim per ſeipſam eſt exigentia habendi frigus, ac per conſequens tranſcendentalis relatio, petens receptionem actualem frigoris; nec tamen eſt connexio cum actualitate, licet ſit relatio, & exigentia actualitatis. Maneat ergo, talem carentiam, non eſſe medium ad demoſtrandam vnionem poſsibilem.

130 Obijcies tertiò: in humanitate datur potentia obedientialis ad vnionem, illamque vtpotè entitatiuè naturaliſsimam comprehendet Angelus: ergo & in illa noſcit euidentèr vnionem. Conſequentia prob. Tùm, quia illa tota potentia ad vnionem, eſt reſpectiua ad vnionem. Tùm, quia vt potentia ad vnionem, differt à potentia obedientiali ad viſionem. Reſp. in humanitate ſolum dari potentiam obedientialem, ex parte ſuæ entitatis, & ad quidquid non repugnat, in genere: quin ex parte ſua dicat, vel leuiſsimum reſpectum, aut inſinuationem determinatè ad vnionem in ſpecie. Poſita autem vnionis poſsibilitate, reſultat in humanitate, potentia obedientialis abſoluta ad vnionem, per modum relationis prædicamentalis: quæ non cognoſcitur in entitate fundamenti, ſed cognito priùs termino, cognoſcitur hæc relatio. Cum autem non proueniat ex reſpectu aliquo, aut virtute humanitatis, non noſcet Angelus vnionem in ipſa humanitate. Ex quo patet ad probationes. Ex parte enim humanitatis, illa potentia, nec eſt determinatè ad vnionem, nec diuerſa à potentia ad viſionem; ſed diuerſitas ſumitur à terminis ipſis, iam ſuppoſitis.

ARTICVLVS III.

ALIA ARGVMENTA, VBI DE COGNITIONE probabili.

131 OBijcies quartò: ſaltèm in aſſenſu probabili de poſsibilitate Incarnationis, quem dari,

ſta-

Digitized by Google

ſtatim conſtabit, Angelus noſcet iſtam euidentèr: ergo cum talis aſſenſus ſit naturalis, iam datur medium in natura. Probatur antecedens: tùm quia illa repræſentatio eſſentialitèr eſt connexa cum ſuo obiecto, & per ordinem ad illud, differt ab alijs aſſenſibus, qui ordo eſt tranſcendentalis, vtpotè eſſentialis tali repræſentationi. Tùm quia à parte rei, vera eſt talis cognitio Incarnationis poſsibilis, vtpotè de obiecto ſe habente, ſicut illa repræſentat: ergo Angelus noſcit illam veritatem, vtpotè proprietatem naturalis aſſenſus: ergo & in illa noſcit Incarnationem poſsibilem. Reſpondetur negando antecedens, quia non eſt medium connexum cum obiecto in genere entis. Ad primam probationem reſpondetur, connexionem, & relationem illam eſſe ad obiectum in genere ſcibilis tantum, præcindendo ab eſſe phyſico obiecti; an ita ſit, vel non ſit.

132 Ad ſecundam probationem nego, Angelum euidentèr noſcere veritatem illius cognitionis. Tùm quia talis veritas, vel non eſt naturalis, ſed potiùs eſt ſuperna, ab obiecto ſuperno, vt comparte, & vt ſe habente, ſicut cognitio repræſentat. Vel dato, quòd eſſet naturalis, eſt relatio prædicamentalis contingens actui, & conſurgens ex actu, & obiecto. Vndè non eſt proprietas ipſius, ſed accidens, cum cognitio probabilis non habeat exigentiam eſſendi vera, nec neceſſe eſt, vt Angelus res naturales comprehendens, noſcat omnes conuinationes contingentes, vt dictum eſt.

133 Obijcies quintò: quidquid Deus noſcit euidentèr præcisè, vt eſt Author naturæ, poteſt Angelo communicari, quantum ad euidentem notitiam; atqui vt Author naturæ, noſcit Deus omnia prædicata eſſentialia humanitatis, ex parte cuius non datur ad vnionē repugnantia: Item noſcit Deus, imò comprehendit ſuam ſubſiſtentiam diuinam, non ſolùm vt Trinam, ſed vt Vnam, quia Deus, vt vnus, ſub hac ratione eſt Author naturæ. Comprehendendo autem illam, cognoſcit infinitā terminabilitatē, & quòd ex parte ipſius non ſit repugnantia ad vnionem: ergo hæc notitia poteſt naturalitèr Angelo communicari.

134 Maior patet, quia ſicut lumen Dei, ſiue notitia Dei de rebus ſupernis, eſt ſupernaturalitèr communicabilis Angelo, ita & lumē, ſiue notitia Dei de rebus naturalibus, & naturalitèr communicabilibus, erit naturalitèr communicabilis illi. Minor etiam patet, quia ſi per impoſsibile Deus non eſſet Author ſupernus, ſed ſolùm Author naturæ, noſcendo ſe vt Authorem naturæ, noſceret ſeipſum, vt ſubſtantiam completam, ſubſiſtentem, intelligentem, volentem, & potentem facere omnia naturalia.

Hinc diſplicent negantes pro reſponſione argumenti, Deum vt Authorem naturę cognoſcere ſuam ſubſiſtentiam, exiſtimantes, quòd vt Author naturæ, ſolum noſcit naturales effectus ſuos. Contrà enim, quia ſi cognoſcit ſe vt Authorem naturæ, debet talis naturæ caput, fontem, & primam cauſam etiam cognoſcere. Vrgetur ex hoc, amplius argumentum, quia Deus nequit, vt Author naturæ non cognoſcere, conuinationem prædicamentalem coaptationis inter ſuam ſubſiſtentiam, & humanitatem, ac per conſequens poſsibilitatem vnionis noſcit in illa conuinatione.

135 Pro reſponſione nota, duplex dari ens ſupernum. Vnum eſt cauſalitatis, & aliud excellentiæ, quòd multò ſublimius eſt. Iſtud eſt ſolus Deus, in quo omnia excedunt excellentiſsimè, & ſummè omnem naturam creatam. Illud autem quælibet creatura cauſabilis, quæ in cauſare ſuperet omne debitum, & proportionem naturæ, petatque vires ſupernas. Subſiſtentia ergo abſoluta Dei, non cauſalitate, ſed excellentia, ſupernaturaliſsima eſt. Vndè Deus comprehendens per ſuam viſionem, intuitiuam ſubſiſtentiam ſuam, & etiam Omnipotentiam, non minùs in illa comprehenſione, excedit totam naturam, & eſt ſupernaturaliſsimus, quàm in comprehenſione Trinitatis; quia quoad videri, & comprehendi æqualiſsima ſunt, & ſupernaturaliſsima, quoad excellentiam. Dixi *in videri*, & non dixi *in cognoſci*; quia cum ſint cognoſcibiles per effectus naturales creatos, quod non habet Trinitas, non ſunt in eo ſupernaturaliſsima.

136 Ad argumentum ergo reſpondetur, quòd Deus noſcendo ſe, vt Authorem naturæ, noſcere ſe, vt ſubſiſtentem, & in tali ſubſiſtentia viſa, & conuinata cum humanitate, tamquam in medio cognito, noſcere euidentèr terminabilitatem vnionis, & Incarnationis poſsibilitatem. Nego tamen, tale lumen, ſiuè talem cognitionis modum, eſſe naturalitèr participabilem ab Angelo, cum ſit viſio Dei, imò & comprehenſio; ac per conſequens, nec vt eſt cognitio euidens Incarnationis; quia hoc habet, quatenùs eſt intentio Dei, quæ quidem, prout in Deo, eſt ſuperna ſupernaturalitate excellentiæ: vt autem eſt participabilis, etiam eſt ſuperna ſupernaturalitate cauſalitatis, cum ſit viſio beata. Non ergo Angelo naturalitèr communicare poteſt.

137 Cognitio ergo humanitatis, & ſubſiſtentiæ Dei, quæ poteſt ab Angelo participari, ſolum eſt cognitio ſubſiſtentiæ abſtractiua, & in alio, & prout valet deduci ex effectibus naturalibus. Hæc autem quatenùs talis, non penetrat terminabilitatem infinitam Dei, vt ab omni repugnantia liberam; ſicut penetrat viſio intuitiua Dei. Si dicas: ergo ſaltìm per notitiam euidentem ordinis naturalis, vt dicentis cauſas, & effectus, nempè Deum, vt naturæ Authorem, noſcibilis eſt poſsibilitas Incarnationis. Reſpondetur, eſſe poſsibilem per notitiam, quæ quidem in ſe non ſit ordinis naturalis, licet ſit tamquam de obiecto, & occaſione de ipſo ordine naturali, nempe de Deo, vt capite naturę; talis tamen notitia ſupernaturalis eſt in ſe ſupernaturalitate excellentiæ. Et medium ipſum, in quo noſcitur Incarnationis poſsibilitas, etiam eſt medium ſupernum ſupernalitate excellentiæ, nempè ſubſiſtentia ipſa Dei clarè viſa.

ARTICVLVS IV.

DE COGNITIONE PROBABILI poſsibilitatis.

138 NOTO, poſsibilitatem Incarnationis apprehenſiuè, poſſe in mentem creatam venire; cum enim Angelus habeat ſpeciem propriam humanitatis, & ſubſtantiæ corporeæ valdè infimæ, cognoſcatque diſtinctionem naturæ creatæ à ſubſiſtentia; & ex alio capite euidentèr naturalitèr cognoſcat ſubſiſtentiam eſſe in Deo; non eſt cur faciendo varias conuinationes, inquirere non poſsit; an ablata propria ſubſiſtentia, poſsit humanitas vniri cum Diuina? Hæc enim apprehenſio non repugnat, ſicut & alia impoſsibilia, & chimericè venire poſſunt in mentem apprehenſiuè ſaltim.

139 Difficultas eſt, an poſsit talis apprehenſio eſſe ſuaſiua, & ex ea intellectus creatus formare aſſenſum probabilem, & cum formidine de poſsibilitate? Negant Suarez, Bernal, & plures alij. Quanto enim intellectus eſt perfectior, maiorem inueniet repugnantiam in myſterio, vt modò factum eſt, nempè in vnione ad perſonalitatem, quæ non ſit ad naturam, & etiam in myſterio ad ſubſiſtentiam Dei in genere. Aſſenſum enim primi, impedit principium illud: *Impoſsibile eſt rem ſimul eſſe, & non eſſe.* Aſſenſum verò ſecundi, impedit infinita diſtantia, aliæque repugnantiæ.

140 Contrarium cenſeo cum Durando, in 3. diſtinct. 1. Peſantio diſp. 3. alijſque recentioribus, loquendo de Incarnatione ſaltim ſecundò modò, & loquendo de aliquali probabilitate. Probatur, quia Angelus noſcit euidentèr ſubſiſtentiam ſuam, non eſſe humanitati eſſentialem, nec priuari illa eſſe contra eſſentiam, licet ſit contra exigentiam: ergo etiam poteſt iudicare, Deum loco illius poſſe aliam ponere: ergo & poteſt inquirere, an poſsit diuinam? Tunc autem occurrunt ei variæ re-

pugnantiæ, ſed poteſt omnes illas probabilitèr ſoluere, meliùs quàm nos, inuenietq; in natura exempla aliqualitèr facentia talem non repugnantiam : ergo potuit, licet cum formidine aſſentiri probabilitèr.

141 Conſequentia patet, tùm quia plures opiniones in Scholis fundatæ, ſunt in ſolutione argumentorum ſola. Tum quia Angelus noſcit, humanitatem ſolum egere termino complente, & in Deo eſſe ſuſiſtentiam, quæ ſit terminus complens; cum error aliàs ſolvat repugnantias, poterit aſſentiri, nec deterrebit illum, Idiomatum communicatio in vno ſuppoſito habente diuerſas naturas; ſicut in vno homine reperitur, quòd diues ſit Philoſophus, & è contrà per diuerſas formas, & quod diminuatur in diuitijs, creſcatque in Philoſophia.

142 Imò etiam fortè primo modo, Myſterium eſt probabilitèr noſcibile, quatenùs modò executum eſt, licet probabilitate multò minori, & tenuiſsima. Diximus enim in materia de Trinitate, quòd Angelus poteſt apprehendere, quòd ſicut homo eſt accidentalitèr fœcundus intrà ſe per intellectionem, & amorem, cur non, & Deus? Sed perfectio Dei potuit has operationes in ipſo eſſe ſubſtantialis quodque licet ſint diſtinctæ, proptèr productionem, identificantur in Deitate, proptèr vnitatem Dei, ſi iſtud Angelus apprehendat ſic, etiam ſi chimeram iudicet, poteſt velle hominem fallere, ipſi que ſuadere, non repugnare tale myſterium, nec quod vna perſona ex his incarnetur, ſoluendo ſaltim apparentèr repugnantias omnes occurrentes : ergo poterit homo, ex principijs his aſſenſum formare ſibi, imò, & alijs hominibus, probabilem.

143 Sed hæc intellige de probabilitate valdè remiſſa. Argumenta enim facta diſp. 1. pro errore negante tantam habent difficultatem, vt nihil reperiatur ſimile in natura, quo ſolui poſſunt ſuaſibilitèr, nempe aliquid componens ens per ſe, quod tamen non perficiatur, nec ſit incompletum, nec potentialitatem dicat, ſolum in iſto reperitur myſterio. Intellectus igitur expertus fortè aſſentietur, ſed magna cum formidine, præcipue ſi myſterium ſecundò modò conviheretur cum illo principio : *Impoſsibile eſt, rem ſimul eſſe, & non eſſe.*

144 Nec obeſt primò contra iſtam probabilitatem; Incarnationem, Trinitatem dici in Scriptura, & Patribus myſteria inſcrutabilia. Reſpondetur, voluiſſe excludere omninò cognitionem euidentem, imò, & probabilem quietantem intellectum perſpicacè; ſicut dantur aliquæ multæ opiniones tales in Theologia. Iſta autem ita eſſet difficilis, vt quantò intellectus magis ſcrutaretur, fortè magis deterreretur ab aſſenſu, ne in re tam graui pro ſuo cerebro, ſe ad aſſenſum determinaret. Non autem voluerunt probabilitatem tenuiſsimam excludere, quia iſta eſt quaſi metaphyſica quæſtio, de qua non curarunt.

145 Nec obeſt ſecundò : Incarnatio primò modò, ſiue vt modò facta eſt, videtur euidens, quòd opponatur illi principio : *Impoſsibile eſt rem ſimul eſſe, & non eſſe*, ideſt perſonalitatē immediatè vniri, ſecùs Deitatem: ergo intellectus nequit aſſentiri illi. Diſtinguo antecedens : apparet apparientia aliqualitèr ſolubili, concedo; inſolubili, nego. Poteſt enim Angelus viam diſcurrere, per quam appareat non opponi, ſi nempè intelligatur de eadem re formalitèr, & virtualitèr eadem, ſecùs virtualitèr diuerſa. Si enim Scotica ſubtilitas inuenit viam, in creaturis per diſtinctionem formalem; & alij in eodem corpore viſorato, per reproductionem, quomodò formæ, & carentia à parte rei non ſint contradictoriæ, quid mirum, ſi Angelus inueniat viam, in Dei infinitate.

Non quidē, vt aſſentiatur ipſe, pede fixo, iudicādo poſſibile: benè verò, vt homini animo ſeducēdi perſuadeat. Dicitur autem *inſcrutabile* (non obſtante, quod à nemine inſcrutabile dicitur, quòd probabilitèr opinabile eſt) reſpectu Angeli, quia nunquam in eius veritate pedem figet: reſpectu hominis, quia probabilitas non fundatur in veritatis ſcrutatione, & inuentione ſolida, ſed potius in ſeductione, ab illa originem trahendo.

146 Nec obeſt tertiò: euidens eſt, quòd entia completa nequeunt vnum per ſe componere: ergo neque homo, & Deus, qui completi ſunt. Diſtinguo antecedens, entia completa vt completa, concedo; ſi vni ex illis auferatur complementum propriæ ſubſiſtentiæ, nego. Auferri autem poſſe ab humanitate, Angelus iam noſcit. Neque vltimò: euidens eſt, quòd humanitas à Deitate, non poteſt reddi Dea : ergo nec ſubſiſtens à ſubſiſtentia Deitatis. Probatur conſequentia, quia ſunt eadem formalitas obiectiua. Conceſſo antecedenti, negabit Angelus conſequentiam, nam etiam eſt euidens, quòd cognitio ſit formalitèr qualitas, & quod poſita in lapide dat vnam denominationem, nempè qualis, & non dat aliam cognoſcentis : ergo ad ſimilitudinem huius, negabitur illa conſequentia.

ARTICVLVS V.

DE COGNITIONE INCARNATIONIS IAM factæ. An poſita reuelatione?

147 QVæritur, an poſita reuelatione de exiſtentia Incarnationis, poſsit intellectus per media naturalia illa demonſtrare? Ratio dubitandi eſt, quia revelatio infert certiſsimè veritatem Incarnationis: ergo &c. Reſpondetur tamen, inferre certiſsimè, ſed non euidentèr, quando reuelatio eſt obſcura. Inſuper reſpondetur, aliud eſſe demonſtrari per reuelationem, vt per medium, & præmiſſam; & aliud demonſtrari, non per ipſam, ſed poſita ipſa, vt conditione, excitatur homo, vt quærat, an inveniat in natura media, per quæ probet talis Myſterij exiſtentiam, vt per illa ei, qui reuelationem negant, conuincantur de illo. Hæc enim ſi dentur, cum per reuelationem, iam ſimus præuenti, faciliùs inveniemus. Hoc ſecundò modò procedit quæſtio, & non primò, quia in primo demonſtratio eſſet ſuperna, & per medium ſupernum.

148 Sed inſtas (& eſt ſecunda ratio dubitandi) poſita reuelatione, natura ipſa ſit expertior, & expeditior ad inveniendum medium; & hoc habet per præuentionem, quam accipit ab ipſa reuelatione; ſicut potentia imaginatiua hominis eſt capacior cognoſcendi, quàm imaginatiua bruti, & hoc proptèr coniunctionem cum potentijs rationalibus in homine. Reſpondetur fieri expeditiorem ad inveniendum medium, ſi datetur ſed non datur; ad ſummum ergo inveniet medium explicandi, ſed non media probandi.

149 Aſſero cum communi ſententia : Incarnatio, poſtquam facta eſt, & poſtquam reuelata eſt; adhuc non eſt demonſtrabilis naturalitèr, ita D. Thomas hîc, & Franciſcus Boneſpei diſp. 1. dub. 3. num. 21. & communitèr Theologi. Probatur, quia illis etiam poſitis, natura non adminiſtrat media per ſe phyſicè connexa cum exiſtentia Incarnationis, vt ſtatim patebit, ex ſolutione argumentorum, quæ plura ſunt, & difficilia.

150 Objicies primò : Angelus in humanitate iam exiſtenti cognoſcebat euidentèr carentiam omnis ſubſiſtentiæ creatæ : ergo euidentèr inferre potuit diuinam. Bernal diſp. 1. ſect. 2. §. 3. negat antecedens, quia cenſet illam carentiam eſſe in ſubſtantia ſupernaturalem. Vndè ſpecies impreſſa humanitatis repræſentabat eam cum ſubſiſtentia, quæ non erat, ſicut ſpecies funis tormentarij accenſi, & rotati repræſentat lucem in circulo, licet non ſit.

151 Sed contrà, quia ſolum ſupernaturalis in modò, & apud ipſum ſupernaturalia in modo naturalitèr demonſtrantur. Patet aſſumptum, quia humanitas eſt carens omni ſubſiſtentia per collectionem omnium carentiarum; v.g. Subſiſtentiæ *A*, & ſubſiſtentiæ B, quæ ſingulæ carentiæ naturaliſsimæ ſunt. Supernaturalitas autem ſolum ſtat in ſimultate, quæ ſingulis eſt accidentalis : ergo ſolum datur ſupernaturalitas quoad modum.

152 Reſpondetur ergo primò, negando antecedens,

quia

quia Angelus licet non videret ſubſiſtentiam, non ideò videbat carentiam, ad ſummum ergo poterat dicere, non video ſubſiſtentiam, non tamen eſt certum, non dari; fortè enim Deus mihi illam occultat. Ex vi huius medij diſcurreret Angelus modò dicto. Neque eſt neceſsè, vt Angelus noſcat euidentèr omnes illas carentias, etiam ſi ſint entitatiuè naturales, quia vt dictum eſt, art. 2. non omnes convinationes naturales evidentèr Angelus noſcit, quas autem noſcit eſt per ſpeciem formę contrariæ.

153 Sed replicabis: ergo nobis non erit euidens dari tenebras in aëre media nocte. Dubitare enim poterimus, an lux nobis occultetur. Nego conſeq. cum Ripalda tom. 1. diſp. 11. num. 27. quia ſolum licet dubitare de occultatione obiecti, quando circunſtantiæ ad dubitandum impellunt, v.g. quando obiectum eſt debitum naturæ, & ratio vrgens non datur ad perſuadendum eius abſentiam, & prudentèr poteſt perſuaderi ipſius occultatio; eo quod abſentia ſit mirabilis, & cauſa vrgens non appareat, ſicut contingeret in præſenti. Abſentia autem lucis media nocte, non eſt mirabilis, ſed potius debita naturę, ex abſentia Solis. Vt quid ergo dubitabitur?

154 Sed demus antecedens, adhuc nego conſequentiam, quia poteſt dubitare Angelus, an illa humanitas ſit abſque omni ſubſiſtentia, maneatque incompleta in ratione ſuppoſiti. Sed dices: Angelus in qualibet humanitate videt carentiam vnionis ad diuinam ſubſiſtentiam, quam tamen non videbat in humanitate Chriſti, neque ibi videbat carentiam complementi: ergo euidentèr inferre poterat, illam humanitatem eſſe completam; atqui non per complementum creatum: ergo per vnionem ad increatum.

155 Reſpondetur tamen aduertendo priùs, & generalitèr pro omnibus carentijs ad tollendam æquiuocationem, carentiam non eſſe ens reale medium interpoſitiuum, & fictum, quòd verè exiſtat à parte rei, niſi ad ſummum ſecundum dici; quatenùs nempè, non facilè poſſumus intelligere, & explicare, quomodo vna res non habeat aliam, niſi vtendo vocibus, quaſi affirmantibus carentiam eſſe aliquid exiſtens verè in re, cum tamen non ſit; potiuſque explicanda eſſet ſic, vt benè Lugo alibi: diſſentior vnioni inter Petrum, & Deum, quàm ſic: aſſentior carentiæ vnionis inter Petrum, & Deum. Carentia igitur quatenùs ſonat ens à poſitiuo diſtinctum, potius eſt affirmabilis ſecundum dici, ſiuè modò inviſtimato, quàm ſecundum eſſe.

156 Ad replicam ergo in primis; nego antecedens, Angelum nempè videre illas carentias; non enim ſunt viſibiles, & dum noſcuntur, eſt per formam oppoſitam; ſolum ergo convinando lapidem cum Deo, diſſentitur vnioni inter ipſos; quia non invenit fundamentum ad illam admittendam. Similitèr etiam, ſibi relictus diſſentitur vnioni inter humanitatem Chriſti, & Deum; vel ſi aſſentiatur ſolum erit probabilitèr; quia nullum eſt medium euidens, ſed ſolum probabile, vt dictum eſt.

157 Reſpondeo autem conſequentèr ad locutionem, carentias admittentem, & dico, Angelum in alijs humanitatibus videre carentiam vnionis, & fortè etiam arbitrari ſibi relictum carentiam vnionis ad Deum, in humanitate Chriſti, licet falleretur, vtpotè in re ſuperna: quòd ſi non arbitrabatur poſitiuo actu carentiam vnionis; quia non videbat, iudicabat ſibi occultari.

ARTICVLVS VI.

ARGVMENTVM A CONNEXIONE.

158 OBijcies ſecundò: in re naturali poteſt dari connexio ſufficiens ad iudicandam Incarnationem exiſtentem; & probo in hoc ſyllogiſmo Theologico: facto ab homine, & cognito ab Angelo: *omnis homo, vel completur abſiſtentia creata, vel increata; atqui Chriſtus non eſt completus per ſubſiſtentiam creatam: ergo eſt completus per increatam.* Hæc illatio eſt concluſio Theologica, quæ eo ipſo eſt certior omnibus alijs ſcientijs naturalibus, vt docet D. Thom. 1. part. quæſt. 1. ergo in hac concluſione, clarè cognita, certiſsimè infertur ab Angelo, veritas exiſtentiæ Incarnationis; atqui hæc concluſio eſt medium entitatiuè naturale: ergo datur medium naturale, in quo euidentèr noſcatur exiſtentia Incarnationis.

159 Minor patet. Tùm, quia communior ſententia docet, habitum Theologiæ eſſe entitatiuè naturalem. Tum ratione; quia licet inferat concluſionem ex præmiſſa de fide, non tamen quatenùs eſt de fide; ſed quatenùs ſubordinata vi diſcurſiuæ naturali intellectus creati. Reſpondebis inferre euidentèr, ex connexione naturali talis illationis cum obiecto; ſed hoc iam eſſe, non quidem poſita reuelatione, vt conditione; ſed vt medio, & præmiſſa. Minor enim eſt de fide nitens, reuelatione. Sed contrà, quia illa minor aſſumpta, vt medium, non eſt proptèr reuelationem de Incarnatione; ſed ſolum proptèr reuelationem de carentia omnis complementi creati, in humanitate; quæ carentia, vt nuper dicebamus, non probat Incarnationem, cum adhuc poſſit humanitas manere incompleta, & ſine ſubſiſtentia diuina: ergo valdè diuerſa eſt reuelatio de carentia complementi creati, & de exiſtentia Incarnationis: ergo iſta hìc, non aſſumitur vt medium, & præmiſſa, & tamen demoſtratur per medium naturale Incarnatio.

160 Reſpondetur tamen, duplicitèr. In primis, talem illationem Theologicam eſſe entitatiuè ſupernaturalem, vt poſsit eſſe certa certitudine formali. Si verò non eſt ſupernaturalis, negabo eſſe medium connexum cum ſuo obiecto. Ex ſe enim non erit certa, nec determinata ex ſe ad verum, nec ab Angelo noſcetur vt talis; ſed ſolum erit certa, certitudine ſubiectiua, & obiectiua, ſumpta à contingentibus illi, nec noſcetur ipſius veritas in ipſa; ſed prædicamentalitèr ab obiecto priùs cognito, de quo n. 126. ad 130. Nec verùm eſt non ſpecificari ab obiecto ſuperno, vt ſuperno; ſed vt ſubordinata vi naturali diſcurſiuæ; etenim hæc concluſio, non infert Incarnationem certò, niſi ex præmiſsis, vt certis, & per conſequens, quatenùs minor eſt de obiecto ſuperno, & vt reuelato.

161 Reſpondetur ſecundò, illationem probare Incarnationem per reuelationem, vt præmiſſam, non vt conditionem, & ſic argumentum, non eſſe contrà nos. Patet, quia illa minor, non ſolum nititur reuelatione de carentia complementi creati; ſed etiam de complemento diuino, ſaltim virtualitèr. Non enim illa minor eſt de humanitate; ſed de homine in concreto, & completo; qui eo ipſo quod caret omni complemento creato, eſt completus per diuinum.

In fine nota, quòd ſi Angelo Deus priùs reuelaret, ſe non occultaturum illi aliquid naturale, tunc Angelus non videns ſubſiſtentiam propriam in humanitate, euidentèr inferat carentiam, non tamen inferet vnionem ad Verbum; quia adhuc dubitaret, an humanitas omne careret complemento.

ARTICVLVS VII.

AN POSITIS MIRACVLIS.

162 MIRACVLA Chriſti duplicitèr ſumi poſſunt. Primò, vt ſunt in ſua entitate, vel modo opera ſuperna mira. Secundò, vt inſtituta à Deo prò ſuo beneplacito in locutiones Dei, quibus Deus veritatem aliquam nomine proprio loquitur, ſigillat, & confirmat. Vndè ſunt ſigna ad placitum, licet ex ſe valdè apta; ſicut etiam ſonus oris noſtri eſt ſignum ad placitum hominum. Vndè licet in hoc ordine rerum miracula, poſita inſtitutione nequeant fieri ad confirmandam doctrinam falſam, quia Deus teſtaretur illam, probabile eſt poſſe fieri in alio, in quo non eſſent inſtituta in Dei locutio-

Digitized by Google

cutiones,quia tunc Deus non eſſet teſt.s falſus,quia ni-
hil teſtificaretur per illa.

163 Objicies ergo , intellectus creatus videbat fieri
à Chriſto miracula , vt confirmaret,ſe eſſe hominem
Deum : ergo ex illis ſic factis, i.ferre poterat euidentér
eſſe verè hominem Deum,quia hoc teſtabatur Deus per
miracula,qui nequit teſtificari falſum. Confirmatur:mi-
racu.a ſunt locutiones Dei ad confirmandam do..tinam,
vt conſtat ex Marci vltimo: *Illi autem prædicauerunt vbi-*
que Domino cooperante,& ſermonem confirmante ſequenti-
bus ſignis. Et Chriſtus ſæpe dicebat,quòd opera,ſeu mi-
racula, quæ ipſe faciebat , præbebant teſtimonium de
illo : ergo ex miraculis teſtificantibus Incarnationem,
euidentér infertur Incarnationis veritas. Videatur Ri-
palda to.1.diſp.11.à ſect.1.

164 Sententia tamen negans, miracula eſſe medium
ſufficiens ad Incarnationem naturaliter demonſtrandam,
communior,& probabilior eſt,atque tenenda. Ratio au-
tem à priori eſt,quia ſolum ſunt medium, quatenus in-
ſtituta à Deo in locutiones ſuas,& quatenus facta ex in-
tentione,quàm Deus habet teſtificandi per illam verita-
tem;atqui non datur euidentia naturalis de tali institu-
tione,& intentione Dei , vt ſtatim conſtabit : ergo non
ſunt medium euidentèr naturaliter inferens Incarnatio-
nem. Vndè dæmon euidentèr videbat miracula. Nec ta-
men habuit euidentiam Incarnationis , de quo Ripalda
citatus,& Bernal diſp.1.à n.49.

167 Confirmatur : miracula per ſuas entitates evi-
dentèr notas, naturalitèr non connectuntur cum Incarna-
tione. Reſurrectio enim Lazari indifferens erat ex ſe,
vt eſſet teſtificatio, vel non eſſet,Incarnationis. Poterat
enim eſſe teſtificatio Trinitatis, vel nullius : ergo ſolum
ſunt medium connexum,quatenùs ſunt inſtituta,& inten-
ta à Deo,proptèr confirmandam Incarnationem: quæ in-
ſtitutio , & intentio non erant euidentèr notæ naturali-
tèr,licet certò credi deberent per fidem.

168 Reſpondebis : licet miracula non probent ex
ſe euidentèr, probant tamen quatenus facta à Chriſto in
confirmationem Incarnationis. Dæmon autem , imò &
homines euidentèr videbant fieri à Chriſto , propter
iſtam confirmationem, cum & ipſe Chriſtus clarè id di-
ceret. Sed contrà,nec miracula ex ſe,nec vt facta à Chri-
ſto ex Intentione confirmandi Incarnationem , ſunt me-
dium connexum cum iſta : ergo iſta non infertur evi-
dentèr ex illis. Antecedens probatur , quia etiam ſi fie-
rent à Chriſto ad confirmandam veritatem Incarnationis,
adhuc ex hoc non conſtat , quòd ſint locutio ipſius Dei,
nec quod fiant à Deo ex eadem,qua à Chriſto intentione,
quàm Deus habeat confirmandi Incarnationem per illa:
ergo adhuc miracula ſumpta, prout dicitur in reſponſio-
ne,non ſunt medium connexum ad naturalitér demon-
ſtrandam Incarnationem.

169 Antecedens patet , quia poſsibile eſt phyſicè,
quòd ſicut Deus dedit homini poteſtatem conſecrandi
propter cultum Dei; & ipſe, hoc non obſtante , abutens
illa,aliquando conſecrat , vt cum Hoſtia faciat ſuperſti-
tionem;nec tamen Deus eſt Author, ſed permiſſor ſuper-
ſtitionis , & ordinationis ad talem finem ; ita phyſicè
potuit Deus huic homini dare facultatem generalem ad
facienda miracula in fines honeſtos, abſque inſtitutione
miraculorum in locutionem Dei; & ipſe homo , poterat
abuti , & ea facere ad confirmandam doctrinam falſam.
Nec propterea Deus eſſet falſitatis teſtificator , ſed per-
miſſor : Ergo vt Deus habeatur teſtis, per miracula In-
carnationis, non ſufficit, quòd hic homo miracula faciat
intendens ipſe , confirmare Incarnationem ; niſi conſtet,
quòd etiam Deus intendit idipſum.

170 Hæc tamen inſtitutio Dei , & intentio euiden-
tèr naturalitèr, non poterat à dæmone noſci, nec ab alia
creatura : ergo nec per miracula deduci Incarnatio. Pro-
batur antecedens, quia ſunt actus superni; atque inter-
ni ipſius Dei. Nec poſſunt naturalitèr euidentèr noſci in
ſe ipſis, nec alibi, niſi Deus manifeſtet. Non autem ſuf-
ficit externa ea manifeſtatio , quæ à Deo eſt facta nunc:
eſt enim facta per Scripturam Sacram , de qua non con-
ſtat nobis euidentèr , quòd ſit locutio Dei , ſed ſolum
obſcurè : ergo non eſt medium euidens , nec ſufficiens
ad demonſtrationem. Nec tandem conſtat ex miraculis
entitatiuè ſumptis, proptèr eorum indifferentiam ad va-
rios fines. Non ergo eſt dabilis naturalis euidentia in-
ſtitutionis, & intentionis Dei : ergo nec demonſtrabili-
tas Incarnationis per miracula , quorum connexio cum
Incarnatione, non eſt naturalitèr euidens.

171 Pro ſolutione argumenti initio articuli facti,
nota ly *in confirmationem Incarnationis* referri poſſe , vel
ad intentionem Dei , vel hominis Chriſti ; licet autem
conſtaret euidentèr de hac, non verò de illa. Reſpondeo
ergo , diſtinguendo antecedens : intellectus creatus vi-
debat fieri miracula in confirmationem Incarnationis
prætenſam ab illo homine, concedo; ab Deo, nego. De
Dei enim intentione, non conſtabat euidentèr , ſed per
fidem : ex quo patet ad confirmationem.

ARTICVLVS VIII.

REPLICÆ QVÆDAM.

172 NEC dicas primò : ergo Principes Iudæo-
rum reſiſtentes Chriſto, ſuam diuinitatem
per miracula probanti, excuſari poſſunt , quia non con-
ſtabat illis de intentione Dei, ſed hominis potentis fa-
cultate ſua abuti. Nego conſequentiam. Licet enim poſ-
ſint phyſicè dubitare, non licitè, nec prudentèr; & prop-
terea peccabant. Non licitè, quia ipſis conſtabat ex teſti-
monio Dei , dicto in rubo ad Moyſen , miracula eſſe ſig-
na, & teſtimonia Dei , & ſic per fidem diuinam credere
tenebantur. Nec item licitè, & prudentèr , quia miracu-
la; licet non phyſicam , moralem tamen faciebant eui-
dentiam Incarnationis per illa probatæ. Vlteriùs etiam
faciebant metaphyſicam euidentiam , non quidem veri-
tatis; ſed prudentis credibilitatis. Prudens enim , non
poſſet dubitare , quod niſi doctrina Chriſti eſſet vera,
Deus tot miracula, non permitteret in eius fieri confir-
mationem.

173 Nec dicas ſecundò : Dæmon iuxta aliquos Pa-
tres apud Bernal diſp 1.nu.49. diuinitùs fuit impeditus,
ne Incarnationem cognoſceret,illique fuit occultata: er-
go quia poterat evidentèr cognoſcere ſaltim per miracu-
la. Reſpondetur,evidentiam moralem fuiſſe illi impedi-
tam,& aliquando aſſenſum probabilem , & opinatiuum,
ſuſpicione ſola illi permiſſa. Patet aſſumptum , quia vt
benè Sylveira to.2.in Euangelia lib.4.cap. 22. quæſt. 14.
poſt miracula in Natiuitate Chriſti , & Baptiſtæ , poſt
ſtellam Magorum,vocem Patris in Iordane adhuc dubi-
tabat , ideóque tentauit in deſerto , an eſſet Filius Dei.
Vndè Scriptura , & Patres , cognouiſſe inſinuantes apud
Suarez tom.2.in 3.part.diſp. 31. ſect. 3. intelligendi ſunt
de ſola ſuſpicione ſecundum Diu. Thomam , Chriſoſto-
mum,& alios apud Ripaldam diſp.11.n.31.

172 Replicabis : notitia dæmonis creuit vſque ad
evidentiam,& ſcientiam, decurſu prædicationis, & mi-
raculorum Chriſti: ergo per iſta. Probatur antecedens,
quia Lucę 4. clamabant dæmones :*Scimus te,qui ſis, San-*
ctus Dei,ideſt, ille Sanctus Dei,nempè Filius. Reſponde-
tur primò,quod mentiebantur,& ideò Chriſtus,vt inquit
Euangeliſta,increpans,non ſinebat ea loqui,*quia ſciebant*
ipſum eſſe Chriſtum , ideſt non permittebat illis dicere,
quòd ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.Suſpicabantur enim,
non tamen ſciebant,& ſic erat mendacium. Reſpondetur
ſecundò,permittendo illis, ſaltim appropinquante mor-
te Chriſti, ſcientiam, & euidentiam ; moralem tamen,
reſultantem ex multitudine ſignorum , & moralitèr con-
uenientem.

173 Hoc euidentiæ moralis genus, multum creuit in
ipſo,mortuo iam Chriſto,ex Lymbi expoliatione, atque
ex confuſione in Inferno facta , dum Principes tenebra-

rum

rum alligauit, & quaſi contriuit. Vndè iam non potuerunt ampliùs moralitèr de Incarnatione Chriſti dubitare. Hinc etiam fit, quòd Iudæi etiam ſapientiores, & in Scripturis verſati, non habuerunt euidentiam phyſicam de Chriſto, vt Deo homine, adhuc poſt miracula; imò nec perfectam moralem; imò aliquam habuerunt ignorantiam. Paulus enim 1. ad Corinth. 2. dixit de eis, quaſi aliqualitèr excuſando; *quòd ſi cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*: ergo non habuerunt moralem euidentiam.

174 Nec obeſt, quòd Chriſtus eis ſæpè obiecerit, quòd ipſum ſcirent: *& me ſcitis*, inquit, *& Patrem meum ſcitis*: ergo habebant ſcientiam. Diſtinguo conſequens: phyſicam, aut moralem ſcientiam, nego; notitiam ſuſpicariuam, quæ creſcere poſſet in ſcientiam, & euidentiam moralem, concedo. Miracula enim ſufficientèr poterant inducere euidentiam moralem, ſi ipſi nolent ex paſsione propria obcæcari; atque ex odio lucem miraculorum offuſcare. Vndè ignorantia illa erat, craſſa, & vincibilis; atque in multis eorum affectata, ac per conſequens, quoad culpam grauem à Chriſto illis imputatam æquiualebat pro ſcientia, non tamen erat ſcientia, adhuc moralis, vt dictum eſt.

175 Infero, nec ex voce illa Patris in Iordane, & in Tabor: *hic eſt Filius meus dilectus*, *&c.* Dæmonem potuiſſe euidentiam Incarnationis habere, pro tunc, nec moralem; quia tentauit poſtea in deſerto. Et licet obijcias, conſtare illi à Patre eſſe prolatam, & non ab agente alio naturali; quia hic debebat eſſe dæmoni notus. In primis, nego conſtare illi eſſe dictam à Patre. Tùm, quia poterat eſſe ab alio agente occultato illi à Deo. Tùm, quia ab agente creato habente facultatem ad voces miraculoſas, & abutente illa, vt mendacium perſuaderet. Tùm, quia etiam ſi eſſet à Patre, dubitare poterat, an eſſet Chriſtus Filius adoptiuus, licet eximius: Ideo ergo tunc, adhuc non habuit dæmon euidentiam moralem, licet poſtea habuerit in fine vitæ Chriſti.

ARTICVLVS IX.

AN EX ALIIS CAPITIBVS SIT DEmonſtrabilis.

176 Congeram hic alia media, quæ conducere videntur ad demonſtrandam exiſtentiam Incarnationis: quædam pòſt reſurrectionem, vel miracula: & quædam independentèr ab illis. Probari poteſt ergo primò ſic: Incarnatio poſitis miraculis eſt euidentèr credibilis: ergo & euidentèr poſsibilis. Conceſſo antecedenti, negamus conſequentiam; quia credibilitas, non probat poſsibilitatem veram. Sumuntur enim ex capitibus valdè diuerſis. Veritas enim ſumitur à re, prout eſt in ſe. Credibilitas verò ſumitur à ſignis, & apparientijs, ſiuè res in ſe ſit vera, ſiuè falſa. Sæpè enim res, aliàs falſa habet plura adminicula externa, quibus fiat credibilior, & probabilior. Vndè veritas, nec creſcit, nec minuitur, ſed ſtat in indiuiſibili. Probabilitas autem de curſu temporis poteſt creſcere, vel minui, vt videmus in opinionibus de Conceptione Immaculata.

177 Probas nihilominus conſequentiam ſic: quòd eſt euidentèr impoſsibile, eſt euidentèr incredibile: ergo quòd eſt euidentèr credibile, eſt euidenter poſsibile. Antecedens per ſe patet. Conſequentia autem probatur, quia ex oppoſito conſequentis, ſequitur oppoſitum antecedentis ſic. Petrus eſt homo: ergo eſt animal rationale. Petrus non eſt animal rationale: ergo non eſt homo. Reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam ob rationem datam. Ad prob. reſp. tunc ex oppoſito conſequentis ſequi oppoſitum antecedentis, quando oppoſitio eſt vera; explicaturque per interuentionem particulæ *nòn*. Secùs quando alitèr, vt contingit in præſenti, vbi enim poſsit vtrumque de eadem re negari (illa enim quæ ſunt ſub opinione, nec ſunt euidentèr poſsibilia, nec euidentèr impoſsibilia) non habet locum oppoſitio illa, per particulam *nòn* (quæ ex ſe eſt contradictoria, & vna debet eſſe vera; & alterà falſa) nec poteſt vtraque negari, ſicut hic.

178 Secundò poteſt probari demonſtrabilitas naturalis: ſi non poſſet dari, maximè, quia superna non ſunt cognoſcibilia euidentèr naturalitèr; atqui hæc ratio eſt nulla: ergo datur. Maiorem latè probat Ripalda diſp. 11. & plures cum eò. Superna enim debent ſuperare totam naturam, eiuſque ordinem, & connexionem, exigentiam, & debitum. Si autem in natura detur demonſtratio entis ſuperni, ſequuntur in ipſo contradictoria, ſcilicet, quòd ſuperet connexionem naturæ, & non ſuperet: ſuperat, vt ſupponimus; non ſuperat, quia in demonſtratione illa naturali imbibitur connexio entitatiua, cum obiecto illo ſuperno. Cum enim demonſtratio debeat eſſe per ſe vera, per ſe petit, quòd obiectum ſe habeat in re, vt ipſa repræſentat: ergo imbibit connexionem cum ente illo ſuperno.

179 Minor autem primi ſyllogiſmi, nempè; quòd obiecti ſupernaturalitas non obeſt ad demonſtrationem naturalem, probatur ex Arriaga diſp. 1. de Incarnatione, & alijs. Plura enim ſuperna, licet antequam fiant, nequeant demonſtrari naturalitèr, ſecùs poſtquam facta ſunt. Probatur 1. in reſurrectione ſuperna Lazari, de qua circunſtantes habuerunt euidentiam naturalem; viderunt enim ipſum primò mortuum, & fœtidum; & poſtea repente viuum ad vocem Chriſti. Præcipuè dæmon, vidit animam eius ſeparatam à corpore (vel ſaltim debebatur ei, vt videret illam) & in materia, formam cadauericam; & ſtatim poſt Chriſti vocem vidit Lazarum viuentem. Inſuper in quolibet miraculo, qui aderant, intuitionem exercebant circa illud.

180 Inſuper ſecundò: Dæmon hodie habet certiſsimam, & euidentem memoriam de ſtatu illo gratiæ, in quo fuit creatus, & quomodo potuerit ſaluari, ſicut Angeli boni. De hoc autem etiam habet intenſiſsimum dolorem, quòd perdiderit; ſicut etiam dolet de pœnitentia ſuperna peccatoris, ſaluationeque ipſius. Confirmatur, quia plures dantur actus ſuperni, qui ita ſunt maximè ſenſibiles, vt homo, vel Angelus ſuis viribus relicti, non poſsint illos non ſentire, & experiri in ſeipſis, vt v.g. cum homo habet intenſiſsimum amorem Dei ſuper omnia, & propoſitum efficaciſsimum moriendi potiùs quam peccatum veniale committat, per quod diſpliceat Deo. Eſt enim omninò incredibile, quòd dæmon ſibi relictus (præcipuè cum ipſe careat omnibus auxilijs ſupernis) & homo ocularis teſtis reſurrectionis Lazari, hæc cognoſcere nequeant.

181 Reſpondetur tamen primò ex doctrina plurium Doctorum, negando maiorem. Ratio enim non eſt ſupernaturalitas præciſe, ſed defectus medij probatiui. Cum enim tale myſterium ſit altiſsimum, & reconditiſsimum, ſpecies impreſſa propria ipſius, & per quam noſcatur clarè in ſeipſo, nulli creaturæ poteſt eſſe naturalis. Medium autem obiectiuum, id eſt causa naturalis, vel effectus ſpecialiſsimus naturalitèr noſcibilis, qui determinatè cum illa vt tali eſſentialitèr connectatur, nullus eſt in tota natura: vel aſsigna illum. Quemcumque enim aſsignaueris, facilè poterit alteri attribui cauſæ, quæ non ſit Incarnatio. Proptèr hoc ergo, non eſt naturalitèr demonſtrabilis.

182 Ad probationem maioris reſponderi poteſt, entis ſuperni, vt talis, poſtquam iam factum eſt, non repugnare medium, & demonſtrabilitatem naturalem per illud. Non enim excludit in natura omnem connexionem, ſed ſolum antecedentem, inductiuamque ipſius, quæ afferat exigentiam, & debitum, ſiuè ius in natura, vt exiſtat tale ens ſupernum; quòd eo ipſo debet eſſe gratioſum, nequitque eſſe debitum. Non tamen excludit connexionem cum illo, quaſi conſequentem, & præſupponentem illud, qualis eſt demonſtratio eius, vt iam exiſtentis. Iſta enim non ponit in natura ius, ſed potius explicat illud ens, vt à Deo liberalitèr iam datum.

183 Pro qua doctrina magis explicanda nota cum aliquibus Doctoribus, ens ſupernum, non eſſe penſandum

Ii dum

dum ex cauſis remotis, ſed ex proximis talis entis. Plura enim ſunt purè, & entitatiuè naturalia, & tamen neceſſario ſupponunt præſuppoſitiuum, vt requiſite, ens aliquod ſupernum, ſine quo exiſtere non poſſunt. Ideò autem ſunt naturalia cauſalitate, quia cauſæ immediatè, & proximè illam cauſantes, ſunt naturales, & per naturæ vires in illa influentes.

184 Sic docent plures Theologi, concluſionem Theologicam eſſe entitatiuè naturalem, quamuis neceſſariò præſupponat vnam ſaltim præmiſſam ſupernam de fide. Ratio autem eſt, quia præmiſſis poſitis, intellectus naturali vi diſcurſiua concluſionem elicit, vt cauſa immediata, & proxima. Sic etiam poſito corpore in duobus locis, cum potentia loco motiua replicata, mouetur naturali vi, ab illis duobus locis, ad alia duo; vt enim localitèr moueatur, ſufficit potentia loco motiua expedita, vt verè erat in vtroque loco. Similitèr poſita Lazari reſurrectione, oculi præſentium illam per naturales vires intuentur. Iſtæ ergo cognitiones, & operationes, ſunt entitatiuè, & ſimpliciter naturales, licet ſecundum quid, nempè connotatiuè, & præſuppoſitiuè, dici valeant ſupernaturales.

185 Sed replicas contrà ſolutionem: demonſtratio de ente ſuperno, poteſt eſſe naturalis: ergo in intellectu creato, vt potentia naturali, datur exigentia, & debitum huius demonſtrationis, ſicut, & aliarum naturalium: ergo mediante illa demonſtratione, intellectus connectitur, & exigit exiſtentiam talis entis superni, vt ſpecificatiuam talis demonſtrationis, ſicut & exigit ſpecificatiua aliarum cognitionum, quæ ſibi debentur. Reſp. concesſo ant. diſtinguendo conſeq. Exigentia abſoluta, talis demonſtrationis, nego; conditionata, concedo primam conſequentiam, & nego ſecundam.

186 Eſt enim (& hoc nota valdè, ex materia de viſione) in intellectu creato, duplex virtus naturalis ad cognitiones naturales, abſoluta nempè, & conditionata. Prima datur, quando cognitiones, & requiſita ad illas ſunt iuxtà intellectus naturam. Alia eſt virtus conditionata, ex ſuppoſitione nempè, quòd talia requiſita ad cognitiones ponantur in rerum natura ſuprà debitum, & exigentiam ipſius naturæ. Virtus ergo ad iſtas cognitiones, nõ petit eas abſolutè, nec connectitur cũ illis, & multò minùs cum obiectis ſupernis earum, ſiuè cum requiſitis ſupernis: quæ doctrina fortè poteſt fauere, negantibus, lumen eſſe totam rationem agendi, ſed dari in natura aliquam incohatam, & conditionatam, ſi nempè adueniat lumen eleuans. Sed de hoc in materia de Viſione.

187 Vndè virtus iſta conditionata, non erit medium naturale ſufficiens, vt in illa demonſtrentur ſuperna, imò nec poſsibilitas harum demonſtrationum: ſicut in intellectu hæretici aſſentiente toti Myſterio Trinitatis per aſſenſum naturalem opinatiuum tantum, vt dictum eſt, datur virtus naturalis ad talem aſſenſum, ſed conditionata, & ex ſuppoſitione aliqua remota ſuperna reuelationis myſterij; Angelus autem tales virtutes conditionatas non cognoſcit euidentèr determinatè, & ſpecificè, quia pendent, licet remotè à reuelatione ſuperna, ſed cognoſcit illas, quaſi in genere, ſicut de potentia obedientiali ſuprà dicebamus.

ARTICVLVS X.

ALTERA SOLVTIO.

188 SEcunda reſponſio eſt, conceſſa maiori, negatur minor ex Ripalda, nempè plura ſuperna, poſſe vt talia demonſtrari naturalitèr. Nam eo ipſo, non eſſent ſuperna, ſiquidem daretur in natura connexio eſſentialis, & entitatiua cum illis: & licet ipſe admittat naturalem euidentiam eorum, quæ ſunt ſuperna tantum quoad modum, & non quoad ſubſtantiam, tamen meo videri, eadem eſt difficultas in illis, quia eo ipſo, quòd ſint ſuperna, debent ſuperare omnem connexionem naturæ.

189 Confirmari poteſt impoſsibilitas demonſtrationis naturalis de ente ſuperno. Sequitur enim ex hoc, dari etiam poſſe cognitionem euidentem naturalem, vel demonſtratiuam ipſius Incarnationis, quòd tamen aduerſarij non admittunt. Etenim viſio beata, vel reuelatio euidens in atteſtante, eſt ex illis rebus ſupernis, quæ maximè ſunt ſenſibiles ipſi habenti, vt loquitur Arriaga. Intellectus autem creatus habens viſionem beatam, vel euidentiam in atteſtante ſupernã, ſibi relictus, non poſſet non cognoſcere euidentèr illas ob ſuam ſenſibilitatem, illiſque tranſactis conſeruate euidentem memoriam de illis, & obiectis viſis, nempè Trinitate, Incarnatione, & alijs; ſicut dæmon conſeruat eam de ſua gratia apud vos: ergo iam de illis poterit dari cognitio naturalis euidens, quæ etiam poſsit eſſe medium, in quo ipſe, vel altèr Angelus reflexè noſcat naturalitèr euidentèr talia myſteria.

190 Propterea igitur videtur neganda minor argumenti, & dicendum, omnem entitatiuam connexionem cum ſuperno, ſiuè antecedentem, ſiuè conſequentem, eo ipſo eſſe ſupernam, etiam quando eſt connexio cum ſuperno quoad modum. Ad primam probationem reſpondetur, euidentiam reſurectionis Lazari, & homini, & dæmoni fuiſſe ſupernam; & à ſpecie, & principio ſuperno; ſed illis, facta ſuppoſitione miraculi coram eis, eo ipſo eſt debitum lege connaturalitatis. Sicut de concluſione Theologica ait Ripalda, & alij, eſſe ſupernam; quia eo ipſo, quòd ponantur præmiſſæ ſupernæ, debetur intellectui principium ſupernum ad eliciendam concluſionem ſupernam proportionatam illis.

191 Similitèr poſita viſione beata in intellectu, debetur illi comprincipium ſupernum ad eliciendam cognitionem reflexam euidentem; neque enim tunc attenta lege connaturalitatis, poteſt intellectus manere, ſibi ſuiſque viribus relictus. Hæc enim relictio eſſet illi ſuperna, miraculoſa, & quaſi violenta, proptèr ius, quòd, facta illa ſuppoſitione, intellectus adquirit ad talia obiecta præſentia cognoſcenda. Sicut poſita viſione beata Dei ſummè boni, non poteſt non ſequi amor ſummus ſupernaturaliſsimus, & beatificus, & ſicut poſita reſurrectione Lazari, non poterat non ſequi euidentia. Sed tamen ille amor beatificus, non eſt á voluntate ſibi relicta, ſed eleuata per habitum ſupernum charitatis, ſibi debitum ex ſuppoſitione. Idem dic de actibus dæmonis reflexis ſuprà ſuperna, ſi ſint euidentes, & connexi, & de omni opere, entitatiuè, & per ſe ſupponente neceſſariò aliquid ſupernum, impotente fieri, niſi ſuppoſito requiſito ſuperno vt tali.

193 Vel reſponderur alitèr, dari poſſe abſque comprincipio ſuperno cognitiones reflexas claras, & diſtinctiuas talium ſupernorum; ſed quæ non ſint demonſtratio, nec connexio, nec eſſentialitèr veræ, & certæ certitudine formali, ſed ſolum ſubiectiua, & obiectiua, ſumpta ab immobilitate obiecti. Tales enim reflexiones, licet ſint ſine formidine, tamen quantum eſt ex parte ipſarum, & ſecundum ſuas entitates, tantum ſunt opinatiuæ entitatiuè; ſicut & aſſenſus hæretici de Trinitate, abſque vlla formidine factus. Conſeruarentur enim tales entitates, etiam ſi obiecta ipſarum, non eſſent in re vera, ſed ſolum exiſtimata; nam ſpecificantur ab illis, non vt ſunt, ſed vt concipiuntur; licet aliàs ſint certæ ab obiectis, vt dictum eſt.

194 Quòd ſi replices: tales reflexiones ſæpè affirmant, obiectum eſſe ſupernum: ergo ſunt de ſuperno, vt ſuperno. Conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: vt ſuperno in actu ſignato, ſiuè exiſtimatiuè, concedo; in actu exercito, nego. Non enim petunt, quantum eſt ex ſe, & phyſicè, vt in re ſint ſuperna; quia cum illæ reflexiones ſecundum ſuas entitates non connectantur eſſentialitèr cum illis, vt in re ſunt, ſed ſolum intentionalitèr, & repræſentatiuè; hinc eſt, quòd non ſunt de illis, quatenùs ſupernis. Sed hæc alibi examinanda ſunt, & de-

Digitized by Google

determinanda, quæ nam ſit vera ſolutio. Pro nunc ſufficiat vtramque inſinuare.

QVÆSTIO IV.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

ARTICVLVS I.

AN FVERIT CONVENIENS DEO.

195 ASSERO primò, fuiſſe convenientem Deo, & phyſicè, & moralitèr. Prima pars probatur cum Arauxo; quia ſummum bonum, eſt ſummè diffuſiuum, & communicatiuum ſui, vt quantum poteſt benefaciat, & hoc habet à prædicatis ſuis phyſicis, & intrinſecis: communicatio autem ſumma Dei ad extrà eſt per Incarnationem. Fit enim dando ſeipſum in vnitatem ſuppoſiti & Perſonæ; cum anteà communicatio in naturalibus, & ſupernis, ſolum fuerit dando creatas participationes ſui, ſiuè ſimilitudines aliquales ſui. Fuit autem hæc communicatio, convenientia phyſica, (non quidem intrinſeca, ſed extrinſeca) ſicut igni eſt valdè phyſicè conveniens actiuè calefacere, & Soli illuminare; quia tota eorum natura, eſt virtus propenſa, ad hæc exercitia. Et fuit communicatio ſumma, ſaltèm intenſiuè; quia fuit de linea immediata Dei, licet extenſiuè eſſet maior, Incarnatio trium Perſonarum, vel ipſius Deitatis.

196 De morali convenientia probatur, quia maximè decebat Deum, cum cederet in magnam gloriam ſuam: nam per ipſam manifeſtauit attributa ſua, in altiſsimo gradu. Manifeſtauit Sapientiam, excogitando tale opus ad vincendum dæmonem, per eadem arma, per quæ ipſe vicerat hominem. Amorem, ſiquidem voluit fieri phyſicè, idem cum re amata. Liberalitatem, dando ſeipſum. Iuſtitiam, ſumendo ſatisfactionem æqualem cum detrimento vitæ Dei. Miſericordiam, dando filium pro libertate ſerui. Et præcipuè Omnipotentiam, coniungendo in vnum, quæ infinitè diſtabant, & multa alia mira faciendo. Confirmatur, quia Incarnatio fuit bonum, honeſtum in ſe, vtile ad fines Dei, & delectabile ad complacentiam Diuinam: ergo fuit Deum decens, & moralitèr conveniens.

197 Contrà primam partem concluſionis objicies primò: Angelus eſt perfectior homine; atqui non eſt communicatiuus ſuæ naturæ: ergo ratio communicatiui ſuæ naturæ, non eſt phyſica perfectio. Reſpondetur, conceſſa maiori, & minori, diſtinguo conſequens: quando poteſt, nego conſequentiam: quando non poteſt, concedo. Non enim diximus, bonitatem eſſe ab intrinſeco communicatiuam ſuæ naturæ, vt cumque; ſed quando communicabilis eſt. Angelus ergo, non habet naturam communicabilem. Si autem haberet, & non haberet inclinationem ad illam communicandam, hic inclinationis defectus, cæteris paribus, eſſet imperfectio.

198 Vndè hæc Dei inclinatio actiua, licet ſuum ſortiatur effectum, in ſolo filio; quia ſolus eſt incarnatus paſsiuè: ipſa tamen tribus perſonis communis eſt, quia quod hæc perſona vniatur humanitati, ex actiua propenſione trium Perſonarum prouenit. Nec ex hoc ſequitur cōtrà dict. q. 1. Diuinam bonitatem perfici tali communicatione; ſicut perficitur quælibet potentia phyſica per exercitiū connaturale ſuum. Nego etenim. Tùm quia, vt ibi diximus, reſpectu Dei, nulla creata perfectio eſt perfectio. Tùm, quia Deus, eſt incapax vt perficiatur. Perfici enim ſupponit potentialitatem in perfectibili. Nec verum eſt, quamlibet potentiam phyſicam perfici per exercitium ſuum. Solum enim perficitur, quando exercitium eſt illi intrinſecum per vnionem, ſupponitque potentialitatem in illa.

199 Objicies ſecundò: ergo ſi Deus Incarnationem non produxiſſet, manſiſſet phyſicè violentus ſecundum Omnipotentiam, & bonitatem ſuam. Conſequentia probatur, quia illa non productio iuiſſet contrà eius inclinationem; ſicut, & in Sole non illuminatio. Nego conſequentiam. Tùm, quia inclinatio Dei, non eſt ex indigentia ſua, ſed ex virtute & fecunditate. Tùm, quia illa nō productio nō eſſet inducta ab extrinſeco agente cōtra inclinationem Dei, quòd requiritur ad violentiam; ſed eſſet inducta à propria Dei voluntate. Sic pedibus hominis non eſt violentum ceſſare à deambulatione, ad quam inclinata eſt potentia locomotiua; quia iſta, & ſimiles inclinationes ſunt conditionatæ, ſi nempè voluntas voluerit, cui ſubordinantur. Poteſt ergo Deus communicationem detinere, quoties opponatur alij fini ab ipſo, pro libito intento.

200 Contrà ſecundam partem, objicies tertiò: quòd Deus pateretur, & exinaniret ſe vt mancipium, etiam in aliena natura, eſt quædam Maieſtatis depreſsio: ergo non eſt decens Deum. Diſtinguo antecedens, ſecundum quid, concedo; abſolute, nego antecedens, quia Deus nihil amiſsit de ſuo. Nego etiam conſequentiam, quia quando ex denominationibus deprimentibus, maior eſt convenientia, quæ reſultat, quàm depreſsio in aliena natura, abſolutè decet depreſsionem illam amplecti. Sicut decens eſt Martyrem vitam perdere pro maiori gloria, quàm lucratur. Quòd autem Deo reſultet maior gloria, iam eſt probatum.

201 Replicabis: multò diſconvenientior eſt exinanitio Deo, & offenſa mortis Chriſti, quàm ſit conveniens gloria attributorum: ergo illa dedecet Deum. Antecedens probatur. Tùm, quia talis gloria eſt notitia illa, quàm de perfectionibus Dei habent Beati, quæ tamen eſt finita, cum exinanitio, & offenſa ſint infinitæ. Tùm, quia abſque Incarnatione poterant per viſionem beatam magis manifeſtari. Tum etiam, quia ſaluatio, & beatitudo hominum, eſt formalitèr, & moralitèr finita: ergo eſt minùs bona, quàm ſit mala exinanitio Dei: & offenſa mortis contrà Chriſtum: ergo abſolutè iſtæ fuerunt dedecentes Deum.

202 Confirmatur: ordinare maius bonum ad minus, eſt inordinatio quædam, ac per conſequens indecens, & inhoneſta: ergo & facere Incarnationem, ordinando illam, & vitā Chriſti infinitam, pro offenſa, & hominū ſaluatione finita, erit grauis inordinatio. Hæc enim bona ſunt maiora in genere boni, quā offenſa, mala ſit in genere mali. Difficilis eſt replica. Reſp. tamen, adhuc reſultare alia bona infinita, proptèr quæ facta eſt Incarnatio, nempè meritum, & ſatisfactio Chriſti infinita, ſed præcipuè complacentia ſumma Dei in ipſa Incarnatione, & meritis Chriſti: quæ complacentia intrinſeca eſt ipſi Deo, & inſuper reſultat Deo honor quidam ſimplicitèr infinitus dominij. Habet enim nunc perſonam verè Diuinam, ſibi ſubditam, & inferiorem, & debitorem, ſatisfacientem pro hominibus. Vndè fines in argumento poſiti ſunt invltimati, & iſti maiores, & infiniti, fuerunt vltimati. Ex quo patet ad confirmationem. Videatur Conin. diſp. 2.

203 Replicabis: ergo ſi Deus non eſſet Incarnandus, non potuiſſet peccatum permittere; quia deficerent iſti fines, permiſsionem honeſtantes: ergo fuit neceſſaria Incarnatio, ſuppoſito peccato, contra dicenda, quæſtione ſequenti. Confirmatur, quia diuina complacentia, eſt moralitèr finita, ſicut volitio præmiandi Diuum Petrum: ergo non ſufficiet honeſtare permiſsionem offenſæ infinitæ: ergo neceſſaria erit ſempèr ipſa Incarnatio. Nego conſequent. quia Deus cum omnia operetur proptèr ſemetipſum, tanquam proptèr finem generalem eius, potuit pro ſuo libito, & dominio permittere, ſine reſpectu ad alias convenientias, quæ ex permiſsione reſultare poſſunt; & ſolum ſtante exercitio dominij ſupremi, proptèr ſemetipſum, ſic vel ſic exercendi. Ex quo patet ad confirmationem, eſſe ſimpliciter infinitam, non quidem terminatiuè, benè verò ſubiectiuè, & quatenùs ita placuit Deo, proptèr ſeipſum, proptèr ſemetipſum, vt finem ſimplicitèr infinitum.

ARt.

ARTICVLVS II.

FVIT CONVENIENS HVMANITATI.

204 AFfirmat communis ſententia. Sed Sanctus Thomas hìc art. 1. ad 2. videtur negare, quia inquit, *quòd non fuit conveniens carni humanæ, ſecundum conditionem ſuæ naturæ, quia hoc erat ſuprà dignitatem ipſius.* Sed reſpondetur, conveniens ſummi pro connaturali, & proportionato. Secundò, pro eo quo res benè ſe habet, licet ſit ſuprà proportionem. Primo modò, non fuit Incarnatio conveniens humanitati; quia erat ſuprà proportionem, & licet appeti poſsit appetitu elicito (quo pacto Christus in Scriptura dicitùr deſideratus ab omnibus) ſecùs innato, quia Incarnatio eſt ſuprà debitum, & proportionem totius naturæ.

205 Aſſero ergo: abſolutè fuit conveniens ſecundò modò humanitati. Ita omnes. Probatur de humanitate, quia per vnionem optimè ſe habuit, nam fuit facta ſummè fœlix, & eleuata ad vnitatem Perſonæ cum Filio Dei, conſtitutaque ſuper omnes Angelos, & homines, ditataque gratia, gloria, & meritis infinitis: ergo per vnionem optimè ſe habet. Licet autem hæc ſint ſuper eius conditionem, ex hoc ipſo vrgetur probatio maioris conuenientiæ: ſiquidem de conditione miſera, eleuata eſt ad ſummam fœlicitatem poſsibilem.

206 Obijcies: per ablationem propriæ ſubſiſtentiæ paſſa eſt violentiam: ergo non benè ſe habet. Ant. prob. quia appetitus innatus humanitatis, ſolum eſt ad ſuam ſubſiſtentiam formalitèr creatam. Licet autem diuina, eminentèr contineat munera creatæ, ille appetitus non extenditur ad Diuinam. Aliter enim, habere diuinam, eſſet iuxta appetitum humanitatis: ergo dum ab agente extrinſeco expoliata eſt contra ſuam inclinationem ſubſiſtentia propria, in hac priuatione patitur violentiam. Dixi in priuatione, nam in habere diuinam non eſt violentia immediatè, quia iſta non eſt contra, ſicut priuatio, ſed ſupra inclinationem.

207 Quidam reſpondent, non eſſe contra, quia appetitus ad propriam ſubſiſtentiam, eſt quaſi conditionatus, vel diſiunctiuus, nempè petit illam, niſi adſit alia altior. Contra. Tùm, quia appetitus innatus, nunquam eſt ad ſuperna, adhuc conditionatè; nam ad ea, purè datur in natura non repugnantia per modum obedientiæ, ad quidquid non repugnat: abſque eo quod determinet adhuc conditionatè hoc, vel illud ſupernum, vt probaui in materia de Viſione. Tùm quia ſi adhuc conditionatè vel diſiunctivè peteret ſubſiſtentiam diuinam, hæc non eſſet ſuperna humanitati, quia non eſſet ſupra exigentiam naturæ, ſed iuxta illam.

208 Reſpondetur ergo 1. permittendo violentiam: non abſolutè, ſed reduplicando ſupra ly, *attenta conditione naturæ.* Sicut enim S. Thomas ſic admittit diſconuenientiam etiam perpetuam, cur nòn, & violentiam ſic? Nec propterea humanitas eſſet coacta, quia coactio eſt cōtra appetitum elicitū, qui valdè iucundus, & gaudens eſt in humanitate. Violentia autem, contra innatum: quæ violentia, non ſit à ſubſiſtentia diuina (quia hæc, non eſt contra, ſed ſupra) ſed à priuatione propriæ

209 Melius tamen reſpondetur, & decentius, negando violentiam, licet priuatio ſit contra inclinationem. Ad violentiam enim non ſufficit, quod priuatio propriæ ſubſiſtentiæ ſit contra inclinationem, ſi alias priuatio, ſit eminentiori modo recompenſata. Ratio eſt; quia ad violentiam requiritur reſiſtentia paſsi. Reſiſtit autem humanitas ad priuationem propriæ ſubſiſtentiæ non recompenſatam. Ad recompenſatam autem (licet abſolutè ſumpta, & ſola, ſit contra inclinationem) non reſiſtit; quia ita habet inclinationem ad illam, vt ſimul dicat non repugnantiam obedientialem ad aliam perfectiorem, ſi poſsibilis ſit: quæ tamen non repugnantia, non eſt appetitus adhuc conditionatus, ſed pura, & generalis obedientia.

Reſp. 3. ſolutionem numeri 207. magis explicando. Humanitatem de per ſe metaphyſicè, & formalitèr, atque primariò petere ſubſiſtere; & minus formalitèr petere modificationem ſubſiſtendi proportionatam, & connaturalem: & ſic fortè, cum ſubſiſtere petat per ſe abſolutè, modū connaturalitatis petit per ſe diſpenſabiliter nempè ſi alia via altiori (quam tamen non petit, licet non reſiſtat) ei de ſubſiſtentia provideatur. Vndè, diuinam, nec petit adhuc conditionatè, nec humanæ ablationem fert ita ægrè, vt violentiam patiatur, dum ei per altiorem compenſatio ſit.

ARTICVLVS III.

FVIT CONVENIENS ALIIS.

210 PRobatur. Tùm, quia teſte Paulo ad Epheſios 1. *omnia in Christo inſtaurata ſunt.* Tum ratione, quia homo eſt mundus paruus, & in eo reperiuntur omnes gradus omnium creaturarum; eſt enim rationalis cum Angelo, ſentiens cum bruto, vegetabilis cum arbore, ſubſtantia cum lapide, & ens cum accidentibus: ergo cum omnes iſti gradus in humanitate intimè vniantur Verbo, omnes eleuantur, honorantur, & ſiunt quaſi cognati Dei. Vndè conuenientior fuit Incarnatio vniuerſo, quàm Angelizatio: nam per iſtam, gradus proprius brutorum, & arborum, non eſſet vnitus, nec factus Dei cognatus. Tum denique, quia tota natura rationalis, quæ eſt præcipuum vniuerſi, reparata eſt: in homine per redemptionem à Chriſto, & in Angelo, per ruinarum reparationem.

211 Obijcies contrà hanc ſecundam partem primò; non fuit conveniens ſubſiſtentiæ propriæ humanitatis, nec peccatis hominum, quia attulit deſtructionem eis: ergo nec toti vniuerſo. Reſp. 1. cum dicimus toti vniuerſo, loquimur de eo ſumpto per modum vnius. Non enim eſt neceſsè, quòd ſit conveniens phyſicè ſingulis partibus eius ſumptis directè, & ſigillatim, ſed ſufficit indirectè, & provt in toto. Reſp. 2. Nomine vniuerſi intelligi collectionem omnium naturarum ſubſtantialium, provt differt ab his, quæ natura non ſunt: & ſic antecedens, non eſt contrà concluſionem.

213 Reſp. 3. Non fuiſſe convenientem ſubſiſtentiæ propriæ, & peccatis phyſicè ſumptis, quia fuit eorum deſtructio ſecundum gradum ſpecificum ipſorum; moralitèr tamen fuit honorifica eis: illi, quia abſentia ſubſtituitur per Verbū: iſtis, quia fuit honor tali, & tanto eguiſſe Antagoniſta, & Redemptor, & propterea Eccleſia clamat: *O fœlix culpa, quæ tali ac tanto, &c.* Vndè Mater Neronis honorificum ſibi iudicauit, quòd filius eius fieret Imperator, etiam ſi illam eſſet interfecturus. Idem poſſunt dicere ſubſiſtentia propria, & peccata de Chriſto, cognato ſuo ſecundum gradum entis.

214 Obijcies ſecundò: fuit diſconveniens dæmonibus, ſiquidem priuati ſunt ſuo principatu; & inferno, catheuis durioribus alligati. Reſp. ſicut de ſubſiſtentia, & peccatis, fuiſſe convenientem illis indirectè, & vt partibus vniuerſi; & phyſicè, proptèr honorem ſui gradus, licet aliàs ſecundum quid, fuerit illis directè diſconveniens; atque contrà appetitum elicitum, & iniquum, quem habebant faciendi mala contrà homines, atq; fuit contrà poſſeſsionem tyrannicam, quàm in homines habebant. Fuit ergo abſolutè, & ſimplicitèr conveniens vniuerſo.

215 Quæres 1. An fuerit convenientior, quā Incarnatio Patris, vel Spiritus Sancti. Affirmat Diu. Thomas hìc, & Guillelmus Pariſienſis in fine libri, *cur Deus homo*, latè diſputat, & ita docent omnes. Probatur, quia cum hominis perditio ortum habuerit ex appetitu inordinato ſcientiæ, remedium acciperet per Sapientiam Dei fœlicitèr inventum. Tùm, quia per Verbum facta ſunt omnia, & ſic ad illud attinebat eorum reſtauratio. Nec obeſt, quòd Incarnatio, & Redemptio, ſint ſpecialitèr opus charitatis Dei, & Omnipotentiæ Dei, quæ tribuuntur primæ,

Digitized by Google

mæ, & tertiæ perſonæ: ergo per ipſas erat facienda. Reſp. enim, eſſe ab illis cauſaliter, executiué vero potius ſpectare ad Verbum ob rationes datas.

216 Quæres 2. An fuerit facta tempore convenienti? Nimia enim videtur eius dilatio. Affirmo cum Diu. Thomà, & communi, dilationem fuiſſe convenientem. Tum dignitati Myſterij. Tum humani generis profectui. Sic enim cum Myſterium magis differebatur, plures pro eo fiebant à Patribus orationes, augebantur prophetiæ, præparationes; atque figuræ eius in veteris Legis Sacrificijs. Per hæc autem dignitas Regis venturi æſtimabilior reddebatur, ſiquidem tantis digna erat præparationibus; homo autèm, qui ex ſuperbia peccaverat, magis humiliari poterat coram Deo, de ſua imbecillitate; cum ſe videret tot ſæculis, non potuiſſe iugum excludere peccati; niſi per tam inſolitum remedium, tam difficile, totque ſæculis expectatum de cœlo, & hinc ſummam peccati grauitatem magis cognoſcere poterat.

217 Nec obeſt primò, quód charitas ægro non differt medicinam; ergo non debuit eſſe tanta dilatio. Nego antecedens, dato, quod ipſi infirmo; atque infirmario dilatio ſit convenientior vt hic. Fateor, ſi non eſſet. Nec ſecundò Incarnatio facta eſt proptèr homines. Quid ergo dilatio profuit tot hominum millionibus, qui ante Incarnationem mortui ſunt. Reſp. factam fuiſſe proptèr homines in particulari, quoad ſufficientiam remedij, imò quoad plures, etiam quoad efficatiam. Quoad tempus autem præcipuè fuiſſe conſultum dignitati Myſterij, & convenientiæ humani generis in communi.

218 Nec tertiò: ergo proptèr eaſdem rationes differri debuit, vſque ad mundi finem. Nego conſequentiam. Tùm, quia hoc eſſet valdè illius fructum limitare, & gratiam noui Teſtamenti ad paucos coarctare, multò ergo convenientius fuit, quòd in medio annorum fieret, vt inquit Abbacuc 3. ideſt, nec in principio mundi, nec in fine, ſed in medio, ſumpto medio, non mathematicè, ſed provt contrapoſito extremis.

QVÆSTIO V.

DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

219 SAnctus Thomas duo dicit in 2. art. Primum ad reparationem humani generis, poſito peccato, non fuiſſe ſimpliciter requiſitam, licet fuerit convenientior modus redimendi hominem. Secundum, fuiſſe requiſitam, vt homo repararetur per ſatisfactionem perfectè condignam. Dupliciter quæri poteſt, an Incarnatio fuerit neceſſaria. Primò abſolutè neceſſitate phyſica, vel morali ex parte Dei. Secundò ex aliqua ſuppoſitione, nempè ſuppoſita creatione mundi, vel ſuppoſito peccato, vel ſuppoſita intentione reparandi hominem, vel ſuppoſita intentione reparandi illum, præbente homine ſatisfactionem condignam.

ARTICVLVS I.

AN FVERIT ABSOLVTE NECESSARIA?

220 DEVM non fuiſſe phyſicé neceſſitatum ad producendam Incarnationem, conſtat fide, nam Deus ad extrà nihil neceſſariò produxit. Et ratione, quia libertas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, & non eſt minuenda in Deo circa aliquid creabile. Difficultas eſt de neceſſitate morali Dei.

221 Granado in 1. part. tract. 2. diſp. 3. docet, Deum neceſſitate morali teneri ad faciendum ſempèr, quod optimum eſt in illis rebus, in quibus poteſt optimum deſignari. Res enim ſunt in duplici differentia. Quædam in quibus poteſt inveniri optimum, abſque progreſſu in infinitum, v.g. ſi fiat comparatio inter creationem mundi, & eius carentiam, prædeſtinationem, & carentiam eius. Illæ ſunt optimum. Aliæ res ſunt, in quibus, ſi quæratur optimum, ſequitur proceſſus in infinitum, ideòque nequit optimum deſignari in illis; v.g. inter individua eiuſdem ſpeciei non eſt deſignabile optimum, quia nullum tàm bonum, vt Deus non poſſit aliud meliùs producere. Et idem de ſpeciebus vnius generis. In illis ergo primis docet, Deum ita eſſe neceſſitatum ad optimum, vt ſi non faceret optimum, deſineret eſſe Deus.

222 Contraria ſententia eſt communis Theologorum. Videatur Lugo, Vrtado, Bernal, & Bonaſpei citatus ſupra. Probatur, tum ex S. Thoma hìc aſſerente: adhuc ſuppoſito peccato, Deum non teneri ad Incarnationem, licet iſte modus reparandi hominem ſit convenientior. Tùm, quia ex communi omnium fidelium ſenſu, Deus eſſet æquè bonus, beatus, & ſibi ſufficiens, ſi nullas creaturas produxiſſet: ergo non ideò deſineret eſſe Deus. Tùm, quia maxima eſſet Dei dependentia, & egeſtas, ſi eius eſſe penderet ex creatione creaturarum, & perfectior intelligitur Deus, ſi intelligatur omninò independens ab illis. Tùm, quia multum derogatur Diuinæ libertati, ſi Deus antecedentèr ad productionem rerum ſit moralitèr neceſſitatus, & determinatus ad vnum, itavt non poſſet honeſtè illas, non producere: quòd autem Deus honeſtè non poteſt, abſolutè non poteſt.

223 Tùm, quia Sancti Patres adducti ab Vrtado, Bernal, & Bonaſpei num. 95. aſſerunt Deum produxiſſe creaturas abſque vlla neceſſitate, ſed moralis neceſſitas ad illas, eſt aliqua neceſſitas, imò tanta, vt à Concilijs, & PP. pleno ore vocetur impotentia, dum ſæpiſſimè dicunt, hominem ſine gratia non poſſe vincere cumulum venialium; quæ impotentia non eſt neceſſitas phyſica, ſed moralis, & apud plures Authores multò minor, quàm ea quæ ponitur à Granado, vtpote, quòd iſta eſt antecedens; illa verò conſequens; imò etiam, ſi vtraque eſſet antecedens, maior eſt impotentia poſita à Granado, ſiquidem Deus deſineret eſſe Deus, ſi non creaſſet mundum. Homo autem non deſineret eſſe homo, ſi omitteret omnia venialia.

224 Denique, quia dum Patres loquuntur de potentia Dei ad reparandum hominem, ſæpiſſimè dicunt, Deum æque facilitèr potuiſſe hominem reparare alijs modis abſque Incarnatione: ergo nulla erat neceſſitas moralis ad illam, nam non eſſet facilitas omittendi, ſi ex omiſſione, deſineret eſſe Deus. Antecedens patet ex Auguſtino 13. de Trinitate, cap. 10. dicente: *Parum eſt, iſtum modum, quo nos per Chriſtum Ieſum liberare dignatus eſt, aſſeramus congruum diuinæ dignitati, verum etiam vt oſtendamus alium modum poſſibilem, Deo fuiſſe, cuius poteſtati cuncta æqualiter ſubiaceant.* Ponderandum eſt ly *æqualiter*.

225 Probatur ſecundò ratione, quia in ijs, in quibus non eſt proceſſus infinitus, multa Deus omiſsit, quæ optima erant. Probatur, quia quod Pater aſſumeret naturam Angelicam, meliùs eſt, quàm carentia aſſumptionis, quòd plures homines eleuarentur ad maximam ſanctitatem, & quòd multò plures eſſent prædeſtinati, quàm ſunt, quodque perfectior alius mundus iſto, ornatus melioribus ſubſtantijs, quàm iſte crearetur, melius eſſet, quàm carentia harum rerum; ſed hæc omnia Deus omiſsit: ergo multa omiſsit, quæ in ſe optima erant.

226 Nec reſpondeas, hæc licet in ſe meliora, ſecùs tamen reſpectu finis intenti à Deo. Contrà: ergo ſaltim non adſtringitur moralitèr ad melius in ſe, ſed ad melius reſpectu finis, vt v.g. permiſsit peccata, vt oſtenderet ſuam iuſtitiam, cum tamen melius fuiſſet impedire, donando auxilia efficacia. Hinc autem probo, nec comparatione finis id eſſe melius, nam Deus prædeſtinando homines, potuit habere finem æquè bonum, vt v.g. quòd homines per viſionem beatam viderent iuſtitiam ſuam, quæ multò melius noſcitur à beatis, quàm à damnatis, vel ex damnatione, & multò melior eſt in ſe ſaluatio cuiuſli-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

bet hominis per merita de iuſtitia,quàm eius damnatio: ergo non tenetur ad optimum.

Confirmatur, quia Deus, vel eſt neceſsitatus ad intendendum hunc finem,de facto intentum,vel non eſt neceſsitatus.Si nòn: ergo non tenetur ad optimum. Si eſt: ergo & ad talia media, ac per conſequens totam huius mundi ſeriem ita neceſſariò produxit, vt nec iſtum finem,nec iſtas creaturas omittere potuerit.

227 Tertiò deindè ſequitur, hominem de bonis ſuis, etiam de ſaluatione, debere eſſe anxium, ſiquidem Deus moralitèr eſt neceſsitatus ad ſaluandum Petrum, & ad danda illi auxilia efficacia, ſi talis donatio eſt melior, quàm carentia. Si autem non eſt melior, neceſsitatus eſt ad neganda. Inſuper,quia ſi donare eſt melius,magis intereſt propria Dei, quàm è contrà, ſiquidem eo ipſo, quòd non donaret, deſineret eſſe Deus. Quòd ſequenti conſequentia ſequitur; Patres ſæpè oraſſe pro aduentu Chriſti,& Chriſtum pro aduentu Spiritus Sancti,& pro conuerſione credentium, nam Chriſtus benè ſciebat, Deum eſſe moralitèr neceſsitatum ex ſe ad hæc omnia, cum eo ipſo,quòd non daret, deſineret eſſe Deus.

228 Nec reſpondeas. Melius eſſe donare per orationes, quàm abſque illis. Orabant ergo,vt donatio fieret melior,quia ſic Deus donare volebat.Cõtra primò,quia ſaltim miſsio Spiritus Sancti in ſeipſa per orationes nó meliorabatur:ergo vt illa poneretur,ſuperfluũt iſtæ. Contrà ſecundò, quia etiam ſublatis orationibus, melior erat miſsio, quàm eius carentia: ergo Chriſtus ſciens melioritatem eius, non erat ad quid oraret pro illa obtinenda, ſed ad ſummum pro melioranda, vt vos dicitis. Inuſitatum autem eſt,quòd oràtes non orent pro re obtinenda, ſed pro melioranda, præcipuè cum orationes ipſæ ſint cauſa moralis obtentionis, non autem meliorationis, cum melioratio ſint ipſæ orationes;imò fortè cum ſæpiſsimè donatio ſit gratuita,& tantò melior in genere donationis,quantò liberalior, non poteſt dici, quòd per orationes melioritas liberalitatis augetur, ſed ſæpè minuitur.

229 Sed dices: in ſententia communiori ponente prædeſtinationem ante merita præuiſa, adhuc tenemur orare pro ſaluatione noſtra, etiam ſi iſta non poſſet non eſſe:ergo etiam ſi miſsio Spiritus Sancti non poſſet non eſſe(moralitèr quidem) adhuc Chriſtus potuit orare pro obtinenda illa in ſeipſa. Sed contrà, prædeſtinati, ideò tenentur orare pro ſaluatione,quia iſta eſt decreta à Deo dependentèr ab orationibus, & meritis; decreta inquam obtentio ipſa ſaluationis; at cum miſsio Spiritus Sancti comparata cum carentia eius ſit optima, ſublatis etiam orationibus,decernenda erat independentèr ab illis, & ſic ſuperfluunt orationes Chriſti pro obtinenda illa.

230 Proptèr hanc rationem confirmati in gratia adhuc benè orant pro eius conſeruatione, & Deus id ſuadet,quantumvis illam perdere non poſsint.Et ratio eſt, quia gratiæ conſeruatio eſt decreta dependentèr ab orationibus; at miſsio Spiritus Sancti, quòd præ carentia eius ſit optima,non pendet ab orationibus, & Deus neceſsitatus erat illam decernere, quia optimã iuxta ſententiam Patris Granado.

231 Sed re vera inſtantiæ iſtæ, præcipuè argumenti tertij videntur non multum vrgere: quidquid fortitèr contendant impugnatores Granadi. Etenim Deus benè potuit miſsionem Spiritus Sancti, ſicut & prædeſtinationem, & ſimilia decernere dependentèr ab orationibus. Quia licet ad eorum obtentionem ſumptam quoad ſubſtantiam,orationes non eſſent neceſſariæ, ſi tamen ſumitur,prout in ordine ad finem à Deo intentum,erant valdè conducentes.

ARTICVLVS II.

FORTIOR PROBATIO.

232 VLtimo probatur argumento communi. Sed ſupponendum prius,neceſsitatem moralem diſtingui valdè ab alijs. Neceſsitas enim metaphyſica tanta eſt,vt oppoſitum eius ſit impoſsibile,afferens contradictoria. Phyſica verò eſt tanta, vt oppoſitum eius ſit impoſsibile attentis naturæ viribus, licet ſit diuinitùs poſsibile,vt v.g.quòd rubus ardeat,& non comburatur. Moralis non eſt tanta, quòd afferat impoſsibilitatem oppoſito ipſius, ſed tantam difficultatem,vt à prudentibus iudicetur, quaſi eſſet impoſsibile. Vndè moralis potius eſt infallibilitas,quàm ſtricta neceſsitas.

233 Formo ergo argumentum ſic: ex ſententia Granado ſequitur impoſsibilitas metaphyſica in Deo ad omittendam Incarnationem. Equidem tanta eſt neceſsitas in Deo ad Incarnationem, vt ſi illam omitteret, non eſſet Deus: ergo habet Deus potentiam phyſicam, vt non ſit Deus, cum tamen habeat neceſsitatem phyſicam, & metaphyſicam eſſendi Deus, ac per conſequens ſequuntur contradictoria,nempè neceſsitas eſſendi Deus, & non neceſsitas eſſendi, ſiquidem datur poteſtas non eſſendi Deus.

234 Hæc autem poteſtas probatur ſic: ſi Deus non eligeret optimum per te, non eſſet Deus; atqui per te habet potentiam phyſicam non eligendi optimum,nempe Incarnationem. In hac enim poteſtate phyſica, ſaluas libertatem Dei à fide intentam, & à Patribus declaratam: ergo & habet potentiam phyſicam, vt non ſit Deus.

235 Vrgeo: Deus qui non eſſet Deus, ſiuè qui poteſt deſinere eſſe Deus,eſt Deus impoſsibilis, & chimericus; atqui Deus non volens Incarnationem, eſt Deus, qui eo ipſo non eſſet Deus: ergo Deus non volens Incarnationem eſt impoſsibilis, & chimericus: ergo ex parte Dei datur repugnantia, & impoſsibilitas metaphyſica, ad non velle Incarnationem, ſiquidem datur repugnantia ad impoſsibilitandum Deum. Confirmatur non electio Incarnationis eſt deſtructio Dei per te. Vel ergo eſt Deo talis non electio, phyſicè, & metaphyſicè poſsibilis,vel non? Si nòn: ergo deſtruitur libertas phyſica Dei. Si eſt poſsibilis: ergo in Deo non datur neceſſitas exiſtendi, cum detur poteſtas ſe deſtruendi.

236 Hoc argumentum ſanè efficax, & difficile inſtat Granado contrà communem ſententiam ſic: ſi homo ſine ſpeciali auxilio gratiæ vinceret omnia venialia, eo ipſo non eſſet homo, ſed aliquid pluſquam homo; atqui phyſicè poteſt vitare omnia venialia, ſine ſpeciali gratia, etiam ſi non poſsit moralitèr: ergo & phyſicè poteſt non eſſe homo; homo autem qui non ſit homo, etiam eſt homo chimericus, & impoſsibilis. Ecce in hoc argumento malam conſequentiam, de actu ad poſſe, licet præmiſſæ ſint veræ,& in Concilijs maximè fundatæ.

237 Sed contrà,nam ex regula dialecticorum, ex verò non niſi verum.Maior ergo huius ſyllogiſmi, non erit vera,ſed falſa, cum ex illa id, quod ſequitur ſit apertè falſum. Homo igitur non deſineret eſſe homo, dato,quòd venialia omnia vitaret ſine gratia, cum vitatio eorum non opponatur prædicatis metaphyſicis, aut phyſicis hominis, ſed ſolum opponatur hominis debilitati,atque morali impotentiæ, quàm habet ad vitanda omnia illa. Hæc autem impotentia non eſt ipſum eſſe hominis; ſed eſt denominatio à difficultatibus occurrentibus, & fortè ab ipſa hominis pigritia, quatenùs omnis prudens, viſa tanta difficultate, iudicat quaſi impoſsibile omnia vitare; niſi Deus ſpeciales adhibeat vires contrà tantam debilitatem. Vndè potiùs ſequitur, quòd iuditium prudentum reddatur fallibile, vtpotè non fundatum in aliqua infallibilitate, ex natura proveniente; quàm quod homo non eſſet homo.

238 Meliùs poteſt pro Granado inſtari argumentum noſtrum, admiſsis prædefinitionibus, v.g. de conuerſione Petri ſic: ſi Petrus, poſita prædefinitione conuerſionis abſolutè non conuerteretur, eo ipſo fruſtraret decretum; atqui apud omnes eſt phyſicè potens non conuerti: ergo & phyſicè potens fruſtrare. Conſequentia eſt falſiſsima, licet præmiſſæ ſint veræ. Vndè non valet illatio ab actu ad potentiam phyſicam. Idem ſit argumentum,

tum, negatis prædefinitionibus in ſcientia conditionata: quæ ſcientia, ſi Petrus non conuerteretur abſolutè cum auxilio dato in tali occaſione, redderetur falſa; ſed poteſt apud omnes phyſicè non conuerti abſolutè: ergo & ſcientia illa à Petro phyſicè ſumpto poterit reddi falſa. Quis autem erit tam inſipiens, vt concedat Petro poteſtatem phyſicam abſolutam reddendi inutile decretum efficax abſolutum Dei, & falſam ſcientiam Dei? Imò indè ſequitur, etiam poſſe deſtruere Deum: ergo in Granado, & in nobis idem ſequitur inconueniens.

239 Hæc inſtantia in ſententia Thomiſtarum, magis apertam habet difficultatem, quia Deus abſolutè decreuit dare Petro prædeterminationem, v.g. ad amorem, & auxilium ſufficiens ad odium. In primo ſigno datum decretum efficax de amore. In ſecundo prædeterminatio illius, & poteſtas ad odium. In tertio amor, & omiſſio odij. Arguo ſic: ſi homo in tertio ſigno omitteret amorem, fruſtrarentur decretum, & prædeterminatio amoris; atqui in Petro eſt phyſica poteſtas omittendi in tertiò ſigno amorem: ergo & phyſica poteſtas fruſtrandi decretum.

240 Nec ſatisfacies, ſi reſpondeas ad minorem, non dari poteſtatem phyſicam omittendi in tertiò ſigno, in ſenſu compoſito, id eſt componendo omiſſionem amoris, cum decreto, & prædeterminatione amoris; benè verò in ſenſu diuiſo; id eſt, ſi iſta non eſſent poſita; & propterea non datur poteſtas phyſica fruſtrandi. Contra: replicari enim poteſt, quòd indè ſequitur, Petrum numquam liberè amare, nam vt liberè amet requiritur, quòd poſſit amare, vel omittere amorem, dum habet omnia requiſita ad eligendum vtrumlibet; atqui non eſt potens omittere amorem in primò, ſecundo, nec tertiò ſigno, in quibus habet requiſita ad amorem, & ſi non eſt pòtens ad vtrumlibet; in primo enim ſigno obſtat decretum. In ſecundò prædeterminatio. In tertio exiſtentia vtriuſque, & amoris, ac per conſequens, numquam datur poteſtas phyſica omittendi, ex quo decretum eſt poſitum.

241 Item nec antè decretum poteſt liberè omittere amorem, quia tunc non habet requiſita ad amorem qualia apud Thomiſtas eſt decretum: & prædeterminatio amoris: ergo numquam Petrus erit liber: ergo vt aliquando ſit liber, verificari debet, quòd poſitis decretis, & prædeterminatione amoris, detur in Petro poteſtas phyſica omittendi. Hoc autem omittere in eo tunc eſt fruſtratio: ergo dabitur phyſica poteſtas fruſtrandi. Negat Thomiſta conſequentiam. Idem facit Granado. Videtur ergo ſimillima difficultas ſoluenda à multis.

ARTICVLVS III.

RESPONDETVR AD HAS INSTANTIAS, ET Vrgetur argumentum contra Granado.

242 DVO ſunt præſtanda. 1. ſoluere inſtantias. 2. dare diſparitatem inter illas, & noſtrum argumentum. Ad 1. eſt notandum, hominem numquam poſſe fruſtrare decretum Dei, nec ad hoc datur poteſtas phyſica, licet poſſit facere, quòd in Deo non fuerit tale decretum, nec talis ſcientia. Si enim homo, non eſſet pro ſuo libito vſurus auxilio Dei, nec Deus habuiſſet ſcientiam conditionatam de tali vſu, & operatione; nec prædefiniſſet illam. Vndè licet homo habeat ſempèr potentiam phyſicam omittendi amorem, non tamen fruſtrandi decretum, quia fruſtratio decreti eſt metaphyſicè impoſsibilis, & ideò ad illam non datur potentia phyſica. Etenim omiſsio ex ſe non eſt fruſtratio; & valdè diuerſa ſunt omittere, & fruſtrare.

243 Sic apud Theologos in gratia ſanctificante, ſunt valdè diuerſa ſanctificare hominem, & mundare hominem. 1. enim non ſupponit exiſtentiam peccati. 2. verò ſupponit. Vndè iuſtus, qui iuxtà ſententiam probabilem in alio ordine rerum poterat de condigno mereri alteri homini gratiam ſanctificantem, poſſet quidem reſpectu hominis in pura natura, ſiuè non habentis peccatum. Secùs reſpectu hominis habentis peccatum, quia reſpectu primi, gratia ſolum eſſet ſanctificatio, reſpectu autem ſecundi eſſet ſimùl ſanctificatio, & mundatio, quòd eſt multò plus. Sic in ſcindente corpus humanum, valdè diuerſum eſt ſcindere illud, & interficere illud, nam interficere, eſt auferre vitam, ſupponendo illam in illo corpore, quàm ſcindere non ſupponit. Similitèr ergo ſunt valdè diuerſa omittere amorem, & per omiſsionem fruſtrare decretum, quia iſta ſecunda denominatio ſupponit exiſtentiam decreti, & facit ſenſum compoſitum, ſiuè ſimultatem omiſsionis amoris cum præſuppoſitione decreti amoris.

244 Reſpondeo ergo ad argumentum diſtinguendo maiorem: ſi Petrus abſolutè non amaret Deum, fruſtraret decretum per ſolam omiſsionem entitatiuè, & ſecundum ſe ſumptam, nego maiorem; quia ſicut ſcindere præcisè, non eſt interficere; ita omittere amorem præcisè non eſt fruſtrare. Erit autem fruſtrare, ſi ſuppoſito iam decreto omittat, facta tali ſuppoſitione, quæ contingens eſt ipſi omiſsioni. Et in hoc ſenſu, concedo maiorem; diſtinguo etiam minorem: Petrus habet potentiam phyſicam ad omiſsionem, quantum ad eſſe ipſius omiſsionis ſecundum ſe, concedo minorem; quantum ad ipſam, vt ſubeſt decreto, ſiuè prout in ſuppoſitione decreti, nego minorem; quia ſum ita ſub hac ſuppoſitione, & in hoc complexo, eſſet formaliſsimè fruſtratio, ad quam nulla datur phyſica poteſtas.

245 Non ergo datur potentia ſimultatis phyſica, id eſt, vt coniungantur ſimùl exiſtentia decreti amoris, & omiſsio; quia in hac coniunctione conſiſtit fruſtratio. Datur tamen ſimultas potentiæ phyſicæ, quia per poſitionem decreti Petrus non perdidit poteſtatem phyſicam omittendi; ſicut dum Petrus amat, amor non deſtruit in illo poteſtatem phyſicam ad odium. Benè verum eſt, quod poſito decreto amoris, poteſtas ad omiſsionem in exercitio ponendam; extrinſecè, & conſequentèr; atque ex ſuppoſitione decreti, quaſi impeditur; ſicut & poteſtas exercendi odium, quaſi impeditur per poſitionem amoris. Sed iſtud impedimentum, cum ſit conſequens, nihil præiudicat libertati. Conſequentia ergo illius argumenti eſt falſa, quia fit tranſitus de omiſsione amoris, ſumpta ex ſuppoſitione, ſiuè in ſenſu compoſito decreti, ad omiſsionem ſumptam ſecundum ſe.

246 Sed dices: ergo ex ſuppoſitione decreti non datur potentia phyſica in Petro ad omiſsionem conuerſionis. Diſtinguo conſequens: ad omiſsionem vt eſt fruſtratio, ſiuè ad componendam ſimùl entitatem omiſsionis cum circunſtantia fruſtrationis, concedo: Ad omiſsionem ſecundum ſe, & diuidendo illam à fruſtratione; id eſt faciendo, quod non eſſet fruſtratio, nego. Poteſtas enim in actu 1. manet in Petro, non quidem ad omittendam conuerſionem decretam; ſed poteſtas in actu primò ad omittendum, impediendo, ſi voluiſſet, ne decretum tale fuiſſet in Deo. Vndè ſi omiſsio conuerſionis poneretur in rerum natura, prædefinitione conuerſionis iam poſita, talis omiſsio eſſet fruſtratio, vt contendit argumentum. Si verò poneretur omiſsio, prædefinitione non poſita, ſed potiùs à Petro impedita (impediretur autem ſi pro libitò fuiſſet omiſſurus) non eſſet fruſtratio. Et ad hoc manet poteſtas in Petro. Deus autem non habet poteſtatem faciendi (iuxtà dicta à Patre Granado) quòd poneretur omiſsio Incarnationis, quin talis omiſsio, eſſet deſtructio Dei.

247 Dices ſecundò: poſita prædefinitione, eo ipſo omiſsio veſtitur circunſtantia fruſtrationis: ergo non eſt poteſtas phyſica in Petro ad omiſsionem. Diſtinguo antecedens: eſſet fruſtratio ab intrinſeco ſui, de quo intrinſeco erat in Petro poteſtas, nego; quia nec id habet à ſe omiſsio, nec à ſuis principijs; ex aliqua ſuppoſitione extrinſeca, & contingenti, concedo antecedens, & nego

nego conſequentiam; quia poteſtas ad omiſsionem, quantum eſt ex parte libertatis, manet in actu 1. eadem, & immutata. Sicut nec per ſcientiã viſionis de conuerſione mutatur libertas Petri ad non ponendam conuerſionem, etiam ſi Deus illam viderit.

248 Declaro reſponſionem. Ad omiſsionem ſecundum intrinſecum eius, ſempèr manet poteſtas phyſica, imò & moralis antecedens, licet ex ſuppoſitione decreti reſultet impotentia conſequens, quæ tamen non impedit libertatem, cum ſit conſequens, & cum impedimentum illud ſit extrinſecum, non immutat modum intrinſecum operandi ipſius libertatis. Vt enim dicitur in materia de Prouidentia, nec decretum, nec ſcientia cõditionata conuerſionis ſunt principia ipſius, nec requiſita, ſed potiùs aliquid conſequens conuerſionem ipſam, quatenùs ſi Petrus omiſſurus fuiſſet conuerſionem pro libitò, nec Deus conuerſionem ſciuiſſet, nec prædefiniſſet, & ſic ſunt quid conſequens. Differunt autem à prædeterminatione Thomiſtæ. Tùm, quia hæc eſt antecedens conuerſionem. Tùm, quia licet non eſſet antecedens, cum intrinſecè recipiatur in voluntate, illamque rapiat, immutat intrinſecè modum operandi libertatis, & non manet poteſtas phyſica omittendi, tàm expedita, ac antea erat.

ARTICVLVS IV.

DATVR DISPARITAS.

249 HInc conſtat ſecundum, quod propoſuimus, nempè diſparitas inter noſtrum argumentum, & inſtantias propoſitas. Argumentum enim de prædefinitione, & eius maior propoſitio, fundatur in ſuppoſitione decreti. In minori verò ſermo eſt de omiſſione abſolutè, & non ſub tali ſuppoſitione, & ſic non valet conſequentia, quia fit tranſitus. At argumentum noſtrum totalitèr procedit abſolutè, & ſine tranſitu. Omiſſio enim Incarnationis ſecundum ſe, eſt deſtructio Dei apud Granado; atqui Deus abſolute habet poteſtatem phyſicam, & libertatem phyſicam ad omiſsionem ſecundum ſe: ergo & ad deſtructionem Dei.

250 Ex quo ſequitur Deum, nec phyſicè fore liberum, ſi modò dicto à Granado, moraliter eſſet neceſsitatus, nàm non habet abſolutè potentiam phyſicam ad omiſſionem optimi, niſi habeat illam ad deſtructionem Dei. Iam ergo patet diſparitas. Neceſsitas enim peccandi venialitèr ſine gratia ſpeciali, & neceſsitas ponendi conuerſionem prædefinitam, vel præuiſam a Deo, eſt neceſſitas conſequens pendens à libertate ipſa Petri, qui cũ pro libitò eſſet conuerſionem electurus, *aperuit ianuam, vt Deus poſt conditionatè præuiſam poſſet prædefinire.* At neceſsitas Incarnationis, & impotentia illam omittendi à Granado poſita, eſt quid antecedens, quod ſtatim probo. Thomiſta autem etiam reſpondet, impotentiam reſultantem ex prædeterminatione eſſe conſequentem; ſed ipſe viderit.

251 Probatur ergo primò contra Granado, quia neceſsitas volendi ſibi optimum in Deo, procedit ex neceſsitate ſe ſummè amandi, qui amor quantò eſt maior, tantò magis vrget, & neceſsitat; atqui neceſsitas amoris ſummi erga ſe, eſt in Deo metaphyſicè neceſſaria, & omninò antecedens omne libertatis Dei exercitium. ergo neceſsitas optimi prouenit ex aliqua ſuppoſitione neceſſaria, & indefectibili, & ineuitabili ab ipſo Deo: ergo eſt neceſsitas omninò antecedens.

252 Secundò: neceſsitas eligendi Incarnationem exercendo illam eſt tanta, quãta neceſsitas eſſendi Deus, itavt ſi omitteret Incarnationem, deficeret exiſtentia Dei; ſed neceſsitas eſſendi Deus eſt tanta, vt nec antecedentèr, nec conſequentèr, nec per vllam potentiam excogitabilem, ſieri poſſit, vt non exiſtat Deus: ergo & neceſsitas ponendi Incarnationem eſt tanta, vt per nullam potentiam antecedentem, vel conſequentem ſequi poſsit, vt Incarnatio non ponatur.

253 Confirmatur: potentia phyſica omitendi Incarnationem, prout præcedens decretum Incarnationis, vel poteſt phyſicè impedire decretum, vel nòn? Si nòn: ergo talis potentia phyſica non eſt vera poteſtas, ſiquidem repugnat illi exercitium ad quod eſt poteſtas, ſed erit figmentum, nec per illam Deus eſſet phyſicè liber. Si poteſt phyſicè impedire: ergo vel impeditio Incarnationis non eſt deſtructio Dei, vel ſi eſt deſtructio Dei, non dabitur phyſica poteſtas in Deo ad omiſsionem, quia ad id, quo poſito neceſſariò ſequitur deſtructio Dei, nulla eſt in Deo phyſica poteſtas.

254 Ex ijs conſtat, quomodo hæc impotentia poſita à Granado, eſt impotentia antecedens, tollenſque libertatem. Impotentiæ verò, de quibus eſt ſermo in inſtantijs adductis, ſunt impotentiæ conſequentes, non lædentes libertatem. Impotentia enim conſequens tunc datur, quando impotentia ad vnum prouenit, vel præſupponit in voluntate aliquid exercitij in actu ſecundo, vel de linea ipſius, incompatibile cum oppoſito, ex quo reſultat impotentia; ſicut ex poſitione amoris reſultat impotentia ad odium ſimul ponendum. Impotentia autem omittendi Incarnationem, non prouenit apud Granado ex aliquo libero exercitio Dei incompatibili cum omiſſione Incarnationis, ſed potius prouenit ex amore omninò neceſſariò, & præcedenti omne liberum, quo amore Deus ſe neceſſariò amat.

255 At impotentia ad vitanda omnia venialia ſine gratia ſpeciali prouenit in homine ex aliquo libero, nempè ex nimio amore proprio. Hoc enim amor nimis diligit ſuam carnem, & indulget illi per bona delectabilia, per quietem, & pigritiam. Et ex hoc naſcitur, tanquam quid conſequens ſumma, & inſuperabilis difficultas negandi ſuæ carni ſemper omne bonum delectabile illicitum, & verſandi in perpetua pugna contra tale bonum ab appetitu ſenſitiuo ardentèr deſideratum.

256 Impotentia autem omittendi conuerſionem, quando eſt a Deo præuiſa, & prædefinita, etiam prouenit mediatè ab aliqua præſuppoſitione libera in actu ſecundo, ſcilicet ab ipſa conuerſione liberè elicita à Petro in ſtatu conditionato, relinquente omiſsionem ipſius. Etenim Deus non alitèr prædefiniuit conuerſionem, niſi ex tali ſuppoſitione conuerſionis. Imò, & Thomiſtæ, vt defendant impotentiam omittendi conuerſionem phyſicè prædeterminatam eſſe liberam, ponunt eſſe impotentiam conſequentem. Quod ſi hæc impotentia omitendi verè prouenit à prædeterminatione conuerſionis; prædeterminatio tamen non ſe tenet ex parte actus primi, ſed ex parte actus ſecundi, non per modum principij ad conuerſionem, ſed per modum applicantis principia. Applicatio autem, dicunt ipſi, eſt de linea exercitij, & actus ſecundi. Vndè impotentia proueniens ab illa, erit impotentia conſequens. Iſta ſufficiant pro diſparitate.

ARTICVLVS V.

ARGVMENTA PRO GRANADO AB AVthoritate.

257 PRO eorum ſolutione nota 1. Aliud eſſe, quòd Deus ſempèr faciat meliora, aliud, quòd faciat illa ex neceſsitate aliqua. Nota 2. Valdè diuerſum eſſe, quòd Deus ſit neceſsitatus ad opera externâ optimâ; aliud, quòd ſit neceſsitatus ad decretâ optimâ, ſiue electiones internas liberas optimas. Hoc 2. eſt valdè conforme Sanctis Patribus, & rationi. Secùs 1. vt probatum eſt. Quilibet enim actus internus Dei, licet non debeat neceſſariò eſſe de tali obiecto meliori externo præ alio, tamen de quocumque ſit, debet eſſe tam perfectus, & phyſicè, & moralitèr, quòd nec ex parte motiui, nec ex parte ſcientiæ, & prudentiæ, per quã dirigitur, nequeat melior excogitari.

258 Nota 3. Dum ad aliqua facienda admittitur à Theologis neceſsitas in Deo, adhuc eſſe valdè diuerſa, neceſsitatum eſſe abſolutè, vel neceſsitatum ex ſuppoſi-

poſitione aliqua Deo ipſi valdè libera, & facilè euitabili. Patet, quia Deus cum creaturis non egeat, & abſque illis ſit æquè ſanctus & beatus, & fœlix, ſibique ſufficiens, vt verè erat ante creationem mundi, nullam habuit abſolutam neceſsitatem, adhuc moralem producendi eas, ac per conſequens, nec talem, quòd deſineret eſſe Deus. Ex ſuppoſitione tamen bene potuit neceſsitari, ac per conſequens conſequenter. Si enim decreuit dare Petro gloriam vt coronam liberè per decretum præcedens merita, neceſsitatus manebat ad aliud decretum dandi illi auxilia, per quæ faceret merita ad talem coronam. His poſitis:

259 Objicitur primò: Concilium Francofordienſe, & multi Patres apud Ruiz in materia de Voluntate docentes, credendum eſſe à nobis, quòd Deus voluit, & fecit omnia, quæ meliora ſunt. Præcipuè Auguſtin. lib. 3. de Libero Arbitrio, cap. 5. dicens: *quidquid tibi vera ratione meliùs occurrerit, hoc credas feciſſe Deum*, quod autem hoc ſit ex neceſsitate, multi Patres docent apud Ruiz. Pro omnibus ſit Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum dicens: *Deus cum ſit bonus, ſi ceſſaret vnquam benè facere, Deus quoque eſſe ceſſabit.*

260 Reſpondetur tamen, Patres intelligendos de effectione meliorum, ſed abſque neceſsitate abſoluta. Patet ex Auguſtino, lib. de Agone Chriſtiano cap. 11. dicente: *Stultos eſſe qui putant, non potuiſſe Deum hominem liberare aliter, niſi aſſumendo carnem.* Vndè, ſi Patres alij oppoſitum (quod non credo) intenderent, nobis Auguſtinus ſufficit. Ad Clementem, & alios reſpondeo primò cum Patre Martinon, diſp. 13. in 1. p. nu. 45. locutos per exagerationem, vt quando negantes contra hæreticos, Deum comprehendi à beatis, inſinuant per exagerationem, à beatis nec videri, vt patet in Chryſoſtomo.

261 Quod autem exageratio ſit, patet. Si enim Deus ceſſando à benefacere, deſineret eſſe Deus: ergo per totam æternitatem à parte ante, dum mundum non creauit, non erat Deus. Vel dic, Patres dicere non fore Deum; loquendo tamen quoad nos, & non quoad ſe, quia nos non haberemus vnde cognoſceremus Deum, eiuſq; Prouidentiam. Vel ſaltim non haberemus vnde ita certò, ſiquidem nos cum actus internos Dei non videamus, eius ſummam bonitatem, per operâ externâ optimâ noſcere debemus. Vnde qui iam exiſtimantes mundum abſque prouidentia gubernari, & eius opera eſſe valdè mala, negarunt in Deo prouidentiam, & alij negarunt propterea exiſtentiam Dei. Si ergo Deus mundum non gubernat optimè, ſed abſque prouidentia, in noſtris oculis quoad nos, non eſſet Deus.

262 Reſpondetur ſecundò: Patres loqui de neceſsitate ex ſuppoſitione alicuius decreti diuini. Tunc autem, ſi non operaretur iuxta illud, deſineret eſſe Deus. Si enim decreuit facere, & conſeruare mundum, neceſſariò debuit creaturis benefacere, & de ſimpliciter requiſitis ad conſeruationem prouidere. Dum ergo neceſsitatem exagerant Patres faciendi, quòd melius eſt, intelliguntur de medijs optimis, & proportionatis ad finem à ſeipſo liberè intentum. Sic ſuppoſita intentione efficaci non liberandi hominem gratis, ſed per condignam ſatisfactionem, neceſsitatus fuit conſequentèr ad ponendam Incarnationem, itavt ſi non poneret, non eſſet Deus, quia fruſtraret decretum præcedens. Inſuper, dum loquuntur de medijs melioribus, non ſunt intelligendi de melioribus eum toto rigore metaphyſico, ſed de melioribus moralitèr, ideſt, quę ſint de claſsi meliorum.

263 Replicabis: Theologi communitèr probant, Deum feciſſe hoc vel illud, quia hoc eſt meliùs, & decentius, & quia natura ſempèr facit, quòd meliùs eſt. Si autem hoc non eſt neceſſarium, ſed liberum, nullum eſt argumentum. Confirmatur, quia ex hoc argumento diſcurrunt Incarnationis circunſtantias, quarè nempè non fuit incarnatus in initio mundi, vel fine. Quarè etiam de Virgine, & deſponſata natus eſt, quarè Virginem ab originali præſeruauit. Et multa alia apud Ruiz, quæ ſolum ex melioritate vim habent. Reſpondetur hæc, & ſimilia valere ex ſuppoſitione, & non abſolutè. Ex eo enim, quòd liberè voluit facere Incarnationis opus, tam ſummè eximium, rationabilius eſt, quod eligat optimum in concernentibus ad illud. Non verò obligabatur abſolutè, nec ex vno opere neceſsitatur ad aliud, quando iſtud non concernit ſpecialitèr ad illud.

264 Reſpondetur ſecundò: argumenti vim loqui de melioribus, prout meliora ſunt ad finem intentum, ideſt vtiliora, quamvis ſecundum ſe non ſint optimum. Quod ſi iterum inſtes, quodlibet opus poſſe dici in hoc ſenſu optimum, etiam vile tugurium, quòd eſt contrà magnificentiam operum Dei in Scriptura tàm celebratam. Confirmatur: ſi Deus produxiſſet mundum imperfectiſsimum plenum hominibus fatuis, cæcis, & claudis, & multas aliàs imperfectiones habentibus, nemo diceret feciſſe meliora, quamvis forent vtiliora reſpectu finis.

265 Reſpondetur negando non fuiſſe meliora reſpectiuè (licet non abſolutè, & in ſe) & prout oportet ad Prouidentiam. De facto autem meliùs fuit tugurium Betlehemiticum, quàm palatium Regium ad manifeſtandum amorem paupertatis in Deo nato. Inſuper mundus ille, licet non eſſet optimus mundus, eſſet optimum medium ad manifeſtandum dominium Dei, & quomodò Deus poſſet homini negare id, ad quod ipſe præſumebat ius habere.

ARTICVLVS VI.

ARGVMENTA A RATIONE.

266 OBijcies ſecundò: neceſsitas moralis datur multiplex, quin lædat libertatem: ergo nec in Deo lædet. Antecedens patet, quia datur neceſsitas peccandi venialitèr ſine ſpeciali gratia, & tamen liberè. Item ſi quis Regi cordato diceret: *dona mihi Regnum tuum, & omnia bona tua, & te exiſtentem in peccato mortali, & abſque confeſsione, ſtatim interficiam*, moralitèr eſt impoſsibile, quod Rex prudens conſentiat tam fatuę propoſitioni, & tamè liberè non conſentit, quia liberum erat ei conſentire, vt placeret petenti.

267 Confirmatur, quia hoc ipſum poteſt dari in Deo, in quò, vt multis probat Ruiz, datur infallibilitas omnimoda actionum, vt v.g. quòd creatis hominibus, infallibile, & moralitèr neceſſarium eſt, quòd iuſtos non damnabit, nec iniuſtos beatificabit: ergo inuenitur in Deo moralis neceſsitas circa aliqua, & poteſt circa omnia, cum non ſit maior ratio. Sed reſp. admittendas eſſe neceſsitates morales ſine læſione libertatis, quando ſunt neceſsitates conſequētes, vt in argumento. Supponunt enim amorem proprium, de quo ſuprà, ſecùs quando ſunt neceſsitates antecedentes, vt eſt illa quàm Granado ponit, vt explicuimus art. 4.

268 Ad confirmat. reſp. 1. Non eſſe idem infallibilitatem, & neceſsitatem. Tùm, quia D. Petrus, poſito auxilio efficaci, infallibilitèr conuertitur, & Iudas non conuertitur, poſito auxilio, & hoc abſque vlla neceſsitate morali. Tùm, quia ad infallibilitatem ſufficit certitudo effectus ex quocumque capite; at ad neceſsitatem ad vnum requiritur impotentia ad oppoſitum, orta ex nimia, & inſuperabili difficultate, proueniente ſaltim ex determinatione voluntatis ad alterum. Reſpondetur 2. dato, quòd infallibilitates ſint neceſsitates, in Deo eſſe conſequentes, & ex ſuppoſitione alicuius decreti. Etenim loquendo abſolutè poſſet Deus pro dominio ſuo exercere iuſtos per æterna tormenta in alio ordine rerum, & peccatores ſaluare.

269 Objicies 3. Deus volens minùs bonum, eſſet volitor minùs prudens, regulatus, decens, & honeſtus; atqui hoc ipſo deſineret eſſe Deus, non habendo omnem honeſtatem excogitabilem: ergo omittendo Incarnationem deſineret eſſe Deus. Maior conſtat, nam volitor bo-

Digitized by Google

neſtus eſt denominatio formalis ab actu honeſto, & ſi volitio eſt minùs honeſta ab obiecto minùs honeſto, erit volitor ipſe minùs honeſtè volens, ac per conſequens moralitèr minùs bonus. Confirmatur: Deus ita debet à nobis concipi, vt nihil meliùs excogitabile ſit. Illud enim meliùs eſſet verus Deus, & non iſte minùs bonus; atqui in illo caſu, volens diuinum de obiecto minùs honeſto non eſſet tàm honeſtus volitor, vt non poſsit dari alius volitor magis honeſtus, nempè volitor melioris obiecti, v.g. Incarnationis.

270 Hoc argumentum probare videtur, impoſsibilem eſſe Deo phyſicè volitionem minoris boni, ſicut eſt impoſsibile, quòd detur melior Deus. Pater Martinon in 1. part. diſp. 15. ſoluit argumentum aſſerendo, Deum neceſſario amare, & velle, quòd amor ipſius neceſſarius ſit ſummè honeſtus, ſecùs amor liber, quia ſaltim in rebus, in quibus datur proceſſus in infinitum, dato amore vnius indiuidui, dabilis eſt melior amor alteriùs indiuidui melioris, vt admittit Granado. Nec ſequitur indè, Deum volentem meliùs fore meliorem ſeipſo volente minùs, quia cum in amore neceſſariò imbibito in amore libero, contineat eminentèr omnem honeſtatem omnis liberi amoris, Deus non eſt capax, vt melioretur in ratione volitoris, adhuc liberi.

271 Reſpondetur ergo, in Deo volitorem minoris boni eſſe æquè perfectum, ac volitorem maioris. Ratio eſt, quia perfectio in Deo ſumenda eſt à principio, & ab obiecto. Ex parte principij ſumitur à Deitate ſecum identificata, & ex hoc capite perfectio eſt ſumma excogitabilis; quid enim ampliùs poteſt res eſſe, ſi Deus eſt? Ex parte obiecti ſumitur à motiuo, vt ſpecificatiuo primario, nempè ſumma Dei bonitate, communi quidem motiuo omni amori libero Dei, quia vniuerſa proptèr ſemetipſum operatus eſt Dominus. Inſuper, quia in quouis amore libero includitur amor neceſſarius (licet determinatione addat aliquid plus) qui omnes amores liberos eminentèr continet.

272 Dices: ergo etiam ſi volitio eſſet ex motiuo creato, poteſt compenſari ab identitate cum Deo. Reſp. 1. conced. conſeq. iuxtà Doctores admittentes in Deo volitiones ex motiuo creato. Reſp. 2. negando conſeq. quia imperfectum ex motiuo non compenſatur, quia imbibit poſitiuam imperfectionem, qualem non imbibit, quòd ex ſe nullam dicit imperfectionem, ſed præciſsionem ab imperfectione ſolùm.

273 Ex his ergo capitibus, tàm bonus, & perfectus volitor eſſet Deus Incarnationem nolens, quàm volens, quia illa nolitio ex principio, ex motiuo, & ex continentia tatè haberet ſummitatẽ, vt non poſſet illam minuere minoritas obiecti. Nec obeſt 1. quod obiectum materiale ſit melius in vno actu, quàm in alio: ergo & volitio, & volitor erit melior. Diſtinguo antecedens: eſt materialitèr, & ſecundum ſe, concedo; provt ſpecificatiuum diuini amoris, nego: quia non ſpecificat, niſi provt ſubeſt motiuo, & alijs iam dictis: quæ, modò quo ſpecificant amorem diuinum, tantam faciunt ſummitatem in illo, vt non ſit excogitabilis alius amor melior: in quo differt ab amoribus noſtris, qui poſſunt eſſe inæquales, etiam ſi habeant idem motiuum, quia non ſpecificantur ab illo, modo ſummo.

274 Nec obeſt 2. Incarnationem, & eius omiſsionem, eo ipſo facere in actibus aliquam diuerſitatem: ergo vt magis, & minus ſpecificant. Reſp. Licet faciant aliquam diuerſitatem ſecundum quid, quaſi phyſicam, ſed non inæqualitatem, quia quilibet amor ſit tam ſummus ex illis capitibus, vt nullus melior ſit excogitabilis cùm fundamento. Manet ergo in Deo libertas ad hæc obiecta, & quidem ſumma. Neceſsitas enim ad optimum potius eſſet imperfectio Dei, quia deſtrueret ſummam ipſius libertatem in actu 1. ſummumque dominium.

275 Obijcies 4. Deus ſummè, & perfectiſsimè ſe neceſſariò diligit; atqui quo magis intensè aliquis diligit alium, tantò magis obligatur, & neceſsitatur ad amandum illi meliora: ergo Deus à ſuo amore neceſsitatur ad amandum ſibi meliora. Minor probatur, quia amare eſt velle bonum alicui: ergo quo maior, & ardentior eſt amor magis adſtringit ad procuranda meliora. Confirmatur, quia homo, quo magis ſeipſum amat, maiori anxietate vult ſibi bona, & meliora bona.

276 Hoc argumentum proponit ſibi Diu. Thomas, & ſoluit, docens, amantem obligari ad procuranda maiorâ bonâ amato, quando talis eſt amatus, vt eis ad fœlicitatem indigeat. Videatur D. Thomas 1. contra Gentes cap. 82. Deus autem nullo extrà ſe indiget, ex illo Pſal. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Ad prob. minoris reſp. amare fortè non ſtare in volendo bonum alicui, ſed in ardentèr affici ad illum. Dato antec. diſtinguo conſequens: quando amatus indiget illis rebus ad fœlicitatem, concedo: quandò non indiget, nego. Ex quo patet ad confirmationem. Homo enim ex ſe eſt miſer, multiſq; indiget ad ſuam fœlicitatem, & ideò amor adſtringit ad illa ſibi procuranda.

277 Replicabis: homo iuſtus, quo ardentius Deum amat, maiori anxietate procurat obſequia magis placentia, v.g. maiorem cultum Dei, conuerſionem animarum, &c. Atqui non obligatur ad hoc; nec ab indigentia, quã Deus habeat eorum ad fœlicitatem; ſed à ſuo amore, ergo iſte quo maior, eo magis neceſsitat. Reſpondetur concedendo maiorem, ſed non de illis obſequijs, quæ in ſe meliora ſunt, ſed de illis, quæ ſunt diuinæ volũtati conformiora. Patet, quia melius eſt in ſe exercitium religionis, quam iuſtitiæ punitiuæ, & tamen homo iudex debet illud omitere propter iſtud; quia iſtud conformius eſt diuinæ voluntati, ita volenti de Iudice.

278 Ratio autem eſt, quia perfectio moralis iuſti, habet pro regula conformitatem per obedientiam, & ſubiectionem ad voluntatem Dei, de ipſo. Et nihil mirum, ſi ex deſiderio ardenti perfectionis, & placendi Deo moueatur ad talia obſequia magis placentia; at ſummitas perfectionis moralis ipſius Dei, non ſumitur à conformitate ſecum, tanquam à menſura, ſed vltimatè à motiuo, obiecto primario, & identitate ipſa cum Deitate, vt diximus in ſolutione ad tertium. Neque quia illa obſequia iuſti magis placentia ſunt Deo in illo, ideò erunt meliora in ſe ex parte rei volitæ, vt dictum eſt: melior enim eſt Miſſa in Sacerdote, quã laborare in Artifice, & tamen hoc eſt, quòd in Artifice magis Deo placet. Nec propterea, licet iuſtus habeat illam anxietatem magis placendi Deo, datur in ipſo moralis neceſsitas faciendi ſemper, quòd magis Deo placet. Vndè, nec à paritate, nec à ratione probant in Deo neceſsitatem optimi.

ARTICVLVS VII.

ALIA ARGVMENTA.

279 OBijcies 5. Voluntas Dei tenetur intellectui conformari. Patet, quia honeſtas ſtat in conformando opera cum ratione; inhoneſtas autem in difformando; atqui intellectus Dei neceſſariò approbat vt melius, quòd in ſe eſt melius, & vt minus, quòd eſt minus: ergo voluntas tenebitur conformari cum meliori, & erit minus bona volitio, ſi conformatur cum minori: Deuſque volitor minus bonus. Confirmatur, quia maior liberalitas eſt dare melius, quã minus, & vt maior proponitur ab intellectu: ergo voluntas Dei, quæ eſt ſummè propenſa ad liberalitatem, non poterit non conformari intellectui, & dare melius.

280 Diſtinguo maiorem: debet conformari voluntas cum intellectu dictante, rem eſſe bonam concedo eſſe meliorem, ſubdiſtinguo meliorem ſpeculatiuè & ex parte rei volitæ, nego: quia ſufficit eſſe bonam; practicè & ex parte motiui, & aliorum, cócedo maior. min. & diſtinguo conſequens: voluntas tenebitur eligere melius ex parte rei volitæ, nego: ex parte motiui, concedo. Etenim in Deo tam bonum eſt eligere carentiam Incarnationis, quàm Incarnationẽ, quia perfectio electionis, vt dictum

eſt,

eſt, non ſtat in eligere bonum, vel melius, ſed in eo quod eligat ſummè bene; hoc autem præſtat per quamcumque electionem, vt dictum eſt.

281 Ad confirmationem reſpondetur, fortè dare melius eſſe maiorem liberalitatem, ſed non meliorem ex parte Dei; liberalitas enim maior ſumitur penes rem datam, quia eſt volitio dandi propter dare, & ſi hoc creſcit, creſcit illa. Propterea que ab intellectu iudicabitur vt maior, ſed non vt melior. In ſummis enim ſummiſsimis, non datur melior, nec in Deo intellectus eſt melior voluntate, quia licet linea illius in ſuo genere ſit melior, quam linea illius, tamen ab identitate voluntatis cum Deitate, ita eleuatur, & ponitur in ſummo, vt auferatur minoritas generica, & ponatur in ſummitate ſummiſsimi. Hinc licet Deus ſit ſummè propenſus ad dandum, ſed nullatenus neceſsitatus, quia omnis inclinatio Dei ad extrà eſt ſuauiſsimè, & ſine vlla violentia ſubordinata voluntati, eiuſque dominio, & liberalitati, quæ cum ad ſuam fœlicitatem nullo indigeat eliget pro libitò.

282 Objicies 6. Voluntas Dei maiori complacentia amat, quòd melius eſt, nempè Incarnationem; atqui in omni voluntate datur maior inclinatio faciendi, quòd magis placet: ergo & in voluntate Dei ad Incarnationem faciendam; atqui nequit Deus reſiſtere huic inclinationi. Tùm, quia valdè rationabilis. Tùm, quia non datur motiuum reſiſtendi. Tùm, quia reſiſtentia eſſet coactio. Sed reſp. aliam eſſe inclinationem per modum complacentiæ; hæc enim eſt ſolum ſpeculatiua, & approbatiua boni poſsibilis; & aliam inclinationem faciendi; & hæc eſt duplex, innata, & elicita. Illa ſubditur omninò voluntati. Iſta etiam. Sed ſolum ſequitur neceſſariò ex complacentia, quando res eſt requiſita ad propriam fœlicitatem.

283 Conceſſa maiori de complacentia, diſtinguo minorem de inclinatione faciendi: quando res requiritur ad fœlicitatem, concedo ſequi neceſſariò, vel quaſi; quando non requiritur, nego. Non eligere igitur talem rem, non eſt reſiſtere in rigore inclinationi, neque eſt coactio, quia non eſt contra inclinationem innatam, quia hæc ſubditur ſuauiſsimè, & omninò arbitrio voluntatis; nec contrà elicitam, quæ non datur. Omiſsio ergo eligendi Incarnationem, eſt pura nolitio pro libito; & quia non eſt neceſſaria Deo, nec rapit eius voluntatem, vt faciat. Ad nolendum autem ſic, hoc eſt ſufficiens motiuum.

284 7. Si Deus non operaretur ſemper meliora, non eſſet perfectiſsimus artifex. Iſte enim tenetur operari, quantum melius poſsit. Reſp. negando 1. & diſtinguendo 2. quantum melius poſsit ex parte rei factæ, nego; ex parte modi faciendi, concedo. 1. patet. Tùm, quia alitèr Deus, ferè nunquam eſſet Artifex ſapientiſsimus, ſiquidem ex parte rei factæ, loquendo regulariter, ſempèr poſſet melius, & melius. Tùm, quia vt Pictor ſit ſapientiſsimus, non debet ſemper pingere Imagines Chriſti, ſed in imagine alicuius animalis poteſt ſe perfectiſsimum oſtendere.

285 2. Etiam patet, quia Deus ex parte artis, directionis, & prudentiæ ſuæ, ac etiam ex parte obiecti ſpecificatiui, ſiuè motiui, ſemper operatur ſummè benè, itavt faciendo cœlos, & faciendo arenas, licet operetur inæqualia bona, ſed non inæqualitèr bene, ſed quodlibet ſummè benè, quia ſumma arte, & quia ſumma honeſtate. Addo ex Diu. Thoma, Artificem, potius in arte, quàm in opere facto ſibi complacere. Deus ergo ex parte artis in quolibet opere ſummè ſibi placet ipſe.

286 Objicies tandem: Deus etiam ſi ſit ſummè fœlix, cum ſe neceſſariò infinitè diligat, debet ſibi ipſi velle maiorem gloriam, & manifeſtationem attributorum, atque ſummam laudabilitatem à nobis; atqui hæc omnia reſultant ex melioribus operibus, etiam ad fœlicitatem non requiſitis: ergo eſt neceſsitatus ad meliora. Confirmatur 1. quia licet gloria ab operibus ſit Deo extrinſeca, tamen facit Deum extenſiuè meliorem. Patet, quia Incarnatio fuit Deo conuenientiſsima, ac per conſequens bona Illi, & bona inclinationi ſe communicandi, & diffundendi: ergo facit Deum meliorem. Confirmatur 2. quia facit Deum laudabiliorem: ergo & meliorem.

287 Reſp. negando maiorem. Potuit enim Deus ſibi velle talem gloriam, ſed falſum eſt, quòd debuit, ſiquidem ſine illa erat ab æterno ſe diligens æqualitèr, & æqualitèr fœlix. Si autem aliquo modo debuit, id ſolum eſt ex ſuppoſitione decreti alicuius. Ad 1. confirmationem, nego antecedens. Deus enim per nihil ad extra poteſt meliorari adhuc extenſiuè, aliàs Chriſtus eſſet melior Patre. Non enim Deus fecit bona creata, vt melioraret ſe, ſed vt melioraret nos. Ad prob. reſp. Incarnationem fuiſſe Deo bonam, reſpectiuè extrinſecè, & Deum habendo illam habere nouum bonum, & nouum ſibi conueniens, ſuæque inclinationi; non tamen bonum augens bonitatem eius, quia eſt incapax augmenti, nec bonum meliorans ipſum Deum, ſed tota eius bonitas, & conuenientia ſtabat in meliorando nos, & non ipſum.

288 Inclinatio ergo illa Dei, de qua diximus diſputantes de conuenientia Incarnationis, non erat inclinatio ad Incarnationem bonam, vt per illam Deus melioraret ſe, ſed vt per illam melioraret nos, ſicut Sol producendo metalla, non meliorat ſe, ſed iſpa. Ad 2. confirmationem reſpódetur, opera facere Deum laudabiliorem à nobis, non tamen meliorem. Hæc enim laus reſultans, non eſt magnificatiua, quaſi fundetur in eo, quòd Deus fuerit melioratus in ſe, ſed eſt laus gratificatiua, & gratias agens, fundata in eo, quòd Deus factus fuerit maior Benefactor noſtri, ac per conſequens in eo, quòd nos magis ad laudes ſuas, ſuis beneficijs adſtrinxerit.

QVÆSTIO VI.

DE NECESSITATE EX SVPPOSITIONE.

289 QVadruplex ex ſententia. Prima fuiſſe neceſſariam ex ſuppoſitione mundi creati. Ita Lulius hic. Secunda ex ſuppoſitione peccati originalis. Inclinat Abulenſis ſuper Prologum Matth. xi, quæſt. 27. ſoletque tribui aliquibus Patribus, nempè Anſelmo, & Ricardo de S. Victore, apud Vazquez hic diſp. 1. cap. 2. Tertia eam negat, adhuc ex ſuppoſitione decreti reparandi hominem lapſum, ſed ex ſatisfactionis condignæ. Ita cum D. Thoma communis ſententia.

290 Quarta denique, non ſolum tollit neceſsitatem, poſito hoc decreto reparandi hominem, ſed affirmat, impertinentèr ſe habere Incarnationem ad tale intentum, Chriſtumque non veniſſe, vt homines liberaret, ſed vt perduceret in ſalutem æternam per doctrinam ſuam. Ita Petrus Abaillardus, qui ex hæreticis hunc errorē ſumpſit, & docuit. Videatur Arauxo quæſt. 1. art. 2. dub. 1.

ARTICVLVS I.

EXCLVDVNTVR ALIQVÆ SVPPOSITIONES.

291 ASSERO primò: non fuit Incarnatio neceſſaria ex ſuppoſitione mundi creati. Ita communis ſententia. Probatur. Tùm, quia mundus non habet exigentiam, vel debitum illius, cum ſit ſupernaturaliſsima. Tùm, quia nec petit illam ad ſui conſtitutionem, nam abſque illa conſtitutus manſit per multos annos; nec ad ſui perfectionem; licet enim Deus decreuiſſet creare mundum, & creare perfectum, ſufficiebat ad hoc perfectio connaturalis: & licet daretur decretum de perfectione ſuperna, potuit eſſe de perfectione per gratiam, & gloriam ſine Incarnatione infinitè excedente illam.

292 Objicies: propenſio Dei ad ſuam communicationem eſt innata, & infinita; atqui quantò maior eſt propenſio, tantò eſt minor libertas: ergo non dabatur, niſi diminuta libertas, ad non ſe comunicandum infinitè mundo, ac per conſequens per Incarnationem. Reſp. propenſionem tunc tollere libertatem, quando vel per-

tur-

Digitized by Google

turbat rationem, vel determinat voluntatem. Neutrum eſt in Deo, quia eius propenſio, licet entitatiuè ſit infinita; eſt tamen omninò ſubdita arbitrio Dei, quoad exercitium ſe communicandi, & quoad modum finitum, vel infinitum. Communicauit autem ſe pro libitò mundo per creatam participationem: potens ſi vellet non ſe communicare per phyſicam vnionem; non ergo eſt propenſio abſoluta, nec tantâ, quæ rapiat voluntatem Dei.

293 Dico 2. Non fuit neceſſaria ex ſuppoſitione peccati. Prob. 1. ex Scriptura tribuente Redemptionem ſummæ charitati, & liberalitati Dei. 2. Quia in manu Dei erat non redimere hominem. Patet ex cap. 10. Sapientiæ: *quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti?* Ideſt, ſi maneant ſine redemptione a peccato, vt colligitur ex verbis præcedentibus iſta: *Nec timen, aliquem, veniam dabat peccatis eorum.* Inſuper, quia reliquit Angelos in peccato ſuo: ergo potuiſſet relinquere & homines.

294 Nec enim fuiſſet contrà aliquod attributum Dei non redimere; non contrà Miſericordiam. Tum, quia illi ſatisfactum erat, dando homini tot dona, per quæ ſe à peccato præſeruaret, ſi vellet. Tùm, quia ſicut miſericordia non tenetur omnes eripere à peccato, ita nec aliquem, præcipuè cum homines per peccatum mortale meruerint omnem pœnam poſsibilem, ac per conſequens pœnam carendi Redemptore.

295 Objicies Anſelmum, Athanaſium, & Cyrillum noſtrum Alexandrinum. Primus enim libro *cur Deus homo*, cap. 12. iudicat indecens, hominem relinqui à Deo in peccato. Et lib. 2. cap. 4. ait: *neceſſè eſt ergo, vt Deus de humana natura perficiat, quòd incœpit.* Hoc autem fieri non potuit, niſi per integram ſatisfactionem. Et cap. 6. ait: *neceſſè eſt. vt hanc ſatisfactionem faciat Deus homo.* Idem indicat Cyrillus 8. Theſauri cap. 7. Item Athanaſius 6. de Incarnatione dicit: *indecorum, abſurdum, & indignum, & indecentiſsimum bonitati Dei non reparare hominem lapſum, ſed ſinere eum perire.*

296 Vazquez non excuſſat Anſelmum. Illum autem excuſſarunt Bonaventura, & Alenſis, teſte Arauxo hic, docentes, Anſelmum fuiſſe locutum non ex ſuppoſitione peccati, ſed ex ſuppoſitione condignæ ſatisfactionis decretæ. Satis autem ſe Anſelmus declarauit lib. 2. cap. 2. docens, talem neceſsitatem ex ſuppoſitione eſſe dicendam gratiam Dei, quia Deus, nullo cogente, imò gratis ſuſcepit illam. Hoc autem non eſſet verum, ſi data ſuppoſitione lapſus, maneret neceſsitatus ſimpliciter. Tunc enim non eſſet gratia neceſsitas iſta redimendi, cum haberet originem ab ipſo lapſu inducente illam neceſſariò.

297 Athanaſius Sermone 3. contrà Arianos ante finem ait: *Deum potuiſſe hominem redimere, abſque aduentu Chriſti.* Vndè in loco ſuprà citato, licet intendat reparationem hominis, non tamen determinatè per Incarnationem. Ibi autem in tali loco, etiàm loquitur de neceſſitate reparationis, vel ex ſuppoſitione decreti ſaluandi homines, vel ex ſuppoſitione *ſpecialiſsimi, & ſtrictiſsimi amoris, quo Deus hominem diligebat*, ſaltem oratoriè loquendo indecens videbatur tàm ſtrictiſsimè amare, & in tanta miſeria hominem relinquere. Alij interpretabuntur ly *indecens* minùs decens, ſiuè indecens quoad nos, qui de rebus pro primo aſpectu iudicamus. Et ly *neceſſè*, ſiuè neceſſarium interpratabuntur, non ſcholaſticè, ſed vulgaritèr pro conuenienti. Alij dicent, quòd locuntur, vel exaggeratoriè, vel ex ſuppoſitionibus datis.

298 Argues tandem: Deus non poteſt amplecti obiectum inhoneſtum: ergo nec minùs honeſtum. Nego conſequentiam, præcipuè ſi accedat motiuum ſummum, de quo quæſt. præterita. Diſparitas eſt, quia illud eſt extrà obiectum adæquatum diuinæ voluntatis, contrariaturque bonitati Dei, & Sapientiæ dictanti eſſe fugiendum inhoneſtum; at benè poteſt velle minùs honeſtum, quia etiam eſt honeſtum, ac per conſequens carentiam Incarnationis, ſuppoſito lapſu.

299 Dico 3. Nec fuit neceſſaria poſt decretum reparandi hominem. Prob. quia Auguſtinus ſtultos vocat *dicentes, Deum non potuiſſe alitèr liberare hominem, quàm per Incarnationem.* Tùm, quia potuit gratis cedere iuri ſuo, & condonare offenſam. Tùm, quia potuit eſſe contentus ſatisfactione imperfecta, v.g. obſequio Angeli pro homine, conſtituendo hominum caput. Sic poteſt creditor pro libitò eſſe contentus ſi pro toto debitò ſoluatur vna pars. Tum denique, quia condonato liberalitèr peccato Adamo ipſi, potuit ab eo, vt aliorum capite ſatisfactionem imperfectam acceptare.

300 Objicies 1. Eo ipſo, quòd homo peccauit, fuit debitor pœnæ æternæ: ergo alicui debebat contrà cuius ius erat remiſsio ſine ſatisfactione condigna facta. Reſp. fuiſſe debitum ipſi Deo, Iuſtitiæque eius, quia tamen vt Supremus Dominus potuit remittere cedendo iuri ſuo. Nec eſt contrà Iuſtitiam propriam, quia nemo ſibi ipſi facit iniuſtitiam, ſi poſsit cederet, & cedat iuri ſuo. Nec dicas, fieri iniuſtitiam dæmoni, ſub cuius poteſtate eſt homo poſt peccatum. Etenim dæmon non habet ius in puniendo, ſed miniſterium purum, vt miniſter diuinæ Iuſtitiæ; imò licèt haberet, potuit Deus, vt Supremus Dominus expoliare illum tali Iure.

301 Objicies 2. Non eſt decoroſum perſonæ publicæ remittere propriam offenſam, abſque ſatiſfactione condigna. Tùm, quia ad ipſam attinet attendere ad bonum commune, & caſtigare delicta. Tùm quia Iudex, qui crimina diſsimulat ſine punitione, videtur, quòd placeant ipſi delicta: ergo nec Deus poteſt. Nego conſeq. Diſparitas eſt, quia Iudex tenetur legibus, ſecùs Deus, qui eſt Supremus Dominus attributa ſua reſpicientia creaturas liberè exercens, ſiuè Iuſtitiam, ſiuè Miſericordiam, quia nulli debet exercitium vnius præ alia, ſicut debet Iudex, Reipublicæ ex contractu.

ARTICVLVS II.

IMPVGNATVR 4. SENTENTIA, VBI DE LIBERAtione à ſeruitute dæmonis.

302 DIco 4. Contrà vltimam ſententiam: licet Incarnatio non fuerit ſimplicitèr neceſſaria ad hominem reparandum, eſt tamen ordinata à Deo ad illud, & ad liberationem à peccato, vtpotè valdè conducens. Eſt de fide apud Arauxo citatum. Prob. homo per peccatum erat ſub poteſtate, & ſeruitute dæmonis; atqui Chriſtus venit ſoluere ſeruitutem: ergo & liberare à peccato. Maior eſt definita ab Inocentio II. Contrà Abaillardum, apud D. Bernardum Epiſt. 194. & in Tridentino ſeſsione 5. decreto de peccato originali, & Scripturæ ſæpè id expreſsè clamant.

303 Minor etiam conſtat ex Euangelio Ioannis: in hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli. Item: Princeps huius mundi eijcietur foras. Idem conſtat ex alijs locis. Confirmatur: Redimere eſt eripere aliquem à ſeruitute alicuius, exhibendo pretium; ſed Chriſtus exhibendo pretium ſanguinis eripuit nos à ſeruitute diaboli: ergo verè nos redemit. Vndè Concilia, & Patres, & ſenſus totius Eccleſiæ, confitentur Chriſtum Dominum Redemptorem, & liberatorem à peccato, veniſſeque, vt ſaluum faceret per redemptionem, quòd per peccatum perierat.

304 Objicies 1. Captiuitas tunc eſt verè captiuitas, quando quis eſt ſub poteſtate tyrannica alicuius, ſed hæc poteſtas non fuit ex parte dæmonis; ergo nec captiuitas ex parte hominis: ergo Chriſtus non venit redimere à captiuitate. Minor probatur, quia dæmon ſolum fuit in inferno cuſtos malorum, atque punitor eorum, vt miniſter diuinæ Iuſtitiæ hîc, & ibi; & ſic Anſelmus lib. cur Deus homo, & Bernardus citatus hoc modo explicant ſeruitutem hominis ſub dæmone: ergo iſte ſolum habet

mi-

Digitized by Google

miniſterium Iuſtitiæ erga malos homines, non verò poteſtatem tyrannicam.

305 2. A poſteriori id ipſum probatur: in redemptione illi tribuitur pretium, qui habet captiuos ſub poteſtate ſua tyrannica; ſed pretium redemptionis, nempè ſanguis Chriſti, non fuit tributum dæmoni: ergo quia dæmon non habebat captiuos ſub tyrannica poteſtate. Nec poteſt dici, hominis captiuitatem fuiſſe ſub poteſtate Iuſtitiæ Dei infligentis pœnam per miniſterium dæmonis; ideòque hominem fuiſſe ſtrictè redemptum, etiam à dæmone, dum pretium fuit exhibitum Deo, licet non dæmoni. Sed contrà, quia Deus non habet poteſtatem tyrannicam reſpectu hominis, ſed dominium iuſtiſsimum, & ſupremum; atqui in redemptione offertur pretium habenti captiuos ſub poteſtate tyrannica, nec aliter datur ſtricta redemptio; ſi ergo nec Deo, nec dæmoni competit poteſtas tyrannica, cui detur pretium, non dabitur ſtricta redemptio.

306 Ideò reſpondet Arauxò, ſeruitutem hominis erga dæmonem fuiſſe ſeruitutem proptèr poteſtatem, quã habebat poſt peccatum tentandi homines acritèr, ſuggerando eis materiam, vt peccent, & poſtea puniendo eos, ſicut tyrannus ducit captiuum pro ſuo libitò, quo vult, & ad quod vult, eumque punit. Et licet dæmon non tolleret libertatem, valdè tamen vrgebat ad quod vult. Vndè reſpondet ad primam probationem, Anſelmum, & Bernardum non negare hoc ius, ſed explicare illud à poſteriori, & ab effectu per miniſterium puniendi illa peccata, quæ homo facit ex dæmonis ſuggeſtione, ſequens voluntatem eius, vt ſeruus. Ad ſecundam reſpondet, poteſtatem dæmonis fuiſſe cõmiſſarij delegatam à Deo, & ſic pretium redemptionis debuit tribui Deo vt verò Domino, non verò cõmiſſario.

307 Hoc vltimum difficilè eſt, nam poteſtas tyrannica dæmonis non eſt delegata, ſaltìm adæquatè, quia præcipuè dicit facultatem continuò tentandi ad peccatum. Licet ergo ius puniendi in inferno ſit delegatum, ſecùs poteſtas tentandi. Delegata enim ordinariam in delegante ſupponit. Deus autem non habet poteſtatem ordinariam tyrannicam, nec tentandi. Inſuper ius puniendi præcisè non eſt tyrannicum in dæmone, nam accepit à Deo: ergo in illo in quo eſt delegatus, non eſt propriè tyrannus. Item dæmon in tentando non accepit ius à Deo, ſed nudam permiſsionem: ergo non eſt delegatus in iure tentandi: ergo nec in tyrannica poteſtate. Adhuc ergo manet difficultas propoſita, de eo quod Chriſtus perfectè non redimerit hominem, ſiquidem debebat ſoluere pretium habenti poteſtatem tyrannicam circa illud. Nec tamen factum eſt ſic.

308 Bernal ergo diſp. 10. ſect. 2. alitèr reſpondet, quòd dum dicitur Chriſtum redemiſſe nos à peccatis, locutio eſt partim propria, & partìm impropria. Propria quidem, quatenùs ſignificat, Chriſtum exhibito pretio, nos à peccatis eripuiſſe, ſaltìm quoad ſufficientiam merendo nobis auxilia, quibus poſsimus exire à peccato, & tentationibus dæmonis reſiſtere, quibus dæmon homines vincebat, ſuoſque tyrannicè faciebat, obligando ſeruire illi in peccatis. Impropria autem, quatenùs non ſeruatur conſuetudo dandi pretium tyranno ipſi.

309 Sed meliùs pro conſeruanda Sacræ Scripturæ, & Theologorum communis locutionis proprietate, dicendum eſt, ſtrictam fuiſſe Chriſti redemptionem: hæc enim præcisè, & in rigore ſolum dicit ereptionem à ſeruitute tyranni, emendo liberationem ipſam, ideſt media illa, per quæ captiuus eripiendus eſt à ſeruitute, ſiuè pretium detur ipſi tyranno, ſiuè detur exhibenti media illa, per quæ captiuus liberandus eſt. Vndè dare pretium ipſi tyranno non eſt de ratione redemptionis, licet ita contingat regularitèr.

310 Colligo ex his. Tyrannidem dæmonis formalitèr, & principalitèr ſtare in eo, quòd contrà ius, & rationem per ſuas ſugeſtiones, ita continuò, & acritèr hominem tentaret, vt ferè pro ſuo arbitratu, ad peccatum duceret; quam tentationem homo ferè non poſſet vincere, ob raritatem, & defectum auxiliorum & mediorum, quibus vinceret. vnde taliter fiebat irremiſsibile illud peccatum iam factum, vt nemo poſſet exire ab eo, & ſe à dæmonis eximere commiſſione, & tyrannide, in qua iterum, & iterum tentatus caderet; poſtea tranſlatus in inferno per æternitatem ſubiectus illi. Nec mirum, ſiquidẽ homo contraxit peccando debitum carendi auxilijs, quibus poſſet exire à peccato, & reſiſtere tentationi. Hoc autem debitum ſoluit Chriſtus pro nobis, obtinendo auxilia ſufficientia pro omnibus, & aliqua efficacia pro antiquis, abundantiſsima autem pro nobis, de quo latius art. ſeq.

ARTICVLVS III.

SOLVITVR ALIVD ARGVMENTVM:

311 OBijcies ſecundò contrà vltimam concluſionem: ergo Chriſtus etiam ſi exhibuerit pretium, non eripuit homines à ſubiectione dæmonis. Conſequentia probatur, quia redemptio generalis, quã iuxtà Scripturam redemit omnes homines, non inuenitur in quo conſiſtat. Etenim non ſtat in eo, quòd eripuerit homines iam exiſtentes in inferno, quia ibi nulla eſt redemptio. Similitèr nec Patres à carcere Lymbi, quia iſti cum eſſent in gratia, & extra tentationis ſtatum, licet eſſent ſub cuſtodia dæmonis, vt volunt aliqui, non erant in eius ſeruitute. Nec item ſtat in liberando à peccato, ſiquidem adhuc homines ſæpiſsimè peccant, imò & plures, quàm à peccato exeant, moriuntur in illo: ergo moriuntur ſine redemptione. Nec tandem ſtat in liberatione à tentatione, quia dæmon adhuc quotidie tentat, & quotidie vincit ad peccatum: ergo non inuenitur in quo conſiſtat hęc redemptio generalis hominum à ſeruitute diaboli.

312 De hac difficultate plus infrà, dum de ſatisfactione Chriſti ſit ſermo. Reſpondeo ergo concedendo generalem redemptionem non fuiſſe exercitam per eductionem damnatorum ab inferno, nec PP. à Lymbo, quia hæc fuit ſpecialis redemptio, licet fuerit effectus redemptionis generalis. Stat ergo hæc in liberatione quoad ſufficientiam à peccatis, & ab acrimonia tentationum. Ad probationem reſpondeo, omnes homines ab Adam vſque ad finem mundi fuiſſe à Chriſto redemptos, & quoad ſufficientiam à peccato liberatos, licet non quoad efficaciam; omnibus enim promiſſum eſt per Chriſti merita de auxilijs, vel remedio, quibus exire poſſent à peccato, & non cadere in aliud, & tentationes vincere per auxilia, quibus in primi peccati pœnam, priuati erant. Licet autem non impedierit Chriſtus tentationes, dedit tamen auxilia ſufficientia ad reſiſtendum reipſa illis, ſi homo vellet.

313 Hinc eſt, quòd licet dæmon de facto tentet, & deducat in infernum, ſed non ita inevitabilitèr ac antea: cum antea ita acritèr tentaret, vt redemptione ſublata, homo ſempèr caderet, cum auxilium efficax non deberetur ei vnquam: redemptione autem decreta, antequam in exercitio poneretur, etiam homo difficultèr vincebat, ob auxiliorum inopiam. Modo autem homo cadit, quia vult omninò: & ſæpiſsimè non cadit ob auxiliorum abundantiam, quæ poſt redemptionem exercitam datur. Licet ergo ex meritis Chriſti omnia auxilia ad reſurgendum data ſint, & ante, & poſt adventum Chriſti; ſed ante erant paucìſsima, & ſic dæmon maximè ſuam tyrannidem exercebat. Nunc verò abundantiſsima, ita vt dixerit Auguſtinus, quòd ante adventum Chriſti homines cùm dæmone contendebant, tamquam cum cane ſoluto; poſt adventum verò, tamquam cum ligato, qui latrat, ſed nõ mordet, niſi appropinquantes illi,

DISTINCTIO II.

DE SATISFACTIONE.

QVÆSTIO VII.

DE NECESSITATE INCARNATIONIS, ad ſatiſfactionem.

314 NEgant illã, aliqui hæretici exiſtimãtes, opera naturalia ſufficere ad ſatisfactionem cõdignam pro offenſa exhibendam. Sed noto primo, ad condignam ſatisfactionem non fuiſſe ſimplicitèr neceſſariam Incarnationem prout ſignificat vnionem Dei ad hominem, ſiuê ad carnem. Sufficiebat enim Angelizatio. Licet enim Deus Angelus non poſſet nos redimere per mortem, poſſet per alios actus bonos Angeli Dei, qui eſſent valoris ſimplicitèr infiniti. Incarnatio ergo ſub hoc nomine ſolum eſt ſimplicitèr neceſſaria ad redimendum, cum circunſtantia illa, nempè vt diabolus per hominem quem vicerat, vinceretur.

ARTICVLVS I.

QVID SIT SATISFACTIO, ET AN SVFficiat naturalis?

315 NOTO ſecundò: ſatisfactionem eſſe voluntariam compenſationem debiti reddentem æquiualens, v.g. pro iniuria, pro damno illato, vel pro pœna debita. Vnde docet Ripalda tom. 1. diſp. 15. à nu. 9. & tom. 2. diſp. 97. ſect. 1. & diſp. 98. ſatisfactionem à merito differre inter alia, quia ſatisfaciens dum ſoluit ſe habet tamquam debitor obligatus creditori; merens autem vt talis non ſoluit, vt obligatus, ſed potius per obſequia ſua, obligat eum cui ſeruit, vt retribuat præmium. Satisfactor ergo induit perſonam debitoris; ille verò cui ſatisfit, perſonam creditoris. E contra eſt in merito, merens enim tendit, vt induat perſonam creditoris, & ille apud quem meretur induat perſonam debitoris.

316 Inſuper ſatisfactio vt talis conſulit bono illius cui fit, reſarciendo ei damnum; meritum vero bono ipſius merentis. Ita Ripalda tom. 2. diſp. 95. num. 60. ex Raguſa. Dixi ſatisfactionem eſſe voluntariam, compenſationem: alitèr non eſt propriè ſatisfactio. Animæ etenim Purgatorij compenſant debitum, ſed per ſatiſpaſsionem tantum. De quo Lugo de pœnitentia. Damnati non ſatisfaciunt per pœnam, quia inuoluntariè patiuntur. Nec item ſatis patiuntur, quia licet patiantur in æternum, ſed nunquam ſatis.

317 Duplex eſt ſatisfactio, & meritum. Condigna, & congrua. Illa ſoluit æquale ſaltim moralitèr debito; ſicut meritum condignum eſt æquale moralitèr præmio, licet non mathematicè. Diuidi ſolet in ſatisfactionem de iuſtitia, & in condignam purè. Vtráque offert æquale, ſed illa addendo aliquas conditiones, de quibus infrà, Deo dante. Congrua eſt quæ aliqualitèr, & cum aliqua proportione ſoluit, ſed non æqualitèr. Ideò creditor debitum remittens intuitu iſtius, adhuc liberalitatem exercet potius, quàm obligationem; datur tamen congruentia, & decentia aliqua, ſed non neceſsitans, vt illius intuitu ſatisfactionis, debitum remittat.

318 Hinc aliam differentiam Ripalda infert intèr ſatisfactionem condignam, & meritum condignum, quòd illa præcipuè reſpicit debitum cum æqualitate ad illud; meritum verò ſua æqualitate reſpicit præmium. Vera eſt differentia iſta. Addit tamen Ripalda, quòd meritum remiſsionis peccati (intellige ex præciſa ratione meriti) non debet eſſe æquale peccato, ſed æquale illius remiſsioni, quia meritum vt tale illam reſpicit, & non illud. Satisfactio verò debet eſſe æqualis peccato. Sed cõtra, infrà. Etenim remiſsio peccati æſtimatur moralitèr quantum peccatum ipſum. Idem actus bonus moralis poteſt eſſe ſimul ſatisfactio, & meritum. Primò modo reſpicit immediatè culpam, quàm extinguat. Secundò modo præmium, quod aſſequatur.

319 Aſſero ergo contra Pelagium, puram creaturam per opera viribus naturæ elicita non poſſe diuinitùs ſatisfacere condignè. Et contrà alios, nec congruè. Probatur: offenſa, & quilibet gradus ſpecificus eius, tantam ſumit grauitatem à diuina Maieſtate, vt ſupremè diſtet, & ordine, & valore, à quolibet obſequio naturali: ergo iſtud nequit ſatisfacere pro illa adhuc imperfectè. Conſequentia probatur, quia ſatisfactio de condigno æqualitatem valoris requirit, & de congruo aliquam proportionem cum debito: non minùs, quam meritum de congruo, cuius cum præmio proportionem probaui in materia de Prædeſtinatione.

ARTICVLVS II.

ARGVMENTA CONTRA CONCLVSIONEM

320 NEC dicas primò contra ſecundam partem. Per opus naturale poſſe ſolui partem debiti. Nego de parte ſpeciali. Ideo enim debens mille ſoluit partem debiti per vnum, quia vnum habet proportionem cum debito diuiſibili, & congruentiam, vt remittatur non potenti plus; quàm proportionem non habet opus naturale cum offenſa infinite diſtanti, nec cum ſpeciali eius gradu.

321 Nec dicas ſecundò: ſi Rex promitteret homini pœnam mortis dimittere proptèr leuationem feſtucæ, remiſsio non eſſet liberalis, cum eſſet ex aliquo; atqui nulla eſt proportio: ergo non requiritur proportio. Maior probatur, quia non fit liberalitèr, quòd fit intuitu obſequij. Reſponderi ſolet, remiſsionem tunc non eſſe ex leuatione, tanquam ex obſequio, ſed tanquam ex conditione. Vnde tunc vel eſſet liberalitas, vel fidelitas, vel vtrumque; non verò iuſtitia, aut gratitudo, aut aliquid ſapiens obligationem, cum ex parte conditionis nulla ſit proportio.

322 Replicabis: poſſet tunc Rex remittere ſine motiuo donandi, & ſine motiuo promiſsionis, atque immediatè, & ſolum proptèr leuationem feſtucæ: ergo licet tunc materialitèr eſſet liberalitas & fidelitas, remiſsio illa; ſecus formalitèr, & ex motiuo: Ergo eſſet tunc ex ſatisfactione; poteſtque ſimilitèr Deus remittere ex opere naturali, vt ſatisfactione. Nego vltimam conſequentiam, quia licet eſſet ex aliquali obſequio, licet minutiſsimo, non verò ex aliquali ſatisfactione, quia hæc plus requirit, nempè facere ſatis, vel quaſi ſatis, pro debito mortis extinguendo.

323 Dices iterum: ergo nulla dabitur ſatisfactio de congruo, ſi requiritur *ly* ſatis. Nego conſequentiam, quia ſufficit *quaſi ſatis*, & quæ ſit ſatis ad fundandam congruentiam moralitèr, licet non ad obligationem ex parte rei oblatæ. Tunc ergo iuxtà vltimam ſolutionem gratificatio illa obſequij per remiſsionem proueniet ex quadam gratitudine, non quidem ſtricta, & proportionata, ſed ex gratitudine omnino ſuperexcedente tale obſequiũ, & quæ plurimum habeat liberalitatis, cũ nihil habeat ſatisfactionis apud prudentes, nec leuitas illa obſequij nomen ſatisfactionis patiatur.

324 Nec dicas tertiò: dari poteſt condonatio peccati oppoſiti legi naturali, quæ naturalis ſit; eſt enim Deus Supremus Dominus condonationis, & natura miſera eſt capax illius, licet non habeat ius: cum autem condonatio fieret ſine infuſione gratiæ, poſſet eſſe naturalis: ergo iam macula offenſæ expelli poteſt per actum purè naturalem, licet ſit Dei. Nota pro ſolutione diuerſam eſſe proportionẽ ordinis, & proportionem ſatisfactio-

Digitized by Google

ctio is. Hæc enim præter eſſe eiuſdem ordinis, petit æqualitatem moralem. Vnde debet valdè notari, aliud eſſe tolli offenſam per aliquid habens cum illa incompatibilitatem quaſi phyſicam; ſicut lux poſitiua tollitur per carentiam eius; aliud autem eſt tolli offenſam per ſatiſfactionem, aut meritum, cum æqualitate compenſandi moraliter illud. Reſp. ergo, per conuerſionem tolli offenſam, ratione incompatibilitatis quaſi phyſicæ cum illa, quàm tamen incompatibilitatem non habet obſequium noſtrum naturale, & multo minùs rationem ſatiſfactionis æqualis, licet habeat proportionem ordinis.

325 Nec dicas quarto: Auerſio a Deo, quæ per offenſam fit, eſt naturalis: ergo conuerſio naturalis poterit illi eſſe proportionata: ergo & poteſt eſſe ſatiſfactio pro illa. Si reſpondeas, non dari talem conuerſionem naturalem. Contra, quia qui naturaliter cognoſcit peccatum, iniuſtitiæ contrà Deum, poteſt naturaliter fœditatem, & ingratiſſimam contrà Deu offenſionem cognoſcere, illaſq; deteſtari. Inſuper ſatis probabile eſt, quod ſit poſſibilis amor naturalis Dei ſuper omnia: ergo & deteſtatio offenſarum ipſius. Hæc autem eſt conuerſio ad Deum, eſtque naturalis, & eiuſdem ordinis cum offenſa. Reſpondetur ergo ad argumentum, conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens. conuerſio naturalis poteſt eſſe proportionata auerſioni; proportione ordinis naturalis, concedo; proportione ſatiſfactionis, & moralis extinctionis, nego. Hæc enim requirit ſufficientiam deſtruendi ipſam offenſam per æqualitatem compenſationis, quam tamen non habet talis conuerſio reſpectu peccati habitualis, aut maculæ relictæ ex actuali.

326 Dixi reſpectu peccati habitualis. Etenim conuerſio naturalis, etiam ſi eſſet mala, tollere poteſt actualem amorem peccati, idest peccatum actuale: quod odium, expellit amorem, ſed non expellit ſatiſfaciendo, ſed per phyſicam incompatibilitatem. Habituale autem non expellit, quia cum hoc non habet incompatibilitatem adhuc phyſicam. Habituale enim eſt macula, & auerſio relicta ex peccato actuali, moraliter perſeuerans, quatenùs non eſt remiſſa à Deo. Vnde non ſtat in ſolo affectu voluntatis, qui fuit; ſed in illo, vt non remiſſo a Deo; quo pacto iam non eſt ſub iure creaturę, ſed tranſit in ius Dei, non remittentis tale debitum. Vnde niſi Deus ipſe cedat, conuerſio illa non extinguet maculam, quia nec phyſicè eſt deſtructiua iuris Dei, nec moralitèr ſatiſfactiua pro debito.

327 Nec obeſt quintò, ſi dicas: hominem viribus naturæ non poſſe offerre ſatiſfactionem ſupernam: ergo cum non teneatur ad impoſſibile, debet Deus naturalem acceptare. Confirmatur: homo naturalitèr faciens quidquid poteſt, & deſiderans offerre ſatiſfactionem ſupernam ſi poſſet, eo ipſo ſatiſfacit. Probatur, quia voluntas apud Deum reputatur pro facto: ergo volitio illa naturalis reputatur pro ſatiſfactione ſuperna condigna. Reſpondetur negando conſequentiam, quia Deus non tenetur remittere peccatum, ac per conſequens, nec admittere conuerſionem naturalem. Vndè Deus nec peteret, nec poſſet ab homine tunc ſatiſfactionem ſupernam, quia impoſſibilem illi, ſed relinqueret illum in ſuo peccato.

328 Nec inſtes, Deum tunc punire hominem non ſatiſfacientem: ergo in homine dabatur poſſe ſatiſfacere, ſaltim ſatiſfactione naturali. Nego antecedens. Puniret enim hominem, quia peccauit, & quia ſe reddidit impotentem ad reſurgendum, vel quia ponebat obicem gratiæ Dei, non autem, quia non ſoluebat debitum, cum non poſſet. Ad confirmationem nego antecedens, quia licet homo faciat quidquid poteſt, nihil facit, ſiquidem eſt impotens ad ſatiſfaciendum. Ad probationem reſpondetur, apud Deum non reputari pro facto voluntatem illam naturalem; & ex ſe inefficacem, atque de re ſibi impoſſibili.

329 Patet hoc, quia ſequeretur, quòd naturale deſiderium faciendi omnia opera ſuperna omnium Sanctorum haberet meritum æquale omnibus illis, quòd falſum eſt; & voluntas Diu. Auguſtini expoliandi ſe Deitate, ſi illam haberet, vt donaret illam Deo, eſſe tam æſtimabilis apud Deum, ac ſi reipſa Deitatem donaſſet. Vt ergo pro facto reputetur voluntas, debet eſſe ſuperna, & de ſe efficax; factum autem, debet eſſe actio purè externa, contingentèr ab extrinſeco impedita; quando autem factum eſt operatio moralis interna, volitio eius non reputatur pro facto, cum iſtud addat bonam honeſtatem, & moralitatem. Sic, ſi ego vellem efficacitèr ieiunare, & impediret Prælatus, vel ægritudo, voluntas illa reputatur pro ieiunio externo; non tamen reputatur pro interno exercitio patientiæ exercendæ in ipſo ieiunio. Sic cum ſatiſfactio ſuperna condigna ſit opus diſtinctum internum morale, volitio illius non habetur pro facto.

330 Conſtat ex dictis, diuerſam eſſe ablationem offenſæ per ſatiſfactionem, & per incompatibilitatem, abſque ſatiſfactione. Hoc pacto deſtruitur offenſa, ſi Deus liberè condonet illam, vel liberè infundat gratiam ſanctificantem incompatibilem cum offenſa, vel deſtruat ſubiectum offenſæ, vbi nulla datur ſatiſfactio. Sic etiam tollitur peccatum actuale per deteſtationem ſeriam, & efficacem, ex quocumque motiuo etiam malo.

QVÆSTIO VIII.

DE SATISFACTIONE CONDIGNA A PVRA creatura.

331 SI homo purus, vel Angelus, non poſſet offerre condignã ſatiſfactionem pro offenſa, neceſſaria erit Incarnatio pro exhibenda illa. Ideò an, & cur non poſsit pura creatura, examinandum eſt. Sermo autem eſt de condigna ſuperna. Communis ſententia Patrum, & Theologorum clamat, quòd ſi Chriſtus non eſſet Deus, ſed purus homo, non afferret remedium, vtique condignum, de quo Bernal. Rationes autem neceſſitatis, vt ſatiſfaciens ſit Deus, prius examinandæ ſunt, nam eſt in hoc magna difficultas.

ARTICVLVS I.

EXAMINATVR RATIO PATRIS VAZQVEZ.

332 DOCET hic Author hic diſp. 2. cap. 2. & 6. contritionem ſupernam, ſiuè actum charitatis puri hominis poſſe eſſe tam bonum, quàm offenſa ſit mala. Cur ergo non erit ſatiſfactio condigna? Ratio, quia ratione æqualitatis cum debito, debet tollere totum debitum, & non tollit, quia ſupponit ante ſe partem debiti remiſſam. Etenim peccator non ſolum fit debitor inimicitiæ Dei, & damnationis, ſed debitor carendi omni auxilio ad reſurgendum. Hanc enim pœnam, & omnem aliam poteſt iuſtè dare Deus ob tam grauem offenſam. Cum autem ante contritionem dederit Deus auxilium ad illam, iam gratis remiſit partem hanc debiti, & ſic contritio non extinguit totum.

333 Sed impugnatur primò: ſequitur enim, quòd nec ſatiſfactio Chriſti eſſet condigna: pars enim debiti etiam erat carentia Redemptoris, & hæc ſupponebatur Chriſto iam remiſſa gratis à Patre, & ſine Chriſti merito. Non enim potuit Chriſtus mereri, quòd ipſe fieret Redemptor, aliàs meruiſſet de condigno Incarnationem, vt poſſet eſſe integer Redemptor, & ſatiſfactor pro toto debito.

334 Si dicas: non fuiſſe remiſſam Chriſto ſatiſfacienti, ſiquidem non contraxit tale debitum, ſed remiſſam fuiſſe nobis; ſatiſfecit autem Chriſtus pro toto debito, ad quod ſe vt fideiuſſor obligauit. Sed contrà. Tùm, quia Chriſtus ſaltim inuenit remiſſam partem debiti noſtri: ergo non ſoluit pro toto debito noſtro, ſed pro parte permanente. Idem autem dici poſſet de actu contritionis, quòd hoc non obſtante eſſet ſatiſfactio. Tùm etiam, quia ſequitur ex hoc, quòd dæmon ad maius debitum obli-

ga-

Digitized by Google

gauerit nos; quàm eſt illud pro quo Chriſtus ſatisfecit.

335 Neque erit ſolidum, ſi dicas primò, peccatorem meruiſſe carentiam auxilij pro ſe in ſeipſo, non verò pro ſe in Chriſto, & ſic carentia Redemptoris, & auxilij in Chriſto, non erat merita à peccatore. Contrà enim, quia peccator per peccatum redditur indignus beneficio auxilij proprij, ac per conſequens multò magis beneficio tātò maiori, habendi Redemptorē, quia multò altior eſt donatio Redemptoris, & minùs connaturalis homini, quàm donatio auxiliorum.

336 Nec ſecundò, erit ſolidum dicere, Chriſtum abſtuliſſe pœnam carendi Redemptore, ac per conſequens extinxiſſe totum debitum, quòd non facit peccator. Ratio eſt, quia Chriſtus primò venit proptèr excellentiam myſterij, & poſtea ſua oratione meruit à Patre, quòd conſtitueretur Redemptor. Contrà. Tùm ad hominem contrà Vazquez, apud quem Chriſtus primò venit redimere & venit ſine ſuo merito. Tùm, quia auxilium illud datum Chriſto, vt peteret fieri Redemptor, cedebat in bonum noſtrum, quo eramus indigni per peccatum, & neceſſè erat, hanc pœnam carendi tali auxilio remitti priùs.

337 Secundò principalitèr impugnatur Vazquez, quia ratio ipſiùs non videtur conformis ſenſui Sanctorum Patrum. Iſti enim impoſsibilitatem ſatisfacti onis condignæ in pura creatura reducunt ad offenſæ magnitudinem, cuius non curat hæc ratio, ſed potiùs ex hac parte poſsibilem ait fuiſſe ſatisfactionem. Vnde ſequitur, peccatorem poſſe condignè compenſare offenſam per contritionem, & ſatisfacere pro toto debito offenſæ, licet non pro debito pœnæ, cum pars eius ſupponatur remiſſa. Etenim diuerſa ſunt debitum offenſæ, & debitum pœnæ, & ſatisfactio pro vna, ac pro alia, vt probat Ripalda tom. 2. diſp. 96. n. 59. & diſp. 98. n. 5.

338 Declaratur. Tùm, quia in iuſtificatione remittitur tota culpa, non verò debitum totius pœnę. Tùm, quia homo alteri homini ſępè remittit ex toto corde offenſam, nō verò pœnā à lege taxatā. Tum quia, carentia auxilij non eſt culpa, ſed pœna, ſicut carentia redemptionis: ergo licet ratio Patris Vazquez probet, peccatorem non ſatisfacere pro tota pœna, non probat non ſatisfacere pro tota culpa; ſi contritio aſſeritur ęqualis culpę. Vnde, quoad debitum culpæ non fuiſſet neceſſaria Incarnatio, ſiquidem ſufficeret contritio: ergo non ſufficit contritio.

339 Dicendum ergo eſt, quod ſatisfactio Chriſti nullam partem debiti ſupponebat remiſſam, & ideò fuit condigna pro toto debito, & idem potuiſſet dicere Vazquez de Contritione. Ratio eſt, quia illę carentię non erant pars debiti, licet eſſent debitæ, ſed pars pœnę reſultantis ex debito: nam offenſa includit debitum omnium pœnarum, & dum illa durat, iſtud durat, & iuſtè poterat Deus omnes pœnas infligere. Quod autem Deus carentias illas abſtulerit, non fuit remittere partem debiti, ſed ſuſpendere exercitium debiti, manente toto debito. Sicut peccator per peccatum, fit dignus priuatione liberi arbitrij, imò & annihilatione. Deus autem hæc exercitia ſuſpendit miſericorditèr ex ſeipſo, & ſine merito Chriſti poterat: & ſaltim carentiam Redemptoris ita abſtulit, vt benè Arriaga diſp. 4. num. 21. Imò de facto, quia Deus decreuit liberalitèr homines conſeruare, & emendare, ideò decreuit aduentum Chriſti apud Vazquez. Remiſſa ergo erat pars pœnæ, ſed non pars debiti pœnæ. Et idem potuit dici de carentia auxilij pro contritione: ergo hæc ratio non valet.

ARTICVLVS II.

AN HOMO POSSIT SATISFACERE PRO peccato proprio?

341 COmmunis ſententia negat poſſe de condigno. Plures admittunt de congruo. Primam partem probant, quia contritio ſuperna cum non ſit opus amici, nec obſequium filij, nequit habere condignitatem, vt extinguat debitum tam ſummum. Sed Authores, qui docent in materia de Merito ſatis ingenioſè, contritionem, (licet non in primò ſigno, ſaltim in tertiò, in quo iam eſt infuſa gratia) eſſe opus amici, informatum gratia ſanctificante, & mereri de condigno primam gloriam, fortè rationem iſtam eneruabunt, & ideò alia eſt quærenda ſolidior.

342 Cenſeo ergo non poſſe eſſe condignam pro peccato proprio. Probatur, quia culpa, vel eſt ſimplicitèr infinita, vel ſaltim in ſupremo ordine offenſæ. Contritio autem eſt ſimplicitèr finita, etiam dum eſt opus amici, & obſequium ordinis valdè inferioris: ergo & eſt inſufficiens ad extinguendum debitum ex condignitate. Hæc ratio ex infra dicendis multò magis roborabitur.

343 Nec obeſt, quòd homo reſtituit Deo per contritionem quantum abſtulit ab ipſo per peccatum, nempè obedientiam, honorem, amorem, & rationem vltimi finis: ergo eſt æqualis, & condigna, cum ſit ſuperna. Reſpondetur enim diſtinguendo antecedens: quantum attinet ad modum auferendi, nego reſtituere quod abſtulit. Abſtulit enim illa modo morali ſummè ignominioſo, quia tanto maior eſt iniuria, quanto maior eſt offenſus. Reſtituit autem illa modo morali, valdè infimo, & tenui, nempè per obſequium, quòd tanto eſt minùs, quanto minor eſt creatura, & maior ille cui offertur. Vndè non reſtituit æquale. Sicut qui dedit alapam Regi, poſtea colendo, & petendo veniam, per hoc præciſè, non reſtituit æquale.

344 Quantum ad ſatisfactionem de congruo. S. Thomas in 2. diſtinct. 27. art. 4. ad 4. & Suarez diſp. 4. ſect. 8. contrà Valentiam, & alios, admittunt in contritione ad remiſſionem mortalis proprij meritum de congruo. Et probatur, quia homo per illam offert in ordine ſuperno quantum poteſt, & licet non reſtituat æquale, reſtituit tamen ex ablatis bonam partem, nempè obedientiam, honorem, amorem, & rationem vltimi finis, talitèr, quod de facto Deus intuitu contritionis, vt diſpoſitionis vltimæ ad gratiam, remittit peccatori offenſam, quòd tamen non præſtat intuitu fidei, nec aliarum virtutum: ergo quia ex parte contritionis ſupernæ, inuenit congruitatem aliquam: quia nempè iſta reſtituit bonam partem ablati, quàm aliæ virtutes non reſtituunt, nam non habent Deum pro vltimo fine expreſſo, ſicut habet contritio.

345 Nec obeſt, ſi obijciatur primò ex Scriptura, & ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 2. nos vocari iuſtificatos *gratis*. Reſpondetur dici *gratis*. Tùm, quia non offerimus æquale. Tùm, quia contritio ipſa eſt gratis data nobis in cauſa, nempè in auxilio. Nec ſecundò: congruitas ex parte liberalitatis diuinæ non ſufficit, vt ſatisfactio noſtra ſit de congruo; atqui in contritione non datur alia congruitas: ergo Minor probat. Tùm, quia contritio eſt obſequiū, diſtans infinitè ab offenſa. Tùm quia in fieri, non eſt obſequium amici, & ſic nullam poteſt ex ſe habere congruitatem, vt Deus remittat tantam offenſam proptèr ipſam. Reſpondent negando minorem. Ad 1. prob. reſp. diſtantiam infinitam non impedire meritum de congruo, quia congruitas fundata in iſto merito, non fundatur in æqualitate, ſed in tali operis dignitate, quæ ſufficiat diſponere ad amicitiam, & mouere Deum ad extinctionem debiti. Ad 2. reſp. ad meritum de congruo non requiri ſtatum gratiæ, ſed quod homo ex auxilio gratiæ reſtituat quantum poteſt.

346 Nec obeſt tertiò ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 14. ſatisfactio pro ieiunia, & alia exercitia pia non eſt ſatiſfactio pro pœna æterna, ſed temporali: ergo nec pro culpa. Conſequentia prob. quia culpa imbibit debitum æternæ pœnæ. Reſp. diſtinguendo antecedens: ſatisfactio Sacramentalis, concedo. De ea enim loquitur: cum enim ſupponat iam remiſſum peccatum, & pœnam æternam per Sacramentum, ſolum ſatisfaciet pro temporali; ſatisfactio per contritionis exercitium pium, nego antece-

Digitized by Google

cedens, quia iſta cum antecedat remiſsionem offenſæ, poteſt eſſe diſpoſitio vltima moralis ad remiſsionem culpæ, & mereri illam de congruo. Hæc non reperiuntur in contritione naturali, quæ tamen prodeſſe poteſt ad remiſsionem culpæ, non vt meritum vel diſpoſitio moralis, ſed vt puta conditio remouens prohibens.

347 Nec vltimo: ſatisfactio etiam imperfecta debet tollere ſaltem partem debiti ſoluendo; atqui contritio non ſoluit partem. Tùm, quia offenſa eſt indiuiſsibilis. Tùm, quia etiam ſi offerat aliquam partem finitam reſtituendo aliam, adhuc offenſa manet infinita, quia ſi ab infinito auferatur finitum, adhuc manet infinitum: ergo contritio non erit ſatisfactio imperfecta. Maior argumenti conſtat exemplo illius qui debet mille, & ſoluit centum. Iſte ſatisfacit imperfectè.

348 Reſpondetur, ad ſatisfactionem imperfectam requiri, quod tollat partem damni illati, & quod reſtituat aliquid ex his, quæ ablata erant, & contritio iam reſtituit Deo obedientiam, honorem, &c. Non autem requiritur, quòd tollat partem offenſæ per æqualem ſolutionem, cum offenſa ſit indiuiſsibilis, in quo differt à debito diuiſsibili de mille. Licet autem offenſa ſit infinita, & contritio finita, eſt tamen ordinis ſuperni, habenſque cognationem cum gratia remiſsiua peccati, & reſpectu offenſæ ſumptæ indiuiſsibiliter, & per modum vnius, habet aliquam proportionem, non quidem in ratione infinitatis & æqualitatis, ſed in ratione accommodationis, & diſpoſitionis, vt offenſa remittatur; ſicut de facto remittitur propter illam, & in hoc fundatur ex parte contritionis congruitas.

ARTICVLVS III.

RESOLVITVR DIFFICVLTAS.

349 SED nihilominus probabilius mihi eſt, contritionem hanc non eſſe ex ſe ſatisfactionem congruam pro mortali; benè verò habere rationem aliqualis meriti, & diſpoſitionis moralis de congruo. Prima pars probatur, quia ſatisfactio de congruo præſtare debet, vt creditor non ſolum parcat, ſed parcat, quia debitor iam ſoluit, ſi non ad æqualitatem, tamen cum proportione ad debitum; atqui contritio cum ſit valdè finita, non habet proportionem cum debito formaliter ſumpto, iam ſupremo, ſiuè ſimpliciter infinito. Id autem quod reſtituit, nempè honor, & obedientia, &c. proportionantur cum re ablata, vt dictum eſt; non autem cum modo auferendi, à quo ſumitur ſumma grauitas offenſæ.

350 Argumentum autem pro contraria ſententia probat ſecundam partem concluſionis, nempè in contritione meritum congruum per modum moralis diſpoſitionis, ſeu per modum ſatisfactionis de congruo impropriè, & ſic intelligo D. Thomam; ſecùs de congruo propriè. Etenim in ſatisfactione ly ſatis auget ſupra meritum congruum proportionem, & acceſſum ad æqualitatem; in linea enim congruitatis moralis tres diſtinguo claſſes. In prima ponuntur actus fidei, ſpei, eleemoſynæ, & ſimiles, vt diſpoſitiones remotæ, & mediæ ad remiſsionem. In ſecunda contritio, quæ eſt meritum congruum & ex aliquali iure; ſed potius ex liberali Dei promiſsione, eſt diſpoſitio vltima. In 3. ponitur ſatisfactio de congruo ſi detur, requirens ſtrictiorem proportionem, & acceſſum ad æqualitatem (cum obliget ad acceptandum ſecùs meritum) quem in contritione ſecundum ſe non inuenio reſpectu offenſæ infinitæ, vel ſupremæ.

351 Etenim, vt detur diſpoſitio moralis, ſufficit promiſsio Dei fundata in aliquali congruitate operis facti ex auxilio, habentiſque affinitatem ordinis cum facto. Accedit, quòd contritio reſtituit honorem quantum poteſt, & ob hoc eſt vltima diſpoſitio, vt homo ex inimico fiat amicus, & Deus illum admittat, tanquam fidelis ſuæ promiſsioni, & gratus obſequio, ſed non vt obligatus, & iuſtus, quaſi ſolutionem debiti, ſiuè ſatisfactionem cum aliquali proportione acceperit. Hæc intellige de contritione ex ſe.

352 Diximus in concluſione, contritionem ſecundum quod habet ex ſe, non eſſe ſatisfactionem congruam, licet ex ſe ſit diſpoſitio vltima moralis (ex ſe inquam, non tamen excluſa promiſsione libera Dei.) In prima parte, intentum non fuit negare contritioni rationem ſatisfactionis congruæ, ſi conſideretur vt procedens ab homine, quatenus membro Chriſti, & facta per auxilium ſupernum datum ex meritis Chriſti; ex iſto enim capite, per merita ipſa Chriſti, & coniunctionem hominis ad Chriſtum, multum eleuatur talis contritio, quia multum creuit hominis dignitas, licet non ita eleuetur, vt ſufficiat eſſe condigna, quia non creſcit in operatione hominis Dei, quòd ad condignitatem requiritur, iuxtà communem ſententiam.

ARTICVLVS IV.

SOLVITVR ARGVMENTVM A SIMVLTATE CONtritionis, & peccati. Contrà 2. partem vltimæ aſſertionis.

353 OBijcies: in inſtanti in quo eſt contritio, datur realitèr gratia, & remiſsio peccati. ergo ipſa non tollit peccatum, adhuc vt vltima diſpoſitio moralis, ſiuè vt meritum de congruo. Conſequentia probatur, quia in inſtanti in quo fit contritio, vel exiſtit in anima peccatum, vel non? Si exiſtit: ergo cum in illo inſtanti eodem ſit ibi gratia, ſimùl realitèr dabuntur à parte rei gratia, & peccatum. Si non exiſtit: ergo contritio adhuc diſpoſitiuè non tollit peccatum, nec extinguit, quia quod non eſt, extingui vel tolli non poteſt.

354 Hoc argumentum eſt difficilè, & quia eſt applicabile diuerſis materijs, curabimus ex profeſſo illud ſoluere. Reſpondetur ergo conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Ad probationem reſpondetur in inſtanti in quo fit contritio, peccatum non exiſtere. Nego tamen propterea, non tolli per ipſam contritionem. Ad hoc enim ſufficit, quòd fuerit in inſtanti immediatè antecedenti. Sic mors in inſtanti in quo eſt tollit vitam, ſed non vitam quæ eſt, ſed quæ fuit in inſtanti antecedenti. Hoc certiſsimum eſt, & debet eſſe apud omnes, licet ex defectu conſiderationis profundæ intellectus noſter non facilè capiat.

355 Etenim actiones auferentes rem non attingunt per ſuum eſſe immediatè rem ipſam, quàm auferunt, nec habent illam pro termino immediato, & directo, ſed potius carent iam rei quæ erat, quà n carentiam immediatè inducunt per ſuſpenſionem concurſus conſeruatiui rei. Sicut autem contritio, inducit carentiam culpæ, quæ antea erat (inducit, inquam, diſpoſitiuè) ſic gratia ſanctificans inducit formalitèr tamquam effectum ſecundarium ſuum.

356 Si verò dicas primò: debitum, ſiuè culpam, iam ſupponi ablatum in illo inſtanti. Reſpondetur nego ſupponi ablatum, ſed potius in inſtanti antecedenti erat exiſtens. In illo autem inſtanti contritionis auferitur per contritionem diſpoſitiuè, & per carentiam peccati ab ipſa inductam, aufertur formalitèr immediatè. Si 2. dicas gratiam nihil tollere, quia non tollit peccatum, cum iam non ſit, ſed eſt ablatum pro priori. Reſpondetur, non exiſtere peccatum, quòd tollat: inquam, non exiſtere de præſenti; tollit autem de præſenti, quòd in inſtanti antecedente exiſtebat, ſicut mors tollit vitam, quæ exiſtebat: & ſicut per mortem denominatur mortuum, & vita priuatum corpus, quod ante viuebat, ſic per ablationem diſpoſitiuam, vel formalem, & per carentiam denominatur ablatum de præſenti debitum, quòd antea exiſtebat.

357 Dices tertiò: pro illo priori, pro quo exiſtit contritio, peccatum iam non eſt: ergo ablatum eſt. Et ſic non auferetur per carentiam poſteriorem. Diſtinguo ante-

tecedens pro priori non eſt *præciſiuè*, concedo; *negatiuè*, nego. Datur enim pro priori, præciſio à peccato, & carentia; & ſolum intelligitur diſpoſitio vltima ad gratiam, quæ eſt inductiua carentiæ; non tamen datur pro priori poſitiua carentia peccati (& ſic pro priori nec eſt poſitiuè expulſum, nec ablatum: nec propterea eſt poſitiuè exiſtens, ſed præſcindit ab vtroque extremo.) Erit autem poſitiuè ablatum peccatum pro poſteriori; non quidem peccatum, quod eſſet in anima in illo inſtanti adhuc pro priori, ſed quòd eſſet in inſtanti antecedenti.

358 Ex his aduerte valdè primò. Aliud eſſe loqui de inſtanti reali abſolutè, & aliud de inſtanti reali, vt partito in varia ſigna rationis cum fundamento, nempè pro priori, & pro poſteriori. Loquendo realitèr certum eſt non exiſtere peccatum, ſed eius carentiam in toto illo inſtanti reali, in quo exiſtit contritio. Tùm, quia contritio ſe habet, vt moralis cauſa, & ea carentia peccati vt effectus cauſatus ab illa: contritio exiſtit in primo ſigno, ſiue pro priori, & carentia in ſecundo, & pro poſteriori; & ex hoc fundamento cauſantis, & cauſati, intellectus diſtinguit illa duo ſigna; concipitque exiſtere contritionem, & carentiam peccati pro diuerſis ſignis. Vndè peccatum, nec eſt ibi pro poſteriori, quia in eo ſigno eſt carentia. Nec pro priori, quia ſolum eſt pro priori, quòd eſt cauſa carentiæ peccati, nempè contritio. Ratio autem eſt, quia vt aliquid ſit, & concipiatur eſſe pro priori, duo requiruntur. Primùm, quòd verè exiſtat in illo inſtanti reali. Secundùm, quòd ſit cauſans effectum exiſtentem pro poſteriori, ſcilicet carentiam peccati. Neutrum autem ex his verificatur de peccato ipſo, & ſic non exiſtit, nec concipitur pro priori, nec pro poſteriori.

359 Sed dices: ſi carentia peccati ſolum eſt pro poſteriori, & non pro priori: ergo pro priori non eſt ablatum peccatum, ſiquidem ſolum auffertur formalitèr per ſuam carentiam: ergo pro priori ibi exiſtit realitèr (& ſi ſemèl datur quod exiſtat, ibi erit in eodem inſtanti reali exiſtens ſimùl cum gratia.) Diſtinguo antecedens: carentia peccati non exiſtit pro priori ſecundum primam partem, quàm dicit exiſtere pro priori, nempè exiſtere in toto inſtanti reali, nego; non exiſtit pro priori iuxtà ſecundam partem, nempè habendo cauſalitatem aliquam, concedo. Etenim in toto inſtanti reali exiſtit carentia, ſed quia non exiſtit vt cauſans, ſed vt cauſata, ideò non exiſtit pro priori, quia exiſtere pro priori, non eſt præcisè exiſtere, ſed exiſtere cauſando.

360 Hinc diſtinguo conſequens: pro priori non eſt ablatum peccatum, ſumpto ly *non* præciſiuè, concedo; quia cum non intelligitur carentia peccati pro priori, non poteſt intelligi ablatum, ſed præſcindit ab ablato; negatiuè, nego. Non enim datur pro priori exiſtentia ablationis, ſed neque datur carentia ablationis, ſed pura præciſio, & pro poſteriori dabitur poſitiua ablatio, quia iam erit pro poſteriori carentia peccati. Licet enim ſit pro toto inſtanti reali carentia peccati, quia tamen exiſtit vt cauſata, ideò exiſtit pro poſteriori. Nego tandem vltimam conſequentiam, nempè *peccatum eſſe pro priori, ſiquidem pro priori non eſt ablatum*. Reſpondeo enim pro priori præſcindere ab ablato, & non ablato, & ab exiſtere, & non exiſtere: pro poſteriori autem, iam eſt poſitiuè ablatum.

361 Aduerto ſecundò (& eſt doctrina notanda pro ſoluendis alijs argumentis) actionem deſtructiuam rei, eſſe ex illis actionibus, quæ præter agens, & terminum, reſpiciunt aliud tertium, quòd denominent: v.g. calefactio, quæ reſpicit agens, & calorem productum, & ſimùl ſubiectum caloris, quòd reddat calidum. Idem habet dealbatio. Sic etiam ablatio peccati reſpicit agens, & terminum vel quaſi terminum, quem inducit, nempè carentiam peccati, quàm poſitiuè, & directè cauſat, & reſpicit aliud tertium, nempè peccatum exiſtens inſtanti antecedenti, quòd mediante carentia deſtruat, ſicut ignis mediante calore, lignum calefacit; ſed illud tertium cum non ſit terminus immediatus, ſed mediatus, non eſt neceſsè vt exiſtat in eodem inſtanti, quando exiſtit actio deſtructiua: imò potiùs impoſsibile eſt, quod exiſtat, ſiquidem tunc exiſtit eius carentia.

ARTICVLVS V.

IDEM PROSEQVIMVR.

362 SEquitur primò ex dictis, actiones auferentes aliquid non habere terminum adæquatum totalitèr inſtantaneum, ſed partialitèr ſucceſsiuum, nempè antea peccatum quod deſtruit, & modò carentiam eius, quàm inducit: ſi ergo obijceres, ex noſtra ſententia ſequi dari actionem ſine termino, nempè deſtructionem peccati ſine peccato in eodem inſtanti. Concedo totum de actione habente terminum ſucceſsiuum.

363 Sequitur ſecundò: valdè diuerſum eſſe *exiſtere pro toto inſtanti reali, & exiſtere pro vtroque ſigno naturæ*. Primâ enim exiſtentia pertinet ad res, vt ſunt à parte rei. Secundâ, ad res vt concipiuntur cum fundamento ſumpto ex cauſare, vel cauſari. Sempèr ergo eſt verùm, quod carentia peccati exiſtit in toto inſtanti reali, cum contritione: ſed quia non eſt cauſans, ſed cauſata, non exiſtit pro vtroque ſigno, ſed pro poſteriori. Sequitur tertiò: non eſſe contradictorias, ſed contrarias, *exiſtentiam peccati pro priori, & carentiam peccati pro priori*, & ideo non argues bene (eſſet autem argumentum non facilè) quòd vna ex illis debeat eſſe vera, & altera falſa, iuxta legem contradictoriarum. Reſpondeo enim, quòd vtraque eſt falſa, quia ſunt contrariæ, & datur medium, nempè præciſio à peccato, & carentia.

364 Multo ergo minùs ſunt cõtradictoriæ iſtæ propoſitiones: *vel peccatum pro priori permanet, vel pro priori eſt excluſum*: Vtrumque enim eſt falſum, quia præſcindit. Hæc autem propoſitiones: *peccatum pro priori, vel permanet, vel non permanet*, erunt contradictoriæ, ſi particula *non* ſumatur logicè: ad quod ſufficit præciſio à permanẽtia, & ſic non permanet, ſed præſcindit; ſecùs ſi ſumatur phyſicè, pro carentia quaſi poſitiua peccati: & ſic vtráque eſt falſa, quia nec pro priori datur peccati permanentia, nec pro priori carentia peccati.

365 Aduerte tandem, quòd poteſt non recuſari propoſitio illa *peccatum eſt excluſum pro priori*, ſi ſumatur materialitèr, concomitantèr, & realitèr; non verò ſi ſumatur formalitèr, & pro primò formalitèr ſigno; nam cum inſtans omninò ſit indiuiſibile, ſi in aliquo ſigno formali excluſum eſt, in toto inſtanti reali, ac per conſequens, & in priori ſigno materialitèr ſumpto excluſum eſt. Hæc dixi pro componenda contradictione. Sæpè enim reſpondens, terminorum varietate implicatus, concedet, & ſtatim negabit hanc propoſitionem: peccatum eſt excluſum pro priori ſigno. Cõcedet igitur benè, ſi intelligatur materialitèr, & realitèr; negabit autem benè, ſi formalitèr.

366 Ex his infero: benè poſſe contritionem reſpectu remiſsionis debiti eſſe vltimam diſpoſitionem, & meritum de congruo, quia non inuenit debitum ſublatum, vt contendebat argumentum, ſed potius ipſa tollit diſpoſitiuè. Vndè licet ſit obſequium hominis iuſti in inſtanti illo reali, ſed non quatenùs iuſti, ſed iuſti concomitantèr, vel potius cauſalitèr, & à poſteriori, & per modum præmij, non autem per modum principij.

367 Infero inſuper, quòd contritio ſicut reſpectu gratiæ ſanctificantis, non eſt meritùm de condigno, ſed ſolum de congruo, ita & reſpectu remiſsionis culpæ. Licet enim remiſsio ſit effectus ſecundarius gratiæ, & poſterior illa, ſiuè procedens à gratia, vt iam exiſtenti; quia tamen ſequitur ad gratiam, & ad contritionem, vt informatã gratia ſequela naturali (non verò vt promerita per ipſam gratiam, ſiuè per contritionem, vt informatam gratia) ideò non eſt promerita de condigno, etiam ſi aliàs haberet æqualitatem.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

AN PVRA CREATVRA SANCTA POSSIT SATISfacere de condigno pro peccato alieno?

368 SI poteſt, non erit neceſſaria Incarnatio. Poſſe mereri de congruo (imò ſatisfacere de congruo, vt membrum Chriſti) diximus art. prætetito; imò plures Sancti Patres conuerſionem Diui Pauli tribuunt meritis, & orationi S. Stephani. Difficultas eſt, quare non poſsit de condigno.

369 Prima ratio eſt Durandi ſic: quia nemo pro omnibus beneficijs poteſt reddere Deo gratias condignas: ergo nec pro offenſa æquale, quia malum valdè magnum eſt. Negas antecedens, quia fortè poteſt quis per vnum actum, qui ſit ſupra ſeipſum, tamquam ſuprà beneficium Dei. Sed reſp. aliter, negando antecedẽs ex alio capite, quia nulla poteſt eſſe gratiarum actio æqualis pro beneficio ipſo Incarnationis. Si antecedens ſit de beneficijs finitis, dato antecedenti quidam negant conſequentiam, quia ipſę gratiæ ſunt nouum beneficiu, cuius homo conſtituitur debitor, & ipſæ nequeunt ſoluere pro ſe, quia non ſupponunt ſe, ſicut gratiarum actio debet ſupponere beneficium.

370 Secunda ratio Scoti eſt, quia nullus actus, vel habitus, expellere poteſt peccatum ſine libera acceptatione Dei acceptantis ad talem finem. Si ergo ſemper debet intervenire fauor Dei, ſolutio noſtra non erit condigna. Nego conſequentiam, quia fauor non tollit condignitatem in actu primo, ſed ſolum obligationem acceptandi ſolutionem ipſam condignam; ac per conſequens creatura offert æquale, ſi aliud non obeſt. Inſuper, quia ſi fauor tolleret condignitatem, fortè nec nos, nec Chriſtus mereremur aliquid de condigno, quia probabile eſt ſemper requiri fauorem acceptandi.

371 Tertia eſt Almaini ſic: licet poſsit homo elicere operationem æqualem offenſæ; ſed non ſoluit aliquid pro pœna æterna. ergo nec ſatisfacit pro toto debito. Nego antecedens, nam offenſa Dei multo peior eſt, quam pœna æterna. Vndè ſi quis meretur alteri de condigno gratiam iuſtificantem, & ablationem offenſæ, etiam & ablationem pœnæ æternæ; imò poſſet opus eſſe tale, quod auferret etiam temporalem. Adde in offenſa imbibi debitum æternæ pœnæ: Si autem de condigno tollitur offenſa, etiam debitum. Alias rationes affert Bernal, quas omitto ob alias maioris ponderis.

372 Quarta eſt Patris Vazquez diſp. 2. cap. 4. ſic: vt pura creatura ſatisfaciat pro peccato alieno, debet mereri condignè illi auxilia, quibus diſponatur ad iuſtificationem, vt de facto meruit Chriſtus; atqui hoc nec diuinitùs poteſt: ergo. Probatur minor, quia gratia ſanctificans ſolum eſt principium merendi bona ſuo ſubiecto; eſt autem inintelligibile, quomodo poſsit Deus addere gratiæ valorem, vt mereatur alteri, cum id non habeat de facto, nec ex natura ſua.

373 In primis nego maiorem, quia poſſet extingui offenſa per extrinſecam Dei condonationem, & tunc non eſſent neceſſaria auxilia, nec retractatio ſuperna peccatoris. Item 2. nego minorem, quia in manu Dei eſt ordinare meritum iuſti, ſicut & ordinauit meritum Chriſti ad merendam alteri gratiam. Gradus enim gratiæ ſecundum ſeipſum præcisè datus iſti vel illi, non excedit actum charitatis iuſti, neque eſt maioris valoris: ac quando iuſtus meretur pro ſeipſo. Sicut autem ex Dei ordinatione meretur alteri de congruo iuſtus gratiam, poterit, & de condigno. Si autem de facto non eſt ita, prouenit ex ordinatione Dei.

374 Sic Miles per ſuas victorias de facto meretur ſibi præmium apud Regem; ſi verò ipſe volente Rege ordinaret obſequia ſua pro altero, & Rex promiſiſſet dare præmium militi in ſubiecto illo, quòd Miles eligeret, potuit benè ita contingere, & eſſe meritum de condigno. Confirmatur, quia iuſtus poteſt de facto offerre ſatiſfactionem meritorum ſuorum pro altero, nempè pro animabus Purgatorij, Deo ſic ordinante, & acceptante: ergo idem potuit Deus ordinare de merito gratiæ ſanctificantis: ergo ex hoc capite, nulla eſt repugnantia ſatiſfactionis condignæ in iuſto pro peccatore.

375 Quinta ratio eſt Patris Lugo aſſerentis, quòd licet offenſa ſit finita, eſt tamen incompenſabilis à pura creatura, quantumvis ſancta; habet autem hanc incompenſabilitatem, vt homines terreantur, & abſtineant à peccatis. Impugno primò cum Bernal. Tùm quia ideò offenſa eſt incompenſabilis, quia tanta eſt eius magnitudo, vt reſultet incompenſabilitas; quæſtio ergo eſt, in quo ſtet talis magnitudo, quòd Lugo non explicat. Tùm, quia hæc incompenſabilitas, vel eſt finita, vel infinita. Si primum, cur non poterit tolli per multa obſequia finita, vel ſaltèm per obſequia in multitudine, & intenſione infinita. Si ſecundum ergo offenſa: non erit finita contra ipſum, ſiquidem habet proprietatem infinitam, nempè infinitam incompenſabilitatem.

376 2. Quia debet Lugo reddere rationem, cur opera bona non habeant tantam condignitatem ad placandum Deum, quantam peccatum ad offendendum; ſicut enim iſta oportet ad deterrendum à peccato, ita illa ad alliciendum ad obſequia. Vel enim habẽt tantam, vel nòn. Si habent: ergo quantum eſt ex parte bonorum operum, ſufficient ad ſatisfaciendum æqualiter. Si non habent, dicat quid illis deficit, vel quid habet ſpeciale offenſa, proptèr quod nequeat compenſari, & æquari.

377 Tandem ad hoc vt homines deterrerentur à peccatis, nõ eſt neceſſaria incompenſabilitas a creatura ſancta: ergo ex alio capite oritur. Antecedens probatur, nam poſſet Deus deterrere alitèr. Primo relinquendo peccatores, abſque illo medio ſuperno, cum ſolis naturalibus, omninò inſufficientibus. Secundo decernendo, non acceptare ſatisfactionem vnius pro alio. Tertio, quia non licet iudici punire aliquem vltrà condignum ex fine deterrendi alios, ſed ſatis eſt pœnam condignam non remittere. Quartò, quia hucuſque Lugo non aſſignauit ex parte offenſæ impotentiam intrinſecam compenſationis à creatura ſancta, nam motiuum deterrendi eſt valdè extrinſecum.

378 Confirmatur, quia vel offenſa ex natura rei eſt ſic incompenſabilis, vel ſolum ex Dei decreto ad deterrendum. Si primum: ergo eſt incompenſabilis indepẽdentèr à terrore, & quærimus, quare ſit. Si ſecundùm: ergo ex ſe eſt compenſabilis, & poteſt homo ſanctus offerre æquale, & ex parte Dei ſumetur incompenſatio, quia nempe prohibitò non vult admittere; quòd eſt parum conforme Sanctis Patribus. Maneret autem peccatum incompenſatum, non quia homo non ſatisfaceret ad æqualitatem, ſed quia Deus non admitteret. Cum autem poſſet admittere, ſi vellet, non eſſet Incarnatio neceſſaria. Sicut autem gloria cadit ſub meritum noſtrum condignum, licet requiratur, quòd Deus acceptet, ita etiam caderet in ſatisfactionem iuſti pro offenſa condignè, offenſæ redemptio, & extinctio.

ARTICVLVS VII.

CELEBRIOR SENTENTIA RECENTIORVM.

379 SExta ratio eſt Patris Suarez, & aliorum aſſentientium, offenſam eſſe ſimpliciter finitam incompenſabilem tamen, quia ipſa eſt in ſupremo ordine offenſæ, & ſatisfactio creaturæ ſanctæ eſt in infimo ſatiſfactionis, & ideò iſta non æquat illam; ſicut res ordinis inferioris non æquat rem ordinis ſuperioris. Prima pars patet, quia cum offenſa creſcat ex dignitate offenſi, & vilitate offendentis, offenſa erga Deum erit offenſarum ſuprema. Secunda etiam patet. Tùm, quia valor obſequij, & ſatisfactionis, creſcit ex dignitate ſatisfacientis, & homo purus eſt ſatisfactor valdè infimus reſpectu Dei. Obſequium etiam decreſcit ex dignitate eius cui fit; erit ergo obſequium, & ſatisfactio hominis erga Deum

in

in infimo gradu proptèr dignitatem Dei, & vilitatem hominis.

380 Hæc ſententia, & doctrina ſolum eſt intelligenda, quando offenſa, ſiue damnum eſt in materia honoris, & per modum contemptus. Etenim damnum pecuniæ centum dragmarum, & ſolutio ſimilis, ſiue fiat plebeio, vel nobili, ſiuè à plebeio, vel nobili, eandem habet moralem æſtimationem. Ratio autem eſt, quia tale damnum non affert læſionem in honore, ſed in bonis fortunæ, & ideò ſatisfactio ſolum attenditur pœnes bona. Omnis autẽ offenſa Dei prętèr res ablatas amoris obedientiæ, &c. affert læſionem diuini honoris; etiam fractio grauis præcepti Principis Eccleſiaſtici, vel Sæcolaris, eo ipſo quòd ſit mortalis, ac per conſequens in offenſa facta Deo, & in ſatisfactione exhibenda illi, creſcit offenſa á dignitate offenſi, & creſcit ſatiſfactio à vilitate ſatisfacientis.

381 Quòd autem omnis offenſa Dei honorem diuinum lædat, ſitque Dei contemptus, licet non ſpecialis, & directus (non enim ſempèr intendit peccans contemnere Deum, & propterea non ſempèr manet obligatus ad reſtituendum Deo honorem) ſed generalitèr, & tranſcendentalitèr, conſtat ex materia de peccatis, & circunſtantijs eorum. Omne enim peccatum mortale, ſicut eſt generalitèr inobedientia, ingratitudo, etiam eſt generalitèr contemptus; per quodlibet enim peccatum mortale, creatura vilis præfertur Creatori, & appreciatur magis, quàm Creator. Amicitia, & filiatio Dei, & hæreditas æternæ gloriæ vilipenduntur. Similitèrque minæ de inimicitia & odio Dei erga peccatorem, & æternitate pœnæ, parui habentur: totum hoc fit in oculis ipſius Dei, quòd eſt magna irreuerentia, & contemptus, multò magis, quàm ſi in oculis Regis frangeretur lex ab ipſo promulgata, cum ſimili conatu, promiſſionibus, & minis.

382 Talis ergo ſententia, quàm communitèr Recentiores ſequuntur, impugnatur aliter 1. quia offenſa licet ſit in ſupremo ordine reſpectu aliarum offenſarum, non conſtat, quòd ſit reſpectu obſequiorum omnium ſupernorum puræ creaturæ. 2. Quia licet offenſa ſumatur ab offenſo, & obſequium ab obſequente, ſed nec illa ſumitur ab offenſo ſolo, nec iſtud à ſolo ſatisfaciente, ſed à multis alijs, nempè amor ab obiecto, ab intenſione, & à multis alijs a quibus non apparet, cur non accipiat tantum valorem, quantum offenſa finita ab obiecto grauitatem.

3. Quod offenſa ſit in ſupremo ordine, & ſatisfactio in infimo, ſi offenſa finita ſit, non affert incompenſabilitatem: ergo nulla eſt ratio hæc. Antec. probat. quia licet in phyſicis. v. g. omnes arbores mundi non æquẽt perfectionem vnius Angeli, nec totum argentum mundi perfectionem phyſicam vnius vnciæ auri exiſtentium in altiori ordine; tamen in moralibus plura obſequia ordinis inferioris, ſi multiplicentur plus, & plus, poſſunt æquare valorem rei ordinis ſuperioris: ſic multum argenti æquat in pretio parum auri, & plures arbores æquant in pretio vnum hominem, dum venditur in mancipium.

383 Hoc vlterius patet in moralibus operibus, nam plures actus virtutum moralium iuſti æquant, & ſæpè excedunt in valore vnum actum charitatis, imò, & viſionis beatæ, quàm ideò de condigno merentur: & tamen viſio, & charitas ſunt altioris ordinis. Ratio autẽ eſt, quia licet facta comparatione inter inferius, & ſuperius, illud moralitèr non æquet iſtud, tamen inferius poteſt ita creſcere ex circunſtantijs ſanctitatis perſonæ, intenſionis, & durationis, & multitudinis, vt æquet moralitèr, imò excedat. Vndè licet ſatisfactio eo ſit minor, quo perſona eſt vilior, id eſt verum ſecundum ſe: inſpectis enim circunſtantijs ſanctitatis perſonæ, amicitiæ, & filiationis adoptiuæ, per quam creatura, licet ſit ſerua Dei aliàs, non tamen eſt ſerua vilis, & infamis, ſed ſerua honorata, ſicut filij reſpectu parentum. Tunc enim cum perſona non attendatur iam vt vilis, ſed vt filia; ſatisfactio poteſt ita creſcere ex circunſtantijs dictis, vt moralitèr æquet offenſam.

384 Si dicas: exempla iſta non eſſe ad rem, cum ſint eiuſdem ordinis, & eiuſdem lineæ in valore morali; ſatiſfactio verò, & offenſa ſunt ordinis valdè diuerſi propter dicta. Sicut autem multa venialia nequeunt æquare moralitèr vnum mortale, nec omnia opera honeſta naturalia in valore meriti de condigno vnum auxilium ſupernum, propter inferioritatem ordinis; ita neque per infinita opera charitatis æquabunt vnam offenſam moralitèr, quia hæc eſt ſupremi ordinis.

385 Contrà: quia quod offenſa, & ſatisfactio ſint diuerſi ordinis inter ſe, non impedit quod ſint æquales, & quoad valorem, eiuſdem ordinis. Probatur, nam ſi Plebeius offendat Regem, poteſt illi offerre talia obſequia in bonum ipſius Regis, imò, & totius Reipublicæ, vt prudentèr iudicetur ſatisfeciſſe offenſæ, vt v. g. ſi exponendo ſe magnis cruciatibus, & ſummo vitæ periculo, liberaret Regem à morte certiſsimè imminenti, & inſuper liberaret totum Regnum à magna infamia, & captiuitate, atque deuaſtatione iam iam imminentibus. Quis dubitet hanc eſſe ſatisfactionem valdè condignam? Etenim Rex eſt propter Rempublicam, non verò Reſpublica propter Regem. Offenſa ergo facta Regi non poteſt eſſe tam mala, quàm ſit bona liberatio Regis à morte, & totius Reipublicæ à generali deuaſtatione, & interfectione. præcipuè: cum vita Regis, & Reipublicæ ſit bonum altioris ordinis, quàm honor ipſius Regis.

386 Nec obſtat paritas facta de veniali ad mortale, & naturali ad ſupernum. Contra enim eſt, quia, vt benè Lugo, paritas ad ſummum probat dari aliquas moralitates ſuperioris ordinis incompenſabiles per moralitates inferioris ordinis, quantumcumque per plura obſequia multiplicatas, & nõ potentes eas æquare; eſt tamen probatum à nobis, dari etiam alias ſuperioris ordinis, compenſabiles per obſequia inferioris ordinis valdè multiplicata, & ex circunſtantijs dignificata: ergo ſuperioritas ordinis præcisè non eſt ſufficiens ratio, nec argumentum firmum probans incompenſabilitatem per obſequia ordinis inferioris. Sicque ratio Patris Suarez, & Recentiorum erit inſufficiens. Confirmatur, quia præcipuè in materia offenſæ, & compenſationis, ſuperioritas illius, non facit incompenſabilitatem condignam, vt vrgentèr probat argumentum factum de plebeio.

387 Contrà 3. quia ſi offenſa eſt quid naturale, vt per ſe patet, & finitum apud vos, & obſequium Angeli Sanctiſsimi ſit ſupernum, & vel infinitum in intenſione, duratione, & dignificatione à gratia infinitè intenſa, ſi poſsibilis ſit; vel ſaltèm obſequium illud in ſe, & circunſtantijs ſit ſummum, nulla apparet ratio, cur nequeat eſſe compenſatio condigna. Probatur, tùm quia obſequium, vtpotè ſupernum, eſt altius, quàm offenſa, altitudine ordinis. Tùm quia Angelus ille, licet ſit ſeruus natura ſua, & mancipium; moralitate tamen non eſt perſona vilis, ſed nobiliſsima, & ordinis diuini participatiuè per gratiam, vtpotè amicus, & filius Dei, & hæres gloriæ, ſeruuſque honorarius, ſicut vaſſalli magni. Vndè ſi offenſa finita eſt non videtur cur ſit tam ingrata, quàm obſequium ſit gratum: ergo eſt ſufficiens compenſatio.

388 Nec dicas, quòd offenſa eſt quid ſupremum in genere mali. Concedo enim: ſed arguo, quia ſupremum finitum vnius ordinis poteſt æquari, imò, & vinci in moralitate, & valore per rem mediam (imò aliquando per infimam) alterius ordinis. Sic ſupremum obſequium naturale vincitur à medio, imò infimo præmio ſuperno. Item offenſa ſuprema Regis, vt præcisè eſt Regis, vincitur ab offenſa veniali infima Dei. Item inter bona naturalia, tenet primum locum vita. Secundum, honor, & infimum bona fortunæ. Qui autem abſtulit vitam Patri, ſatisfacit de condigno filijs, ſi ipſis donet plures honores, dignitateſque honorificas, imò ſi ipſos accomodet in multis fortunæ iuribus. Vndè à medio vnius ordinis multiplicato æquari poteſt, & excedi ſupremum alterius ordinis: ergo & offenſa grauis Dei per obſequia maxima multiplicata Angeli Sanctiſsimi, licet hæc obſe-

ſe-

ſequia poſita ſint in medio obſequiorum,& offenſa in ſupremo offenſæ.

ARTICVLVS VIII.

NOVA RESPONSIO RECENTIORVM.

389 REſpondent Recentiores aliqui ad hæc argumenta, offenſam licet finitam, eo ipſo, quod ſit contrà Deum, eſſe incompenſabilem. Ratio autem eſt, quia data æqualitate omnimoda inter offenſam, & hanc obſequiorum multitudinem, adhuc ſatisfactio non eſt condigna. Licet enim cætera ſint paria, adhuc requirit condignitas ſatisfactionis, quòd inter perſonam ſatisfacientem, & perſonam offenſam detur æqualitas, vel in re, vel ſaltìm quod defectus æqualitatis cum perſona offenſa cõpenſetur alijs obſequijs. Cũ autẽ exceſſus Regis ſuprà plebeium compenſari poſsit à plebeio per obſequia, ſiquidem finitus eſt; exceſſus verò Dei offenſi, vtpotè ſimpliciter infinitus, compenſari nequeat à pura creatura, etiam per innumera obſequia, hinc fit; quòd ſatisfactio plebeij poſsit pertingere ad condignam; ſecùs autẽ ſatisfactio puræ creaturæ, reſpectu offenſæ Dei.

390 Impugno tamen ſolutionem. 1. quia ſatisfactio condigna non reſpicit perſonam offenſam, æquandam per ſatisfactionem (aliàs nec pro veniali poſſet dari condigna ſatisfactio, ſi ad perſonam attenderetur) ergo ſolum reſpicit offenſam ipſam, cui æquentur obſequia. 2. data æqualitate inter offenſam, & obſequia, ſi ſolum detur inæqualitas in exceſſu perſonæ offenſæ; inquiro: vel iſte exceſſus infinitus Dei communicatur, & refunditur in offenſam, quantus ipſe eſt, ideſt infinitè, vel refunditur ſolum finitè, & non quantus ipſe eſt, ſed ſolum quantum offenſa capax eſt? Si 1. ergo ab illo exceſſu infinitatur offenſa ſimpliciter, & ſic ſi propter exceſſum offenſi ſic communicatum, & refuſum, offenſa ſit incompenſabilis; vtique erit incompenſabilis, quia eſt ſimpliciter infinita, vt intendo, & non quia ſuprema finita.

391 Si 2. communicatur modo finito ille exceſſus: ergo licet ſecundum ſe, & vt infinitus in ſe, non ſit æquabilis per obſequia finita multiplicata, quatenùs tamen refunditur in offenſam poterit per alia cõpenſari. Conſequentia probatur, tum argumentis omnibus, quibus probatum eſt, poſſe offenſam finitã, & alia finita altioris ordinis cõpenſari per obſequia finita multiplicata inferioris ordinis. Tùm etiã, quia dignitas offenſi eo modo aggrauat iniuriam, quo attinet, non aliter ad illam, attenditurque à prudentibus conſiderantibus moralitatem iniuriæ. Sic furtum factum Regi non creſcit à Regia dignitate, quia hęc nihil cenſetur conducere ad furtum moralitèr. Auget autem offenſam in oculis Regis factam, quia moralitèr valdè conducit; aliqualitèr autem auget leuem inurbanitatem, v.g. non tollendi galerum, ſed parum, quia aliqualitèr conducit, licet parum: ergo ſi ſolum attinet, & refunditur exceſſus offenſi in offenſam finito modo, poterit per obſequia finita compenſari.

392 Confirmatur: licet Deus viſus, & obiectiuè beatificans, quantum clarè viſibilis eſt, excedat omne condignum meritum creaturæ, ſecùs Deus viſus, & beatificans finito modo, vt de facto beatificat beatos, & proptereà iuſtus meretur de condigno Deum vt bonum ſibi, vt poſſeſſum, viſum, & beatificantem. Ratio autem eſt, quia non debet æſtimari, niſi eo modo quo refunditur eius dignitas in viſionem; licet autem in ſe ſit ſimpliciter infinitus, nõ tamen refunditur modo infinito ſed finito. Vndè quantum habet intellectus eleuatus de viſibili Dei, tantum Deus habet de viſibili reſpectu talis intellectus, non ſolum in re, ſed etiam in morali æſtimatione: ergo ſi exceſſus Dei, ſolum aggrauat offenſam, prout refunditur in illam, & ſolum refunditur modo finito; æſtimabitur moralitèr, vt quid finitum, ſicut, & ipſa offenſa: ergo ſicut iſta cæteris paribus eſt compenſabilis per plura obſequia per vos, ſimilitèr & ille exceſſus, vt refuſus in offenſam, per alia obſequia.

393 Impugno ſolutionem 3. offenſa mortalis eſt limitata, & finita per vos, non obſtante infinito exceſſu offenſi; limitatur autem ab aduertentia creata, quę eſt finita, & limitata: ergo etiam incompenſabilitas veſtra non erit tàm magna, & ſumma, vt non limitetur ad finitam per ipſam limitatam aduertentiam, non obſtante exceſſu infinito offenſi. Non ergo erit tanta, vt nequeat tolli moralitèr, & meritoriè per compenſationem condignam, minorem infinita; ac per conſequens per ſatisfactionem finitam. Conſequentia probatur: incompenſabilitas enim eſt proprietas offenſæ ſupremæ, & pœna grauitatis ipſius.

394 Si ergo offenſa per aduertentiam creatam deprimitur à ſua grauitate ad finitatem, non obſtante exceſſu offenſi, reſpectu cuius eſt verus contemptus: ergo etiam his non obſtantibus incompenſabilitas deprimetur ad finitatem: non enim eſſentia finita capax eſt infinitæ proprietatis, nec culpæ finitę correſpondere valet de condigno pœna infinita, qualis eſſet incompenſabilitas per finita. Modo ſic: incompenſabilitas offenſæ, ſiuè vt proprietas, ſiuè vt pœna, quid finitum eſt: ergo etiam eſt æquabilis, & auferibilis condignè per ſatisfactionem finitam. Hæc conſequentia probatur, quia quod ad ſui extinctionem per ſatisfactionem æqualem requirit infinitum pretium, & per nullum finitum eſt æquabile, eo ipſo eſt debitum, vel pœna infinita: ergo ſi non obſtanti exceſſu dignitatis offenſi, offenſæ incompenſabilitas, nec eſt proprietas infinita, nec pœna, aut debitum infinitum, ſed potius finitum; ſufficienter compenſabitur, & meritoriè condignè auferetur per ſatisfactionem finitam; non obſtante exceſſu offenſi: ſicut grauitas offenſæ ſecundum ſe æquari poteſt per obſequia.

395 Ad hæc omnia dices: obſequia iuſti, quæcumque ſint, nunquam poſſe æquare offenſam: habent enim in orbitum multiplex caput, per quod deficiant, tum quia ſunt Deo debita alias vel titulo dominij, vel gratitudinis, & quia potius ſunt opus Dei ipſius, quam noſtrum, propter auxilium, & concurſum, & multa alia. Vnde aliqui Doctores hanc etiam addiderunt rationem, propter quam pura creatura nequeat de condigno ſatiſfacere pro offenſa. Sed contrà. Tùm quia ſi hæc valerent, nec Chriſtus ſatisfeciſſet de condigno, quia etiam eius opera erant Deo debita alijs titulis. Tùm quia iuſti non obſtantibus illis debitis, de iuſtitia, vel ſaltìm de condigno per opera bona merentur gloriã: ergo etiã poſſent mereri ſatisfactionem de condigno. Ratio autem huius eſt, quia his non obſtantibus hæc opera fiunt à iuſto, vt verò Domino illorum, ſaltim per dominium libertatis, cedente Deo alios titulos.

396 Obijcies: multitudo venialium, non æquat mortale moralitèr, nec naturalia auxilium ſupernum altioris ordinis: ergo nec noſtra ratio eſt firma. Reſpondetur eſſe firmam ad infirmandam rationem veſtram, vt probatum eſt: *dato enim ſemel*, quòd aliquæ res ſuperioris ordinis poſſint æquari rebus ordinis inferioris, & alia nòn, cur offenſa erit ex illis, & non ex illis? Noua eſt inquirenda ratio, & non ſufficit ſola ſupremitas.

Inſuper eſt diſparitas: quia venialia ideò non ęquant mortale, quia veniali eſſentiale eſt eſſe leue; multitudo autem eorum addit numerum, ſed non mutat eſſentiam, ideòq; nõ æquant mortale; æquaret autem in moralitate, ſi attendenda eſſet eorum moralitas, non ſecundum eſſentiam leuitatis, ſed ſecundum magis, & minus; at ſatisfactio creaturæ, quamvis creſceret ita, vt æquaret offenſam, non ideo mutaret eſſentiam, quia non eſt de eſſentia ipſius eſſe quid leue, & paruæ æſtimationis.

397 Item quodlibet ſupernum eſt Deo affine, ſiue quaſi conſanguineum, ſiue eſſentialitèr moralitèr de ordine diuino, & hoc habet per ſua eſſentialia: naturalia autem omnia ſunt de ordine infimo, prout oppoſito ordini ſuperno, & ideò ſuam æſtimationem habent de per ſe talem, vt nequeant pertingere ad conſanguinitatem ſuperni; ſunt ergo æſtimationes, & moralitates eſſentialitèr diuerſæ, & inæquales. Quotieſcumque ergo moralitates

diuerſarum rerum, valoréſque earum, ſolum differunt ſecundum magis, & minus, poteſt additio eleuare inferiorem, ita vt faciat æquale: ſecùs quando diuerſitas, & inæqualitas moralis ſtat in ſubſtantia, & eſſentia.

DISTINCTIO III.

DE OFFENSA.

QVÆSTIO IX.

RATIO NECESSITATIS EX INFINITVDINE offenſæ.

ARTICVLVS I.

PRÆMITTVNTVR ALIQVA.

398 NOTA 1. Peccatum eſſe actum liberum malum diſſonum naturæ rationali. Vt ſit offenſa Dei, addit, quòd aduertatur eſſe contra Deum grauitèr prohibentem, & reſiſtentem per minas inimicitię, & æternę pœnæ. Si autem hoc non aduertatur, non erit offenſa, nec culpa Theologica, ſed moralis Philoſophica contra naturam ſolam. Vt ſic, certum eſt, quod ſit finita, tùm in ſe: tùm ex parte naturæ, contra quam eſt. Difficultas eſt de culpa vt offenſa Dei.

399 Dixi, *contrà Deum grauitèr prohibentem*, in quo differt à peccato veniali, quod eſt contra Deum leuitèr prohibentem; non enim minatur inimicitiam, nec hæreditatis æternæ amiſsionem. Vndè licet leuis ſit propria Legis trãsgreſsio, non tamen verus perſonæ contemptus adhuc leuis. Quod autem Deus odio habeat venialia, ſicut amicus in ſuo amico defectus leues, ſed non proptèr illa, odio habet perſonam peccantem, ſicut proptèr mortale.

400 Noto 2. Infinitum eſſe duplex. *Strictum, & latum*: Illud in ſe, & formalitèr eſt infinitum. Iſtud non in ſe, ſed ſolù extrinſecè terminatiuè, quia habet terminum infinitum, vt amor Dei. Sic Maternitas Virginis aſſeritur quodammodo infinita propter Chriſtum terminum infinitum (licet alij maiorem infinitatē concedant, quia tenent Chriſtum eſſe formam Maternitatis.) Infinitum ſtrictum, & in ſe eſt duplex, ſimplicitèr, & ſecundum quid. Iſtud finitum eſt in ſua eſſentia, licet infinitum formalitèr ob aliquod accidens, nempe intenſionem, durationem, vel multitudinem; v. g. amor Dei infinitè intenſus; eſſentia enim ipſius, limitata, & finita eſt, & eiuſdem naturæ, ac ſi eſſet vnus tantum gradus amoris; eſt tamen formalitèr infinitus in intenſione, quæ illi accidentalis eſt.

401 Infinitum ſimplicitèr eſt illud, quòd in ſuo eſſe ſubſtantiali, & eſſentiali, eſt tale pelagus infinitudinis, quòd in ſua perfectione, vel conſtitutiuo eſſentiali, caret termino in illa linea, antecedentèr ad accidentalia. Eſt duplex: vnum in omni perfectionis genere, & hic eſt ſolus Deus, in quo attributum quodlibet eſt pelagus interminabile in ſuæ lineę perfectione; aliud eſt in aliquo genere ſolum, v. g. Omnipotentia in linea virtutis ad extrà. Quidam tenent eſſe de ratione infiniti ſimplicitèr, quòd non poſsit dari vnum maius alio, ſed hoc non eſt abſolutè verum. Etenim actus meritorius Chriſti ſimplicitèr infinitè dignificatur à perſona, ſed non per identitatem, nec per tam ſtrictam communicationem, ſicut amor increatus Dei. Erit igitur maior amoris increati perfectio, & dignificatio, ſicut etiam in infinitis creaturis poſsibilibus maius eſt infinitum partium, quàm infinitum compoſitorum.

402 Noto 3. Offenſam non fieri incompenſabilem, eo quod habeat infinitatem terminatiuam, vel formalem ſolum ſecundum quid: has enim infinitates, etiam poteſt habere obſequium ſupernum puræ creaturæ; & multa alia incrementa iuxta dicta quæſtione præterita art. vltimo. Difficultas ergo eſt, an in ſuo eſſe ſubſtantiali morali ſit ſimplicitèr infinita; ſiue an offenſa intrà viſcera eſſentialia ſua, tantam habeat moralem grauitatem, vt ſit pelagus malitiæ, & grauitatis, ſiue iniuriæ interminabile? Et hoc independentèr ab accidentibus intenſionis, vel alijs.

403 Ex his colligitur, pœnam æternam eſſe tantum ſecundum quid infinitam. Vndè non benè contendit Pater Bernal citandus probare infinitatem ſimplicitèr offenſæ, & incompenſabilitatem ex infinitudine pœnæ. Deus enim videns offenſam futuram in tempore potuit creare ab æterno Angelū ſummè ſanctum, & fideiuſſorem pro offenſa, & ab æterno merentem intenſiſsimè, atque ſatisfacientem pro illa. Hæc autem ſatisfactio, cum eſſet æterna à parte ante, poterat æquare ſuo merito pœnæ æternitatem à parte poſt, ac per conſequens, non repugnaret ex hoc capite, quòd ſatisfaceret condignè, ſed vide nu. 429.

404 Tandem nota, quæſtionem poſſe procedere de infinitate ſimplicitèr offenſæ, vel in eſſe phyſico, vel in eſſe morali. Primam infinitatem defendit Bernal, quia docet offenſam in ſuo conſtitutiuo quaſi phyſico, includere eſſentialitèr infinitam diſtantiam phyſicam offenſoris ab offenſo, à qua aggrauatur offenſa. Patet, quia cum offenſa vt talis includat aduertentiam oppoſitionis cum Deo, & libertatem; & hæc includat ipſum operantem in actu primo, eo ipſo includit illam intimam diſtantiam infinitè grauificantem offenſam; ſententia tamen infinitatem moralem tantum ſimplicitèr defendens plauſibilior eſt, vt infrà conſtabit.

ARTICVLVS II.

EXAMINATVR SENTENTIA NEGANS.

405 EAM tenet Suarez diſp. 4. ſect. 7. Vazquez diſp. 2. cap. 2. Lugo diſp. 5. ſect. 3. Salaſ. 1. 2. tract. 13. diſp. 15. ſect. 6. quos ſequuntur alij recentiores. Probatur, quia nec eſt infinita ſimplicitèr ex menſura morali: nec ex parte formæ conſtitutiuæ: nec ex parte effectuum, ergo ex nullo capite. Antecedēs probatur per partes. Non ex 1. capite, nempè, quia tantò maior eſt offenſa, quantò maior eſt Deus in quem delinquitur: nã etiam tantò maior eſt amor, quantò maior eſt amatus, nec proptereà amor creaturæ ad Deum eſt ſimplicitèr infinitus. Ratio eſt, quia non creſcunt ab obiecto vniuocè, & ad menſuram obiecti cum æqualitate, ſed ſolum geometricè, id eſt cum proportione.

406 Nec ex 2. capite, quia talis forma infinitens non poteſt eſſe alia, quàm ipſe Deus. Non tamen eſt ipſe Deus (quidquid doceant recentiores aliqui apud Arriagam de Anima diſp. 8. num. 93.) Probatur. Tùm 1. quia conſtitutiuum offenſæ vt talis, cum ſit cõtra Deum, ſtat formalitèr in aliquo oppoſito Deo, vt prohibenti; atqui hoc oppoſitum non eſt agregatum ex peccato, & Deo, ſed eſt ipſum peccatum, vt aduertentèr factum contra Deum vt terminum, ſiue ipſa operatio mala ſic facta. Tùm 2. quia offenſa vt talis eſt iniuria Dei; atqui iniuria ſtat in ſolo actu libero vt facto contra ius Dei; non verò in agregato ex actu iniurioſo, & ipſo iure Dei.

407 Tùm 3. quia offenſa formalitèr ſumpta, & realitèr ſumpta, iuſtè habetur odio, tàm à Deo, quàm à creatura: ergo & eius conſtitutiuum; atqui nihil diuinum, adhuc partialitèr poteſt odio haberi iuſtè: ergo Deus non eſt forma offenſæ, nec pars. Confirm. quia Deus odio habet offenſam ſecundum denominationem offenſæ vt

talem.

Digitized by Google

talem: ergo ſi denominatio ſumitur à forma, & hæc eſt ipſe Deus ſummum bonum, & ſumma Sanctitas ſubſtantialis, hæc habebuntur odio à Deo, & conſequenter à nobis offenſam deteſtantibus.

408 Tùm 4. quia non eſt aſsignabile aliquid diuinum pro forma. Prob. quia hęc non eſt lex, nec odium diuinum de peccato, nec iudicium dictans peccatum eſſe malum: nam licet hæc peccato opponantur, ſiue offenſę; non ſunt malum morale, & alias iſta duo ſupponunt offenſam: ergo non poſſunt eſſe forma, nec ratio conſtituens offenſam, ob quam Deus iſtam odio habeat. Conſeq. patet, quia *proptèr quod vnumquodque eſt tale, & illud magis*: ergo ſi ipſe Deus, vel aliquid Dei eſt formalis ratio ſpecificans offenſam, & propterquam Deus illam odio habet, magis odio habebit ipſam legem, & iſta diuina.

409 Nec item ex 3. capite: quia offenſa non cauſat effectus infinitos. Prob. quia primus effectus eſt pœna æterna, hęc non eſt infinita ſimplicitèr, vt cōſtat ex art. 1. Itē 2. quia hęc pœna etiam correſpondet peccato graui philoſophico, ſi detur, Imò & veniali, ſaltim de per accidens: nec tamen moralitas illorum eſt infinita. 3. Si infinitudo ſimplicitèr deduceretur ex æternitate pœnæ, omnes offenſę eſſent æquales: nam quævis offenſa eſt ſimplicitèr infinita, mereturque omnes pœnas poſsibiles, imò nec omnibus ſufficientèr punitetur, quia omnes pœnæ poſsibiles, cum ſint ſolum ſecundum quid infinitæ, non ęquant vnam offenſam, ſi hęc infinita eſt.

410 Inſuper ſequeretur, omnes offenſas eſſe ęqualis demeriti; atqui hoc non poteſt dici, quia hæreſis, & iniuſtitia, vallè inæquales ſunt. Sequeretur tandem, quamlibet offenſam mereri tantam pœnam, quantam omnes ſimul; ſiquidem meretur quælibet, omnes pœnas poſsibiles; omnes autem offenſæ ſimul non merentur amplius, quia non eſt poſsibile plus pœnæ, quam merentur.

ARTICVLVS III.

NEC EX ALIIS EFFECTIBVS PROBATVR infinitudo.

411 SEcundus effectus eſt odium Dei ſimplicitèr infinitum. Item amiſsio amoris, & amicitiæ Dei ſimplicitèr infinitæ, priuatio vnionis hypoſtaticæ; nam ſi Deus donaret iuſto auxilia, vt condignè mereretur gratiam, & gloriam, & congruè vnionem hypoſtaticam, ſi ipſe peccaret mortalitèr, omni illo bono, & iure ad illud priuaretur. Modo ſic: amiſsio boni ſimplicitèr infiniti, eſt malum ſimplicitèr infinitum: nam quantò bonum maius eſt, tantò peius eſt priuari illo, vt patet in cæcitate, quę ideò eſt peior ſurditate, quia priuat maiori bono.

412 Atqui ex his effectibus, non colligitur infinitudo offenſę: ergo ex nullis. Minor probatur, quia offenſa venialis finita eſt, & tamen eſt digna odio Dei, & volitione puniendi illam (licet non reddat perſonam odio dignam.) Secundo: opera bona iuſti condignè merentur gratiam, & gloriam, imo diuinam amicitiam, & diuinum amorem, qui eſt ſimplicitèr infinitus, nec ſunt infinita. Ratio eſt, quia ſicut in Deo volitio dandi gloriam non plus ęſtimatur, quàm gloria ipſa data, quia illa exiſtit proptèr iſtam, ita nec amicitia merita de condigno, nec odium Dei, æſtimatur plus, quam effectus ex illis reſultantes, propter quos ſunt.

413 Confirm. opera iuſti non ſolum ſunt condigna glorię, ſed condignè Deum mouent, vt vellit dare gloriam, & alia bona iuſto: atqui opera iuſti non ſunt infinita, licet talis volitio diuina, & motio ſit infinita: ergo licet offenſa condignè moueat ad odium infinitum, non ideò erit infinita. Ratio autem eſt, quæ nuper eſt data.

414 Nec ex eo, quòd iuſtus peccans grauitèr, demereatur vnionem hypoſtaticam, ſequitur in offenſa infinitudo. 1. quia per modum indecentiæ, demereri illam poteſt etiam culpa venialis, iudicante Deo, non decere dari homini venialitèr maculato. 2. quia licet vnio hypoſtatica ſit ſimplicitèr infinita, eius priuatio non eſt; ſicut licet Deus ſit infinitus, eius poſſeſsio nō eſt infinita; nā viſio beata eſt poſſeſsio, ad quam ſufficit meritū finitum: ergo etiam ad priuationem vnionis ſufficiet demeritum finitum; eo quod priuatio, quæ eſt directè merita, eſt malum finitum.

415 Confirm. quia non eſt vtcumque verum, priuationem boni, eo eſſe peiorem (ſaltim vniuocè) quo bonum priuatum maius eſt. Etenim actus charitatis melior eſt, quàm vita corporis, cum ſit diſpoſitio ſuperna ad gratiam: & tamen peius eſſet necare Petrum, quàm impedire illi actum charitatis. Vndè ad hoc, vt priuatio maioris boni ſit maius malum, requiritur, quòd tale bonum ſit magis conveniens ſubiecto, & neceſſarium ſtatui illius; vel quod ad illud habeat ius, vel quid ſimile; nulli autem iuſto in ſuo ſtatu eſt neceſſaria vnio hypoſtatica, nec habet ius ad illam, ideòque priuatio eius non eſt malum illi ſimplicitèr infinitum.

416 Addi poſſet 1. reſpectu hominis in ſtatu superno peiorem eſſe priuationem gratiæ priuatione vnionis, licet iſta priuet maiori bono: nam priuatus vnione, ſed non gratia, maneret iuſtus, & poſſet eſſe beatus; priuatus autem gratia maneret in ſumma miſeria, ideòque conuenientior eſt gratia, quàm vnio, licet iſta ſit melior: ergo non eſt verum generalitèr, quòd priuatio eo ſit peior, quo maius eſt bonum quo priuat, ſed quo eſt magis conveniens bonum, quo priuat: & ſic licet vnio hypoſtatica ſit infinitum bonum, priuatio eius promerita per offenſam, non eſt infinitum malum.

417 Addi poſſet 2. offenſam, ſicut & etiam peccatum veniale, non mereri de condigno priuationem vnionis hypoſtaticæ, alias debitæ ex promiſsione, ſi talis priuatio eſt infinita. Quomodo ergo impediunt vnionem? Reſp. impedire, vel per modum incompatibilitatis, vel per modum cuiuſdam indecentiæ, non verò per modum demeriti condigni, & pœnæ condignæ; ſicut duplex eſt irregularitas impediens ordines: vna eſt ex delicto, & hæc impedit per modum demeriti, & pœnæ; alia eſt ex defectu, & hæc eſt abſque demerito, per modum cuiuſdam indecentiæ. Addi poſſet 3. quòd priuatio boni eo eſt maius malum, quo bonum eſt maius: id tamen eſt verum æquiuocè (vt ſtatim declarabitur) ſiuè proportionabilitèr, non tamen vniuocè, ita vt priuatio ſit ad æqualitatem tàm mala, quam bonum priuatum eſt bonum: ergo ex effectibus non colligitur infinitudo offenſæ.

ARTICVLVS IV.

RESPONDETVR ARGVMENTIS.

418 AD primum caput reſp. offenſam eſſe vniuocè tanto maiorem, quanto maior eſt offenſus, vniuocatione ordinis; ſecùs amor, qui non menſuratur vniuocè ex obiecto amato, de quo infrà. Ad 2. caput. Reſp. offenſam in eſſe morali conſtitui Deo formalitèr, vel æquiualentèr intrinſece vt forma. Ad impugnationes reſp. multas eſſe denominationes includentes vnam partem in recto, & aliam in obliquo; prædicationes tamen cadere ſuprà rectum, & non ſupra obliquum. Sic Petrus vt poſterior Adamo includit prædicamentalitèr Adamum, & tamen poſterioritas non conuenit Adamo, ſed Petro. Item eſſe filium includit in obliquo Patrem, nec tamen de Patre prædicatur, quòd ſit filius. Diſſenſus de Trinitate vt falſus, Trinitatem includit vt formam: nec tamen iſta eſt falſa, ſed ille; ſic offenſa vt iniurioſa, & grauis, dicit in obliquo Deum, vt formam prædicamentalem, & moralem, & in recto actum malū. Solus tamen iſte eſt iniurioſus Deo, & habendus odio, ſecùs Deus.

419 Vn-

419 Vndè ſi dicas : offenſa ſtat præciſè in actu facto contrà Deum. Reſp. eſſe verum, loquendo de recto offenſæ, ſecùs de aggregato, & conſtituto ; ſicut apud aduerſarios, comeſtio carnis peccaminoſa prædicatur ſolum de illa actione comedendi, facta contrà prohibitionem, non verò de prohibitione ipſa. Comeſtio tamen vt peccaminoſa, ſtat in aggregato ex vtraque, & in ipſa prohibitione tamquam forma æquiuoca, ac per conſequens amanda, & non odio habenda, licet odio habeatur illud totum. Malum enim, quando ex bono conſtituitur, æquiuocè & diſſimilaritèr conſtituitur.

420 Hinc licitè odio habetur comeſtio prohibita, licet prohibitio ſit bona, & amanda : ergo licet Deus conſtituat offenſam vt forma, offenſa odio habebitur, eritque mala, ſecùs Deus. Ratio autem eſt, quia aggregatum tantò eſt moraliter peius, quantò conſtat ex extremis magis oppoſitis. Hinc addo, tunc Deum, qui eſt forma offenſæ, dici poſſe quod odio habetur, *non quidem in ſe, & directè*, ſed ſolum *indirectè, & in alio* : quod ſolum ſonat haberi odium aggregatum, in quod intrat Deus, vt pars. Vndè non eſt verum, quòd Deus odio habeatur abſolute, ſed cum addito, nempè *indirectè*, & provt in toto. Sic peccatum vt quid morale, factum cōtrà præceptum ſupernum habetur odio, & eſt quid malum ; conſtituitur autem partialitèr ex libertate in actu primò; hæc autem includit auxilium ſupernum, & Omnipotentiam applicatam. Nec tamen propterea iſta in ſe ipſis habebuntur odio, ſed ſolum indirectè, & provt in aggregato.

421 Ad illud, quòd additur, Deum non poſſe eſſe rationem formalem, propter quam offenſa habeatur odio. Tùm, quia ipſe bonus eſt. Tùm, quia ſequeretur ipſum Deum magis odio haberi. Reſp. 1. inſtando illud in prohibitione bona. Reſp. 2. poſſe eſſe rationem formalem quaſi æquiuocam, licet non poſſit eſſe vniuoca. Multæ enim res ſunt ſeorſim bonæ, & dum vna informat aliam prædicamentalitèr, reſultat æquiuocè, & diſſimilaritèr malum; prohibitio enim eſt bona, & comeſtio ſecundum ſe eſt bona. Sicut lac eſt bonum, & attramentum bonum, coniunctum autem eſt malum.

422 Adde, quod talis malitia non ſtat in prohibitione ſecundum ſe, ſed ex conſortio cum comeſtione. Inſuper prohibitio ſe ſola non eſt forma in actu 2. in conceptu enim reduplicatiuo formæ, addit aliquid ſuprà entitatem prohibitionis, nempè connotationem comeſtionis malæ exercitæ. Dixi alibi, non ſolum ſimilitudinem prædicamentalem, dicere intra ſe fundamentum, & terminum ; ſed etiam dicit vtromque, denominatio ipſa fundamenti ; licet dicar diuerſimodè. Ratio autem eſt, quia etiam entitati illi, quæ eſt fundamentum, eſt contingens actualis denominatio fundameti: ergo à forma contingenti, quia dicit aliquid plus præter entitatem nudam. Sic prohibitio, vel Deus ſub denominatione formæ ſuperaddunt entitati nudæ aliquam connotationem ad actum malum, ratione cuius ſortiri poſſunt aliquam denominationem mali, ob quam odio habeantur. Sed melior eſt 1. ſolutio.

423 Ad Adagium illud : *propter quod vnumquodque eſt tale*; reſp. eſſe verum in actibus intellectus, & voluntatis, quando vtrumque odio habetur, vel amatur: tunc ex obiectis iam amatis obiectū formale magis odio habetur: ſed hic non valet, quia Deus non odio habetur, vt dictum eſt, nam haberi odio indirectè, & in alio, non eſt Deum odio haberi, ſed odio haberi aggregatum.

424 Imò aliquis dicet : nec ſic eſſe verum in actibus voluntatis communitèr, nam cū quis videt pulchritudinem creaturarum, poteſt facere amorem Dei, diligēdo illū, quia produxit illas : & licet Deus, & ipſæ amentur, non magis amantur illæ, quia eſſet grauis inordinatio ordinare maius bonum ad minùs. Reſp. non eſſe inconveniens magis amare creaturas per aliquem actum (loquor de amore intenſiuo, non autem de appreciatiuo) ſicut non eſt inconveniens per aliquem actum non amari Deum, ſed creaturas. Solum ergo eſt inordinatio, quādo maius bonum ordinatur ad minùs tamquam ad vltimum finem, & appreciatiue, & vltimatè; itavt ille non amaret maius, niſi ſolum propter minùs.

425 His poſitis, dum offenſa odio habetur propter Deum, nego Deum magis haberi odio, ſiquidem Deus non odio habetur. Si dicas: offenſa odio habetur, quia offenſa eſt, ſiuè propter ſuam formam : ergo magis odio habetur talis forma. Reſp. poſſe eſſe ſermonem de duplici forma: vna quaſi phyſica, quæ eſt entitas Dei, alia quaſi metaphyſica, quæ eſt differentia offenſæ diuinæ vt talis ; & hæc differentia metaphyſica non eſt entitas Dei, ſed aggregatum ex actu, qui eſt offenſa, & ex forma offenſæ; ſicut rationale vt tale, quatenùs forma metaphyſica, non eſt anima, ſed eſt aggregatum ex corpore, & anima rationali non vt ſenſitiuū ſed vt rationale.

426 Loquendo tamen de forma quaſi phyſica, nego conſequentiam; ſicut qui diſſentitur hæreſi de Trinitate, non magis diſſentitur Trinitati. Denominatio enim diſſenſus, aut odio habiti, quæ convenit toti, non dicitur de ſingulis partibus, nec de parte formali abſolutè, & ſecundum ſe. Loquendo de metaphyſica, concedo, ſed iſta non eſt entitas Dei, vt dixi; ſed ipſe actus malus, provt oppoſitus Deo prædicamentalitèr incluſo in illa, & ſic differētia eſt ipſa oppoſitio ſpecialis coaleſcens ex actu & Deo, quæ odio habetur, & magis odio habetur.

ARTICVLVS V.

RESPONDETVR AD ARGVMENTA TERTII capitis.

427 AD 3. caput reſp. 1. fatendo, non colligi infinitatem offenſæ ex æternitate pœnæ, & nihilominus offenſa meretur omnem pœnam poſſibilem (in quo differt à malitia philoſophica, quæ non meretetur pœnam æternam. Vnde ſi quis moriatur cum ſola iſta, non iret in infernum, ſed deputaret Deus alium locum, & pertinet ad diuinam Prouidentiam, ne aliquis moriatur ſic.) Et licet offenſa omnem pœnam poſſibilem mereatur, non ſequitur ex hoc, omnes eſſe omninò æquales, ſaltèm accidentalitèr : nam malitia odij Dei, eſt malitia gulæ, maior.

428 Hinc ſequitur 1. Vnam mereri maiorem pœnam, quàm aliam : nam ratio demeriti eſt maior quoad ſufficientiam, ita vt ſi eſſent poſſibiles pœnæ ſimplicitèr infinitæ inæquales, maior correſponderet maiori offenſæ, & minor minori ; quoad efficientiam verò, & in accipiendo pœnam, ſi Deus totam daret poſſibilem, nulla haberet plus pœnæ quam alia, quia tota debetur cuilibet. Deus autem vt miſericors, nulli offenſæ, de facto dat omnem pœnam, quia punit infra condignum. Reſp. 2. etiam probari ex infinitate pœnæ æternæ, *ſuppoſito quod Deus puniat infra condignum* : etenim ſi in hac vita, vt inquit Auguſtinus, omne meritum comparatur: ergo tota æternitas pœnæ fuit hic per quodlibet mortale promerita.

429 Hinc falſum eſt ideò dare Deum pœnam æternè perſeuerantem, quia æternè durat affectus ad peccatum, in damnato. Durat enim ſine libertate, & Deus perſeuerantiam in illo affectu, quæ libera non eſt, non poteſt iuſtè punire. Nec dicas, eſſe liberam in cauſa, quatenus liberè peccans viator, virtualiter vult perſeuerantiam eius. Sed contrà, quia potuit peccator in mundo retractare peccatum efficaciter, ſed ex motiuo inſufficienti ad iuſtificationem : & ſic licet continuetur eadem macula habitualis voluntariè, ſecùs, affectus actualis. Tùm, quia hoc eſt concedere in damnatis ſtatum ſubſtantialem merendi, qui etiam concedi in beatis deberet, quæ falſa ſunt. His poſitis.

430 Pœna accerbiſſima infinitæ durationis, promerita, per modum vnius, ſiue per vnum peccatum; cum ſit infinita petit demeritū infinitum vel ſubſtantialiter, vel ſaltim accidentaliter. Peccatum autem, ſi non gauderet infinitate ſubſtantiali, non poſſet mereri illam per acciden-

Digitized by Google

dentalem, quia hęc non datur. Non enim eſt infinita infinitudine formali intenſionis, multitudinis, aut durationis: ergo vt condignè pœnam æternam mereatur debet habere infinitudinem ſubſtantialiter, & ſimpliciter.

431 Sequitur 1. Vnã offenſam eſſe maiore alia materialitèr; quia plus diſſonat rationi odium Dei, quam gula. Videtur etiam, quod loquendo formaliter, ſunt inæquales offenſæ, quia vna magis opponitur cum Deo, quã alia, iuxtà maiorem reſiſtentiam, & acriorem prohibitionem cum maioribus minis, & conatu: ergo datur in offenſis inæqualitas formalis, iuxtà maiorē oppoſitionem cum Deo. Sed dico, quod ſi eſt formalis, non eſt formalis ſubſtantialis, ſed ad ſummum accidentalis. Patet, quia quidquid pertinet præcisè ad magis & minus & ad circunſtantias, ſe habet accidentalitèr, non ſubſtantialitèr. Vnde inæqualitas peccati mortalis cum veniali eſt ſubſtantialis, quia non pertinet ad plus, & minus, ſed ad ſubſtantiam vtriuſque: inæqualitas autem inter mortalia, eſt accidentalis, & non à Deo vt forma, ſed à circunſtantijs.

432 Explico, differentiam ſubſtantialem inter mortale, & veniale, quia omne mortale deſtruit ex ſe gratiam, & amicitiam Dei totalitèr; veniale non, adhuc minimam partem. Mortale detrudit in infernum, ſecùs veniale. Ex quo conſtat, non ſè habere vt magis & minus, ſed vt eſſentialitèr totalitèr deſtruens, & nullo modo deſtruens; at in offenſis inæqualitas eſt accidentalis, quia quod præſtat vna, etiam alia, nempè deſtruere amicitiam, mouere Deum ad odium, & ad pœnam æternam. Si verò vna ad maius odium, & maiorem pœnam inferni mouet, id pertinet ad plus, minuſvè, & ſic inæqualitas eſt accidentalis.

433 Ad 2. effectum reſpondeo fatendo, non probari ex odio Dei infinitatem offenſæ, argumento probatiuo; ſicut nec infinitas obſequij ex amore. Ratio eſt, quia Deum amare, vel odio habere creaturas per actum infinitum, poteſt non prouenire ex parte meriti noſtri, ſed potius ex natura ſuæ voluntatis, quæ cum ſit infinita, exercet actus ad modum ſui. Vndè non ſumitur ex illo efficax argumentum. Exiſtimo tamen, odium Dei infinitum, debitum eſſe offenſæ vtpotè infinitæ.

De alijs effectibus; v. g. priuatione amicitiæ Dei, fateor non probare, quia finiti ſunt. Licet enim priuent Deo amico & vltimo fine, & Deo viſo infinitè bono, non priuant Deo provt in ſe, & provt infinito, ſed Deo finitè poſsidendo. Non ergo ex his effectibus, nec ex cauſalitate averſionis à Deo vltimo fine (talis enim averſio, finita eſt: cum ſolum ſit ex ſe, oppoſitio ad amicitiam, & poſſeſsionem Dei vltimi finis) nec ex priuatione vnionis hypoſtaticæ. (Rationes enim illæ, per doctrinam ſatis bonam, exploſæ ſunt in argumento propoſito) ſed ex infinitæ contemptu Maieſtatis, non habente vnde limitetur, noſtram nos ſententiam, ſolidius comprobamus.

ARTICVLVS VI.

DE DVPLICI RELATIONE OFFENSÆ AD DEVM, doctrina notanda.

434 AD maiorem claritatem nota in actu offenſæ, ſiue ſit eſſentialitèr offenſa ſiue non, duas eſſe rationes in ordine ad Deum; altera tranſcendentalis, vt eſt actus malus contra Deum, vt terminum: altera prædicamentalis, vt eſt tam malus, ſiue vt habet tantam malitiæ moralitatem, & quantitatem. Primùm ſumitur ab ipſo actu contra Deum vt facto liberè, & cum aduertentia. Secundùm, ab ipſo Deo offenſo, vt menſura offenſæ. Contingit ſic in amore Dei, vbi & eſt ratio boni, & ratio tam moralitèr dignificati. Primùm ſumitur ab ipſo actu, vt tranſcendentalitèr in ordine ad Deum. Secundùm prædicamentalitèr à dignitate perſonæ amantis & alijs circunſtantijs, per quas in linea moralitatis, redditur magis æſtimabilis Deo.

435 Similitèr eſt Theologicandum de offenſa, an ſit relatio tranſcendentalis, vel prædicamentalis ad Deum in ratione præciſa, & eſſentiali offenſæ. Pro nunc, dicat quis ſi voluerit, eſſe relationem tranſcendentalem ad Deum: in ratione tamen offenſæ vt moralitèr tantę, & tam grauis, eſt relatio prędicamentalis ſumpta à Deo & creſcens, ex Deo, & vilitate creaturæ.

436 Si dicas primò: Eo ipſo quod ponatur offenſa contra Deum, ponitur tanta offenſa quantitatiuè moralitèr: ergo nec in ratione tantæ, ſe habet prædicamentalitèr ad Deum. Conſequentia probatur, quia prædicamentalis eſt contingens, ſecùs iſta quantitas. Nego conſequentiam. Ad probationem, nego omnem prędicamẽtalem eſſe contingentem, ſed ſufficere ſi ſit extraeſſentialis inadæquatè. Sic diſsimilitudo creaturæ cum Deo eſt prædicamentalis, claudens vtrumque: non tamen contingens: nam creatura vt effectus Dei, tranſcendentalitèr reſpicit Deum, & non conſtituitur ex Deo; at verò vt reſpicit neceſſariò Deum vt alitèr ſe habentem, ac creatura; reſpicit prædicamentalitèr; non contingentèr, ſed extrà eſſentialitèr.

437 Sic relatio cognitionis ſupernæ ad obiectum, vt eſt repræſentatio obiecti, eſt tranſcendentalis: vt eſt cognitio neceſſariò vera & menſurata per terminũ, dicit vtrumque: nempè cognitionem, & terminum vt ita ſe habentem, ſicut cognitio dictat, & ſic eſt prædicamentalis: nam eo quod ponitur offenſa ad Deum vt terminum, ponitur ex illa (ſed quaſi vitalitèr, aut radicalitèr) quantitas moralis eius, neceſſariò per reſultantiã; ſed illa cõſtat ex Deo vt menſura offenſæ, ſicut cognitio vera ex ſuo termino.

438 Addendum eſt, licet offenſa phyſicè ſumpta ſit relatio tranſcendentalis iuxta Bernal diſp. 4. à nu. 42. eſſe virtualiter in ratione morali ſubſtantiali offenſę, relationem quaſi prædicamentalem, ſicut dicemus de vnione hypoſtatica, & ſic licet ſit phyſicè finita ſumpta tranſcẽdentalitèr, moralitèr eſt infinita. Nec obeſt, quod obicit Bernal cõtra Vitadum n. 72. phyſicè finitũ infinitè diſtare ab infinito: ergò non poteſt moralitèr, & prudenter iudicari infinitum. Vide ibi alia. Reſp. per te volitionem diuinam dandi gloriam Petro, eſſe phyſicè infinitã, & æſtimari vt finitam, ſicut & ipſa gloria: ergo etiam finitum æſtimari poterit vt infinitum. Ratio eſt, quia moralitas ſumitur à circunſtantijs menſurantibus, quæ reſpectu eſſe phyſici, non ſunt forma ſicut reſpectu eſſe moralis. Nec enim eſt verùm, æſtimationẽ prudentem rei, ſemper eſſe iuxtà conſtitutiuum phyſicum eius (inſuper vidè infrà artic. 9.)

439 Etenim fides vera de Trinitate, vt Trinitas eſt, eſt aggregatum infinitum ex actu, & obiecto, nempe Deo infinito; & tamen non æſtimatur infinitè talis fides, vt vera, ſicut nec ſimilitudo, aut diſſimilitudo cum Deo, non æſtimatur infinitè, licet includant Deum, tamquam comparem prædicamentalitèr incluſam: ergo bene poteſt finitum cum circunſtantijs moralitèr infinitantibus ęſtimari, vt infinitum; ſicut aggregatum infinitum phyſicè, poteſt non ęſtimari infinitè, &c. Ratio eſt, quia in his, attendenda eſt menſura ęſtimationis moralis, quæ non ſemper attendit ad phyſicum re?

440 Si autẽ quæratur quid ſit forma moralis. Et cur offenſa menſuretur Deo, & non actus fidei de Deo. Ad 1. reſp. Illud eſſe formam moralem, quod non vnitur phyſicè cũ ſubiecto: taliter autẽ ſe habet ad illud, vt præbeat fundamentum prudẽtibus ad iudicandum de illo quoad æſtimationem, ac ſi eſſet forma phyſica ipſius, ſuum eſſe in ſubiectũ refundens. Ad 2. Cõmuniter ſolet reſpõderi, eſſe conceptus ipſos obiectiuos metaphyſicos rerũ, iuxtà regulas prudentiæ limitatos, vel non limitatos; & ſic exiſtimatos, ex impetu luminis naturalis; ſicut ſuprà dicebatur, quod ſatisfactio in materia pecuniæ, nõ creſcit ex ſatisfaciente, & in materia honoris creſcit; & ſicut per te ſatisfactio Chriſti eſt infinita, & æſtimatur, vt talis, ſecùs volitio dandi gloriam Petro, licet vtraque ſit Dei. Sicut enim lumen naturale habet ſua principia per ſe nota circa res phyſicas, ita & circa morales,

& non eſt quærenda in illis alia ratio, ſed ſufficit adducta.

ARTICVLVS VII.

PROBATVR INFINITVDO OFFENSÆ.

441 ITa tenent plures Thomiſtæ, & alij moderni. Leſius de diuinis perfectionibus lib. 13. cap. 16. Petrus Vrtadus diſp. 9. ſect. 3. Bernal diſp. 4. ſect. 3. Arauxo cum Ricardo, & alijs Antiquis, & recentioribus. Authoritates, quibus firmari poteſt hæc ſententia ſatis aptè, vide apud Bernal, & alios Recentiores.

442 Ratione autem probatur ex illo principio ſatis recepto: *tanto maior eſt offenſa, quãto maior eſt ille, in quem delinquitur*, & ex illo Ariſtotelico; *honor eſt in honorante, & iniuria eſt in offenſo.* Vndè ſi offenſus ſit Rex, vel nobilis, eſt maior, ac ſi offenſus eſſet plebeius.

Formo rationem ſic: Sicut creſcit ſatisfactio ex dignitate ſatisfacientis, ita offenſa ex dignitate offenſi; atqui ſatisfactio Chriſti creſcit in infinitum propter infinitatem ſatisfacientis: ergo etiam offenſa creſcit in infinitum ex dignitate offenſi. Sicut ergo ſatisfactio Chriſti conſtituitur in linea, & ordine ſatisfacientis, ita offenſa in linea, & ordine offenſi. Aduerſarij, reſpondent negando maiorem, quoad illam particulam *ſicut*, nam ſatisfactio creſcit vniuocè ex ſatisfaciente; offenſa vero ſolum proportionalitèr.

443 Neſcio tamen, an facilè poſsint reddere diſparitatem, quia non poſſunt negare, quin ſatisfactio creſcit, & menſuratur ex dignitate ſatisfacientis, & offenſa ex dignitate offenſi, cæteris paribus: hoc enim eſt conſtans, apud Patres, & Philoſophos, imò & ex naturali prudentum æſtimatione; atqui ſatisfactio creſcit vniuocè ergo & offenſa; præcipuè, quia quantitas reſultans ex tali menſura offenſi, non habet vndè limitetur, vt dicemus.

444 Dices: fundari diſparitatem, quia offenſa, ſicut amor reſpicit Deum tranſcendentalitèr vt terminum, ſatisfactio verò perſonam prædicamentalitèr, vt formam vniuocè infinitantem: Contrà, licet offenſa, vt eſt actus contra Deum reſpiciat Deum tranſcendentalitèr: in ratione tantæ, poteſt prædicamentalitèr eum includere ad hauriendam infinitatem. Antecedens probatur exemplo vnionis hypoſtaticæ, quæ in ratione beneficij eſt moralitèr ſimplicitèr infinita à Verbo vt forma; in ſe tamen eſt ſimplicitèr phyſicè finita.

445 Pater, nã phyſicè eſt relatio tranſcendẽtalis ad Verbum, vt terminum vnibilem; eſt etiam ens modale, & ab alio & non immenſum, nec æternum, ſed phyſice limitatum. Poterit ergo idem eſſe de offenſa ſumpta dupliciter. Licet enim, vt actus contra Deũ vt terminum, ſit finita phyſicè; in ratione tantæ poterit eſſe infinita. Conſeq. prob. ideò enim vnio phyſicè finita eſt beneficium infinitum, quia tranſcendentalitèr relata ad Verbum phyſicè, menſuratur moralitèr per ipſum Verbum infinitum, quin infinitas menſurationis habeat vndè limitetur: nam humanitas, cui communicatur Verbum, licet ſit finita in ſe, hęc ipſa finitudo auget beneficium, quia hoc tanto eſt maius, quanto recipiens eſt minor.

446 Modò ſic: idem contingit in offenſa in ratione tantæ. Licet enim tranſcendentalitèr relata ad Deum vt obiectum vel terminum ſit finita: tamen moralitèr menſuratur per Deum infinitum, quin habeat vnde limitetur, quia finitudo, & vilitas creaturæ, potius auget offenſam. Confirmatur, ideò vnio eſt ſimplicitèr infinita, quia eſt in ordine ſummæ communicationis ad extrà ſummi boni: ergo cum offenſa ſit in ordine ſummæ offenſionis Dei ſummi, erit infinita. Conſeq. prob. quia ſicut quidquid in Verbo eſt magnum, eleuat & magnificat vnionem, licet ſola perſonalitas, & non alia attributa terminent illam immediatè, ita quidquid eſt magnum in Deo eleuat illam offenſam, etiam illud quòd per eam non exprimitur clarè (alias nec eſſet ſuprema.)

447 Etenim, quòd qui offenditur ſit Deus ſummè ſapiens, & in eius oculis fiat, ſummè bonus, Miſericors, Creator, Benefactor, & Suſtentator, aggrauat offenſam, cum facta comparatione inter ipſum, & creaturam infinitè minorem, iſta eligitur, & vilipenditur ipſe; etiam ſi aliqua ex his non exprimantur per offenſam. Ex his enim capitibus, & alijs, probatur offenſæ grauitas, & menſuratur. Et hoc eſt quod dici ſolet, offenſam quamlibet offendere Deum, quantum offendibilis eſt, ſiue adæquatè ad ſuam dignitatem: quià omnia attributa, & formalitates Dei, offenduntur, & vilipenduntur, ideòque grauitatem refundunt.

448 Dices: hæc omnia conuenire amori de Deo, qui tantò eſt melior, quantò obiectum. Contra, quia eſt longa diſparitas, quia amor, & obſequium, licet menſuretur Deo; alias tantò decreſcit, quantò perſona faciens eſt vilior, & perſona cui fit, nobilior, magiſque ei debitum: & quantò principia obſequij, magis ſunt dona eius cui fit: ergo amor Dei propter has cauſas, valdè decreſcit in ratione obſequij, ab illa menſura obiecti. Vndè ſolum terminatiuè eſt infinitus.

450 Atqui hæc omnia, quæ obſequium deprimunt, offenſam eleuant ad ſuam menſuram: nam quantò maiorem reuerentiam debet vilitas creaturæ, tantò eſt maior offenſa creatoris, & quantò principia effectiua offenſæ, nempè voluntas, & alia comprincipia ſunt magis dona Dei, tantò abuti illis contra Deum, eſt maior offenſa: ſiquidem ordinat beneficia accepta ad vilipendendum Benefactorem: ergo offenſa eleuatur vniuocè, & infinitatur; ſi quidem menſuratur per Deum apud prudentes: & nihil eſt quo decreſcat à tali menſura, nec habeat vnde limitetur.

ARTICVLVS VIII.

ALIA PROBATIO.

451 PRobatur 2. ex ſententijs ſatis receptis in Scholis. Et primò: ſi gratia ſanctificans ſit principium vniuerſale influens cum virtutibus in actiones virtuoſas, iſtæ referuntur tranſcendentalitèr ad gratiam, vt ad cauſam efficientem extrinſecam: & tamen dignificantur ab ipſa, vt comparte ſtus vt meritorij. Declaratur, quia gratia eſt ius ad gloriam; actiones autem virtutum, quæ non ſunt charitatis, ſed fidei, & ſpei, & ſimiles, ex ſe non ſunt ius condignum gloriæ; ſunt autem vt dignificantur à gratia, tanquam à forma: ergo benè poteſt aliquid eſſe relatio tranſcendentalis ad aliud, vt aliquid extrinſecum, & tamen denominari moralitèr ab illo, quaſi prædicamentalitèr, à comparte, & forma incluſa. Idem dic de actu charitatis, reſpiciente charitatem diuerſimodè: nempè tranſcendentalitèr, vt principium influens, & prædicamentalitèr vt dignificans.

452 Confirmatur: Verbum non alitèr dignificat actiones Chriſti meritorias, niſi quia cum ſit in eſſe phyſico, quid extrinſecum mediatum, reſpectu ipſarum; tamen in eſſe morali eſt pars & forma: Ergo etiam Deus poteſt eſſe terminus offenſæ in eſſe phyſico, & tamen in eſſe morali poterit eſſe forma. Antecedens declaratur, nam Verbum non influit ſpecialitèr phyſicè ad extrà in actiones humanitatis, & ſic non eſt principium phyſicum, ſed terminus, & complementum humanitatis, quæ influit: ergo in eſſe phyſico ſe habet extrinſecè mediateque; ſed in morali vt pars componens moralis.

453 Dices ſecundò: Diſparitatem ſatisfactionis, & offenſæ eſſe magnam: quia illa non eſt de per ſe meritoria, & ideò mendicat valorem à forma prædicamentali; offenſa de per ſe, & vt contra Deum vt terminum, eſt eſſentialitèr mala. Contrà, quia adhuc eſt ſub lite, an productio amoris Dei ſit eſſentialitèr ſanctificans, vt vult Pater Vazquez, ac per conſequens de per ſe meritoria, & ſatisfactoria. Secundò, quia vnio hypoſtatica, licet in ſuo eſſe finito ſit eſſentialitèr bona, & ſanctificans, vt reſpicit Verbum terminatiuè: adhuc in eſſe morali denominatur à Verbo, vt forma infinitè bona: ergo ſimilitèr de offenſa.

454 Di-

Digitized by Google

454 Dices tertiò: Verbum independentèr à cognitione humanitatis limitata, præbere actionibus humanitatis valorem; Deum vero ſolum dare malitiam offenſæ, vt cognitum, & ſic ſolum mediante cognitione limitata; ab eaque deprimi. Vndè comprehenſio Dei, licet Deus ſit purus terminus, & obiectum eius, eſt ſimplicitèr infinita, quia ſe mutuo æquant; at Deus non æquatur offenſæ, quia non refunditur totalitèr in illam, ſed media cognitione limitata. Sicut Mare, ſi communicaretur alicui vaſi magno per aquæductum ſtrictum, non poſſet totalitèr ſe vaſi communicare. Hæc eſt ſolutio Patris Lugo, celebriſque hodie apud recentiores.

455 Sed contrà 1. Quia apud plures ex aduerſarijs Verbum dignificat actiones, quia dum has offert in ſatisfactionem, ſeipſum offert, & humiliat, quòd præſtare non poteſt, niſi media ſuæ altitudinis cognitione, & amore humilitionis, limitatis. Sed quidquid ſit de hoc.

456 Contrà 2. Dum dicis, quòd Deus non communicatur offenſæ, niſi vt cognitus: vel vis, quòd forma offenſæ ſit cognitio, vel ipſe Deus cognitus poſita cognitione. Primum eſt falſum, quia apud omnes menſura offenſæ non eſt cognitio ſed Deus, licet iſta requiratur. Tùm, quia offenſa Dei, non eſſet in ſupremo gradu, quia noſtra cognitio de Deo eſt valdè infima. Ideo debet ſummi grauitas ab expræſsis & non expræſsis. Tùm, quia dum adeſt ignorantia craſſa non daretur offenſa, ſed leuis culpa, cum vix adſit cognitio de Deo.

457 Si 2. nempè Deus cognitus: ergo offenſa eſt infinita. Prob. Verbum reddit humanitatem infinitè ſanctam, licet communicetur ei media vnione finita: ergo ſimilitèr. Confirm. quia non ſanctificat humanitatem, niſi vt vnitum, ſicut non aggrauat offenſam, niſi vt cognitus. Vrgetur ampliùs paritas. Per vnionem communicatur Verbum immenſum, æternum, &c. Non tamen vt æternum, & vt immenſum, quantum ad modum communicationis; & hoc non obſtanti, communicatur vnioni, & humanitati moralitas infinita ob ijs ergo etiã ſi non noſcatur Deus adæquatè & infinitè ſed limitatè; media iſta cognitione finita, communicabitur offenſæ moralitas infinita. Confirm. Verbum non ſe communicat ſatisfactioni, niſi media humanitate, & cõprincipijs limitatis: quia tamen ipſum eſt mẽſura ſatisfactionis ſuppoſita productione & vnione limitatis, refundit infinitatem: ergo & in offenſam. V. infra quæſt. de gratia vnionis.

458 Dices 4. ab vnione ad offenſam non eſſe paritatem, quia licet illa in ſe finita ſit, eſt tamen nexus ita intimus hominis ad Deum, vt conſtituat ex vtroque vnum ſuppoſitum diuinum; quid mirum ſi in æſtimatione morali ſe habeat vt bonum infinitum; offenſa verò non ita intimè facit vnum ex Deo, & actu noſtro. Contrà 1. quia licet non ſit paritas in intimitate, eſt in his ad quæ vnionem adduximus: nempè in eo, quòd vtraque habeat finitatem tranſcendentalitèr, & menſuretur Deo prædicamentalitèr. Item in eo, quòd communicatio ſit phyſicè finita, & refundatur moralitas infinita.

459 Contrà 2. quia licet ſit exceſſus infinitatis in vnione intrà eundem ordinem infiniti ſimpliciter, ſed illa maior intimitas non eſt ſimplicitèr requiſita ad infinitatem: ſed ſolum requiritur talis communicatio phyſicè finita, qua poſita Deus vt eſt, menſuret moralitèr eam. Patet, nam actiones Chriſti internæ, cum ſint accidentia, & multò minus externæ; v.g. externa ſanguinis effuſio, non vniuntur Verbo vnione intima, nec immediatâ: quia tamen datur vnio, & communicatio, licet magis laxâ, ſufficiens tamen, vt cenſeantur eſſe actiones, & opus Verbi, ſunt infinitæ moralitèr. Sic etiam Deus communicatur offenſæ, & ſe habet vt infinitam faciens offenſam in æſtimatione prudentum. Alia ſatis vrgentia reperies in ſolutione argumentorum.

460 Alij tandem 5. alia via diſparitatem dant inter ſatisfactionem & offenſam: quòd ſatisfaciens, ſeipſum ſuamq; perſonã ſubmittit humiliat, & quaſi offert in ſatisfactione ipſa, & ſic ſe habet reſpectu ſatisfactionis, quaſi intriſecè. Contrà. Tùm, quia hoc pacto ſe habet vt materia oblata; & ſic non infinitat ſatisfactionem, vt patet in Virgine, & Sacerdotibus, Chriſtum offerentibus. Tùm, quia ſic, communicaretur media cognitione & oblatione humanitatis finitis, ac per conſequens limitaretur. Tùm, quia abſque tali applicatione ſuæ dignitatis ad ſatisfactionem, opus haberet ſuam condignitatem, & valorem a Verbo, vt patet in opere condigno, & ſatisfactorio iuſti, ſuam iuſtitiam ignorantis; vel dum operatur nullatenus aduertentis. Tùm deniq; quia etiã Deus, eiuſque infinita diſtantia à creatura cui poſtponitur, obiectiuè in offenſam intrinſecè moralitèr refunduntur ergo, &c.

ARTICVLVS IX.

DE INFINITATE PHYSICA.

561 IN fine aduerte, quòd Bernal docuit, offenſam non ſolum eſſe moralitèr infinitam, ſed etiam phyſicé, quòd ita explicuit. Nam offenſa non eſt ſola entitas actus mali contra Deum, ſed entitas vt liberã: quòd includit principium indifferens diſtans à Deo infinité, & cognoſcens eſſe contra Deum. Sicut ergo libertas eſt pars offenſæ, ſic hæc diſtantia conſtitutа phyſicè ex aliquo ſimpliciter infinito, offenſam vt pars eius conſtituit, ac per conſequens hæc erit infinita ſimplicitèr phyſicè. Vnde infinitas offenſæ non ſumitur præcisè à Deo offenſo, nam ſic eſt purè terminus, ſicut eſt terminus amoris: ſed ſumitur ab illa infinita diſtantia. Quòd probat authoritate, & rationibus, quibus probari ſolet infinitas offenſæ.

462 Hæc ſententia, quatenus conſtituit offenſam phyſicè infinitam in ſe ipſa, non eſt multum conducens ad deducendam ex illa incompenſabilitatem à creatura. Probo, quia licet offenſa claudat aliquid infinitum; & propterea ſit phyſicè infinita (vtor aduerſarij vocibus) phyſica infinitudo pro æſtimatione morali hic, nil facit. Patet in diſſimilitudine actus mali cum Deo vt tali, qui includit Deum vt formam diſsimilitudinis, & tamen actus malus venialis non æſtimatur infinitè. Item actus fidei de Trinitate, vt verus conſtituitur Trinitate, nec æſtimatur infinitè illa veritas.

463 Dices: hos actus non claudere Trinitatem vt eſt, & propterea non infinitari ab illa, ſed Trinitatem præcisè vt conformatur actui. Contra, quia non conformatur vteumque actui, & vt in eſſe repræſentatiuo, ſed vt Trinitas verè eſt in ſe. Conf. iſte actus vt falſus, *Deus nullam habet perfectionem ſimplicitèr ſimplicem*, includit omnem perfectionem ſimplicitèr ſimplicem pro forma falſitatis. Probatur, quia omnis perfectio vt in ſe eſt, nempè, infinitas vt talis, eſt à ſe vt tale, falſificat illum actum; nec tamen æſtimatur moralitèr infinitè, quia incluſio eſt ſolum phyſica: ergo idem de offenſa.

464 Impugnatur ſecundò, quia dicet aduerſarius; quod offenſa vt libera, non includit creaturam vt infinitè diſtantem à Deo prædicamentalitèr: ſed creaturam, vt eſſentialitèr vilem, & ens ab alio, & vt dependentem eſſentialitèr, & tranſcendentalitèr à Deo, vt cauſa efficienti; creatura autem vt ſic ſumpta, quid finitum eſt: ergo offenſa conſtituitur phyſicè ex ſolo finito. Melius ergo dicendum, eſſe infinitam moralitèr propter Deum vt menſuram; addendo diſtantiam creaturæ à Deo, & vilitatem creaturæ etiam pertinere, vt quid valdè conducens ad menſurationem moralem offenſæ; quatenus infinitas offenſæ requirit menſurari Deo, & requirit non habere vndè limitetur: diſtantia autem potius auget quam limitat.

ARTICVLVS X.

ALIQVA ARGVMENTA.

465 OBicies 1. Ex Lugo: minor aduertentia minuit offenſæ grauitatem: ergo cum omnis

noſtra, &c.

476 Ex quibus ſequitur, inter ſimpliciter infinita poſſe dari vnum maius alio: tùm materialiter, quia in Chriſto melior eſt actus charitatis, quàm Reingronis: tùm formaliter, quia Deitas ipſa melior eſt, & infinitior, quã actus humilitatis Chriſti propter valorem, & æſtimabilitatem magis intimam, & inviſceratam ab identitate.

ARTICVLVS XI.

RELIQVA ARGVMENTA.

477 OBijcies 5. etiam viſio beata menſuratur Deo, quia eſt tanto melior, quanto obiectum: nec eſt infinita. Confirmatur: beatus per viſionem tenet Deum infinitum tentione transcendentali ad Deũ, & prædicamentali à Deo poſſeſſo. Diſtinguo: menſuratur Deo proportionaliter, & vt termino, concedo; vniuocè vt forma nego: nam habet vndè limitetur. 1. quia ex parte actus 1. limitatur à vi productiua (de quo q. 11. art. 1.) ex parte actus 2. vt formæ, ſolum beatificatur ab eo, quòd ex primit formaliter, ſeu quod clarè videt: & in hoc datur imperfectio, & inadæquatio: videt enim Deum finitè, & non quantum viſibilis eſt: in quo differt à comprehenſione, quæ eſt infinita propter adæquationem. 2. Quia non eſt capax infinitatis adæquationem. 2. Quia iuxta regulas prudentiæ, non tes adhuc moralis, & iuxta regulas prudentiæ, non æſtimantis viſionem pro *Deo vi e*, *vel teneo*, ſed ſolum pro *videre*: & ſic, cum non det fundamentum prudentibus ad æſtimandum infinitè, non ſe habet Deus, vt forma moralis infinitans.

478 Ad confirmationem reſp. illam tentionem eſſe multum laxam; quia non eſt phyſica vnio ſed intentionalis, & ſic non eſt infinita, & quia non amplius æſtimatur, quàm ipſum videre. Si autem dicas 1. eſſe infinitam in ratione beneficij, quia beneficium Dei poſſeſſi non habet vndè limitetur; eſt enim tantò maius reſpectu creaturæ, quanto iſta eſt minùs digna, ſiue magis vilis. Vndè menſuratur Deo & nobis infinitè diſtantibus. Reſpondetur negando aſſumptum. Non enim menſuratur vniuocè, ſed proportionaliter.

479 Ratio autem eſt. 1. quia habet vndè limitetur, nèpè ex lumine & moraliter, quia in beato datur ius ad Deũ ſic poſſeſſum, nèpè gratia habitualis, ex quo capite decreſcit ratio fauoris, & beneficij. 2. præcipuè ex propriis prædicatis, & ex parte modi poſſidendi, quia multum laxus, & quia incapax apud prudentes infinitatis moralis. Prudens enim non ponit in eodem ordine *habere ſtrictè rem*, & *videre illam*. Non enim vniuocantur, neque aſſimilantur *habere Regiam dignitatem*, & *videre Regiam dignitatem*, & hoc etiam ſi ly *videre* fiat per participationem aliquam ipſius, nempè per admiſsionem ad gaudia dignitatis Regiæ, vt admittuntur Aulici ad participanda feſtiua gaudia, quæ fiunt in Aula Regia.

480 Dices: idem erit dicendum de offenſa, limitari nèpè à principijs, & conatu, & à modo offendendi, & aduertentia, & actibus limitatis; nam etiam ſunt materia incapax infinitatis. Nego conſeq. Tùm, quia etiam caderet à ſupremitate, cum hæc omnia ſint valdè infima, & limitata. Tùm, quia licet limiteturà principio, limitatur ſolum ab illo præciſiuè, ſiue in ratione malitiæ, non verò offenſæ, quæ non ſumitur ab ipſo, ſed à Deo. Tùm, quia hoc ſemel admiſſo, etiam vnio hypoſtatica, vel ſaltem actiones Chriſti limitarẽtur, à modo finito habendi, & ab incapacitate materiæ, quòd non dices; nec nos de offenſa. Etenim ſicut lumine naturæ conſtat, meritum, & ſatiſfactionem creſcere ex dignitate ſatiſfacientis, & ad hanc dignificationem ſufficere actum finitum factum cum plena advertentia (qua capacitate ſuppoſita denominatio intrat) ita lumine naturæ conſtat, offenſam creſcere ex dignitate offenſi, & ſufficere actum finitum cum plena advertentia factum, & hanc eſſe materiam capacem infinitæ menſurationis, cum non habeat vndè limitetur. Ex his principijs lumine naturæ notis diſcurrit Theologus infinitatem. Vide omninò n. 391.

481 In quo eſt magna diſparitas à viſione, amore, & finitibus. Sciunt enim Regi omnes Aulici, offendat vnus grauitè Regem in ſuis oculis; vna ſola offenſa incomparabilitèt magis turbat Orbem & iudicia omnium prudentum, quàm omnia obſequia & viſiones Regis: ergo ſignum euidens eſt iuxta prima principia moralia, lumine naturæ nota per lumen prudentiæ inæqualiſsimè iudicari de offenſa, ac de his omnibus.

482 Vndè in æſtimabilitate morali, non eſt facienda paritas de viſione, imò nec de aliquibus rebus conſtantibus phyſicè ex parte infinita, ad ipſam offenſam. Si rationem quæras de hac differentia æſtimandi. Reſpondetur, quòd reddas rationem inter actiones Chriſti, & alias re. 2. quod illam reddas inter ſatiſfactionem in pecunia & ſatiſfactionem in honore; inter volitionem Chriſti meritoriam, & voluntatem Dei præmiatiuam D. Petri. 3. reſp. ipſam vim luminis naturalis, ſibi eſſe rationem, & non curandum de alia.

483 Nota 1. in fine, aliquando poſſe offenſam creſcere ex magnitudine offendentis; vt ſi offendens ſit perſonalitatis, quæ ſuæ debeat magnitudini non offendere alterum. Vel debeat vt gratus ex magnitudine participata ab ipſo offenſo. Dico tamen, capita ſubſtantialia grauitatis eſſe offenſi dignitatem & offenſoris vilitatem, quod non tollit, ne augeri poſſit ex alijs capitibus, ſed ſecundum quid.

484 Nota 2. quod nos in offenſa vocamus formam eius, vel menſuram moralem, vocari ſubiectum à Thomiſtis, quia Deus eſt ſubiectum offenſum, & iniuriam patiens: & a ſubiecto ſumitur grauitas ſicut à Chriſto vt ſubiecto ſatiſfaciente infinitas.

485 Quia ergo obſequium dignificatur à ſubiecto obſequente, ad æqualitatem ordinis, licet non ad ariſmeticam, offenſa creſcit ſimiliter à ſubiecto iniuriato; & propterea eſt maior, quando alapa datur Regi, quàm ſi detur viro nobili: & maior ſi huic, quàm ſi plebeio. Et hoc ratione ſubiecti iniuriati: quòd nos aptius vocamus formam moralem prædicamentalem: formam, quia ſicut anima rationalis conſtituit hominem tantum quantus eſt, ponitque in eleuatione ſupra omnia bruta; ſimilitèr Deus offenſam conſtituit tantam, quanta eſt, ponitque in infinita & ſuprema eleuatione. Prædicamentalem verò, quia eſt pars moralis ipſius, ſicut ponentes relationem prædicamentalem in fundamento & termino, illum docent eſſe partem & formam relationis.

486 Nota 3. D. Thom. aliquando vocare offenſam infinitam quodammodo, æquiparatque cum viſione beata. Sed ly *quodammodo*, excludit infinitatem in omni genere, quæ eſt propria ſolius Dei: ſecus infinitatem ſimpliciter in vno genere, nempè iniuriæ & moralitatis. Sic in 4. diſtinct. 14. quæſt. 2. art. 1. ad 4. tribuit paſsioni Chriſti valorem infinitum *quodammodo*, & quæſt. 29. de Veritate art. 3. ad 4. idem repetit. Cum tamen apud ipſum valor meritorum Chriſti ſit infinitus ſimpliciter. Æquiparantia autem offenſæ cum viſione, ſtat ſolum in infinitate tranſcendentali à termino, ſecùs in prædicamentali (de qua ſæpè) ſiuè in modo infinitatis.

487 Hanc quæſtionem prolixè diſputauimus. Tùm, quia eſt vna ex totius Theologiæ celeberrimis in Scholis, præter Scoticam. Tùm, quia multiplici doctrinæ ad alias quæſtiones conducentis occaſionem offert opportunam. Plura autem ad maiorem ipſius intelligentiam reperies in tract. de perfectionibus Chriſti, vbi ſermo erit de gratia vnionis, ſiuè de ſanctificatione ſubſtantiali humanitatis per Verbum.

QVÆSTIO X.

DE SATISFACTIONE CONDIGNA Deiparæ Virginis.

488 NON poſſe puram creaturam de condigno pro offenſa ſatiſfacere hucuſque probauimus, probatione à ratione ſumpta. Nunc autem occaſione

ne ſatisfactionis Beatiſsimæ Virginis à Maternitatis dignitate condignificatæ, aliqua de pura creatura ſupra omiſſa priùs generalitèr inculcabimus, & poſtea ad Virginis ſatisfactionem tranſibimus.

ARTICVLVS I.

ARGVMENTA ALIQVA PROBANTIA POSSE puram creaturam de condigno ſatisfacere pro offenſa.

489 TEnent poſſe iuſtum, Scotiſtæ. Rada p. 3. qu. 1. art. 3. Vega in Trid. Paludanus, & alij, aſſeruntque licet non eſſet de iuſtitia, quia egeret fauore extrinſeco Dei, potuiſſe tamen eſſe condignam. Quæ præcipuè in Matre Dei locum habebunt.

Poteſt probari 1. quia ideò peccator non poteſt ſatisfacere de condigno pro ſe, quia eſt inimicus Dei: ergo iuſtus qui eſſet amicus poſſet pro alio, cum nulla ſit repugnantia vt mereatur alteri, ſicut ſuprà diximus contra Vazq. Reſp. diſtinguendo antecedens, itavt ly *ideò* dicat rationem ſufficientem, concedo anteced. ſufficit enim ad excludēdam condignitatem; ita vt ly *ideò* dicat rationem omnem, nego antecedens; quia adhuc deficiente illa ratione ſunt aliæ, nempè inæqualitas inter obſequium, & offenſam.

490 Obijcies 2. Iuſtus mereri poteſt alteri de condigno 1. gratiam: ergo & dare ſatisfactionem pro offenſa. Reſp. antecedens eſſe verum, ſi non habeat peccatum mortale, cuius expulſio neceſſariò ſequatur ex poſitione gratiæ; valdè enim minùs eſt augere vitam viuo, quàm dare vitam mortuo. Dices, gratiam eſſe connexam cum remiſsione peccati, & non eſt diuerſum beneficium, ſicut, quia gratia eſt connexa cum habitibus infuſis, & ignis cum calore non eſt diuerſum beneficium: ergo ſi meretur iuſtus 1. gratiam non habenti peccatum, etiam habenti.

491 Diſtinguo antecedens; eſt connexa cum remiſſione abſolute, nego; quia non ſempèr inuenit, quòd remittat; ex ſuppoſitione, concedo. Et diſtinguo illud, *non eſt diuerſum beneficium*, à gratia ſecundum ſe, nego; à gratia provt in tali occaſione, concedo; quod autem occaſio augeat beneficium, & diuerſificet, patet in auxilio congruo, & in incongruo, & multò magis quando recepturus beneficium eſt poſitiuè impeditus, vt patet in donatione vitæ reſpectu mortui, & ſic mereri primam gratiam peccatori, requirit ſatisfactionem infinitam.

492 Obijcies 3. Gratiam eminentèr continere expulſionem peccati: ex quo ſequuntur duo. 1. expulſionem non eſſe quid infinitum, ſiquidem continetur in aliquo finito. 2. gratiam eſſe eiuſdem æſtimationis ac remiſsio, ſiquidem res æſtimatur moralitèr per effectus, quos cauſat: ergo qui meretur gratiam etiam remiſſionem. Reſpond. ſi 1. ſequela aliquid probat, probaret vitam Chriſti non eſſe infinitam, ſiquidem expulſio eius continetur in aliquo finito nempè in carnifice. Diſtinguo ergo 1. ſequelam. Expulſio continetur in gratia, ſecundum phyſicum gratiæ & expulſionis, concedo; ſecundum morale beneficij, vel ſolutionis, ſiue compenſationis pro offenſa, nego: nam ſic potius continetur in benefactore vel, ſatisfactore pro offenſa.

493 Id autem quod dicitur, rem æſtimādam eſſe iuxtà effectus quos cauſat, intelligendum eſt non ſolum iuxtà effectus, ſed etiam provt in talibus circunſtantijs. Inſuper reſp. non eſſe æſtimandam iuxtà effectus, quos cauſare poteſt, ſi non cauſet, licet contineat eminentèr. Patet, quia continentia infinitorum obſequiorum, quæ gratia continet, non æquè æſtimatur, ac æſtimarentur obſequia illa, ſi re ipſa fierent; iuſtus enim meretur de condigno per quemlibet actum bonum augmentum gratiæ, & in illo talem continentiam. Si autem iſta æſtimaretur æquè, ac omnia obſequia, non poſſet de condigno mereri per vnum actum. Inſuper quævis offenſæ deſtructio non æſtimatur infinitè, niſi cū ſit per æqualē ſatisfactionem, non verò quæ cauſatur per gratiam ob naturalem incompatibilitatem.

494 Nego autem 2. ſequelam, quia, vt dictum eſt, æſtimatio moralis ſumenda eſt à circunſtantijs, præcipuè quando iſtæ reſiſtunt poſitioni effectus: ſicut medicina aliqua ad peſtem, licet ſempèr ſit eminentèr curatiua illius; multò tamen plus æſtimatur, quando adeſt peſtis; gratia ergo æſtimabitur multò plus in circunſtantia, in qua adeſt peccatum expellendum per illam: & ſic tunc, ſi gratia eſt introducenda per meritum condignum, iſtud debet eſſe infinitum.

495 Ad hoc argumentum alitèr reſpondent alij, iuſtum poſſe mereri de condigno gratiam & remiſsionem peccatori, quin ſatisfaciat de condigno pro offenſa, quia valdè diuerſa ſunt meritum, & ſatisfactio. Satisfacere enim, non eſt ſolum mereri ablationem debiti, & expulſionem peccati, quæ expulſio finita eſt, ſed mereri illam per veram ſolutionem debiti & æqualem debito. Nam ſatisfactio differt à merito, quia illa reſpicit directè offenſam ſoluendam; meritum verò reſpicit directè præmium nempè gratiam expulſiuam. Quod ſi quis inſtet contra hoc, in eo tunc poſito tali merito, teneri Deum remittere offenſam, quæ remiſsio eſt præmium meriti; atqui non remitteret per gratuitam condonationem & liberalem, ſiquidem eſſet ex meritis: ergo per ſatisfactionem.

496 Negant vltimam conſequentiam, quia inter liberalē, & ſatisfactoriam, mediat condonatio neceſſaria. Diuinâ enim Prouidentiâ, ſemel data gratia vt præmio meriti, teneretur remittere offenſam, non quidem tunc liberalitèr purē, nec ex ſatisfactione, ſed quia ita poſtulat natura gratiæ. Hæc non placent. Tùm ex dictis. Tùm, quia, qui meretur de condigno gratiam & remiſsionem vt præmium, de condigno meretur extinctionem debiti. Hoc autem non extinguitur de condigno, niſi per ſolutionē æqualem. Extinctionem enim debiti; v.g. centum per pretium condignum, non fit, niſi datis centum, vel aliquo æquiualenti.

Confirmatur, quia mereri de condigno gratiam peccatori eſt mereri illam per meritum æquale. Nequit autem dari in pura creatura æquale bono extinctionis peccati: quia iſtud non tollitur ad æqualitatem moralem, niſi per morale æquale. Inſuper, quando vna dignitas magna eſt annexa paruæ, non iudicatur dignus abſolutè, qui habet merita ad paruam, niſi habeat ad magnam: ergo nec meritum eſt condignum ad gratiam, ſi non ſit æquale pro peccato. Quare 1. ſolutio tenenda eſt.

497 Ex hac doctrina manet exploſa ſententia eorum, qui dicunt, vnam creaturam poſſe ſatisfacere de condigno; non tamen poſſe ad æqualitatem: quia ad meritum condignum ſufficit, quòd obſequium in valore ex ſubiecto merente, & circunſtantijs æquet grauitatem offenſæ; ad æqualitatem verò requiritur æqualitas perſonæ cum perſona offenſa. Vndè ſatisfactio condigna, & non æqualis, eſt ſatisfactio imperfecta, quia perfecta requirit æqualitatem dictam perſonæ: quàm tamen meritum ſtrictè condignum non requirit. Hæc ſententia tribuitur Patri Suarez diſp. 4. ſect. 7.

498 Sed non videtur admittenda. Tùm, quia ſatisfacere ad æqualitatem pro offenſa, eſt dare perfectè æquale & condignum, pro forma illa per quam expellatur hic & nùnc; ſicut perfecta redemptio eſt emere media, per quæ hîc & nùnc captiuus egredi poſſit; ſed hoc poteſt creatura per meritum ſtrictè condignum: ergo. Tùm, quia Chriſtus non alitèr ſatisfecit, & redemit nos ſtrictè, niſi quia obtulit æquale pro gratia actuali & habituali, quibus peccatum tollitur. Si enim hoc meritum, ſiuè pretium non eſt æquale damno illato, non erit ſtrictè condignum pro ablatione damni illati, quæ ablatio eſt ipſa gratia hîc & nùnc. Tùm deniquè, quia ſtricta & æqualis ſatisfactio ſtat in compenſatione ad æquandam offenſam, ad quod non requiritur æqualitas perſonarum,

Digitized by Google

ſi aliàs ſine ipſa, poſſit compenſatio eſſe æqualis, vt patet in plebeio ſatiſfaciente Regi, num. 385.

499 Objicies 4. Diu. Thom. 3. part. quæſt. 64. art. 4. docentem, quod poteſt Deus dare puræ creaturæ poteſtatem excellentiæ ad inſtituenda Sacramẽta, vt talis creatura per ſuum meritum operaretur effectus Sacramentorum; atqui iſti ſunt gratia, & remiſſio peccati: ergo ſufficit ad gratiam, & remiſſionem meritum puræ creaturæ. Reſp. Diu. Thomam loqui, vel ſolum de merito congruo; vel ſi loquatur de condigno, meritum tale ſolum fore pro infuſione gratiæ & reſpectu non habentis peccatum. Alitèr enim requireretur meritum infinitum pro infinita offenſa.

ARTICVLVS II.

PRÆCIPVVM FVNDAMENTVM SCHOTISTARUM.

500 OBjicies 5. (& eſt præcipuum fundamentum præcipuè pro Matre Dei.) Vt ſatiſfactio ſit æqualis & perfectè condigna, ſolum eſt neceſſarium, quòd opus ſatiſfactorium æquetur debito in dignitate & valore; & inſuper quod Deus illud acceptet (aliàs non erit in tali opere ius extinguendi debitum re ipſa, ſicut petit ſtricta ſatiſfactio; atqui pura creatura, quæ ſemper fuerit ſancta, ſitque prædita tanta gratia habituali, quantam habet Virgo, poteſt offerre opus æquè bonum & æquè dignum & valoroſum, ac offenſa ſit mala, & indigna. Æquè bonum; talis eſt amor ſuper omnia Dei, conſanguineus Dei ex principijs gratiæ & ex obiecto. Æquè dignum, ab eximia dignitate perſonæ. Valoroſum: quia ſicut Rex poteſt monetæ valorem addere, per quem creſcat in ratione pretij; ita & Deus operibus iuſti: ergo poteſt B.V. ſatiſfacere de condigno. Adhuc tamen ſaluatur in ſatiſfactione Chriſti differentia ab illa, & neceſſitas Incarnationis. Differentia, propter ius ſtrictius ordinabile ad quodlibet præmium poſſibile, quod non haberet hæc ſatiſfactio; neceſſitas Incarnationis, vt copioſior, & connaturalior eſſet redemptio.

501 Reſp. conceſſa maiori negando minorem. Licet enim facta comparatione inter bonitatem, & malitiam illorum actuum, poſſit eſſe vnus tam bonus, quàm alter ſit malus; hic tamen attenditur alia moralitas valdè diuerſa à moralitate bonitatis & malitiæ; nempè moralitas meriti & demeriti, digni & indigni, quæ præcipuè ſumitur à ſatiſfaciente & offenſo, tamquam formis moralibus, propter quas offenſa eſt ſimpliciter infinita, & obſequium puræ creaturæ nõ infinitum formalitèr, ſed ſecundum quid. Nec valor, quem Deus poteſt obſequio tribuere, eſt ſufficiens, vt obſequium limitatum eleuetur ad ſimpliciter infinitum, ſicut nec Rex poteſt facere, vt vna dracma argentea valeat mille in ratione pretij condigni.

502 Aſſero ergo 1. cum communi ſententia, puram creaturam ſanctam non poſſe condignè ſatiſfacere pro peccato alieno. Quòd ex PP. art. ſequenti probabimus. Videantur plures apud Vazq. diſp. 4. cap. 3. Suarez diſp. 4. ſect. 2. & apud Bernal diſp. 3. num. 16. Quòd iam probatum eſt, tum ex infinitudine offenſæ. Tùm, quia ſi offenſa non eſſet indignior, quàm obſequium creaturæ omninò finitum ſit dignum, iniuſtè Deus illam pœna infinitè æterna puniret. Reſpondent puniri iuſtè tempore quo durat peccatum. Quæ ſolutio impugnata iam eſt num. 418.

503 Objicies: præſeruatio à peccato eſt finita, & poteſt cadere ſub meritum condignum puræ creaturæ; atqui eſt melior, & elegibilior remiſſione peccati: ergo etiam iſta erit finita, & cadet ſub meritum condignum. Maior patet, quia ſtat in auxilio congruo finito. Minor communitèr conceditur, dum ſermo eſt de præſeruatione Virginis ab originali. Diſtinguo minorem: eſt melior in ſe, nego; reſpectiuè ad perſonam cui conceditur, concedo minorem, & nego conſeq. Quia ob reſiſtentiam peccati, remiſſio eſt bonum infinitum, ſecùs præſeruatio. Vide hic art. 3. & quæſtionem de Gratia Vnionis art. vlt.

504 Infero 1. ſatiſfactionem non fore æqualem ex eo quod reddat ablata per offenſam, de quo num. 343. quia aliud eſt reſtitutio ablatorum, & aliud ſatiſfactio pro contẽptu Dei. Contritio peccatoris poteſt eſſe reſtitutio; non verò ſatiſfactio. Licet autem de facto deleat peccatum, non delet per compenſationem æqualem; ſed actuale per incompatibilitatem; habituale verò ex ſola Dei promiſſione & de congruo. ſi autem ſit forma ſanctificans, ex incompatibilitate. Infero 2. hominem reddendo quantum poteſt, non ſatiſfacere de condigno, ſi non reddat æquale. Aliud enim eſt, quod non peccet ille non ſatiſfaciendo, ſi non poteſt; & quod non puniatur à Deo propter non ſatiſfactionem, ſed propter peccatum factum: aliud eſt, quod ſatiſfaciat. Hoc 2. eſt falſum. De quo num. 327.

ARTICVLVS III.

AN BEATISSIMÆ VIRGINIS SATISFACTIO ſufficiat?

505 SPecialis difficultas in Beata Virgine eſt, ſi Maternitas ipſius ſit forma ſanctificans (de quo Ripal. tom. 2. diſp. 79. Saavedra de Sacra Deipara V. Maternitas & Recentiores, ingenioſè) ſitque dignitas infinita; non ſolum terminatiuè (quia hoc non ſufficeret) ſed formalitèr & quaſi ſubſtantialitèr & implicitè à filio vt forma. Etenim cũ Beatiſſima V. vt infrà dicemus, non ſolum humanitatem ſed phyſicè vnionem hypoſtaticam produxerit, phyſicè eſt Mater huius hominis, ſed implicatiuè *prout eſt Chriſtus*, ſiue prout eſt homo Deus. Vnde Maternitas ipſius non eſt relatio prædicamentalis ad filium vt hominem à ſe genitum, ſed vt hominem Deum, quo pacto denominatur Mater à forma infinita vt tali.

506 Hac igitur infinitate formali ſimplicitèr non examinata (quia nec vacat examinare, & difficultate magna non caret) ſed pro nunc præſuppoſita: difficultas eſt, an Beata Virgo ita ſuos actus dignificauerit, vt fuerint æquales, & condigni ad extinguendam & compenſandam offenſam condignitate in actu 1. talitèr quod potuerint, acceptante Deo, eſſe ſtricta & æqualis ſatiſfactio? Scotiſtæ à fortiori tenentur affirmare. Conſtat enim ex artic. præcedenti, argumento 5. Beatiſſimam Virginem eſſe creaturam illam, cui conueniunt omnia requiſita ab ipſis, vt poſſet condignè ſatiſfacere, &c. præcipuè ſi addamus plures SS. PP. authoritates, quæ de gratia Virginis loquuntur, tamquam de infinita, immenſa, &c. de quo Ripalda citatus.

507 Nihilominus oppoſitum tenendum eſt cum communi Theologorum ſententia, quę ideò adſtruit neceſſariam Incarnationem ad ſatiſfactionem condignam, quia nulla pura creatura exhibere illam poterat; atqui Beata Virgo per Maternitatem non eſt extracta à ratione puræ creaturæ: ergo nec poteſt exhibere ſatiſfactionem condignam. Maior prob. multiplici PP. authoritate, quos adducit Bernal diſp. 3. ſect. 2. §. 1. vbi probat ex Adriano Papa, & Concil. Francofordienſi.

508 Inſuper patet ex Patribus. Leo Pappa ſerm. 1. de Natiu. *Niſi eſſet verus Deus, non afferret remedium, & niſi eſſet homo verus, non praberet exemplum.* Fulgentius in 4. cap. de Incarnatione: *Nullatenus humana natura ad auferendum peccatum mundi ſufficiens & idonea fieret niſi vnione Verbi Dei.*

Hilarius Matth. 26. *Sicut Dei Filium, ita & filium hominis meminerimus; quia alter ſine altero nihil ſpei tribuit ad ſalutem.* Baſilius in Pſalm. 28. *Frater non redimit, redimet homo. Non homo nudus, ſed homo Deus, qui ſolus pro nobis omnibus propitiationem dare poteſt.*

Ambroſius in cap. 9. ad Hebræos: *Tantum fuit peccatum noſtrum, vt ſaluari non poſſemus aliquando, niſi Vnigenitus Filius Dei moreretur pro nobis.* Auguſt. in Enchirid. cap. 8. *Neque per ipſum liberaremur Vnum mediatorem Dei & Hominum Chriſtum Ieſum, niſi eſſet & Deus.*

509 Alijs multis omiſsis teſtimonijs coronet opus Cyrillus noſter Alexandrinus, qui de hac re pro tuenda in Beatiſsima Virgine Maternitate Dei, de veritate iſta frequentiùs locutus eſt. Libro ergo 1. ad Reginas, ait: *Pretium pro vniuerſorum peccatis nequaquam ſatis magnum fuiſſet, ſi purus homo tantum extitiſſet.* Item lib. 1. in Ioannem cap. 20. *Cum ſaluare hominum genus voluiſſet, neque id poſſet creatura aliqua efficere, &c.* Et epiſt. 1. cap. 17. *Quo pacto autem vnus pro omnibus mortuus, Iuſtus pro omnibus pretium exſoluere potuit, ſi Paſſionem illam puri cuiuſdam hominis eſſe dicamus:* Hæc & ſimilia ſæpè repetit.

510 De mente autem Diu. Thom. ſatis conſtat eſſe eandem ex 3. ad Anibaldum diſt. 20. art. 3. & in 3. ſent. diſt. 20. quæſt. 1. art. 4. vbi expreſsè docet, hominem non potuiſſe liberari per pretium, & veram ſolutionem, niſi ab homine Deo. Et ſane hoc fundatiſsimum eſt. Pretium enim debebat eſſe meritum æquale, & ſatisfactio æqualis. Solus Deus nequit ponere opus ſatisfactorium: quia iſtud affert humiliationem, & veniæ petitionem, quæ in Deum non cadit. Solus homo non poterat offerre æquale ob magnitudinem offenſæ. Inde ergo PP. docent non ſufficere purã creaturam, quantumcumque ſanctam, ſed neceſſariò requiri hominem Deum.

511 Atqui Beatiſsima Virgo quantumcumque ſanctificetur Maternitate, imò & dato quod infinitè dignificetur, non extrahitur per hanc a ratione puræ creaturæ: ergo non fit potens ad ſatisfaciendum condignè pro offenſa. Confirmatur PP. Maternitatis altitudinem ſummamque dignitatem optime noſcentes, de eaque quaſi de infinita ſæpiſsimè loquentes, vt videre eſt apud Ripaldam tom. 1. diſp. 79. numquam vel leuiter inſinuarunt, ipſius merita habuiſſe ſufficientiam condignam ad ſatiſfaciendum pro offenſa per ſeipſam, quia apud ipſos hoc ſolum competebat homini Deo.

Ratio autem poteſt eſſe, quia ſicut licet offenſa ſit ſimpliciter infinita & eiuſdem ordinis cum Deo, adhuc omnes offenſæ ſimul ſunt quid minùs vno merito Chriſti, quia vnum infinitum poteſt eſſe multò maius alio. Similitèr licet dignitas Virginis ſit infinita, poteſt eſſe minor infinitudine offenſæ: Deuſque magis in offenſam refundi moralitèr, quàm Filius diuinus in Maternitatem: quia apud Prudentes, licet filius inſignis valdè condignificet Matrem, non tamen æquè ſtrictè, ac ſatiſfactionem condignificat ſatisfaciens, & offenſam offenſus. Quòd ſi Mater Chriſti ſatisfacere nequit, multò minùs alij iuſti, etiam vt ſunt membra Chriſti.

512 Sed ad has authoritates, reſpondent Scotiſtę 1. PP. negare ſatisfactionem de iuſtitia. Sed contrà, quia PP. loquuntur de pretio æquali, & condigno, & quod ſit per modum ſolutionis. Hoc autem independens eſt ab habere rationem iuſtitiæ ſtrictæ vel non habere. Confirmatur. PP. & Concilia concedentes operibus iuſti condignitatem pretij ad gloriam vt mercedem & coronam, negant operibus puræ creaturæ condignitatem pretij pro offenſa. Atqui illam condignitatem tribuunt præſcindendo à iuſtitia: ergo & iſtam negant ad ſatiſfaciendum, præſcindendo à iuſtitia.

Vel dicere debetis eam condignitatem, quàm iuſtus habet ad gloriam ſuam, eandem poſſe habere in ſuis operibus ad condignè ſatisfaciendum pro humano genere; ſi Deus, ſicut de facto ordinauit merita iuſti ad gloriam propriam, voluiſſet ordinare ad redemptionem alienam. Et ſi hoc iſta eſt, potuit Deus præuiſſo Adami peccato, non eligere Incarnationem, ſed facilius redimere, ordinando merita aliqua Beatæ Virginis, v. g. ad noſtram redemptionem: ſicut apud plures ordinauit de facto ad Maternitatem condignè promerendam, tamquam ad præmium diſtinctum à gratia & gloria. Quid ergo PP. clamant neceſsitatem hominis Dei ad redemptionem, ſi facilior erat aliquorum Virginis meritorum ad ipſam ordinatio?

513 Confirmatur, quia ſatis probabile eſt, in his, quę iuſtus meretur condignè, etiam mereri de iuſtitia cedente Deo alios titulos (ſicut ceſsit Chriſto) ergo ex hoc capite præciſè, admiſſo ſemel pretio condigno, non erat à PP. tam exclamanda Incarnationis certa neceſsitas, tamque deploranda ex parte puræ creaturæ ſatiſfactionis condignæ impoſsibilitas.

514 Reſpondent 2. Connaturalius eſſe, vt Deus homo redimat, quàm vt redimat purâ creaturâ. Hanc connaturalitatem ſolam PP. intendunt, vt tenet Fœlix Franciſcanus hic cap. 2. difficult. 6. Contrà. Tùm, quia Incarnatio potius eſt medium ſupernaturaliſsimum & extraordinarium, etiam ſuppoſito ordine gratiæ, quam ordinatio hæc meritorum Virginis: ergo hæc eſſet connaturalior, & ſuauior, condignitate ſemel admiſſa. Tùm, quia ſi ante peccatum decreta iam erat Incarnatio, ordinare aliam ad educendos captiuos pręcipuè per mortem & paſsionem, non erat ita connaturale, ac eligere, & mittere Ducem Magnum ſiue Vice-Deum, vt Reges ſolent facere magni. Si enim miniſterium tale eſt, vt miles omnino ſufficiat, ad quid Rex ipſe?

515 Tùm, quia connaturalitas à vobis aſſerta non eſt abſoluta neceſsitas, nec digna tot PP. clamoribus, nec, quæ dici poſſet introducta ob poſsibilitatis defectum ex parte purę creaturę; ſed vel ex ſolo connaturalitatis defectu, vel ob alias cauſas, quę congruentiæ vel conuenientiæ nomine celebrentur, non quę abſolutè, & ſimplicitèr, neceſsitatis abſolutę ad pretium condignum titulo introducantur.

516 3. Reſponſio ex doctrina P. Suarez num. 497. allata, ſufficere nempè ad imperfectè condignam; non verò ad æqualem ſatisfactionem, quia æqualitas poſtulat perſonam offenſam, & ſatisfacientem, eſſe æquales. Condignitas verò ſolum petit ęqualitatem operis ſatiſfactorij cum offenſa ipſa: impugnata eſt ſufficienter, nu. 497. & vlteriùs impugnatur. Tùm, quia neceſsitati ſoluendi æquale pro offenſa, vel fit ſatis per opus creaturæ, vel non? Si non, ergo nec datur vera condignitas in illo opere. Si fit; ergo ad ſoluendum æquale, nulla fuit Incarnationis neceſsitas; ſed ſolum fuiſſet neceſsitas, vt perſonæ inter ſe eſſent æquales, & hęc potius eſt congruitas, quàm neceſsitas, ſi abſque illa pretium eſt ęquale.

517 Vel fuiſſet neceſsitas, ad obligandum Deum in actu 2. ad acceptationẽ. Sed nec ad hoc. Tùm, quia ſufficeret conſtitutio Beatę Virginis in hominum caput. Tùm, quia etiam noſtra merita egent pacto, prout ſunt condigna gloria in actu 2. & nihilominus ſtrictè condigna aſſeruntur à PP. & à multis Theologis de Iuſtitia. Hoc autem negant PP. operibus pro offenſa: ergo quia cenſent non eſſe propriè æqualia cum offenſa. Tùm denique, quia redimentes captiuos à ſeruitute Maurorum, ſtrictè redimunt, eo præciſè, quòd præbent pretium æquale, etiam ſi ad obligandum in actu 2. Dominos, requiratur pactum.

ARTICVLVS IV.

DE SATISFACTIONE PRO VENIALI.

518 NOTA 1. Non poſſe condignè peccatorem, quia iſte nullatenùs culpæ veniam, nec aliud donum ſupernum meretur condignè, ſed de congruo. Nota 2. in veniali rationem culpæ, & pœnæ. Pro iſta poteſt dari à iuſto condigna ſatisfactio. Opera enim Iuſti inter alios effectus habent eſſe ſatisfactoria pro pœna Purgatorij, ſiue reſultet ex mortali, ſiue ex veniali. Nota 3. de facto non mereri condignè deletionem culpæ, ſed de congruo (& hoc per actus ſupernos, de quo Magiſter Arana in ſuo Indice Verbo *peccato*) quia de facto to-

Digitized by Google

totum meritum actionis ordinatum eſt à Deo ad præmium condignum gratiæ, & gloriæ. Difficultas eſt de poſſibili.

519 Affirmo cum cōmuni ſententia poſſe condignè. Ratio eſt 1. quia cōtritiò magis eleuat hominem, & vnit Deo vltimo fini amicabiliter, quàm veniale ſeparet. 2. quia non eſt offenſa Dei, ſed defectus leuis, iuri, & legi ipſius leuitèr oppoſitus. Amicus autem poteſt opera ſuperna, ita bona offerre ſuo amico etiam Deo, multò meliora, quàm culpa illa ſit mala. 3. quia ſi talia obſequia ſunt condigna altiſsimæ beatitudinis, multò maior eſt vis eorum ad introducendum in eam, quàm vis culpæ venialis contra eam, cum non ſufficiat hæc, ius illud vel extinguere, vel minuere: ergo ſi habent tanto plus de bono, quàm culpa leuis de malo, vt ſint digna tàm magno præmio, poteſt Deus in illis inuenire condignitatem, vt loco illius præmij, mereantur auxilium congruum ad remiſsionem culpæ.

520 Obijcies 1. Veniale habet plus de malo, quàm contritio de bono: ergo nequit eſſe condigna. Antecedens prob. Propoſita optione de contritione, vel de euitatione venialis, nequit iuſtus contritionem præeligere: ergo quia non eſt tam bona. Nego antecedens. Ad prob. conceſſo antec. nego conſeq. Quidam dant pro ratione, diuinam legem de euitando veniali. Do alteram. Res non quia in ſe & abſolutè melior, ideò eſt eligibilior, ſed quia melior eligenti, cui attenta naturali obligatione non peccandi, melior eſt & eligibilior illa vitatio, quàm contritio. Vide num. 503. & infrà articulum vltimum in quæſt. de gratia vnionis.

521 Obijcies 2. Venialis offenſa grauitatem ſuam talem qualem, ſumit à Deo, ſicut mortalis: ergo contritio non æquatur illi. Nego ſuppoſitum. Non enim eſt offenſa, nec materia capax, vt grauificetur à Deo vt forma ſed vt termino. Altiùs autem dignificatur contritio à Deo vt termino, cui intimiùs coniungit, quàm veniale ſepparet.

522 Obijcies 3. Deus poſſet eam pro veniali ſatiſfactionem non acceptare: ergo non eſt condigna, quia iſtam creditor acceptare tenetur. Nego antecedens in eo tunc, quia eſſet æqualis, & ordinata ad illud præmium loco gratiæ & gloriæ; ſecus, nunc. Vndè de facto ex miſericordia Dei & gratis, & ex congruo liberamur ab ipſis. Ideòque in oratione Dominica petimus, non vt debita noſtra extinguantur (quia hoc ſupponit ſolutionem condignam, & pretij æqualis exhibitionem, ordinati ad illam) ſed vt dimitantur: aliter eſſet in eo tunc.

523 Obijcies tandem: homo per veniale redditur indignus auxilio ad ſatisfaciendum pro illo, ſicut & per mortale: ergo tale auxilium liberalitèr daretur: ergo ſatisfactio illa non extingueret totum debitum, cum ſupponeret partem remiſſam. Reſp. 1. dato eminenmatè, nego 2. conſeq. Remiſſa enim eſſet, vel ſuſpenſa pars pœnæ, non pars debiti, de quo num. 339. Reſp. 2. nego antec. quia cum maneat amicus, adhuc poſſet pro auxilio reddere æquale, emereque illud. Et licet Deus ante emptionem, dare nō teneretur, poſſet tamē ratione amicitiæ, quin neceſsè eſſet diſpenſare. Teneretur verò ex ſuppoſitione, quod pro auxilio obtuliſſet obſequium condignum. Teneretur etiam ſuppoſita emptione, tollere iuſto impedimenta ingreſſus ad æternam vitam, nempè maculas illas.

524 Dices: teneretur tunc? ergo & nunc. Conſeq. prob. quia iuſtus nunc habet ius, vt in morte ad vitam æternam ingrediatur: ergo & vt tollantur impedimenta ingreſſus; ergo habet verum ius, & non ſolam congruitatem ad auxilia, per quæ ſatisfaciat pro venialibus. Alitèr enim, quaſi per indirectum, priuare illum Deus poſſet fructu ſui iuris. Reſp. conceſſo antec. nego conſeq. Ad probationem diſtinguo antec. habet ius vt tollantur illa impedimenta per hoc medium ſatisfactionis condignæ in hac vita, nego conſeq. Per alia media diſpoſita a diuina Prouidentia, vel in egreſſu huius vitæ, vel potiùs in Purgatorio, concedo anteced. & nego conſeq. in hac vita.

525 Infero idem eſſe dicendum de peccato graui philoſophico: cuius macula in hoc ordine rerum ſolum de congruo; in alio, poſſet tolli de condigno. Non enim eſt offenſa Dei, cum non aduertatur eſſe contra Deum, nec excedit limites culpæ venialis. Imò fortè, nec pro ipſo danda eſſet ſatisfactio Deo vt Deo ſpecialitèr, ſed generaliter vt Legiſlatori, & per ſatisfactiones, vel pœnas à Lege taxatas.

QVÆSTIO XI.

DE SATISFACTIONE CHRISTI.

ARTICVLVS I.

AN SIT SIMPLICITER INFINITA IN RAtione meriti.

526 SCotiſtæ communitèr aſſerunt opera Chriſti eſſe valoris ſumi inter omnia creata, itavt ſatisfactiones factę à pura creatura, quantumcumque plures & magnæ illæ ſint, & quantumcumque iſta ſancta ſit, ad ſatisfactionis Chriſti altiſsimū valorē pertingere nequeant. Non tamen eſt valoris ſimplicitèr infiniti. Tùm, quia ratione ſui opus finitum eſt, nec à perſona dignificatur infinitè, quia non creſcit ex ipſius dignitate arithmeticè, ſed proportionalitèr. Nec obeſt, quod redemptio Chriſti fuerit copioſa & ſuperabundans pro infinitis offenſis. Hoc enim habet quia fuit a Deo infinitè acceptata pro omnibuſque offenſis, licet in ſe finita ſit. Poteſt enim diuina voluntas, ſuperaddère valorem operibus, ſicut monetæ Regia. Cum Scotiſtæ offenſam defendant finitam ſimplicitèr, ſatis cōſequenter merito Chriſti valorem denegant ſimplicitèr infinitum.

527 Aſſero 1. Contra Scotiſtas. Valor ſatisfactionis Chriſti eſt ſimplicitèr infinitus. Ita S. Thom. Thomiſtę, Suarez. Bernal & communis ſententia. Prob. 1. quia Clemens 6. in extrauaganti ait Theſaurum Chriſti eſſe infinitum, nec formidandum eſſe de illius diminutione, propter infinita Chriſti merita. Pater autem loqui de infinitudine ex parte ſua. Eſt enim tale pelagus, quòd non ſolum conſumi non poteſt, ſed nec minui. In quo differt à theſauro ex meritis aliorum Sanctorum, qui eo quod minui poteſt, continuè reſtaurandus eſt per noua merita

528 Probatur 2. talis ſatisfactio habuit vim ſatisfactoriam pro omnibus offenſis, quantumcumque ſint plures & plures, & quantumcumque maiores & maiores, & quantumcumque ſpecie diuerſæ maiores & maiores. Inſuper & vim condignè merendi hominibus dona ſuperna, in infinitum maiora & maiora. Vndè vis ipſius non eſt ad infinita indiuidua huius vel illius ſpeciei. Hanc enim vim ſyncategorematicè infinitam, etiam habet ignis ad infinitos numero calores, quin propterea eius perfectio ſit ſimplicitèr infinita. Virtus autem ad infinitos effectus ſpecie diuerſos, nequit non eſſe perfectionis gradualis ſimplicitèr infinitę, ſicut patet in omnipotentia Dei, quæ hac ratione eſt ſimplicitèr infinita. Et confirmatur. Quia perfectiones ſyncategorematicè infinitę ſubſtantiales repertę in diuerſis effectibus petunt in cauſa perfectiones diuerſas graduales, omnibus illis correſpondentes: ergo & perfectionem entitatiuam & ſubſtantialem ſimplicitèr infinitam. Vide me in 1. part. à n. 283 ergo ſi in ſatisfactionis Chriſti vi cōtinentur effectus ſpecie diuerſi infiniti, neceſſariò ipſa debet eſſe valoris ſimplicitèr infiniti.

529 3. Probatur. Si iſte valor eſſet ſimplicitèr finitus, poſſet ęquari, imò & exhauriri, per offenſas & per alia præmia finita multiplicata & multiplicata. Imò & æquari in valore per opera meritoria & ſatisfactoria aliorum iuſtorum. Prob. quia res altioris ordinis moralitèr, æquari poteſt per alias morales inferioris ordinis multipli-

Digitized by Google

triplicatas & multiplicatas, de quo ſupra à n. 382.

530 Probatur 4. Quia ſi iſte valor finitus eſt in ſe, & ſolum eſt infinitus à diuina acceptatione: ergo ex ſe & ex proprijs non habet condignitatem ad præmia infinita. Conſeq. prob. quia finiti eo modo, quo finitum eſt, ad infinitum vt tale non eſt proportio, ſed infinita diſtantia & improportio. Acceptatio autem Dei, cum ſit extrinſeca, licet poſſet aliquid ſupplere de valore, valdè parum, ſicut Rex in moneta. Sed non quando quod deficit, infinitum eſt. Alias minimus actus iuſti poteſt acceptatus à Deo eſſe redemptio iuſta & condigna pro omnibus, imò & meritum condignum pro Incarnatione Spiritus Sancti, ſi defectus infiniti valoris eſt ſupplebilis à Deo.

Ratio autem horum omnium à priori eſt, quia in operibus ſatisfactorijs, valor & ſatisfactio ſumitur à perſona ſatisfaciente. Licet autem ſatisfactio non ſortiatur æqualitatem arithmetica cum perſona (mihi enim incredibile eſt vnum actum Chriſti tranſitorium eſſe eiuſdem ſpecifici valoris & æſtimabilitatis cum ipſo Chriſto, totáque Trinitate) benè verò æqualitatem ordinis ſimpliciter infiniti. Dabile enim eſt inter infinita in vno genere vnum maius alio. Reſpondent Scotiſtæ valorem creſcere à dignitate Perſonæ infinitæ, geometricè ſolum, non verò adæqualitatem. Reſponſio hæc eſt conſequentior in Scotiſtis, quam ea quæ in ſimili datur a negantibus offenſæ infinitudinem.

Sed contrà. Quia Perſonâ eſt menſurâ valoris & dignificationis vt lumine naturali conſtat, quando non habet vndè limitetur. Hic autem ex nullo capite poteſt limitari, nec dejici ab altitudine operis ſatisfactionis Theandricæ, ſiue diuin. humanæ, quia ſtrictè verificatur, quòd Chriſtus Deus & homo ſit qui humiliatur, moritur & ſatisfacit pro hominibus. Sicut autem quod humanitas limitata, ſit principium quo, huius ſatisfactionis, ſolùm probat quod ipſa præſtet materiam dignificabilem à Perſonâ, non tamen dejicit, nec tollit ab illa operatione rationem eſſendi à Chriſto ſatisfaciente, ita nec tollit ab illa, aut minuit dignificationem, quàm ex hoc capite, & menſura morali ſortitur.

531 Dixi infinitari ſatisfactionem à Perſona, & non habere vndè limitetur. Scotiſtæ enim reſpondent ad noſtram rationē, quòd ſicut Deus infinitus, finitè beatificat Diu. Petrum. ita & Verbum dignificat finitè ſatisfactionem, quia ſicut viſio ita & ſatisfactio limitatur à principijs. Contrà tamen. Quia valdè diuerſimodè ſe habent intellectus eleuatus reſpectu viſionis, & humanitas reſpectu ſatisfactionis. Etenim intellectus eleuatus limitat viſionem, quia eſt potentia, & virtus productiua viſionis vt talis. Effectus autem non poteſt excedere virtutem ſuæ cauſæ immediatę. At humanitas licet ſit cauſa ſatisfactionis ſumptæ entitatiuè, & in ratione operis honeſti; (& propterea ſatisfactio vt opus honeſtum eſt ſit limitata) non tamen eſt cauſa dignificationis, reſpectu cuius, adminiſtrat materiam capacem; ſola autem perſona vt principium cauſat dignificationem Theandricam: ergo in ratione valoris & dignificationis, non habet vndè limitetur, eritque ſimpliciter infinita.

532 Confirmatur, Chriſtus vt concretum hominis Dei, eſt ſimpliciter infinitum, nec limitatur in dignificatione ſua à Matre, quia iſta ſolum producit materiam dignificabilem, ſcilicet humanitatem hypoſtaticè vnitam; dignificatio autem cadens ſupra hanc materiam capacem, tota eſt à Verbo: ergo ſimilitèr dicendum de ſatisfactione Chriſti: ſicut enim humanitas vt materia capax, potiùs eleuatur à Verbo ad infinitam dignificationē, quàm Verbum deprimatur; ſic opus ſatisfactorium potiùs eleuatur à Perſona ad infinitudinem, quàm ad finitudinem perſonam deprimat. Erit ergo valor iſtius, pelagus interminabile valoris ſubſtantialitèr, atque ſimpliciter infiniti.

ARTICVLVS II.

ARGVMENTA PRO SCOTISTIS.

533 PRimum: viſio beata non haurit ab obiecto infinitatem: ergo nec ſatisfactio Chriſti à principio. Conſeq. prob. quia non minùs conducit obiectum infinitum ad cognitionem quam terminat, quam principium infinitum ad operationem quam elicit. Reſp. Cōceſſo antec. nego conſeq. Ad prob. dicet quis obiectum ad cognitionem ſe habere valdè extrinſecè, Perſonam verò ad operationem valdè intimè, & ſic conducit multò magis. Sed contrà. Deus ad offenſam cum ſe habeat vt obiectum, etiam ſe habet valdè extrinſecè, & tamen infinitat apud vos: ergo contra ſolutionem.

Reſp. vt ſuprà negando conſeq. quia concurſus obiecti attemperatur principijs finitis immediatis viſionis vt talis. Dignificatio autem non eſt à virtute humanitatis limitata, ſed à Verbo: ſicut grauitas offenſæ, non eſt à virtute humanitatis productiua actus mali, ſed à ſolo Deo, poſito illo vt materia. Vndè, qui perſonam ſatisfacientem, & perſonam offenſam vocant ſubiectum (quorum fecimus mentionem num. 484.) benè docent differre obiectum à ſubiecto, quod obiectum ſe communicat quantum poteſt, attenta virtute cognitionis, cui virtuti attemperari debet, ſubiectum verò communicat ſe quantum eſt, ſuppoſita capacitate materiæ; quin limitetur ab aliquo.

534 Objicies 2. Quodlibet meritum Chriſti eſt ſimpliciter infinitum: ergo non ſumus redempti per mortem Chriſti, ſed ante illam contrà Scripturam. Prob. conſequentia, quia ante illam Chriſtus fecit actus infiniti valoris. Nego conſeq. quia actus antecedentes habebant infinitam ſufficientiam ad redemptionem; non verò efficaciam integram & perfectam, eo quod Pater ordinauerit, & Chriſtus voluerit redemptionis efficaciam conſequendam fuiſſe dependentèr a Cruce, & morte exercita, vt conſtat ex Scriptura.

535 Objicies 3. Meritum Chriſti exhauriri poteſt per Incarnationem Patris, ſed meritum infinitum eſt inexauribile: ergo. Reſp. eſſe inexauribile per præmium [illegible], non verò per infinitum. Adde iuxta plures, tunc licet exhauriatur, & adæquetur intenſiuè, ſed non extenſiuè: quia adhuc omnia alia præmia ſimùl cum illo mereri valet condignè, quia omnia ſecundum quod habent de valore, in illo eminentèr continentur. Ratio eſt, quia non ſunt quid melius omnia ſimùl, quam vnum: & licet addant multitudinem, non dignitatem, vide n. 287.

536 Objicies 4. ergo Chriſtus potuit hominem redimere condignè per quodcumque opus honeſtum; v. g. volitionem ſupernam comedendi ad ſuſtentandam vitam. Gonet negabit conſeq. quia ſolæ illæ actiones meritoriæ ſunt ſimpliciter dignificatæ à Verbo infinitè, quæ ſe habent per modum ſatisfacientis, veniam petentis & ſe humiliantis, quia ſolæ hæ refundunt perſonam in ipſum opus, illam quaſi ſubijciendo perſonæ offenſæ. Vndè alij actus non ſunt ſimpliciter infiniti, nec dignificantur à perſona.

Hæc ſolutio, quæ magnam videtur habere veriſimilitudinem, impugnari poteſt. Tùm, quia omnia merita ſua dignificat iuſtus à ſuæ gratiæ dignitate, ergo multò melius Chriſtus, quia multò intimiùs. Tùm quia hic ſpecialis modus refundendi perſonam in opus ſatisfactorium, eſt ſolum per modum obiecti, & materiæ oblatæ: quòd non ſufficit ad infinitandum opus ſimpliciter, vt cernitur in oblatione Beatæ Virginis, qua obtulit Chriſtum in Templo, & Sacerdotum in Altari, dum Chriſtum conſecrant, & offerunt. (Niſi velis dicere dignificationem infinitam non ſummi in ſatisfactione Chriſti à perſona, vt materia oblata, ſed à perſona vt principio, requirente tamen perſonæ oblationem, tanquam materiam capacem infinitæ dignificationis.)

Tùm

Tum denique, quia ſequeretur, quòd per amorem Dei Chriſtus non potuiſſet nos redimere, quia talis amor vt talis non refundit perſonam, illam Deo obiectiuè ſubijciendo. Quare mihi veroſimiliùs eſt, per quemcumque actum meritorium, potuiſſe Chriſtum nos redimere, quia in ratione meriti eſt ſimpliciter infinitus, quia dignificatur a ſubiecto merente. Subiectum autem dignificat vt eſt, & ſecundum totum quod eſt, ſupponita materia capaci ad merendum, vt ad 1. argumentum dictum eſt.

537 Obijcies 5. dignificatio ſatisfactionis, ſumitur à ſubiecto ſatisfaciente; atqui hoc nequit eſſe perſona Verbi: ergo nequit ab illo ſumi infinitas ſatisfactionis. Minor patet, quia ſatisfaciens, eo ipſo debet eſſe quid inferiùs, vel induere rationem inferioris; atqui hoc nequit competerè Deo vt tali, ſed Deo vt homini, ergo Deus vt talis nequit eſſe ſubiectum ſatisfaciens, ſed Deus vt homo; ac per conſequens humanitas ipſa, quia reduplicatio Dei vt hominis, cadit ſuprà formam.

Reſp. ſatisfactionem debere eſſe, non à Deo vt Deo ſolo, nec ab humanitate in abſtracto, ſed à Deo vt homine in concreto: ideſt à Chriſto, prout dicente Deum vt Deum, & hominem vt hominem; ſiuè à perſona, ſecundum quod habet ex proprijs, & ſupperaddendo quod habet ex alienis. Ad ſatiſfactionem enim concurrunt, & perſona & humanitas in concreto. Vtraque formalitèr vt talis, quia vt tales formalitèr (non autem materialitèr, & vt ſi eſſet quodlibet ens) requiruntur. Vna vt talis ad influendum. Alia vt talis ad dignificandum. Et ex vtraque conſtituitur Chriſtus vt homo, & vt inferior & vt ſatisfactiuus. Dum ergo audis: *Chriſtus vt homo ſatisfacit*: ne ſummas pro humanitate, ſed pro aggregato vt aggregato, expreſsiùs humanitatem dicente. Etenim quando reduplicatio cadit ſuprà formam, ſonat ſolum hanc expreſsionem, non verò perſonæ excluſionem vt male quidam intelligunt. Sic ſatisfactio procedit à ſatisfaciente vt inferiori, ratione humanitatis & ſimùl ab æquale infinitè dignificante illam, ratione perſonæ.

538 Obijcies 6. Gratia habitualis non dat æſtimationem actui iuxtà menſuram ſuam: ergo nec dignitas Chriſti. Iam dixi ſupra, dare æſtimationem ſui ordinis. Alij in materia de Merito, dato antec. negant conſeq. quia ſanctitas Verbi facit magis intimè vnum cum humanitate, ſaltim quoad moralitatem; quàm gratia cum anima: nam eſt complementum, & terminus ſubſtantialitèr humanitatem complens, facienſque vnum ſuppoſitum per ſe; ideòque ad moralitatem magis prodeſt, nam actiones ſunt ſuppoſitorum. Addere poſſunt ex Gonet, gratiam dignificare iuxta conatum phyſicum, quem pro libitò voluntatis, cui ſubditur, exhibet. Vndè dignificabit parum, ſi influat parum, & multum ſi multum. Perſona autem Verbi, cum non ſubdatur vſui voluntatis, dignificat vt eſt, non verò iuxtà liberum voluntatis conatum.

539 Obijcies tandem. Etiam ſi ſatisfactio eſſet finita, non exhauriretur per infinitas offenſas, & præmia ſyncategorematicè: ergo nihil probat ratio, n. 528. adducta. Antecedens prob. quia ignis virtus non minuitur ſi accendantur ex illo vna, & altera lucerna, imò, & ſyncategorematicè infinitę: ergo. Nego antec. Ad probat. conceſſo anteced. nego conſeq. quia vt dixi in probatione, effectus numero infiniti & ęquales, infinitam virtutem non probant; ſecùs effectus ſpecie diuerſi, & inæquales quales ſunt præmia Chriſti. Ex dictis ſequitur 1. Patrem petere à Chriſto ſatisfactionem pro offenſa ęqualem. Chriſtus autem reddit ſuperabundantem, quia reddit illam ad modum ſui. Sequitur 2. opera Chriſti, licet infinita, non neceſſitare Deum aut Chriſtum, ad amorem, decretum, ſiue acceptationem ſui ex ſeipſis, ſicut Deus neceſſitat beatos. Diſparitas eſt, quia datur libertas dum datur cognitio indifferens. Proponuntur autem eis illa opera indifferentèr, nempè vt infinitè bona, ſed non vt abſolutè & ſimplicitèr neceſſaria: ſecùs Deus reſpectu beatorum.

540 Sequitur 3. hanc dignificationem infinitam non ſumi à materia oblata, ſed à perſona ſpecialitèr operãte, & dignificante. Non quidem vt operante ſpecialitèr phyſicè, quia Verbum non influit in opera humanitatis. cum ſint opera ad extrà, concurſu phyſico, qui non ſit communis toti Trinitati, ſed à Verbo vt forma dignificante.

Dignificantur autem à perſona opera iſta Chriſti, non quatenùs elicita præcisè a Chriſto, ſed quatenus elicita, & ſimùl recepta in ipſo, quia ſic ſunt vitalia, & immanentia, & libera; non autem præcisè quatenùs recepta ſunt. Licet autem cruciatus Chriſti vt in ipſo recepti ſint apud PP. valoris infiniti. Reſp. eſſe vt ab ipſo liberè acceptatos. Reliqua de merito Chriſti alibi dabimus, Deo dante.

541 Sequitur tandem: *Chriſtum vt hominem*, non ſonare idem, ac *Chriſtum, vt quẽlibet hominem*. Quod non ſonet, nec ſupponat pro humanitate ſola, ſed pro aggregato ex humanitate, & perſona (non obſtante reduplicatione) conſtat ex ſolutione quinti argumenti. Dicit ergo Deum hominem: idest Deum vt Deum & ſecundum propriiſsima perſonæ diuinæ, addendo illi humanitatem vt talem, & ex vtráque conſurgit Chriſtús vt homo, perſonam diuinam in recto includens formalitèr, ſed humanitatem magis exprimens. Sicut intellectus vt eleuatus ad videndum Deum, conſurgit ex lumine, & intellectu (non vt lapide, nec vt quolibet ente, ſed vt intellectu & ſecundum propriiſsima intellectus, ſuperaddendo lumen). Sicut autem vtrumque vt tale requiritur ad videndum Deum, ſic Chriſtus vt homo prout conſurgens ex Verbo & humanite vt talibus, ad ſatisfaciendum. Quilibet autem homo vt talis, ſolum exprimit humanitatem cum qualicumque perſonalitate.

ARTICVLVS III.

HÆC INFINITVDO EST ETIAM IN ratione meriti.

542 CArdinalis Lugo diſp. 4. de Incarn. ſect. 2. valorem tribuit operibus Chriſti infinitum, meritum tamen illis infinitum negat. Quia tamen videtur res captu difficilis, vt intelligatur: noto 1. ſicut in offenſa diſtinguimus rationem malitiæ à ratione offenſæ, quia illa ſumitur ab obiecto & circunſtantijs, tàm obiectiuis, quàm formalibus, v.g. intenſione duratione, offenſa verò à Deo contrà quem eſt; quique per illam vilipenditur; ita in opere meritorio & ſatisfactorio, diſtinguenda eſt honeſtas & bonitas (quæ ſumitur ab obiecto & circunſtantijs) à valore operis, qui ſumitur à dignitate Perſonæ ſatisfacientis.

543 Noto 2. Opus bonum, quòd eſt materia dignificata à perſona, cum ſit quid finitum, eſſe capax maioris vel minoris bonitatis ab obiecto & circunſtantijs; licet in Chriſto non ſit capax maioris valoris (illius, qui ſumitur à dignitate Perſonæ) quia cum omnes æqualitèr ſint operatio Chriſti Theandrica, licet habeant inęqualitatem ab obiectis, ſecùs à dignificatione Perſonæ.

544 Hinc patefiet, quare apud Lugo valor ſit infinitus ſecùs meritum. Ipſe enim docet, quòd nihil eſt infinitum, niſi ſit ſummum in illo genere. Meritum autem Chriſti in ratione meriti non eſt ſummum. Ratio enim meriti in actu bono, non ſumitur à ſola dignificatione Perſonæ, ſed ab honeſtate operis & circunſtantijs. Nullum autem eſt meritum in Chriſto, quòd non ſit capax augmenti, & poſsit eſſe malus & maius ſaltìm ex circunſtantijs. Nullum ergo eſt infinitum, quia nullum ſummum. In valore autem quodlibet eſt ſummum (idest omnis pręmij poſsibilis condignum) ac per conſequens in hoc genere & quantum ad hoc, quodlibet eſt incapax augmenti.

545 Aſſero contra P. Lugo, ſatisfactionem Chriſti, fuiſſe non ſolum valoris, ſed & meriti ſimpliciter infiniti. Ita communis ſententia. Prob. 1. Tùm, quia meritum condignum, non ſolum ſumitur ab honeſtate actus & circunſtantijs, ſed à dignificatione à perſona; atqui hæc eſt ſimpliciter infinita: ergo & meritum in ratione talis. Maior patet, quia ſi meritum Chriſti non ſumeretur etiam a perſona, eſſet in ratione meriti ſicut meritum puræ creaturæ. Tùm, quia Chriſtus Homo-Deus, ideò eſt concretum ſimpliciter infinitum, quia non dicit ſolam humanitatem finitam, ſed & Verbum infinitum.

2. Quia ſi meritum non eſſet infinitum, maximè quia non eſt ſumum, cum meritum ſumatur etiam ab honeſtate, intenſione, & circunſtantijs actus, in quibus ſemper poteſt dari augmentum; atqui hæc ratio eſt nulla. ergo. Minor prob. Tùm 1. quia vnum infinitum poteſt eſſe maius alio, vt infinitum omnium poſsibilium, infinito hominum. Tùm 2. quia valor etiam creſcit ex illis circunſtantijs, & tamen apud te eſt ſimpliciter infinitus. Quod ſummatur patet, quia maior eſt valor charitatis in iuſto, quàm iuſtitiæ. Item in peccatore fides & contritio habent meritum, & aliquem valorem de congruo ad gratiam, & non à dignitate perſonæ. In intelligibile enim eſt meritum ſine valore: ergo creſcere poteſt ab honeſtate & circunſtantijs valor.

Tùm 3. Angelus Deus, vel eſſet aliquid meliùs homine Deo, ratione ſuæ naturæ, vel nòn? Si eſſet, atqui homo Deus adhuc eſt ſimpliciter infinitus: ergo & meritum Chriſti, licet ſit poſsibile aliud maius ratione materiæ. Si non eſſet meliùs, eo quod ille exceſſus ſe habet materialiter, vel quaſi non eſſet, abſorbeturque à ſuppoſito diuino: ergo idem poterit dici de quolibet merito Chriſti, ita eleuari à ſuppoſito diuino, vt quilibet materialis exceſſus abſorbeatur, & quodlibet meritum habeat quaſi ſummum, & ſimpliciter infinitum. Ratio horum eſt, quia ſicut in ſuppoſito diuino omnis perfectio eminentiſsimè continetur, ita & in quovis merito Chriſti, omnes omninò valor.

546 Confirmatur: licet in Deo vnum attributum, attenta ſua linea præciſe, ſit minùs perfectú alio, & proceſsio Spiritus S. proceſsione Verbi, omnia tamen ſunt omninò æqualia, quatenùs habent rationem diuini, quia à diuinitate ita eleuantur, & ponuntur in ſummo, vt non ſit, quoad bonitatem & dignitatem excogitabile plus: ergo idem erit de meritis Chriſti, quorum quodlibet ita eleuatur à perſona ad valorem ſummum, ſummamque merendi rationem, vt in ratione meriti nihil ſit plus.

547 Obijcies 1. quòd conflatur ex finito, & infinito, eſt finitum; atqui opus meritorium Chriſti, continet honeſtatem finitam: ergo eſt finitum. Maior patet in corpore habente longitudinem & latitudinem infinitam, & profunditatem finitam. Retorqueo, in Chriſto infinito, habente tamen humanitatem finitam. Reſp. autem: quando pars infinitans eminentèr continet aliam finitam, compoſitum poteſt eſſe ſimpliciter infinitum; quòd non contingit in tali corpore, cuius pars infinitans non continet alia finita eminentèr. Inſuper reſp. tale corpus eſſe finitum in ratione corporis, quia differentia ſpecifica corporis vt talis eſt profunditas, & hæc finita eſt. In genere autem quantitatis, benè poteſt dici quantitas infinita, licet finita cum addito (ſiue potius, non infinita ex hoc capite) nempè verſus profunditatem. Sic actus Chriſti eſt ſimpliciter infinitus, ſed verſus honeſtatem vt talem, finitus eſt cum addito.

548 Obijcies 2. Actus Chriſti eſt meriti ſimpliciter infiniti: ergo eſt tam bonus, tam valoroſus, tamque placens Deo, ſicut actus intrinſeci diuinæ voluntatis. Negaui ſæpè fore tam bonum, licet ſit eiuſdem ordinis ſimpliciter infiniti, quia in actibus diuinis modus habendi bonitatem, eſt multò melior, cum ſit per identitatem. Doctores alij, multum variant circa conſeq. conceſſo antec. Quidam enim concedunt æqualem valorem, quia dignitas Dei tota refunditur in quodlibet opus Chriſti. Alij negant eſſe tam bonum, & tam placens Deo. Concedunt tamen eſſe tam valoroſum, quia hæc denominatio non petit tantam bonitatem in opere, ſed ſolum quod operis illius æſtimabilitas, ſit tanta, quod mereatur omne præmium, eo quod claudat dignitatem perſonæ. Vndè concedunt operibus Chriſti, æqualitatē, cum actibus internis Dei, non abſolutam, ſed reſpectiuam ad præmia.

549 Alij tandem docent eſſe infinitè valoroſos, licet non ſint æquè boni, quia ad valoris infinitatem ſufficit, quod in valore à nullo alio merito excedantur. Licet enim actibus internis Dei inferiores ſint, cum tamen iſti non ſint meritorij, à nullo in valore morali excedantur. Contrà: actus Dei interni, præmiatiui ſunt noſtrorum meritorum: ergo ſunt morales. Item vt ſunt actus infiniti, aſſeruntur à multis Theologis, habere rationem præmij condigni, reſpectu Chriſti, qui non ſolum fuit cauſa moralis condigna prædeſtinationis Sanctorum, quoad dona externa, ſed quoad decreta interna Dei: ex quo capite etiam habent valorem moralem præmij: ergo actus Chriſti, vel ſunt æqualis valoris cum actibus Dei & ſummi, ſicut illi: vel non erunt ſimplicitèr infiniti. Quare ſto primæ noſtræ reſponſioni.

ARTICVLVS IV.

AN SATISFACTIO CHRISTI HABVERIT condignitatem ex ſe?

550 ID eſt an independentèr ab acceptatione Dei: Duplex eſt condignitas. In actu 1. & in actu 2. illa eſt æqualitas cum præmio. Iſta addit ius, & inductionem obligationis ad præmium. Reſpondet negatiuè Scotus, & alij. Primò, quia Chriſtus ſæpè rogauit Patrem, vt remitteret offenſas: ergo ſatisfactio non erat condigna, quia non eſt cur petatur precibus, quòd condignè emptum eſt. Nego conſeq. quia quando preces ſunt pars ſolutionis, vt verè erant in Chriſto, non ponuntur fruſtra. Item, quia preces non ponebantur ex indigentia, nam ſufficiebant alia merita (licet ipſæ eſſent merita) ſed vt homines diſcerent orare pro ſuis peccatis, & quia Pater ordinauerat redemptionem, non ſolum dependentèr à morte crucis, ſed etiam ab oratione.

551 Secundò, quia peccatum meretur pœnam æternam maiorem omnibus cruciatibus Chriſti: ergo iſti non habent condignitatem pro illo. Nego conſequentiam, quia hæc non ſumitur à magnitudine doloris, ſed à dignitate patientis. Tertiò, ſi humanitas Chriſti per impoſsibile mortalitèr peccaret, non ſatisfaceret condignè pro ſe. ergo nec pro alijs, etiam ſi habeat eandem dignitatem. Nego ſuppoſitum antecedentis, quia eſſet contradictio ſummè amari, quia Filius Dei; & odio habiti, quia peccator. Quidam negant antecedens, quia in Chriſto non ſumitur valor à Sanctitate, ſicut in nobis non habentibus aliam dignitatem, ſed à filiatione. Dato antecedenti, nego conſequentiam, quia modò eſt perſona omninò, & ſimpliciter grata, ſecùs tunc. Bonitas enim debet eſſe ex integra cauſa, quę non daretur tunc ob deffectum conditionis, ideſt carentiæ peccati.

552 Obijcies 4. Offenſa ex ſe eſt magis exoſa Deo, quàm meritum Chriſti ſit gratum: ergo ex ſe non habet condignitatem. Antec. prob. Tùm, quia offenſus eſt Deus vt Deus, & in proprijs: ſatisfaciens Deus vt homo, ſiuè in alienis: ergo maiorem moralitatem refundit Deus in offenſam, quàm in ſatisfactionem: tùm, quia multò ingratior eſt Regi & potius Deo, cōtemptus & inverecundia intendendi deſtruere Deum, quæ eſt in offenſa, quam ſit grata humilitas ſatisfactionis: ergo. Nego antecedens, vt conſtat ex dictis. Ad vtramque probat. Reſp. poteſt ex doctrina Gonet, perſonam refundere maiorem moralitatem in ſatisfactionem, quàm in offenſam, quia Deus eſt offenſus per contemptum, & deſtructionem affectiuam, quin in re lædat Deum ipſum in alieno. Satisfaciens autem eſt, per oblationem & ſummiſsionem

phy-

Digitized by Google

168

phyſicam, & exercitam perſonæ ſatisfacientis ad Deum. Ideò addit maiorem moralitatem.

552 Sed contrà, quia in ſentent. Thomiſt. & communiori opus externum ſupra affectum internum nullam addit bonitatem, vel malitiam: ergo parum intereſt, quòd deſtructio Dei ſit affectiua, & ſumiſsio ſit exercita. Ideò reſp. 1. offenſam ex ſe non eſſe affectum deſtruendi Deum regularitèr, ſed rationem vltimi finis in actu 2. ideſt, ordinationem amicabilem. Reſp. 2. maiorem dignificationem ſumi à maiori intimitate, & à materia magis capaci in ſatisfactione, fundante maius ius ad iudicium prudentum. 3. Reſpondendo ad replicam contra Gonet, ab actione externa exercita non ſumi plus honeſtatis, benè verò plus alterius moralitatis, & alicuius valoris, vt conſtat ex præmio aureolæ in Martyre.

553 Objicies tandem: ſi per impoſsibile Verbum offenderet Patrem, ſatisfactio Chriſti æquaret iſtam offenſam, de æquali ad æqualem: ergo non offenſam maiorem, qualis eſt, viliſsimæ creaturæ ad Deum. Reſp. 1. fortè de æquali ad æqualem non fore ſimplicitèr infinitam apud prudentes, & ſic non ſolum æquaret, ſed excederet. Reſp. 2. æquare vtramque & excedere infinitè: quia vtraque eſſet intenſiuè æqualis, & ſolum extenſiuè vna eſſet maior alia.

554 Dico 1. habuit condignitatẽ ex ſe in actu 1. Ita communis ſentẽtia cõtra Scotiſtas. Prob. Tùm, quia cõdignitas eſt valor; iſte autem erat talis, quòd ſuperabat omnẽ offenſam, nõ enim perſona magis efficax eſt ad moralizã dã offenſam, quã ſatisfactionẽ, imò minus, & propterea redẽptio apud Deũ fuit copioſa, & ſuperabundans. Vndè ex Paulo ad Rom. 5. maius eſt pro nobis donũ (ſatisfactionis Chriſti) delicto Adami: ergo & maior ex ſe efficacia ad redimendum, quàm in delicto Adami ad maculandum. Tùm, quia Crux fuit inſtar ſtateræ, in qua ponderatis meritis Chriſti & offenſis, illa reperta ſunt maioris ponderis, & ſic Iob in perſona Chriſti dicebat. Vtinam appenderentur peccata mea (ideſt fideiuſſoris) & calamitas quam patior (ideſt mors, & ſatisfactio mea) in ſtatera. Quaſi arena maris hæc grauior appareret. Ideſt maioris ponderis. Tùm, quia alias maioris efficaciæ fuiſſet ex ſe delictum Adami, quàm ſatisfactio Chriſti. Tùm quia, ſi condignitas pendebat ab acceptatione, ſuperflua fuit Incarnatio, cum etiam potuiſſet acceptari meritum puræ creaturæ.

Tùm, quia aliàs Chriſtus per opera ſua non ſatisfeciſſet, quia per illa non feciſſet ſatis, ſed acceptatio Dei suppleret ad ſatis. Sicut enim volũtas Regia dum acceptat obſequium non dignum, potius oſtendit Regis liberalitatem, quàm faciat condignitatem, ſic acceptatio Dei. Tum denique, quia ſequeretur, valorem operum Chriſti de facto non fuiſſe condignitatis infinitæ contra dicta ſuperiùs. Prob. quia non ex ſe apud vos; atqui nec ex acceptatione Dei; non enim ſunt acceptata infinitè. De facto enim ſolum fuit acceptatio ad remiſsionem offenſæ, & ad donationem gratiæ, & gloriæ, quæ omnia apud vos finita ſunt.

555 De condignitate in actu 2. plures negant, & plures affirmant. Dico 2. ad condignitatem in actu 2. ſtrictam & propriam, neceſſarium fuit aliquod pactum, & ordinatio Dei. Prob. hæc condignitas ſtat in iure obligandi Deum ad præmium; atqui ad hoc requiritur pactum: ergo. Minor prob. nam obligare Deum ſtrictè, nullum obſequium poteſt abſque pacto. Patet, nam opera libera D. Petri obligabant in via Deum condignè ad gratiam & gloriam, ſecùs in Patria, quæ diuerſitas ſumitur a pacto. Item opera iuſti in via poſſent condignè mereri augmentum gratiæ pro alijs, & non merentur, niſi pro ipſo. Inſuper iuſtus pro ſeipſo poſſet de condigno mereri loco augmenti gratiæ ſanctificantis, gratias auxiliantes efficaces. Nec tamen meretur, & hoc ſumitur, quia non datur pactum de hoc, ſed de oppoſito.

556 Confirmatur in meritis iuſti, ideò requiritur pactum, quia ex ſe ſunt indifferentia ad hoc, vel illud præmium; atqui etiam opera Chriſti, vt eſſent ſatisfactio pro homine, vel pro Angelo: ergo requiritur pactum determinans. Nec dicas 1. opera Chriſti eſſe condigna omni præmio poſsibili: ergo non egent pacto. Diſtinguo antecedens: condignitate in actu 1. concedò antecedens; in actu 2. nego antecedens, & conſequentiam.

557 Nec 2. Deus abſque pactò tenetur præmiare opera iuſtorum, ſaltim ex Prouidentia gubernatrice. Nego ſi deſit pactum; ad ſummum enim teneretur ex quadam decentia, quoad nos; opera enim iuſti ſunt Deo debita ex alijs titulis, niſi Deus cedat, & ſic facientibus Apoſtolis bona opera, Chriſtus dixit, vt dicerent: *Serui inutiles ſumus, quòd debuimus facere fecimus*. Tandem, quia potuit Deus non acceptare, vt dictum eſt.

ARTICVLVS V.

SVFFICIT PACTVM FIDEIVSSIONIS.

558 Dico 3. Hæc ordinatio eſt voluntas Dei conſtituens Chriſtum caput, & fideiuſſorem hominum, & non requiritur alia. Prima pars prob. quia Chriſtus potuit eſſe homo quin eſſet fideiuſſor, & caput. (Sicut ſi tres perſonæ fierent tres homines, eſſent homines, & non eſſent tria capita, nam eſſet monſtrum:) ergo vt eſſet fideiuſſor requiritur ſpecialis voluntas. Modo ſic: non poterat ſatisfacere, niſi eſſet fideiuſſor: ergo nec ſine pacto obligare Deum. Minor probatur, quia ſi perſona nullo pacto coniuncta moralitèr cum debitore, offerat creditori ſatisfactionem, vel pecuniam illi debitam, creditor non teneretur acceptare, ſed poſſet ille dicere: *Nolo tuam ſatisfactionem, nã de debito, quid ad te?* Sicut autem Adam debuit conſtitui caput hominum (aliter enim offenſa non transfunderetur in poſteros) ſic Chriſtus, vt ſatisfactio obligaret Deum pro ſubditis.

2. Pars prob. ex differentia ſatisfactionis & meriti, nã meritũ poteſt non acceptari, ſecùs ſatisfactio plena à perſona debente, vel a fideiuſſore exhibita, nam ſi Petrus debeat Paulo centum, & illa ſoluat, iniuſtè Paulus non acceptaret. Ratio eſt, quia meritum ordinatur ad obligandum præmiantem, quia obligari nequit, niſi ipſe velit. Satisfactio verò præcipuè ordinatur ad eximendum debitorem ab obligatione debiti, reddendo æquale; eo autem ipſo, quòd ponatur compenſatio æqualis, ius habet debitor, vt eximatur à debito; cum autem ſatisfactio Chriſti fideiuſſoris, pleniſsima ſit pro Dei offenſis, vt offenſæ ſunt, eo ipſo tollit debitum; pro ipſis verò vt peccata ſunt contra naturam rationalem non debetur Deo ſatisfactio, quia non inferunt damnum Deo, ſed nobis, & nemo ſibi ſatisfactionem debet; pro offenſis autem vnius hominis contra alium, non decebat dignitatem Chriſti ſatisfacere homini offenſo.

559 Objicies contra primam partem: ſi Chriſtus non eſſet fideiuſſor, & Deus remitteret nobis offenſam intuitu meritorum eius, non remitteret gratis: ergo pro ſatisfactione. Antecedens patet, nam remittere gratis, & propter merita contrariantur. Ad hoc argument. reſpondebimus quæſt. ſeq. n. 583.

960 Objicies 2. Malitia peccati originalis ex ſeipſa fuit ſufficiens maculare omnes: ergo & ſatisfactio Chriſti ex ſeipſa redimere omnes. Antec. prob. quia non maculauit ex aliqua efficacia ſumpta à conſtitutione Adami in hominum caput, quia hæc conſtitutio erat à Deo ſolo. Diſtinguo antec. ex ſeipſa, tanquam ex ratione formali, præſuppoſita tamen conſtitutione in hominum caput vt conditione, concedo antec. Non præſuppoſita, nego antecedens; fuit enim conditio, ſine qua non. Idem de conſtitutione Chriſti in hominum caput.

561 Objicies 3. Ergo per 1. Chriſti actum, & ante mortem redempti ſumus, quia non fuit in manu Dei ordinare, quòd redemptio Chriſti conſummaretur per mortem, ſi debitum erat ſatisfactum per opera Natiuitatis. Nego conſeq. quia Chriſtus ceſsit iuri ſuo, & liberè

Digitized by Google

elegit conſummare redemptionem per mortem, vt infra dicemus. Vndè licet actus 1. Chriſti eſſet æquè valoroſus, ac mors, quia tamen per iſtam erat decreta redemptio, & fideiuſſoris ſatisfactio, ideò non eſt facta per 1. actum, & ita voluit Chriſtus.

562 Objicies 4. Ergo Pater iniuriam intulit ſatisfactioni Chriſti, non remittendo omnibus omnia peccata. Prob. quia ſi pro omnibus ſoluit, itavt teneretur Pater acceptare, non poteſt omnibus, non remittere offenſas. Confirmatur, quia aliud eſt debitum, aliud pœna debiti. Debitum eſt ipſa offenſa; pœna debiti eſt carentia redemptionis, auxiliorum, & omnium bonorum, quibus iuſtè homo priuatur propter offenſam; atqui Pater non remiſsit omnes offenſas, licet dederit auxilia: ergo nec totum debitum, ſed pœnam partialem debiti, & ſic fecit iniuriam. Dificilè argumentum.

Reſp. tamen negando antec. quia Chriſtus ſatisfecit pro omnibus offenſis, non quidem quoad efficaciam, ſed ſolum quoad ſufficientiam. Etenim reddit æquale pro omnibus; volendo vt Pater omnibus præpararet media ſufficientia ad ſalutem; aliquibus autem à Chriſto deſignatis efficatia. Vndè facta comparatione inter Chriſtum, & Patrem, Patri ſatisfactum fuit ad æqualitatem, & ius Patris remanendi offenſus, fuit extinctum ſufficientèr. Sed Chriſtus ob altiſsimos fines contentus fuit delectione quoad ſufficientiam, & ceſsit delectioni quoad efficaciam, vel relinquendo hæc in Patris voluntate.

Hæc ampliùs confirmantur ex materia de Prædeſt. vbi communior ſententia docet, Chriſtum fuiſſe cauſam efficacem prædeſtinationis his præ alijs, quia efficacitèr pro his rogauit, & non pro alijs. Vndè in hoc negotio factum eſt, quòd ipſe voluit. Quòd ſi Ioannis 6. dixit: Chriſtus, *ſe non veniſſe facere voluntatem ſuam, ſed voluntatem Patris.* Reſp. non feciſſe voluntatem ſuam, quæ erat portionis inferioris; benè verò portionis ſuperioris, volentis tamen quòd ſciebat, gratum fore Patri. Hoc autem non tollit, hæc facta eſſe iuxta Chriſti voluntatem, vel cedentem, vel volentem.

563 Infero, ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe ſolùm ablatiuam pœnæ debiti, nempè carentiæ auxiliorum (quatenùs merebat auxilia, vt homines egrederentur à peccato) ſed immediatè compenſatiuam ipſius offenſæ, quatenùs pro offenſa ipſa obtulit æquale pro omnibus offenſis, itavt facta comparatione inter Chriſtum & Patrem, Patri iam ſit plenè ſatisfactum, & ſi Chriſtus voluiſſet vt offenſa omnis extincta ſit, non tamen efficacitèr, & comparatiuè ad homines, quia ita pactum erat. In hac compenſatione offenſæ, ſtat ſatisfactio Chriſti principaliùs, quam in merito auxiliorum; quidquid alij velint, videatur Bernal diſp. 10. ſect. 1.

Ex quibus ſequitur, nos adhuc teneri ad ſatisfactionem ponendam per noſmetipſos, cooperando gratiæ à Chriſto nobis promeritæ, quia ita pactum fuit inter Chriſtum & Patrem, vt nempè ſatisfactio Chriſti eſſet ſicut cauſa vniuerſalis, quæ non ſortitur reipſa effectum, niſi cooperante cum illa cauſa particulari.

ARTICVLVS VI.

DE PRINCIPIO QVOD SATISFACTIONIS.

564 VIderi poteſt Bernal diſp. 7. ſect. 2. circa hanc difficultatem: qui cum alijs contra Suarez, & alios aſſerentes: principium quod fuiſſe ſuppoſitum Verbi, docet, fuiſſe humanitatem, quæ ſatisfecit proximè. Suppoſitum autem non niſi remotè, & per communicationem Idiomatum. Exiſtimo tamen hanc ſententiam fundari in æquiuocatione, de eo quod Chriſtus vt homo ſonet humanitatem. De quo vide num. 536. Noto, nos poſſe loqui, vel de eliciente ſatisfactionem phyſicè, ideſt influente in actum ſatisfactionis, vel de ſatisfaciente moralitèr.

565 Aſſero, principium ſatisfactionis vt quod morale, & abſolute loquendo (quia ſatisfacere iam imbibit moralitatem) eſſe Chriſtum ſiue complexum ex Verbo, & humanitate. Prob. quia quod ſatisfecit, eſt quod fecit & obtulit actus infiniti valoris, ſiue ſatisfactionem æqualem; ſed hoc non eſt ſola humanitas, nec ſolum Verbum: ergo complexum ex vtroque. Minor prob. quia humanitas ſolùm dabat actionibus eſſe phyſicum & honeſtum in genere cauſæ efficientis & materialis, & vt ſic non erant infiniti valoris. Solum autem Verbum illas dignificabat infinitè, quaſi in genere dignificatiui, & cauſæ formalis; ſatisfacere autem præter genus cauſæ formalis, importat efficientis: ergo ſatisfacere moralitèr ſumptum, nec eſt à ſola humanitate, nec ſolo Verbo, ſed ſimùl ab vtroque ſumitur.

Confirmatur, quia actiones Chriſti, ideò ſunt infiniti valoris, quia perſona eſt infinitè ſancta, quod non habet humanitas ſecundum ſe, & ideò liberæ, vitales, immanentes & ſatisfactoriæ, quia ab humanitate, non quia à Verbo: ergo complexum ex vtroque eſt quod ſatisfecit. Verbum ergo licet remotè ſe haberet ad efficiendum; proximè tamen ſe haber ad dignificandas vt forma; atqui illæ actiones erant ſatisfactio, quatenùs liberè elicitæ, & ſimùl infinitè dignificatæ: ergo erant ſatisfactio, prout à complexo ſatisfaciente.

Confirmatur à paritate. In diuinis enim Pater eſt quod generat, vt coaleſcit ex Deitate, & Paternitate, vna vt virtute eliciendi, alia vt forma ſe communicante. Et ratio eſt, quia generare importat influxum in filium, & naturam communicatam: ergo ſimilitèr de ſatisfactione, ſiquidem ſatiſfactio importat & libertatem, & dignificationem.

566 Objicit Bernal Script. & PP. nam 1. Corinth. 1. dicitur de Chriſto: *Factus eſt nobis à Deo Sapientia, Iuſtitia, & Sanctificatio, & Redemptio.* Quod Athanaſius de creata Chriſti natura expoſuit. Elias Cretenſis, ait: *Chriſtum, vt hominem viciſſe mundum.* Item S. Thomas quæſt. 26. art. 3. *Chriſtum fuiſſe Mediatorem, vt hominem, non vt Deum.* Et quæſt. 38. art. 5. *Vt hominem fuiſſe Redemptorem;* reduplicatio autem cadit ſupra formam. Reſpondebit quis, loqui de principio phyſico effectiuo ſatisfactionis, & non excludunt Verbum à morali principio. Sed melius reſp. loqui de Chriſto vt homine, & vt perſona, non verò de humanitate, ſed de complexo.

567 Replicabis: Diu. Thomam citatum docere, munus Redemptoris remotè ad Diuinitatem pertinere. Reſp. 1. ſed non ad perſonalitatem conſtituentem ſuppoſitum. Reſp. 2. ad argumentum, etiam ſi Chriſtus vt homo ſit ſatisfactionis principium, ly *vt homo*, non reduplicat ſupra ſolam humanitatem, quæ ſolum eſt compars phyſica, ſed ſupra concretum humanitatis, & perſonalitatis. Particula enim *vt*, eſt præciſiua à Deitate communi tribus perſonis tantum; reduplicatio autem, quando dicitur cadere ſupra formam, non ſemper intelligitur de comparte phyſica formali, ſed ſæpè de metaphyſica. Sic Petrus vt homo eſt rationalis; vt rationale autem, non eſt ipſa anima, ſed aggregatum ex corpore, & anima, prout elicitiuum diſcurſus dependentèr ab organis carneis.

568 Objicies 2. ſatisfactio eſt ſatisfactoria actio: ergo à ſola humanitate, à qua fluit actio, & non à Verbo influente. Diſtinguo conſeq. in eſſe quaſi phyſico, concedo; in ſatisfactorio, nego. Hoc enim pacto & dicit fluxum ab humanitate, vt principio phyſico *quo* (& ſic intelligendi ſunt PP. ſi aliquando de humanitate in abſtracto dicant fuiſſe principium ſatisfactionis) & à Verbo vt principio *quo* dignificatiuo, dante actioni illi, quòd ſit ſatisfactio. Principium autem *quod* eſt Chriſtus, ſeu Verbum vt ſubſiſtens in humanitate.

569 E contrario alij Authores tenent, Verbum vt humanitatem complens eſſe principium ſatisfactionis vtroque modò. 1. quia 2. Corinth. 5. *Deus erat in Chriſto Mundum reconcilians ſibi.* ergo reconciliatio erat actio ipſius Verbi. Reſpondet Bernal, quòd Deus reconcilia-

bat

Digitized by Google

bat in Chriſto, quia paciſcebatur cum ipſo, & auxilia dabat ad ſatisfactionem reconciliatiuam. Ego diſtinguo conſequens: erat actio Verbi, vt moralitèr ſignificata, concedo; nam ſic eſt reconciliatiua; phyſicè, nego; ſic enim erat ab humanitate; à Deo autem vt Deo, ſiuè à Deitate ſecundum eſſe abſolutum ſolum remotè, & per communicationem idiomatum erat.

570 2. Probant ex Ariſt. *actiones ſunt ſuppoſitorum.* Ex quo principio Ioannes Theologus in Concilio Florentino approbāte probauit, Deitatem non generare, ſed ſuppoſitum Patris. Reſp. Ariſtotelem non dixiſſe eſſe ſuppoſitorum, ſed ſingularium, vt ait citatus Bernal. Florentinum autem approbauit concluſionem de ſuppoſito Patris, ſed non rationem, qua fuit probata. Sic in 7. ſynodo fuit definitum, *Angelos pingi poſſe, quia corporei ſunt,* vbi quod pingi poſsint fuit definitum; quod corporei ſint, non fuit: nam eſt falſum, licet ibi non fuerit reiectum. Reſp. 2. & meliùs, actiones eſſe ſuppoſitorum, non phyſicè immediatè, ſed moralitèr, quod facit pro nobis.

571 Infero: principium *quod* ſatisfactionis proximum, nec eſſe Verbum, nec humanitatem, ſed conſurgens ex vtroque æqualitèr & ex vtroque in recto, licet in diuerſo genere, vt explicatum eſt.

In fine quæſtionis nota pro dictis à nu. 495. (nempè puram creaturam non poſſe de condigno mereri peccatori gratiam ſanctificantem, quia eſſet ſatisfacere condignè pro offenſa.) Recentiores aliquos, & præcipuè Gonet reſpondere, negandoſ dicentes meritum condignum gratiæ ſolùm tunc eſſe ſatisfactionem condignam pro offenſa, quando pro iſta offert æquale, & non alitèr.

Sed contrà, quia eo ipſo, quod offert æquale pro gratia in eo tunc, offert æquale pro offenſa. Prob. æſtimatio condigna rei, non ſumitur ab eo ſolùm quod res eſt, ſed etiam ab eo, quod hìc & nùnc inducit. Patet. Tùm quia, licet vnio hypoſtatica finita ſit in ſe, æſtimatur infinitè pro eo quod inducit, & ideo purâ creaturâ nequit de condigno illam mereri. Tùm quia miſsio ſagittæ prohibita, ſi ſit ad paſſerem paruiſit; ſi verò ſit ad hominem, quem interficit, ita magnifit eius malitia propter mortem hominis, quàm inducit, vt pœna condigna ſit mors, & ſuſpenſio interficientis: ergo gratia eiuſque valor non æſtimatur condignè, pro eo quod eſt, niſi æſtimetur pro extinctione offenſæ, quàm inducit. Erit igitur ſolùm condignum pretium pro ea in eo tunc, quòd fuerit condignum pro extinctione offenſæ, & non aliud inferiùs.

Confirmatur: qui offert Creditori pretium condignum pro extinctione debiti, eo ipſo offert æquale pro debito. Patet, quia nemo mercatorem obligauit condignè, & per modum iuſti pretij ad delendum debitum de libro, niſi offerat æquale debito; atqui qui offert pretium æquale gratiæ in eo tunc, ſecundum quod eſt, & ſecundum quod inducit, eo ipſo obligat condignè ad extinctionem offenſæ: ergo quia obtulit æquale pro offenſa. Sed hoc nequit reperiri in purâ creaturâ: ergo nec meritum condignum pro gratia, reſpectu peccatoris.

QVÆSTIO XII.

AN SATISFACTIO CHRISTI FVERIT DE TOTO rigore Iuſtitiæ.

ARTICVLVS I.

ARGVMENTA PRO SENTENTIA NEGANTE.

572 COninc hanc quæſtionem omiſsit exiſtimans attinere ad Tractatum de Iuſtitia, & Iure, vbi conditiones rigoroſæ Iuſtitiæ examinantur. Communitèr tamen DD. longam hìc inſtituunt diſputationem, ſed breuitèr me expediam ab illa. Pars negans probatur 1. quia 1. Iuſtitiæ conditio eſt, quòd ſit ad alterum; ſatisfactio autem Chriſti, etiam erat ad Verbum, quod non eſt alterum à Chriſto. Sed reſp. ſufficere ſi ſit ad alterum, non quidem in perſona, ſed in iure, ſic Tutor, cui pupillus debet aliquam pecuniam, ſatisfacit ſibi de Iuſtitia, eo quod ſint diuerſa iura. Eſt enim Creditor, vt talis perſona eſt, & eſt debitor vt Tutor eſt, ſiue pro pupillo, ſic Chriſtus vt Deus, eſt Creditor, & vt fideiuſſor eſt ſatisfactor, & ſolutor.

573 2. Prob: quia ſatisfactor debet ſatisfacere Creditori, non de bonis Creditoris, ſed de ſuis; atqui omnia bona Chriſti nempè auxilia, & operationes ſunt bona Dei, quia eſt Dominus omnium: ergo Chriſtus non potuit ſatisfacere pro illa. Reſp. Chriſtum ſatisfeciſſe de ſuis, quia auxilia, eorumque vſus, licet generalitèr eſſent Dei, proptèr dominium generale, tamen ſpecialitèr non erant Dei, ſed Chriſti habentis ſuper illa dominium ſpecialiſsimum libertatis: poteſt tamen Petrus, qui accepit gratis à Paulo datas pecunias, ſatisfacere & ſoluere debitum ipſi Paulo per illas, quas iam fecerat ſpecialiter ſuas.

574 Etenim licet omnia, quæ ſint mancipij, eo ipſo ſint Domini, ſi tamen mancipium habeat aliquas actiones ſibi liberas, & ob hoc ſpecialitèr ſuas, poteſt circa illas paciſci cum Domino, & facere contractum de Iuſtitia. Si enim Ancilla liberè concipiat de Domino, & interveniat pactum in conceptione, de eo, quòd filius non ſit mancipium, ſed liber, de Iuſtitia erit liber, quia contractus factus fuit circa res, in quibus Ancilla habebat ſtrictum dominium, & ſpeciale libertatis. Hoc pactum non defuit inter Chriſtum & Deum, quia Iſaiæ 53. promiſit ei dicens: *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.*

575 Dices: Chriſtus nihil tranſtulit de ſuo dominio ad dominium Dei: ergo non ſatisfecit de Iuſtitia. Ant. patet, quia illud ante tranſlationem iam erat ſub dominio Dei. Reſp. negando conſeq. quia ſatisfactio per actiones, non fit transferendo aliquid, ſed ponendo aliquid ſub dominio Creditoris, vt patet in reſtitutione honoris, & in cultura vineæ. Sic enim iam Creditor accipit æquiualens, quòd antea non habebat.

576 Prob. 3. Chriſtus nunquam ponit vt Dominus ſatisfactionem ſuam ſub dominio Dei: ergo non ſatisfacit de Iuſtitia. Antec. prob. quia pro priori naturæ non exiſtit ſatisfactio: ergo non eſt Dominus pro tunc; atqui pro poſteriori non ponit vt Dominus: ergo. Minor prob. 1. quia pro poſteriori iam eſt poſita ſub dominio Dei, eo ipſo, quòd eſt facta. 2. quia pro poſteriori cum iam ſit facta, non eſt in manu Chriſti, quòd ſit, vel non ſit: ergo nec habet tunc dominium libertatis.

577 Reſp. negando antec. Ad prob. reſp. ponere vt Dominum, quia eſt Dominus pro priori, non quidem vt Dominus poſſeſsionis, ſed vt Dominus iuris; habet enim ius ponendi pro poſteriori, vel non ponendi. Auxilia enim erant pro illo priori ſub dominio directo Dei, & ſimùl ſub indirecto, & vtili Chriſti, qui vtendo illis poterat elicere fructus, & opera ſua, ponendo illas ſub dominio Dei pro poſteriori. Inſuper ad probationem minoris. Reſp. Chriſtum ponere ſatisfactionem, tamquam verè Dominum, non pro priori tantum, nec pro poſteriori tantum, ſed pro toto inſtanti reali includente vtrumque, nam ſic verè ponit pro poſteriori, quòd pro priori habebat in ſua manu ponere, vel non ponere pro poſteriori: ergo complet, & exercet dominium, & ſic verè ponit vt Dominus.

578 Illa autem impotentia faciendi, quòd ſatisfactio non ſit poſita, non eſt antecedens, ſed conſequens, quæ ſicut non tollit libertatem, ita nec ſpeciale dominium Chriſti: quòd ſi pro poſteriori ſatisfactio eſt poſita, eo ipſo ſub dominio Dei eſt poſita, quia Chriſtus vitalitèr, & liberè poſuit illam, & Deus illam ideò habet, quia Chriſtus illam poſuit. Ex quibus patet ad vtramque probationem.

579 Sed dices: Deus eſt Dominus ſpecialis talis ſatisfactionis antequam fiat. Eſt enim cauſa ſpecialiſsima moralis, cuiuſcumque operationis bonę: ergo non Chriſtus, ſed ipſe Deus eſt qui ponit illam vt Dominus ſpecialis, & ſic non eſt verum, quòd Chriſtus ponat ſatisfactionem ſub aliquo ſpeciali dominio Dei, ſub quo non erat. Reſp. Deum eſſe cauſam moralem omnis operationis bonæ, imò & liberam, ſed radicalitèr, ſuaſiuè, & motiuè; cum enim ſemper ſit in manu voluntatis creatæ facere, vel non facere; penes ipſam eſt ius, & dominium ſpeciale formale immediatum ponendi: & ipſa, quæ eſt formalis, ſpecialis Domina poſuit, licet Deus ſit diſponens, vt ponat.

580 4. Prob. quia 3. conditio Iuſtitiæ eſt, vt ſatisfactio ſit opus non debitum alio titulo. Debens enim centum ex contractu, non ſatisfaciet per centum debita ex furto. Satisfactio autem, & omnia opera Chriſti, erant debita Patri ex gratitudine, charitate, obedientia, &c. Reſpondet Suarez, non eſſe ſatisfactionem de Iuſtitia, ſi res debeatur alio titulo Iuſtitiæ, ſecùs ſi alijs titulis aliarum virtutum, vt debebat Chriſtus. Sed contrà, quia habens duo beneficia debet ex Iuſtitia recitare officium, & per vnum ſatisfacit vtrique titulo. Similitèr debens nubere ex contractu oneroſo; & etiam ex ſponſalibus, per eaſdem nuptias ſatisfacit vtrique titulo Iuſtitiæ. Inſuper è contrario, debens Calicem Eccleſiæ ex voto, & ſimul ex emptione, non ſatisfacit per vnū Calicem diuerſis titulis Religionis, & Iuſtitiæ: ergo non pendet hæc conditio ab eo, quod tituli ſint eiuſdem, vel diuerſę virtutis.

581 Ideò alij reſpondent, quando opus eſt tanti valoris, vt æquet omnes titulos, vt in Chriſto, ſufficere pro Iuſtitia & alijs. Sic contingit in recitatione pro vtroque beneficio. 3. alij ex Ripalda tom. 2. diſp. 84. nu. 21. reſpondent, ſufficere vnum opus, quando Creditor facit pactum, ſolumque petit illud titulo Iuſtitiæ tacitè vel expreſsè; cedens alios vt factum fuit cum Chriſto. Ripalda largè ibi.

582 Reſp. tamen, vnum opus non ſufficere pro diuerſis titulis, quando tales ſunt tituli, quod multiplicent debita, vt patet in exemplo Calicis; ſecùs quando non multiplicant debita, ſed obligant ad idem nouo titulo, vt in recitatione, & nuptijs. Præcipuè ſi ex parte Creditoris addatur ceſsio aliorum titulorum, vel ex parte operis tantus valor, vt ſufficiat pro omnibus. Nec dicas, obligationem, & debitum eſſe omninò idem; atqui multiplicatis titulis, multiplicantur obligationes: ergo & debita. Nego maiorem de debito paſsiuo, id eſt de materia, & re debita, vt patet in exemplis adductis.

583 5. Prob. quia altera conditio Iuſtitiæ eſt, quòd nequeat ſatisfactio non acceptari à Creditore; atqui ſatisfactio Chriſti potuit non admiti à Deo: ergo non eſt de Iuſtitia. Suarez, & alij negant maiorem, quia reſarcitio reddens æquale quia æquale, & acceptatio eius ex motiuo ęqualitatis, non ſunt ab alia virtute, niſi à Iuſtitia, cum ſint de obiecto materiali, & formali Iuſtitiæ, & nō fiunt gratis. Sic ſi quis furetur equum, & reddat pretium æquale ex motiuo compenſandi damnum, ſeruato tamen ſibi equo, & Creditor acceptet ex hoc motiuo, vterque exercet Iuſtitiam, quia eſt reſtitutio. Nec tamen Creditor tenebatur acceptare.

584 Poſſet ad hoc vltimum reſpondere quis, non ſufficere ad Iuſtitiam perfectam operari ex motiuo Iuſtitię, ſi ex parte ſubiecti, vel aliàs, deſsint aliæ conditiones. Sic in Angelo non datur Caſtitas ſtricta, licet detur amor obiecti materialis & formalis ipſius, quia deſunt alia.

585 Nec obeſt, quòd tunc non ſit gratis: ergo ex Iuſtitia. Reſp. enim, non fieri gratis quantum ad obiectum formale, cum fiat ex pretio, & condignitate in actu 1. ſit tamen gratis quantum ad complementum, & conditiones, quia non erat obligatio acceptandi, & gratis acceptat. Vel dic in exemplo adducto à Suarez, dati Iuſtitiam, quia iam datur obligatio extinguendi debitum, eo quod acceptauit pretium; ſufficit autem ad Iuſtitiam obligatio talis.

586 Sed quidquid ſit de hac conditione, quàm quidam ponunt, & alij excludunt. Reſp. ad argumentum negando minorem, quia cum Chriſtus ſit conſtitutus caput morale, & fideiuſſor hominum, non potuit à Deo non acceptari talis ſatisfactio. Ex his patet ſolutio ad argumentum ſuprà poſitum, num. 559. cuius ſolutionem hùc remiſsimus.

ARTICVLVS II.

NOSTRA SENTENTIA.

587 NOTA 1. ex Vrtado de Incarnatione diſp. 12. ſect. 7. ſubſect. 4. duo genera peccatorum. Quædam enim directè opponuntur famæ, & honori Dei, v.g. blaſphemia, dicens v.g. Deum eſſe Crudelem. Hæc ſunt ſtricta iniuſtitia, ita Ripalda citatus. Tùm, quia ita eſt inter homines, & datur obligatio reſtituendi. Tùm, quia Deus habet ius independens à nobis ad honorem ſuum, & facit contra illud. Tùm, quia Deus reſpectu hominum, habet proprietatis dominium verum, & ex hoc iure poteſt petere cultum; ſicut Dominus à mancipio operas ſuas. Lædit autem tale ius, dum negat illum. Vndè in Scriptura cultus datus Idolis, vocatur adulterium, quia eſt contrà verum ius Mariti, & contrà eius Iuſtitiam.

588 Noto 2. Iniuſtitiam non requirere duo independentia dominia, ſed ſufficere vnum ex parte Domini, quòd habeat independentèr à mancipio: iſtud ergo ſi operetur contrà illud ius, facit iniuſtitiam eſſentialitèr ſumptam, quia lædit ſtrictum ius Domini. Dixi *eſſentialitèr ſumptam*, quia, licet Domini ad ſeruum non detur Iuſtitia, adhuc erit iniuſtitia eſſentialitèr, licet non prædicamentalitèr, nempè denominatione ſumpta ab Iuſtitia, contrà quam ſit.

589 Vndè quodlibet peccatum iuxtà Ripaldam indirectè oppoſitum honori Deo, v.g. comeſtio carnis prohibitæ, poterit eſſe iniuſtitia ſtricta, ſi nempè Deus petat abſtinentiam, non ſolum Legiſlatoris titulo, ſed dominij. Sæpè autem videtur ita petere, vbi Apoſtolos exequentes, quòd eis mandatum eſt, docuit, vt dicerent: Lucæ 16. *Serui inutiles ſumus, quòd debuimus facere fecimus*. Levit. 19. poſtulat plura opera dicendo: *Ego Dominus*, &c. *Ego Dominus*, &c. Sicut ergo ſunt inobedientia ſtricta, licet generalis, ita erunt iniuſtitia ſtricta. Dixi ſi *petat titulo dominij*; nam ſi ſolum petat ex poteſtate gubernatiua, vt ſæpè Rex, & vt ſæpè Prælati Religioſi, reſpectu quorum in ſubditis, Iuſtitia non datur, nec dominium independens, non erunt iniuſtitia ſtricta.

590 Aſſero ergo 1. ſatisfactionem Chriſti fuiſſe de Iuſtitia. Ita Suarez, & plures alij. Prob. quia ad Corinth. 6. vocatur *Emptio*, & ſæpè alibi *Redemptio*. Ad Roman. 3. & 5. appellatur *Iuſtitia*, quòd non poteſt intelligi de Iuſtitia generalitèr pro cumulo virtutum, ſed ſpecialitèr pro contractu Iuſtitiæ. Scriptura enim debet interpretari propriè.

591 Prob. 2. quia ſatisfactio Chriſti, licet eſſet generalitèr Dei, erat tamen ſpecialitèr de dominio Chriſti, ita vt ſuppoſito pacto, Deus adquirebat de nouo illam ſatisfactionem, quia Chriſtus vt verus Dominus ſpecialis, liberè illam ponebat ſub dominio Dei. Sicut laborans in vinea Domini liberè ponit ſuas actiones; & culturam vineæ ſub dominio Domini: ergo iam ex hoc capite ſatisfaciebat de bonis ſuis, ac per conſequens de Iuſtitia ſtricta.

592 Aſſero 2. Chriſtum offerentem ſatisfactionem, & Patrem acceptantem, exercuiſſe Iuſtitiam formalem, nempè ex motiuo, ita plurimi Doctores. Prob. quia Iuſti-

ſti-

ſtitia ſtricta nullam dicit imperfectionem in Deo, ac per conſequens, neque in Chriſto. Neque ex parte obiecti materialis, neque ex parte obiecti formalis. Prob. quia Iuſtitia eſt conſtans, *& perpetua voluntas reddendi* vnicuique, quod ſuum eſt. Iuſtitia autem cōmutatiua ſpecialitèr, *eſt voluntas conſeruandi vnicuique ius proprietatis, ſiuè ius ſtrictum, quod quis habet circa rem diſponendam.* Poteſt ergo Deus efficacitèr velle vt homo ſeruet ipſi Deo ius ſtrictum, & proprietatis & independens, quòd Deus habet in bonis ſuis: quę volitio eſt in Deo affectus Iuſtitiæ, cum ſit proptèr honeſtatem relucentem in conſeruatione talis iuris. Similitèr poteſt velle per ſua præmia conſeruare Chriſto ius, & dominium proprietatis, quod habet ad illa: & eſt Iuſtitia proptèr eandem rationem. Deum enim Creditorem valdè decet, accepto pretio, velle quod debitum maneat extinctum, vt ſeruetur ius fideiuſſoris ſoluentis. Similitèr Chriſtum decebat ſoluere, vt ſeruetur Creditoris ius. Hoc autem, nullam imperfectionem affert, vt per ſe patet, nec in Deo, nec in Chriſto.

593 Dices imperfectionem eſſe, quòd Deus remaneat obligatus iuri creaturæ, ita vt iniuriam faciat creaturæ, ſi ius ſuum non adimpleat. Sed contra, quia non eſt inconueniens, quod Deus maneat obligatus creaturæ ex alijs titulis, ita vt non poſsit oppoſitum facere; nempè ex promiſsione & fidelitate, & in multis ex illo ſuo decreto; cur ergo non poterit etiam obligari, ſciens, & volens ex pacto, & contractu. 2. obligatio naſcens ex voluntate ſcientis, & liberè volentis, nullam affert imperfectionem, contra eius dominium. Obtulit ergo Chriſtus, & Pater acceptauit ſatisfactionem Chriſti. Ille ex motiuo reſarciendi ad æqualitatem ius Patris læſum. Iſte ex motiuo ſeruandi Chriſto ius, quòd vt fideiuſſor habebat.

594 Ex quo ſequitur 1. quòd dum PP. dicunt, quòd Deus cum non debeat, præmiat, &c. locuntur de *non debere* antecedentèr ad pactum voluntarium ſuum; ſi enim poſtea ſoluit, vt ipſi conceduut, iam debet. 2. ſequitur, non eſſe neceſſariam in Chriſto, ad hoc munus offerendi ſatisfactionem, virtutem quandam ſpecialem, quam excogitauit Bernal diſp. 9. & 10. vbi etiam alias ſententias impugnat.

595 Obijcies 1. Chriſtus eſt fidejuſſor hominis: ergo ſolum tenetur ad id quod homo; atqui iſte non tenebatur de Iuſtitia: ergo nec Chriſtus. Minor prob. 1. quia homo non læſsit bona Dei. Iob. 33. *ſi peccaueris, quid ei nocebis?* Secundò, quia homo non habet vndè reddat Deo æquale. 3. quia ſi peccatum eſt iniuſtitia, fractio ieiunij habebit malitias intemperantiæ, & iniuſtitiæ. Reſp. negando minorem. Ad 1. probat. reſp. hominem non læſiſſe Deum in bonis intrinſecis, ſed læſsit in extrinſecis honoris, & famæ, & in alijs.

596 Ad 2. reſp. hominem teneri reddere quantum poteſt: quod ſi ipſe non poteſt, tenetur fideiuſſor. Iſte enim, non eſt pro eo, quod debitor poteſt, ſed pro eo, quod debitor debet; vndè fideiuſſor tenetur ad idem quod debitor ex parte rei debitæ; ſecùs ex parte aliorum. Ad 3. reſp. concedendo ibi malitiam iniuſtitiæ, ſi ieiunium petatur à Deo titulo dominij: non tamen ſpecialem, ſed generalem, ſicut, & malitia inobedientiæ.

597 Obijcies 2. Satisfactor non ponit aliquid ſub dominio Dei, quod ſit vtile Deo, nam Iob. 22. *quid prodeſt ei, ſi iuſtus fueris*; atqui ſatisfactio debet ponere aliquid vtile: ergo. In primis, ad maiorem reſp. iam eſſe vtile ad honorem Dei, & gloriam extrinſecam. Data maiori, nego minorem, quia vtilitas aliena non eſt motiuum ſpeciale Iuſtitiæ (licet ſit virtutum aliarum) ſed integritas iuris alieni, non curando de vtilitate, vel inutilitate. Reſp. inſuper, in contractu hominum attendi ad vtilitatem ob indigentiam noſtram; ſecùs in contractu Dei.

598 3. Ex Ariſtot. *inter Dominum, & ſeruum non datur Iuſtitia*, & filius Ancillę liberè concipientis etiam eſt ſeruus Domini, eo quòd omnia ſerui ſint Domini: ergo nec inter Deum, & homines. Reſp. hæc eſſe vera, circa operationes debitas de Iuſtitia Domino; ſecùs circa non debitas, circa quas ſi interveniat pactum, poteſt fieri contractus Iuſtitiæ inter ſeruum, & Dominum; quia ad illas operationes, quæ ſunt vltra laborem taxatum, ſeruus habet ſtrictum ius, præcipuè ſi interveniat pactum. Inſuper reſp. Ariſtot. loqui de Iuſtitia ciuili, & politica, pertinente ad Tribunalia; ſecùs de virtute Iuſtitiæ naturalis.

ARTICVLVS III.

RELIQVA ARGVMENTA.

599 OBijcies 4. ex Bernal: Iuſtitia debet eſſe de æquali; atqui Chriſtus non potuit offerre æquale, ſed ſuperabundans. ergo non ſatisfecit de Iuſtitia. Reſp. 1. ſatisfactionem de Iuſtitia intendere æqualitatem, quin neget exceſſum; intendit enim reſarcire læſsionem alieni iuris, licet ex hoc ſequatur exceſſus, quem liberalitèr, vel ex alijs motiuis donat: ſicut debens centum, & donans Adamantem valentem mille. Nec dicas, valorem Adamantis eſſe partibilem, ſaltèm moralitèr; ſecùs valorem ſatisfactionis, quia nulla eſt formalitas in illa, quæ ſit metaphyſicè æqualis, ſed ſuper excedens. Reſp. tamen, eſſe partibilem æquivalentèr, & quoad munera æquandi debitum, & merendi per exceſſum alia præmia.

600 Obijcies 5. vbi intervenit Iuſtitia, debet dari aliqua læſsio, ſiue repaſsio inter contrahentes; atqui hæc non cadit in Deum. ergo nec Iuſtitia. Reſp. 1. maiorem eſſe veram inter creaturas ſolùm, quia contrahendo, ſe expoliant dominio omni ſuo. 2. Reſp. data maiori, diſtinguo minorem: non cadit in Deum quantum ad bona intrinſeca, concedo; quantum ad extrinſeca, nego. Expoliatur enim iure quod habebat manendi offenſus, & odio habendi hominem.

601 Obijcies 6. ſi Chriſtus non redimeret hominem, mortalitèr peccaret, ſaltèm contra Charitatem proximi: ergo non erat Dominus redimendi, vel non redimendi. Prob. conſeq. quia dominium ſtat in facultate diſponendi de re, quomodò placuerit. Reſp. negando conſeq. & probat. Etenim non omnis vſus rei ſuæ, eſt Domino rei permiſſus, & licitus. Prodigalitas enim de bonis proprijs, illicita eſt Domino. Sufficit ergo ad dominium ſtrictum, quod diſponendo de re ſua, nulli faciat iniuriam, id eſt, nullius ius lædat ſtrictum. Peccaret ergo Chriſtus contra alias virtutes non redimendo; ſecùs contra Iuſtitiam. (Hoc intellige, ſi contractus non eſſet iam factus: nam ſi eſſet factus, etiam peccaret contra Iuſtitiam; ſecùs poſita promiſsione ex parte Dei, non autem ex parte Chriſti.) Sic maritus habens votum caſtitatis, peccat habendo copulam cum vxore, petendo illam, ſed non contra Iuſtitiam; imò vtitur iure ſuo.

602 Nec dicas, iuxtà hanc dominij explicationem, ſequitur, quod fideiuſſor, vel debitor nihil habens vndè ſolvat, niſi tradendo vineam, non ſolvere de Iuſtitia, dum illam tradit. Prob. quia non eſt verus Dominus talis vineæ, cum non poſsit diſponere de illa alitèr, quam diſponit, niſi faciendo iniuriam Creditori. Reſp. tamen, eſſe verum dominum. Poterat autem ante contractum diſponere aliter de vinea, potentia antecedenti; licet non poſsit potentia conſequenti, & dum obligauit vineam. Exercitium autem tradendi vineam in ſolutionem, eſt actus 2. probans, & ſupponens dominium in actu 1. ſicut amor liber probat libertatem in actu 1.

603 Obijcies 7. ſi Chriſtus non promiſiſſet ſatisfacere, eius ſatisfactio, non eſſet de Iuſtitia: ergo nec poſita promiſsione, quia eodem pacto ſe habet ſatisfactio, ante & poſt illam. Antec. prob. quia vt docet Diu. Thom. 2. contra Gentes cap. 28. & 22. quæſt. 8. art. 1. ſatisfactio Iuſtitiæ requirit in ſatisfaciente obligationem: ergo in Chriſto promiſsionem per quam obligaretur.

Bibliotheca S.ta M.a Transpontina

Digitized by Google

Plures negant antec. quia perſona coniuncta abſque vlla alia obligatione, poteſt exercere Iuſtitiam, intendendo æqualitatem, vt motiuum. Sicut aliæ virtutes ſunt tales abſque vlla obligatione ex ſolo motiuo. Ratio à priori eſt, quia ſpecificatio ſumitur ab obiecto formali. D. Thom. autem ſolum voluit, ſatisfactionem ſumptam ſecundùm vim obligandi, & vt communitèr fit, ſolum fieri ab obligato; ſecùs attenta natura Iuſtitiæ, & depoſibili.

604 2. Reſp. negando conſeq. & probat. quia in aliquibus virtutibus ſpecificatio non ſolum ſumitur ab obiecto, ſed à ſubiecto; ablata enim promiſsione, Chriſtus non eſſet fideiuſſor, nec debitum pertineret ad ipſum, ſic ut requirit ſatisfactio Iuſtitiæ, ſumpta ſecundum omnes conditiones, & vt habeat vim obligandi; quæ vis ſumitur à ſubiecto. Hoc modò temperantia ſe habet, nam non ſolum reſpicit moderatam comeſtionem ſecundum ſe, ſed illam prout in proprio ſubiecto, quod moderetur illam in ſeipſo. Vndè, licet ſeruus poſſet per ſuas actiones intendere exercere Iuſtitiam cum Domino, ſeruando ius ipſius, licet eſſet perfecta Iuſtitia ex obiecto, ſed non adæquata, niſi adſint aliæ conditiones ſimplicitèr requiſitæ ex parte ſubiecti, nempè dominium. Vide ſolutionem 5. argum. art. 1.

605 Alij tandem dicent, ablata promiſsione, & obligatione, poſſe dari Iuſtitiam, ſed non illam, quæ ſit ſatisfactio, & meritum Iuſtitiæ. Iſta enim cum adferant ius obligandi, neceſſario ſupponunt pactum, ſaltim fideiuſſoris.

606 Obijcies tandem: nequit dari duplex dominium proprietatis in ſolidum; ſed ſi Chriſtus eſſet Dominus ſuæ actionis, eſſent duo Domini, nempè Chriſtus, & Deus: ergo non eſt Dominus. Maior eſt communis inter Iuriſconſultos, licet eam impugnet Hurtado hìc latè, & doctè. Ducitur, quia ſi Angelus Michael habeat Equum in inſtanti, A, poteſt in illo donare Gabrieli Equum, & ipſe in eodem inſtanti pro poſteriori acceptare. Tunc autem Michael eſt Dominus, ſiquidem poteſt dare, & Gabriel etiam, quia acceptat. Ad Iuriſconſultos reſpondet, loqui de dominio hominum, inter quos nequit dari in eodem inſtanti donatio, & acceptatio, ſicut inter Angelos, & Chriſtum & Deum.

607 Probari tamen poteſt illa maior ſic, quia ſi vterque eſſet Dominus in ſolidum, poſſet vterque diſponere de equo, & contingeret duplex vſus illius oppoſitus, quia alter vellet conſeruare illum, & alter occidere; impoſsibile autem eſt vtrumque ſimul. Propter hoc meliùs eſt diſtinguere maiorem. Duplex dominium proprietatis in ſolidum, non eſt dabile eodem omnino modò, & cum eadem expeditione ad omnes vſus talis dominij, concedo; alitèr, nego: quia ſi vnus ſe habet, vt dans, & cedens ius, & alter vt acceptans, & accipiens pro eodem inſtanti, vterque eſt Dominus, licet ex aliquo capite extrinſeco, impediatur vni, ſiue accipienti, vſus competens danti. Diſtinguo autem minorem: eſſent duo domini cum æquali expeditione ad vſum, nego; cum diuerſa, concedo. Sic Chriſtus accepit à Patre auxilia, quibus vteretur, & Chriſtus poterat, auxilijs acceptis, vti, vel reſiſtere. Pater autem, illis ſemel datis, non poterat retrocedere: vterq; ergo eſt Dominus, ſed non cum eadem vtendi expeditione.

608 Infero: reſpectu Dei, puros homines etiam poſſe mereri de Iuſtitia, faciendo actiones, non debitas ex Iuſtitia. Imò in opere debito, poteſt eſſe meritum de Iuſtitia, quoad intenſionem, vel durationem operis, excedentes gradum debitum. Ita Ripalda tom. 2. in quo latè agit de Iuſtitia. Tunc ergo gradus debitus de Iuſtitia, præmiabitur à Deo, ex ſola fidelitate, vel Prouidentiâ ſpeciali, quia eſt opus debitum, ſiue Tarea, ſuper quod non datur contractus de Iuſtitia. Gradus autem non debitus, ſuppoſito pacto, præmiabitur de Iuſtitia, ſicque ſemper verificatur corona Iuſtitiæ in quolibet opere. Voco gradum debitum, illum, qui à Deo petitur titulo dominij; ſi autem petatur titulo Legiſlatoris ſolo, nullam eſt capax contractus Iuſtitiæ.

DISTINCTIO IV.

DE CAVSIS INCARNATIONIS.

CAuſæ Incarnationis ſunt finalis, efficiens, materialis & formalis. De his agendum & primo de finali.

QVÆSTIO XIII.

DE MOTIVO INCARNATIONIS.

609 SErmo eſt de ſpeciali. Quare, nempè Deus incarnatus ſit. Datur in Incarnatione ſubſtantia vnionis ad humanitatem, & datur circumſtantia, nempè quod talis humanitas venerit paſsibilis. Duplex eſt celebris ſententia. Prima dicit, motiuum fuiſſe vnionem, & excellentiam Myſterij. Præuiſo autem poſtea peccato, fuiſſe motiuum noui decreti decernetis paſsibilitatem, redemptionem à tali peccato. Ita Scotus, Suarez, & alij plurimi.

610 Secunda ſententia dicit, Incarnationem, adhuc ſubſtantialitèr, decretam 1. fuiſſe propter redemptionem à peccato. Ita D. Thomas, & alij innumeri. Conſtat enim ex Script. Chriſtum incarnatum propter nos homines, & propter redemptionem. Diuiduntur autem ij Authores in duas claſes. Etenim D. Thomas, & alij docent, Deum in ſuis decretis, 1. decreviſſe genus humanum, & poſtea vidiſſe Adamum peccantem, & poſt præviſum abſolutè tale peccatum, decreuiſſe Incarnationem in remedium ipſius. Sed Moderni valdè ingenioſi docent, inter omnia decreta abſoluta Dei, fuiſſe primum de Chriſto Redemptore, propter excellentiam redimendi à peccato: non quidem à peccato, quod iam prævidebat abſolutè futurum, ſed à peccato, quod permittebat in Adamo & poſteris, quorum exiſtentiam propter Chriſtum vt finem, decernebat. Ita apud Bernal ingenioſi Recentiores diſp. 18. ſect. 1. Ita etiam Boneſpei diſp. 2. de Incarnat. præcipuè reſolut. 4. & 5.

ARTICVLVS I.

SVBSTANTIA INCARNATIONIS FVIT 1. propter Redemptionem.

611 PRobatur ratione D. Thomæ: ea, quæ pendent ex libera Dei voluntate, quale eſt motiuum incarnandi, non poſſunt ſciri à nobis, niſi ipſe declarauerit per Scripturam, per Eccleſiam, vel per aliud medium; atqui iſtę motiuum redemptionis ſæpè repetunt: ergo iſta fuit motiuum. Minor ſolet probari ex Hymno antiquo Eccleſiæ ad Virginem: *peccatores non abhorres, ſine quibus nunquam fores, tanto digna filio.* Item ex benedictione Cerei Paſchalis: *O fœlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit Redemptorem! O verè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt!* Reſpondetur, has probationes minoris, ſolum eſſe de circunſtantijs, Mortalitate, paſsibilitate, & morte.

612 Ideò alitèr probatur minor: miſsio, adventus, & Incarnatio, ſonant ſubſtantiam ipſam, cum ſub hac ratione præſcindant à paſsibilitate; atqui iſtæ fuerunt propter redemptionem: ergo & ſubſtantia. Minor probatur ex Ioannis 3. miſsit Deus filium ſuum, vt ſaluetur mundus per ipſum. Lucæ 5. venit filius hominis ſaluum facere, quod perierat. 1. Timoth. 1. venit Ieſus peccatores ſaluos facere. Et ad Galatas 4. factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, &c. redimeret. Nota *miſsit venit, factum*, & non dixit *paſſum*.

613 Confirmatur ex Eccleſia in Symbolo: *Propter nos*

Digitized by Google

nos homines, & *propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis*, *incarnatus eſt*, & *homo factus eſt*. Vbi clarè ſermo eſt de ſubſtantia, vt contrapoſita circunſtantiæ paſſibilitatis, de qua novum addit articulum, nempè, *crucifixus etiam pro nobis*, vbi diſtinguendo inter Incarnationem, & paſsionem, de vtraque ſeorſim dicit fuiſſe pro nobis. Vndè vnus articulus, non eſt explicatio alterius, ſed potius copulatio diverſorum, per ly *etiam*.

614 2. Probatur minor ex PP. apud Bernal expreſsè loquentibus de Incarnatione ipſa, itavt ſæpè negent, Verbum incarnandum, ſi homo non peccaret. Ita Auguſt. ſerm. 9. de verbis Apoſtoli dixit, nullam fuiſſe cauſam Chriſto veniendi, niſi peccatores ſalvos facere. Leo ſerm. 3. in Pentecoſt. quod niſi homo peccaret, Creator non fieret Creatura. Athan. ſerm. 3. contra Arrianos: ſublata hominum neceſsitate, Deum carnem non induiſſe, & illam fuiſſe cauſam, vt guſtaret carnem. Yreneus lib. 3. cap. 20. & 21. & lib. 1. cap. 4. ait, quod ſi non haberet caro ſaluari, Verbum caro factum non eſſet, & ſi non haberet, &c. nec Dominus ſanguinem habuiſſet. Eccè, vt excluditur Incarnatio, etiam in carne impaſsibili, ſiquidem excluditur vnio ad carnem, & ſanguinem, ſi non haberet caro ſaluari.

615 Per hæc manet impugnata ſolutio dicentium, negari ſolum circunſtantiam paſsibilitatis. Etenim ſatis expreſsè negant ſubſtantiam ipſam. Confirmatur, quia quod ſolum eſt cauſa circunſtantiæ, valdè impropriè dicitur cauſa rei: Antiqui enim PP. valdè impropriè dicerentur, meruiſſe, quod Deus fieret homo, & tamen circunſtantias Incarnationis meruerunt. Inſuper confirmatur, quia excluſiua illa abſolutè prolata à PP. nempè, *non veniſſet*, *non fieret caro*: eſſet intolerabilis. Proptèr hæc Petrus Hurtado hîc diſp. 13. ſect. 13. miratur Catholicos Authores affirmare, Deum non fuiſſe factum hominem propter noſtram ſalutem, & ſubſect. 2. refert Maldonatum Ioannis 3. dicentem: oppoſitum eſſe fidei dogma, quibus alij conſentiunt.

616 Sed ſi Scotus confugiat ad duo decreta intentionis, & executionis, fortè dicet, in intentione, non fuiſſe intentam proptèr nos, ſed propter ſe, & independentèr à nobis, benè verò in decreto executionis. Sicut electio ad gloriam fuit in intentione propter ipſum Deum, & non proptèr merita; in executione verò proptèr merita.

617 Sed contra, quia decretum intentionis, ſi eſſet independens à redemptione, ſublata iſta, ſortiretur ſuum effectum, nempè ſubſtantiam Incarnationis; atqui oppoſitum docent Loca, & PP. adducti, Script. explicantes: ergo nec in intentione, Incarnatio fuit independens à redemptione, ſed potius connexa cum illa. Sic ſimilitèr electio ad gloriam, licet in intentione, non fuerit proptèr merita prævìſa, falſum tamen eſt, fuiſſe intentam independentèr à meritis, ſed potius dependentèr ab illis, neceſſariò decernendis, tamquam medijs ad finem in executione obtinendum.

618 Obijcies 1. Chriſto data fuit optio de carne paſsibili, vel impaſsibili ex D. Paulo. De quo Bernal diſp. 52. ſect. 2. ergo non fuit 1. decretus Redemptor, ſed exiſtens in ſe, & vt ipſe eligeret eſſe Redemptor. Reſpondebis 1. potuiſſe eſſe Redemptorem, & decerni vt talem, etiam ſi eligeret carnem impaſsibilem, nempè per actum amoris Dei liberum. Reſpondetur 2. decretū 1. fuiſſe Redemptorem in carne paſsibili, dependentèr tamen à ſua electione, ſimùl à Deo prædefinita, itavt certiſsimè eligeret paſsibilem.

619 Obijcies 2. Script. indicat motiuum independens à Redemptione, nam ad Ephes. 1. introducuntur homines electi in Chriſto ad gratiam & ad gloriam, & Chriſtus ipſe introducitur, vt caput gratiæ & gloriæ ſine mentione redemptionis; poſtea autem ſubiungitur: in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius; cum ergo prædeſtinatio ad gratiam, & gloriam, ſit independens à redemptione, vt patet in Angelis, Chriſtus erit decretus iuxtà Paulum, primo propter ſuam gloriam, licet poſtea propter redemptionem.

620 Reſpondetur tamen, iuxtà ſubiectam materiam, in primo motiuo aſsignato à Paulo includi ſecundum. Cū enim electio hominum ad gloriam, non potuerit eſſe, niſi media redemptione à peccato, in ipſa electione inhibitur connexio cum redemptione. Modus autem iſtius connexionis inter decreta, explicabitur infrà.

ARTICVLVS II.

AN PRIMVM DEI DECRETVM ABSOLVTVM fuerit de Exiſtentia Chriſti.

621 VAldè inſinuat Script. fuiſſe Chriſtum, vt hominem, qui habuit primum locum in decretis Dei abſolutis, vt voluit Scotus. Prob. 1. ex Proverb. cap. 8. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, id eſt, decretorum ſuorum, iuxtà illud ad Romanos 11. quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius & inveſtigabiles viæ eius. Legerunt ſeptuaginta; in initio viarum ſuarum ad opera ſua; id eſt, tamquam caput, proptèr quòd omnia alia ordinata ſunt.

622 Si dicas cum Vazquez dici initium, non creationis rerum, ſed reſtaurationis. Vel initium ſiuè primum, non antiquitate, ſed dignitate. Sicut Behemot appellatur principium viarum Dei. Iob. 40. Contra, quia ibi eſt ſermo de rerum creatione, nam dicit: *ab æterno ordinata ſum*; id eſt, decreta, & antequam antiqua fierent, nempè terra. Abyſsi, &c. fierent in mente Diuina. Nam non erat magna laus præcedere illas, vt faciendas in tempore. Nec eſt ſermo de dignitate, ſed de antiquitate. Vndè indicat ly *antequam terra fieret*, decretum de Chriſto, fuiſſe priùs decreto terræ, abyſſorum, & fontium, imò, & cœlorum, quia quando præparabat cœlos (in mente ſua) aderam, vt finis intentus, proptèr quem illi præparabantur. Favet Hilarius lib. 12. de Trinitate circa finem. Behemot ſi eſt Lucifer, eſt principium viarum Dei, ſed in tempore; Chriſtus verò in prædeſtinatione, vt conſtat ex ipſo textu.

623 2. probatur: Chriſtus, ad Colloſen. 1. vocatur Primogenitus omnis creaturæ: ergo primus decretus. Rationem dat Paulus, quoniam in ipſo, condita ſunt vniuerſa in cœlo, & terra, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt caput Eccleſiæ, vt in omnibus Primatum teneat. Hæc Paulus, quem loqui de Chriſto vt homine, non vt Deo, exponunt Anſel. Chriſoſt. Hyeronim. & Gloſſa. Et patet, nam loquitur de eo, vt capite Eccleſiæ, & etiam vt Primogenito, & vtrumque habet vt homo, nam vt Deus eſt vnigenitus. Eſt igitur prima res à Deo intenta, proptèr quam vt finem, alias decreuit.

624 Vndè 1. ad Corinth. 3. dicitur de electis: omnia ſunt veſtra; vos Chriſti, Chriſtus autem Dei, id eſt, omnia facta eſſe proptèr electos, ſed iſtos proptèr Chriſtum vt finem priùs intentum, licet vltimatè Chriſtus etiam ſit proptèr Deum. Vndè Rupertus lib. 13. in Matth. dicit: quod Deus proptèr hunc filium hominis, gloria, & honore coronandum, omnia creauit, & non hominem proptèr Angelos, ſed proptèr quendam hominem, Angelos quoque factos eſſe, & alia omnia.

625 3. probatur ad Ephes. 1. dicitur omnem benedictionem ſpiritualem in cœleſtibus fuiſſe per Chriſtum; ergo & gratia innocentiæ data Adamo, & Angelis. Vndè Diuus Thomas, Ioannis 3. dixit, omnem gratiam datam omnibus intellectualibus creaturis, etiam Angelis, fuiſſe per Chriſtum. Et idem docuit Gregorius Magnus lib 2. ſupra libros Regum, cap. 2. & noſter Cyrillus Alexandrinus lib. 5. in Iſaiam ad caput 44. Authoritates alias multas, & graues congerit Suarez: ergo Chriſtus decretus erat ante decretam innocentiam Adami, & gratiam Angelorum.

626 4. probatur ratione Scoti, quia intendens ordinatè finem, ſaltem à ſe ſolo ponendum, priùs intendit finem,

nem, quàm intendat media, ſaltim prioritate à quo; atqui Chriſtus fuit finis, iuxtà Script. proptèr quem omnia Deus creauit: ergo Deus intendit Chriſtum ante alia omnia.

627 5. quia Deo eſt concedendus ordo decernendi, qui apparet magis conveniens Deo & Chriſto, quando Scripit. non contradicit. Fuit autem magis conveniens, quod Chriſtus decernatur proptèr ſeipſum, & proptèr ſuam gloriam & excellentiam, & quod omnia decernantur proptèr illum. Patet, quia hoc magis amplificat Chriſti gloriam, ſiquidem hoc pacto cognoſcitur, quomodò ſit caput hominum & Angelorum totalitèr, & Author omnis omninò gratiæ, & gloriæ datarum ipſis, & ſit finis, cui omnes creaturæ debeamus noſtrum eſſe. Deo autem etiam eſt magis conveniens priùs finem decernere, quam media; & ad gloriam ſuam manifeſtandam elegiſſe medium magis proportionatum tali fini, ſcilicet Incarnationem, quam illam elegiſſe tardè, & præviſo peccato.

618 Aſſero, Chriſtum fuiſſe abſolutè decretum à Deo ante alia omnia, & ante præviſionem abſolutam peccati. Patet ex locis Script. adductis, declarantibus ſatis, omnia facta proptèr Criſtum. Reſpódet Pater Bernal, mundum, v.g. bis fuiſſe decretum. 1. ante decretam Incarnationem. 2. poſt decretam, fuiſſe iterum decretum proptèr illam. Sed contra. Tùm quia ſic Chriſtus non eſſet initium viarum Dei, nec Primogenitus, nec Primatum tenens in omnibus, cum iam res eſſent factæ independentèr à decreto de ipſo. Tùm quia abſolutè mundus non deberet Chriſto ſuum eſſe primo & ſimplicitèr, ſed potius Chriſtus deberet illi ſuum, cum ita decretus fuerit proptèr illum, vt ablato hominis peccato, Chriſtus non foret. Tùm quia ſi repetitio decretorum independentium ſufficit ad iſta verificanda, ſufficiet etiam contra Bernal, vt Chriſtus de facto meruerit Incarnationem, abſolutè, non vt primò decretam, ſed vt ſecundò decretam præviſis meritis.

Tùm denique, quia ſi tale 2. decretum de mundo ſupponit illum abſolutè & in executione futurum per 1. inutilitèr ſe habet omninò ad eſſe mundi, iam omninò habentis eſſe per primum decretum independentèr, & ſine vllo ordine ad 2. In quo differt à decreto noſtro intentiuo, per quod res non alitèr habet eſſe, niſi vt accipiendum à decreto executiuo. Eſt enim intentio efficax decérnens efficacitèr rem, non vtcumque exequendam, ſed vt exequendam, poſt præviſa merita, v.g. per decretum aliud, quod proptèr merita, tanquam proptèr motivum mandet executioni talem rem. Vndè non tàm eſt duplex decretum, quàm vnum claudens tendentias duas, quarum 1. obliget ad inducendam ſecundam de executione rei, quia res non alitèr nec alio modò, niſi iſto, intenta eſt vt habeat eſſe.

630 Tandem ad hominem contra Bernal, & alios. Cum enim ex meritis Chriſti Parentes Baptiſtæ ſteriles obtinuerint illum orando, & Baptiſta peccauerit in Adam, neceſſè eſt, quod exiſtentia Baptiſtæ & merita Parentum ſupponant futuritionem Chriſti, & præcedant præviſionem peccati Adami. Si enim priùs peccaſſet Adam, & poſtea eſſet decretus Baptiſta: ergo iſte non fuiſſet in Adam peccante, nec Adami peccatum potuiſſet extendi ad Baptiſtam poſtea. Solum enim peccauerunt in Adam apud vos, qui per decretum ſpecificum, & determinatum, exiſtebant in illo vt futuri; & non per decretum vagum, quod ipſi non admittunt: ergo ante præviſionem peccati Adami, iàm Chriſtus erat decretus, ac per conſequens fuit primo decretus.

631 Dixi ad hominem: Eſt enim ſententia probabilis, quod Chriſtus fuit decretus in ſeipſo, & præviſus à Deo, præſcindendo à generatione materna vel carentia, ſicut & ab alijs circunſtantijs, & ita potuit decerni hic numero homo Baptiſta, poſitus in Adamo, præſcindendo à Parentibus & ſterilitate eorum, & poſtea præviſis eorum meritis, illis dari gignendus.

632 Nec obeſt, quod eo modò debuit decerni, quo erat ponendus; atqui non erat ponendus ſine Parentibus determinatis: ergo. Reſpondeo enim ad maiorem, eo modo debuit decerni per vnum ſolum decretum, nego; per illud & ſimùl per aliud deſignans poſtea parentes, concedo. Primum enim decretum, eſt inadæquatum, & licet decernat rem cum modò quo ponenda eſt. Sed non cum totali modò, ſed cum partiali.

633 2. eſt ad hominem, quia dici poterat, pactum cum Adamo, potuiſſe eſſe de omnibus deſcendentibus per ſemen, ſed indeterminatè & vagè (excluſa ſemper fœmina illa ad altiſſima reſervata) & potuit poſtea Deus præviſo etiam Chriſto determinare Baptiſtę exiſtentiam, & hoc pacto iſte contraxit culpam. Sed dices: Deus decreuit, & poſuit Baptiſtam determinatè, quando eo ipſo erat còtracturus culpam, nec proptereà Deus eſt cauſa culpæ, ſed Adam: ergo licet decernat materiale peccati, quando ſequendum eſt formale, non ideò erit cauſa malitiæ contra nos.

634 Reſpondetur 1. argumentum etiam probare contra Parentes, qui generant filios, ſciendo ſequendam culpam in illis originalé, & probare quod peccant gignendo, quod tamen falſum eſt. Reſpondetur 2. negando paritatem, quia ex poſitione cauſatiua Baptiſtæ à Parentibus, originale non ſequitur in illo de per ſe, ſed de per accidens, & præter intentionem, & Parentibus vtentibus iure ſuo producendi prolem, ſit ex materiali peccati ſequitur de per ſe formale. Reſpondetur 3. non eſſe hic, ſed alibi examinandam conſequentiam argumenti.

ARTICVLVS III.

COHERENTIA DOCTRINÆ VTRIVSQVE ARTICVLI, vbi aliqua valdè notanda.

635 Ratio dubitandi eſt: quia Incarnatio eſt 1. decreta propter redemptionem à peccato: ergo præviderat Deus decernens, Adamum peccàtem & decretú: quo præviſo, decrevit Chriſtú Redéptoré eiuſque ſubſtantiam: ergo ante decretum de Chriſto iam in Deo erant alia decreta.

Triplex occurrit modus cóponédi iſta cum 1. decreto de Chriſto. Primus modus eſt ex Suarez & alijs, pèr duplex decretum indepédens. Primú de Chriſto ante peccatum, proptèr ſolá excellentiá eius. Secundú, prçviſo peccato, de Chriſto propter redéptioné, & ſic conciliantur loca Scripturæ, quia quædam ſunt de primo decreto, & quędam de ſecundò. Aliqui Authores volunt, differre, hæc duo decreta, non ſolum ex motiuis, ſed ex parte ſua, quia primum eſt ſolum intentionis, et ſecundum eſt executionis. Alij verò tenent, vtrumque eſſe ſimùl intentiuum, & executiuum, ſicque non differre ex parte ſua, ſed ex motiuo.

636 Secundus modus componendi poteſt eſſe, per decretum efficax & abſolutum de exiſtentia Chriſti ob ſuam excellentiam, ſimulque conditionatum de Redemptione, ſi adſint peccata. Ita docet Hurtado. Poſt prçviſum autem peccatum, decreto conditionato ſuperadditur aliud abſolutum de Redemptione.

637 Tertius modus eſt per vnicum ſolum decretum, quod decernat abſolutè exiſtentiam Chriſti Redéptoris, vt redimat abſolutè. Etenim prçviſo per ſcientiam conditionatam peccato ſi exiſtat Adamus, & quod magna eſſet Chriſti gloria ſi cum eſſet Deus Homo, eſſet etiam caput Angelorum, & hominum, iſtorumque Redemptor, moriens Dominus pro ſeruis, cæpit Deus decernere abſolutè ſic: *Volo efficacitèr & abſolutè* vt exiſtat Chriſtus & proptèr illum alia, cum omni excellentia capitis, & quod ad maiorem gloriam ſuam, exiſtat Redemptor, & moriens ob hominum ſalutem, & liberationem à peccato, quod permitto, &c. Sic per vnum decretum, ante præviſú abſolutè peccatum, fuit Chriſtus decretus, quoad exiſtentiam & redemptionem, ob maiorem Chriſti gloriam.

638 Ne-

638 Nota 1. In Deo tres ſcientias. Prima eſt ſimplicis intelligentiæ, eſtque neceſſaria, & independens ab alijs, & prior in quo, illis. Secunda eſt conditionata de omnibus & ſingulis rebus, in tali vel tali occaſione poſitis; etiam hæc eſt independens à ſcientia viſionis. Tertia eſt viſionis, videns res vt iam abſolutè extituras. Hæc tertia ſupponit, & pendet neceſſariò à decreto abſoluto Dei de rerum futuritione. Sicut enim nequit res eſſe abſolutè futura abſque decreto abſoluto Dei, ita nequit abſque illo exiſtere, Diuina Viſio de tali re.

639 Nota 2. Omnia Dei decreta fuiſſe ab æterno, eſſeque vnum realitèr. Dicuntur autem plura proptèr virtualem diſtinctionem vnius ab alio, fundatam vel in independentia omnimoda vnius ab alio, qualem habent decreta creandi hominem, & creandi muſcam (quæ videntur ſe habere ſolum concomitantèr.) Vel fundatam independentia vnius ab alio, quia nempè vnum exiſtit, eo quod exiſtit aliud, ſed habens eſſe proptèr illud. Sic, quia Deus decreuit dare Petro gloriam vt coronam, & hoc non poteſt eſſe ſine meritis, habuit aliud decretum dependens à primo, & decernens auxilia, & merita.

640 Nota 3. In decretis dependentibus, quorum vnum eſt priùs alio, duplicem poſſe eſſe prioritatem, nempè, *in quo*, & *à quo*. Priùs *in quo* dicitur illud, *à quo* aliud pendet, ſed ipſum non pendet ab iſto nec ſtatio, adhuc à poſteriori; ſed poterat eſſe ſine iſto. Sic materia 1. eſt prior *in quo* reſpectu formæ leoninæ, quia materia non pendet determinatè ab iſta, & iſta pendet ab illa. Similitèr decretum de Chriſto non pendet determinatè & neceſſariò, a decreto de circunſtantia temporis determinati, A, quia potuit illud eſſe ſine iſto; iſtud verò pendet ab illo, quia proptèr illud habet eſſe.

641 *A quo* autem eſt, quando inter decreta datur, non quidem mutua cauſalitas, ſed mutua connexio; ita vt priùs indigeat neceſſariò decreto poſteriori tamquam effectu, vel termino ſuæ exigentiæ. Sic decretum dandi hominibus gloriam vt coronam indiget, & infert neceſſariò aliud decretum diſponendi merita; & per primum decretum, manet Deus oppignoratus, & neceſsitatus ad ponendum ſecundum. Ratio eſt, quia gloria vt corona pendet eſſentialitèr, & determinatè à meritis. Dicitur autem priùs *à quo*, quia hæc prioritas, non eſt naturæ, & independentię, ſed eſt prioritas originis cum dependentiæ à poſteriori; ſicut Pater Æternus pendet à filio, quia nequit eſſe, aut intelligi ſine filio, exiſtenti pro poſteriori: mutuo ergo indigent ſeipſis.

642 Nota 4. Ordinem rerum in executione, valdè eſſe diuerſum, ac in intentione; quæ enim in intentione priora ſunt ideſt finis, v.g. ire Matritum, ſunt in executione poſteriora, & media eundi ſunt in executione priora. Vndè quia gloria vt corona intenditur à Deo vt finis, & merita tamquam media, & Chriſtus etiam intenditur vt finis, & proptèr illum mundus: licet illi decernantur priùs, tamen producti ſunt, vt in executione quid poſteriùs.

643 Hinc eſt differentia inter decerni gloriam, v.g. per merita, vt per media, & decerni proptèr merita (ſicut aliud eſt quod Petrus, quia vult ire Matritú conducat mulú vt medium; aliud, quod quia conduxit mulum, ire Matritum velit.) 1. modò, prior eſt gloriæ intentio quam meritorum, ſicut prior eſt intentio finis electione mediorum; at dum proptèr merita, priùs ſunt merita præuiſa, quam decernatur gloria: ſiquidem vt præuiſa, obligant Deum, vt decernat gloriam.

Inſuper, diuerſiſsima ſunt hæc: *Proptèr merita decernitur gloria: & decernitur gloria danda proptèr merita*: primum ſonat decerni ex meritis iam præuiſis; ſecundum decerni ante præuiſa merita: decerni tamen, vt in executione dandam, poſtquam Deus ex præuiſis meritis, & ex motiuo illorum, nouum habeat decretum executiuum (neceſſariò deriuatum ex priori) dandi, gloriam proptèr illa; iuxta pacto, quod antea erat liberalitas, iam eſt iuſtitia. Sicut pater humanus ex liberalitate vult debere, & obligari filio per ſcripturam publicam ad mille; ſed ea ſemel facta, ſoluit eam in executione, ex iuſtitia.

644 Vndè decretum gloriæ in intẽtione, vt ipſa danda in executione proptèr merita, non ſolum habet pro obiecto ſuo volito gloriam & merita, vt media cauſatiua ipſius gloriæ, ſed ſimùl habet pro obiecto illud aliud decretum (ad quod oppignoratur) dandi nempè gloriam in executione ex motiuo meritorũ iam præuiſorũ, & nõ aliter. Hoc enim imbibit ly *Volo dare proptèr merita. Ideſt: volo dare in executione, obligatus & motus à meritis, ſiue volo quòd adſint merita; quæ me moueant ad decretum executiuum dandi illam.*

645 Similitèr ergo poſtquam Deus per ſcientiam conditionatam præuiderat totum hunc mundum & rerum ſeriem, cœpit abſolutè pro ſuo libito intendere efficacitèr Chriſtum eiuſque gloriam vt finem, & ſimùl velle media ad illam, ſic. *Volo efficacitèr facere Chriſtum, qui proptèr gloriam ſuam, ſit totius mundi finis, caput, Redemptor, & merens per mortem, quàm inferri à Iudæis permitto. Et proptèr Chriſti gloriam ponendam volo hæc, & hæc media. Ita tamen intendo hæc omnia facere, vt nolim executioni mandare, niſi proptèr Chriſti merita, ita vt eorum præuiſio me moueat ad dandum illis eſſe in executione, nempè auxilia crucifixoribus, Adamo innocentiam, hominibus gratiam & gloriam, imò & Virgini Maternitatem dabo ſed motus à meritis eius vt iam abſolutè & in executione præuiſis.*

646 Vndè primum eſſe horum, ita eſt à meritis Chriſti, vt nec in intentione ipſa Dei habuerint eſſe aliquod exequibile, niſi quatenùs dandum ex motione meritorum. Non enim à decreto intentiuo fuerunt alitèr intenta, niſi vt haberent eſſe ſuum dependentèr à motione meritorum. Hæc igitur merita, licet reſpectu decreti ſolum fuerint media ad gloriam Chriſti in ordine intentiuo (in iſto enim decernebatur gloria per illa, ſed ad decernendum Deus non mouebatur proptèr illa) fuerunt tamẽ, vt merita in ordine executiuo, quia more per meritorũ, mouerunt Deum proximè ad decernendam executionem, tamquam cauſæ morales executionis rerum.

Tandem nota inter obiecta huius decreti intentiui, quædam eſſe, quæ pendent à ſolo Deo vt productio Chriſti, quędam verò à Chriſti meritis. De ijs vltimis locuti ſumus dum ſermo fuit de decreto executiuo ex motione meritorum. De alijs decretis intentiuis diſcurre eodem modò ſic, v.g. *volo Virgini dare Maternitatẽ, ſed non niſi vt motus à meritis eius*. Merita ergo, motio ab illis, & decretum exequendi proptèr illa, ſunt obiectum talis intentionis.

647 Aſſero: non placent primus, & ſecundus modus conciliandi. Probatur, quia iuxtà vtrumq; modũ. Primum Dei decretum, ex ijs, quæ de ſe petit, erat omninò independens à redemptione abſolutè futura, ita vt etiam Adamo non peccante, Chriſtus deberet venire quin eſſet Redemptor: ſiquidem tale decretum, cum eſſet abſolutum & efficax, non poſſet non habere executionem; atqui Chriſtum venire, ſublata redemptione, eſt contra Script. & PP. adductos Articulo primo, ſolidè & ſincerè intellectos: ergo & tale decretum primum. Reſponſiones adhiberi ſolitæ, iam ſunt impugnatæ à num. 628., & aliæ quæ afferantur per duo totalia decreta independentia, reijci poſſunt vel ex inutilitate, vel quia non ſincerè adaptantur Scripturæ, & PP.

ARTICVLVS IV.

NOSTRA SENTENTIA.

648 PLacet 3. conciliandi modus. Aſſero ergo, primum Dei decretum fuiſſe de Chriſto Redemptore, ante abſolutam præuiſionem peccati modò explicato nu. 645. Ita Recentiores, apud Bernal. diſp. 18. Ita etiam Boneſpei tom. de Incarnat. diſp. 2. num. 12. Et colligitur ſatis ex primo, & ſecundò art. Confirmatur, quia hæc ſententia, facilè, & ſincerè concordat & ſine inutili multiplicatione decretorum loca omnia Scripturæ, & PP. quod non præſtant illæ ſententiæ. Inſuper defendit in gloriam Chriſti, omnia eſſe creata proptèr ip-

Digitized by Google

ipſum, & omnes gratias datas Angelis & hominibus, omnemque cœleſtem benedictionem, de qua Paulus Articulo 2. eſſe ex meritis Chriſti patientis, & ſaluantis: eſſeque Chriſtum caput morale Angelorum & hominum, cuius munus eſt, influere omnes gratias in eos, vt in membra.

649 2. probatur, ex congruentijs huius decreti: tùm quia per illud, facilè ſaluatur, quod productio Baptiſtæ, eiuſque exiſtentia determinata, procedens ab oratione Parentum in executione fit ex meritis Chriſti decreti ante omnes illos. Tùm quia Chriſtus non ſolum fuit decretus Redemptor à peccato originali, ſed ab actualibus omnibus, nam pro omnibus mortuus eſt: ergo etiam fuit decretus Redemptor à peccatis, ſupponentibus Chriſtum exiſtentem & merentem v.g. hæreſibus, quæ ſunt contra Chriſtum. Primum autem decretum Redemptionis, non poſſet extendi abſolutè & determinatè ad iſta peccata, niſi eſſendo ante illa abſolutè præviſa per præcedentiã intentionis: ergo idẽ erit reſpectu peccati originalis. Nec poſito illo decreto noſtro, dabitur neceſsitas ponendi noua alia decreta independentia, ſed connexa. 3. probatur, quia auxilia data ad non peccandum, & non occidendum Chriſtum eius crucifixoribus, certum eſt, quod erant ex meritis Chriſti, eiauique priora ipſo peccato crucifixionis; ergo Chriſtus erat decretus & merens, & Redemptor ab ijs peccatis, ante abſolutam eorum præviſionem, ſiquidem dabantur pro priori illa auxilia ex meritis Chriſti, ad vitanda illa peccata, ne fierent.

Hæc igitur omnia, in quantum attinet ad poſterioritatem, & prioritatem, reſpectu decreti, facilè componuntur, ſi decretum intentiuum decernat Chriſtum ob gloriam ſuam, vt redimentem homines ab omnibus peccatis originalibus, & actualibus (ea per idem decretum permittendo) & ſimùl merentem eis auxilia, ad non peccandum. Etenim eo ipſo per idem decretum, finis nempè Chriſtus, media nempè auxilia, & permiſsiones (imò & peccata, quæ ſunt requiſita ex parte hominis redempti) habent ſufficientem futuritionem abſolutam, vt Chriſtus eſſet abſolutè, & auxiliorum meritor, & peccatorum omnium in particulari Redemptor, obligante ſe Deo per idem ipſiſsimum decretum intentiuum, non dare illis eſſe, niſi poſtquam præuiderit merita & proue ab illis motus. Sic auxilia dedit in executione parentibus Baptiſtæ, & crucifixoribus, ex Chriſti meritis præuiſsis.

Vndè licet motiuum decreti intentiui fuerit bonitas & liberalitas Dei, volentis cum Chriſto facere contractus Iuſtitiæ (meritorum nempè, & præmiorum) tamquam materiam a Deo intentã pro libito; motiuum decreti executiui, fuit motiuum Iuſtitiæ. Et ſic merita, quę reſpectu intentiui erant media cauſatá moraliter à gloria Chriſti vt fine, reſpectu executiui fuerunt merita vt merita, mouentia, & cauſantia in executione talem finem. Item peccata ipſa, quæ reſpectu decreti intentiui non fuerunt motiuum, ſed purum requiſitum, & connotatũ poſteriùs (decernebat enim redemptionem, ſed peccatorum, ob gloriam Chriſti) & materia permiſſa; reſpectu executiui, quatenùs ſunt miſeria hominis fuerunt motiuum, vt Deus vellet illa deſtruere ex miſericordia, & ſic non ſunt connotatum præciſè, ſed cauſa mouens ad exequendam redemptionem, modo & via illa, qua per decretum intentiuum efficaciter erant intenta.

ARTICVLVS V.

VALIDIOR PROBATIO.

650 QVartò probatur ratione validiſsima, & quæ eſt fundamentum, cui innititur tota noſtra doctrina, ex non repugnantia talis decreti. Prob. ergo ſic. Si repugnaret tale decretum, vel eſſet, quia tolleret à Chriſto libertatem in redimẽdo; & hoc nòn, quia prędefinitiones, ex art. vlt. libertatem non tollunt; vel quia tale decretum, deberet eſſe volitio peccati, ſiquidem ſine illo nequit dari redemptio. Vel quia teneretur Deus ex ſeipſo inducere, vel procurare peccatum, eo quod eſſet requiſitum ſimpliciter ad eo ſequendum finem redemptionis; atqui nulla ex duabus ijs partibus ſequitur: ergo non repugnat tale decretum. Ad probationem minoris præmitto, velle formaliter, valdè differre ab inducere, ſicut diuerſa ſunt volitum, & voluntarium. Ad volitum enim requiritur terminare formalem volitionem; ad voluntarium verò ſufficit liberè, & advertentèr cauſari à voluntate, quamvis nõ ametur formaliter; amatur enim interpretatiuè: ſicut occidens virum inducit vxoris viduitatem voluntariè, quam tamen non vult ſiquidem de ea dolet.

651 Prima ergo pars minoris probatur, quia licet Redemptor vt talis connectatur cum peccato; poteſt Redemptor amari à Deo, quin ratio præciſſa connexionis obliget ad amandum peccatum formaliter: ergo. Antecedens probatur, nam viſio diuina, vel Angelica ſuperna de peccato exiſtenti in nobis, & contritio ſuperna de peccato præterito, etiam connectuntur eſſentialiter cum peccato, & amantur à Deo, quin amet peccatum: ergo idem de Redemptore. Ratio autem à priori eſt quia connexio vnius cum alio, licet det iſti cognoſcibilitatem & attingibilitatem ſaltim apprehenſibilem, non tamen dat illi bonitatem, nec amabilitatem.

Dices: contritio, & viſio ſupponunt peccatum, ideòque poteſt Deus amare illas, non amato peccato. Redemptor autem decretus non ſupponit peccatum. Sed contra, quia ſiue ſupponant ſiue nòn, verè datur connexio cum peccato, vt præſuppoſito; ergo cum amata viſione, non ametur peccatum, ſignum euidens eſt, præciſſam rationem connexionis, vt præſcindentem ab inductione (de qua ſtatim) non ſufficere, vt amato vno, ametur aliud.

652 Nec obeſt, quod redemptio nequit exiſtere ſine peccato; atqui res nequit amari, quin ametur id ſine quo nequit exiſtere: ergo nec redemptio ſine amore peccati. Nego minorem, vt conſtat in exemplis viſionis & contritionis. Inſuper, quia Deus habet ſummam complacentiam apud vos de redemptione connexa cum peccato, & non de peccato. Connexio enim ſe ſola non facit bonam rem illam, cũ qua connectitur & ſic nec facit de ſphæra diuini amoris, ſiue talis res præcedat, ſiue ſubſequatur redemptionem connexam. Confirmatur. Præcedentia peccati ad redemptionem, non tollit connexionem huius cum illo, licet tollat inductionem: ergo præciſſa ratio connexionis non facit, quod amor huius ſit amor peccati.

653 Minor autẽ illa præcipui argumenti n. 650. quoad ſecundam partem, nempè, tale decretum non eſſe inductiuum peccati. Probatur 1. quia poſito peccato, Deus decernit & conſequitur redemptionem per vos, quin ipſe in executione inducat peccatum: ergo & etiam ante peccatum præuiſum & poſitum. Conſequentia probatur. Ideò poſito peccato, Deus per voluntatem & decretum de redemptione, poteſt illam conſequi, quin velit, & quin inducat peccatum, quia præuidit abſque ſuo amore, & inductione, ponendum eſſe certiſsimè à creatura; atqui ante præuiſum peccatum, ſcit certiſsimè etiam eſſe ponendum â creatura, abſque ſuo amore, & inductione vt dictauit ei ſcientia conditionata, & ex eo ſolum quod ipſe permittat: ergo etiam ſi peccatum ſit eſſentialitèr requiſitum ad talem finem, Deus non obligatur velle, aut inducere peccatum, ſed præciſè permittere.

654 Probatur 2. à priori, & principaliſsimè: qui intendit efficacitèr, & abſolutè finem, ex vi talis intentionis ſolum manet obligatus velle, aut inducere ea media & requiſita, quæ niſi ipſe velit vel inducat, non erunt; quæ verò certò ſcit fore abſque ſua volitione aut inductione, & ex ſola ſua permiſsione, non manet obligatus velle aut inducere. Patet exemplo, qui vult facere domum iuxtà flumen, vel vbi ſcit aquam aduenturam, licet teneatur diſponere, & portare lateres vel

lig-

Digitized by Google

ligna, quia non erunt, niſi ipſe portet; non tamen tenetur velle, aut inducere aut portare aquam: ſcit enim quod erit ibi quin ipſe curet de hoc; atqui Deus certiſsimè ſciebat, ſola permiſsione poſita, peccata ad redemptionem requiſita non defectura & ponenda ab homine: ergo non manebat obligatus ad velle, vel inducere peccatum, ſed ad purè permittere.

655 Maior propoſitio confirmatur: qui intendit efficacitèr finem, ſolum obligatur conſequi talem finem, non tamen ex vi talis intentionis quantumvis efficaciſſimæ obligatur vt ipſe ponat alia, etiam ſi requiſita ſint, quæ iam ab alio ponentur. Tale autem decretum eget multis quæ decentiſsimè inducuntur à Deo. Eget etiam peccato. Sed ad hoc quod iſtud ponatur, & Deus ſuum intentum conſequatur, ſicut neceſſe non eſt, vt ab ipſo *Deo inducatur peccatum, ita nec quod à Deo ametur.* Sicut enim *inductio peccati à Deo*, non eſt requiſita, quia fiet ab homine; ita nec *volitio peccati à Deo.* Fiet enim peccatum *ſine inductione à Deo*, & *ſine volitione peccati à Deo*, præciſsè per ſolam permiſsionem: quæ tamen valdè Deum decet.

ARTICVLVS VI.

IMPVGNATVR QVÆDAM RESPONSIO, QVÆ EST contrarietatum Achilles.

656 RESpondebis, Deum ex hoc decreto obligari ſaltèm ad volendam & decernendam permiſsionem peccati, vt medium ad finem Redemptionis, ac per conſequens vt vtilem ad illam. Vt vtilis autem imbibit peccati exiſtentiam, quia abſque iſta non eſt vtilis, nec deſerviet Redemptioni. Sed contra 1. quia licet permiſsio ſit vtilis, imo neceſſaria, vt homo pro ſuo libito ponat peccatum, impotens exiſtere Deo non permittente; non tamen eſt neceſſe, quod Deus vellit & decernat permiſsionem, quatenùs vtilem ad peccatum.

657 Etenim ſufficit, ſi illam decernat generalitèr ob fines ſuæ *generalis Providentiæ*, vel illam decernat *ex fine ſpeciali* Redemptoris nempè, non impediendi à ſeipſo ſui decreti executionem, (quæ eo ipſo ab ipſo Deo impediretur, ſi impedit peccatum ipſe Deus) ergo non neceſsitatur velle permiſsionem, provt vtilem ad peccatum. Conſequentia probatur ex dictis, quia ſolum obligat tale decretum ad volendum vel inducendum id quod niſi Deus ponat, vel vellit, fruſtrabitur decretum, quia non eſt alius qui ponat; atqui eo ipſo, quod ponatur peccatum ab homine, & permittatur à Deo, decretum manet infruſtratum, abſque eo quod à Deo ponatur, vel quod ametur permiſsio proptèr vtilitatem ad peccatum: ergo non tenetur ſic amare illam.

658 Contra 2. quando medium habet aliquas vtilitates ad finem, ſi finis poteſt obtineri per illas, abſque illarum amore, non eſt neceſſe, vt amentur. Patet, quando intendo ex pœnitentia placare Deum, & adverto, medium optimum eſſe charitatem Dei, ſi elicio iſtam, conſequor finem, & adhibeo medium, quod cognoſco vtile, licet non amem vt vtile, nec tali amori adhibeo motivum placandi Deum, quia iam non eſſet charitas, ſed pœnitentia. Vndè non ſemper requiritur in medio, quod ametur proptèr vtilitatem, ſed ſufficit, quod ametur advertendo vtilitatem; & tales actus de fine & medio, erunt diverſi ex diverſo modò tendendi. Hæc iuxtà plures.

659 Inſuper, quando medium habet diverſas vtilitates ad finem, & neceſſe eſt velle medium quia vtile, ſufficit velle proptèr aliquam vtilitatem, quin proptèr omnes; Applicato enim medio, eo ipſo aliæ vtilitates, etiam ſi non ſint volitæ (imò, & ſæpè quin ſint cognitæ, dummodò ſint applicatæ) ſortientur ſuos effectus. Patet in medicina applicata ægro, ſi habeat alias vtilitates ad finem, præter volitas à Medico; atqui licet permiſsio peccati habeat vtilitatem ex poſitione ipſa peccati, non tamen eſt neceſſe quod iſta vtilitas ametur à Deo. Permiſsio enim ſortietur vtilitates ſuas, etiam ſi Deus velit illam proptèr ſolas vtilitates iam explicatas, & decretum non fruſtrabitur: ergo nullo modo requiritur, quod Deus amet permiſsionem proptèr illam vtilitatem, quam ſortitur ex conſortio peccati.

660 Contra 3. & aitèr. Quia licet permiſsio vt vtilis imbiberet intra ſe peccatum, dicunt multi, quod non propterea Deus volendo illam vt vtilem, vellet, aut induceret peccatum. Non *enim vellet*: ſiquidem licet offenſa Dei imbibat Deum vt formam, odium offenſæ non eſt odium Dei. Diſsimilitudo cum malitia dæmonis, imbibit malitiam dæmonis vt compartem. Nec proptèr ea volitio ſe diſsimilandi à dæmone, erit volitio malitiæ dæmonis. *Nec induceret*; quia permiſsio vt vtilis ad redemptionem, licet dicat peccatum non dicit illud, vt ponendum à Deo, ſed vt liberè, & pro libito ponendum ab homine. Non ergo ex ijs capitibus repugnat tale decretum, & alias conformius eſt Scripturæ, & PP. Hæc art. ſequenti magis firmabuntur.

Sequitur hæc ex 657. ſufficere vt Deus velit permiſsionem per electionem materialem, ideſt, quæ non ſit de permiſsione vt vtili ad hunc finem ſpecialem, ſed ob alia motiva, quæ tamen electio potius ſe habet inſtar actus imperati, quam electionis ſtrictæ. Quia tamen obſtare poteſt huic doctrinæ replica P. Alderete art. ſequenti, ideo meliùs dicimus electionem permiſsionis vt vtilis ad redemptionem, debere eſſe ob aliquam ſpecialem iſtius vtilitatem ad redemptionem, licet non ob omnes, quas permiſsio continet.

Vtilitas permiſsionis ſtat in hoc, quia ea poſita, nō impeditur redēptio, & ea ablata impeditur, quia deficit materia redemptionis. Poterat enim impediri duplicitèr redemptio: vel ab homine non ponente materiam, vel à Deo impediente materiam tollendo permiſsionem; quæ vtilitates ſeparabiles ſunt, quia adhuc permittente Deo, poteſt liberè homo non ponere materiam. Deus ergo, eo ipſo quod decreuit Redemptorem, tenetur permittere peccatum, ne impediat à ſeipſo redemptionem, quā decreuit. Hæc eſt ergo ſpecialis ad redēptionē vtilitas proptèr quā amatur permiſsio à Deo, debetq; amari, vt pote actio ponenda ab ipſo Deo. Alia autem vtilitas permiſsionis, quæ ſtat in coniunctione cū peccato, nec amatur à Deo, nec neceſſe eſt vt ametur, quia non eſt ponenda à Deo, ſed ab homine. Iſte enim curabit eam ponere liberè, ſemèl poſita permiſsione quin Deus illam velit.

ARTICVLVS VII.

MAIOR EXPLICATIO PER EXEMPLA, VBI argumenta aliqua.

661 OBijcies 1. Volitio efficax permiſsionis vt medij & vt vtilis, debet eſſe ſecundum rationem vtilitatis neceſſariam & ſufficientem ad finem; atqui ſolum eſt ſufficiens, provt involuit exiſtentiam peccati ab homine ponendam, ſine qua inſufficiens eſſet: ergo eſt volitio efficax peccati, vt ab homine ponendi. Diſtinguo mai. ita vt omnis ratio neceſſaria, & ſufficiens vtilitatis tranſeat in obiectum volitionis efficacis, nego maiorem, ita vt ſolum tranſeat vtilitas decens, ſufficienſque vt eligatur, concedo maiorem, & minorem, & nego conſequentiam. Etenim tota vtilitas requiſita poni debet in rerum natura; non tamen neceſſe eſt, vt tota ſit volita. Sufficit enim ſi aliqua pars ſit volita; alia verò permiſſa & prævisa vt ponenda ab homine, quin ſit volita.

662 Hæc doctrina explicatur exemplis. Et 1. Deus in pœnam vnius peccati prævisi, decernit permittere aliud in magnam punitionem. Permiſsio autem, eatenùs eſt vtilis ad magnam punitionem, quatenùs coniungitur cum peccato nouo ab homine ponendo. Ex hac autē vtilitate, pars amatur à Deo; non verò tota, nempè vt involuit peccatum nouum. 2. Permiſsio peccati, non ſolum ob humilitatem de ſua derelictione à Deo, ſed etiam ob pœnitentiam, eſt effectus prædeſtinationis,

iux-

iuxtà Suarez, Arriaga, Thomiſtas, & plurimos Theologos. Eſt ergo decreta talis permiſsio ante præviſum peccatum, non iuxtà omnem vtilitatem ad pœnitentiam, ſed iuxtà partem; *nempè, ne Deus impediat materiam*, non verò vt involuit ipſum peccatum. 3. Deus decernit efficacitèr patientiam iuſtorum & præcipuè Chriſti Domini in Cruce, & proptèr illam permiſsit tormenta, quę permiſsio non eſt plenè vtilis ad patientiam, niſi quatenùs involuit ipſa tormenta & offenſas, quæ vtilitatis pars non eſt decreta efficacitèr à Deo, ſed permiſſa. In quibus exemplis vides Deum decernere pœnitentiam, & patientiam, connexas eſſentialitèr cum peccato, ante pręviſum peccatum. Per patientiam Chriſti in Cruce, etiam ſunt decreta auxilia data crucifixoribus, & antecedentèr ad peccatum eorum præviſum, extiturum tamen pro poſteriori: ergo iam Deus decreuit patientiam connexam cum peccato ante præviſionem abſolutam peccati.

663 Dixi in Cruce: proptèr P. Bernal & alios, qui dicunt, Chriſtum præviſum à Patre in deſerto ieiunantem, & ferè mortuum præ fame ſufficiente ad mortem. Et per hæc merita, fuiſſe decreta auxilia Crucifixoribus ante præviſam Chriſti mortem. Sed hoc non ſtat, quia meritum Chriſti non fuit conſummatum & efficax, niſi per mortem Crucis, vt communitèr tradunt PP. & Scholaſtici. Huic noſtræ doctrinæ de decreto Redemptoris, pœnitentiæ, & patientiæ connexarum cum peccato, ante eius præviſionem, multum fauent PP. videndi apud Ruiz de Prędeſtinatione.

664 Obijcies 2. Deus poſito tali decreto, tenetur dare ad non peccandum auxilia inefficacia, non daturus, ſi ſciret efficacia: ergo dat proptèr inefficaciam: ergo proptèr peccatum. Quidam reſpondent, adhuc daturum ſi ſciret efficacia, ſed non feciſſet præſens decretum. Contrà: ergo eo facto non dediſſet ea: ergo dat proptèr inefficaciam. Sed nego conſeq. Dat enim, poſita inefficacia vt conditione ſed proptèr alios fines. Siue potius dat præeligendo inefficacia, non proptèr inefficaciam adæquatè ſumptam, & prout claudit 2. vtilitatem coniunctionis cũ peccato n. 660. ſed inadæquatè ſumptã, prout dicit vtilitatem, ne ipſe à ſeipſo redemptionem impediat quam decreuit.

665 P. Alderete (quem videre non potui) de Incarnat. diſp. 8. ſect. 5. & diſp. 22. de Prędeſt. ſect. 4. num. 3. Inſtat acritèr pro contraria ſententia ſic. Quotieſcumque requiritur ex vi intentionis, quod repræſentetur ſpecialis aliqua bonitas in obiecto vt eligatur, ideò eſt vt medio amore talis bonitatis exequatur obiectum illud; ſed ex vi intentionis efficacis pœnitentię requiritur, quod in auxilio inefficaci repræſentetur ſpecialis bonitas vtilitatis ad illam: ergo & quod ametur talis bonitas. Maior prob. illa repræſentatio bonitatis, non alia de cauſa requiritur, niſi vt moueat, & attrahat ad executionem talis obiecti; ſed non poteſt attrahere, niſi medio amore, ad quem mouet, & non poteſt mouere, niſi ad amorem illius bonitatis, quam repræſentat. Do enim te intendere ſanitatem, & ſolum habere cognitionem, quod potio hæc ſit dulcis & delectabilis, vlteriùs requiritur cognitio ſpecialis vtilitatis, qua mouearis ad ſumendam talem potionem; hæc autem cognitio non te poteſt mouere, vt ſummas illam potionem, quia dulcis eſt, & delectabilis: ergo neque cognitio ſpecialis vtilitatis auxilij inefficacis ad pœnitentiam poterit mouere ad executionem ipſius, medio amore intrinſecæ bonitatis auxilij, ſed medio amore ſpecialis vtilitatis illius. Hæc autem vtilitas ſumitur à conſortio cum peccato.

666 Ad hanc inſtantiam P. Ioſephus Andres Societate Ieſu in ſuo Collegio Cæſarauguſtano Primarius Theologiæ Cathedrarius, S. Inquiſitionis Aragoniæ fidei Digniſsimus Cenſor, Celebris Theologus, & omnimoda eruditione ornatus: Author Libri: *DECOR CARMELI*, & proptèr eum de tota noſtra Religione Sacra optimè meritus, vtpotè qui omnes ferè noſtras gazas ſupellectilemq; ad breuem ſummam, magno cũ legentium plauſu, & admiratione redegerit, cuiuſque alia ſuo ingenio & indefeſſo labore opera digniſsima prælo iam feré præparata indies expectamus. Hic igitur eximius vir amiciſsimus meus, ſequentem verbo ad verbum eruditam adhibuit reſponſionem in materia de Prædeſt. diſp. 12. cap. 3.

667 Reſp. nego maiorem, nam ad hoc vt ex vi intentionis requiratur repręſentatio alicuius ſpecialis bonitatis, ſufficit, quod ea cognitio ſit conditio, ſine qua non, exequeretur medium; non verò requiritur vt ad affectum talis bonitatis moueat: ſic ad intentionem pœnitentię peccati iam commiſsi prærequiritur cognitio ſpecialis vtilitatis præexiſtentiæ peccati, vt pœnitentia ſequatur, & tamen non requiritur vt medio amore talis vtilitatis moueat ad intentionem pœnitentiæ; ſed præciſsè ſe habet vt mera conditio, ſine qua, non habetur talis intentio. Hinc diſtinguo maioris probationem: ea repræſentatio talis vtilitatis non alia de cauſa requiritur, niſi vt moueat, & attrahat ad executionem talis obiecti, tamquam pura conditio, concedo; tamquam excitans ſpecialem amorem illius ſpecialis bonitatis, nego. Requiritur ergo ea repræſentatio bonitatis tamquam conditio, ſine qua non exequeretur Deus illud obiectum, medio amore alteriùs motiui ſufficientis ad executionem illius, vt oſtendit exemplum adductum.

668 Hinc etiã cõſtat ad caſum illũ de ſumptione potionis ex fine ſanitatis pręintentę: ſi enim hoc cõtingere nõ poſſet medio amore vtilitatis, quæ in ea potione debet repræſentari, ad hoc vt ex tali fine ſumatur, requireretur hæc vt pura conditio, & vt medio alio affectu habito ex alio motiuo, potio illa ſumeretur. Requiritur ergo notitia illa vtilitatis auxilij inefficacis ad pœnitentiam pręintentam, vt infallibilitèr comparetur finis præintentus medio amore entitatis talis auxilij eiuſque conducentiæ, vt medio opere ſalutari vitetur peccatum; non verò vt non vitetur, quia opus ſit id fieri medio affectu amante ſpecialem eam bonitatem, aut vtilitatem.

669 Inſtabis: Repræſentatio illius ſpecialis vtilitatis eſt quæ diſtinguit, & mouet ad eligendum auxilium inefficax præ efficaci: ergo ſicuti eſt cauſa vt exequatur auxilium inefficax per amorem talis auxilij, ita erit cauſa vt exequatur per amorem talis auxilij, proptèr ſpecialem eius vtilitatem: ergo repræſentatio talis vtilitatis non ſe habet vt mera conditio ad amorem talis auxilij ſed vt cauſa dirigens & mouens ad illum. Reſp. nego antec. quia non eſt niſi mera conditio, ſine qua non daretur affectus tendens in entitatem illius auxilij; ſicuti repręſentatio vtilitatis præexiſtentiæ peccati, vt Deus apponat remedium illius, non dirigit, neque mouet ad affectum talis remedij, ſed præciſsè ſe habet vt pura conditio, ſine qua impoſsibilis eſſet affectus tendens in exiſtentiam talis remedij. Hæc P. Andres.

670 Sed nos conſequentèr ad ſæpè dicta, & præcipuè nu. 660. reſpondemus concedendo in auxilio inefficaci, & in peccati permiſsione, Deum cognoſcere, & amare ſpecialem vtilitatem, proptèr quam eligat eas, præ auxilio efficaci, nempè ne ipſe à ſeipſo impediat finem ipſum à ſe (impediendo materiã) intentum pœnitentiæ, vel redemptionis. Hoc autem non eſt amare conſortium permiſsionis cum peccato, quæ eſt 2. vtilitas, nu. 660. explicata, ſed ſolam 1. decentem Deum, & mouentem ſufficientiſsimè ad prælectionem.

ARTICVLVS VIII.

DVO ALIA ARGVMENTA.

671 Obijcies 3. cauſa per ſe & non indifferentèr, ſed determinatè cauſatiua peccati, nequit amari efficacitèr, quin ſaltim interpretatiuè ametur peccatum; atqui ſic ſe habet Chriſtus decretus Redemptor ante peccatum: ergo volitio efficax Chriſti Redemptoris, eſt volitio interpretatiua peccati. Minor probatur, quia Chriſtus eſt decretus vt finis; atqui finis efficacitèr voli-

lius, eſt cauſa per ſe medij vnici & ſimpliciter requiſiti, quale eſt poſitio peccati. Si reſpondeas maiorem eſſe falſum reſpectu Dei, quia peccatum cum ſit extra ſphæram Diuinæ voluntatis, nō amatur à Deo amante Redemptorem, ſicut oculus videns colorem non videt rationem qualitatis, quia eſt extra ſphæram oculi.

672 Sed contra: ergo etiam poterit prædeterminare phyſicè ad peccatum, & infundere habitum vitioſum inclinantem ad peccatum, quin propterea vellit peccatum, aut ſit cauſa interpretatiua peccati, eo quòd ſit extra ſphæram. Quod ſi abſque volitione peccati, adhuc maneret cauſa interpretatiua peccati, ſi prædeterminaret, idem dicendum eſt de decreto Redemptoris abſoluti. Quod ſi reſpondeas aliter, Chriſtum decretum vt finem, ſolùm eſſe cauſam medij illius vnici ponendi ab ipſo decernente, nempè permiſionis, non verò peccati, quod iam erit ab ipſo homine, eo ipſo quod Deus ponat permiſionem ſolam.

673 Impugnant hanc ſolutionem. 1. quia Chriſtus, vt Redemptor eſt magis connexus cum peccato ponendo, quā habitus vitioſus, & ſuaſsio ad peccatum ſint connexi cum peccato, ſiquidem ad iſtos adhuc poteſt peccatum non ſequi, ſecùs ad Chriſtum Redemptorem; atqui efficax volitio illorum eſt cauſa interpretatiua peccati fallibiliter ſubſecuti: ergo & volitio Redemptoris erit cauſa peccati infalibiliter ſubſecuti. 2. Quia Chriſtus vt Redemptor non eſt Redemptor permiſsionis, ſed peccati: ergo præcipua & immediata connexio eſt cū peccato, licet mediatè ſit cum permiſsione; iſtamque inducit propter connexionem quam habet cum peccato: ergo præcipuè eſt cauſa peccati.

674 Ad illud totum argumentum reſpondetur, Redemptorem vt finem ſolùm cauſare permiſsionem vt medium, non verò peccatum. Tùm quia iſtud non eſt medium ad redemptionem, licèt ſit requiſitum vt materia deſtruenda. Sicut infirmitas non eſt medium ad ſanationem, licet ſit requiſitum. Tùm quia etiamſi eſſet medium Redemptor decretus vt finis, non eſt cauſa illius, cum jam ab alio cauſandum ſit. Ratio autem eſt, quia finis cauſat medium, non phyſicè, ſed intentionaliter mouendo, & obligando intendentem, vt ponat medium, vel vellit illud, quatenùs neceſſe ſit vt vellit. Finis autem non magis eget volitione & electione medij, quam egeat poſitione medij; ſicut ergo finis non cauſat poſitionem medij, quando medium vel poſitio à Deo non ſunt neceſſariæ, vt finis obtineatur; ſed ſine illis obtinebitur, quia alius ponet; ita etiam non cauſat electionem vel volitionem medij, quando iſtæ non ſunt neceſſariæ, ſed ſine illis finis obtinebitur per permiſsionem ſolam.

675 Ad duas replicas vltimas reſpondetur. Ad 1. fateor Redemptorem magis immediatè connecti, & infallibilius cum peccato, quam habitum vitioſum, ſed non cum peccato inducendo ab ipſo Redemptore vt fine impellente; ſed ab homine, poſita permiſsione; ſicut inducitur ab habitu vitioſo. Connexio inſuper non ſufficit ad amorem. Inſuper nec Redemptor inducit ad peccatum, ſicut habitus, qui valdè inclinat & poſitiuè voluntatem, vt peccet. Redemptor autem licèt incliner Deum vt permittat, non tamen hominem vt peccet; qui poſita permiſsione peccabit, abſque vlla cauſalitate finis, ergà peccatum.

676 Ad ſecundam impugnationem conceſſo antecedenti, reſpondetur ad conſequentiam, connexionem Redemptoris & eſſe cum peccato liberè ponendo, & cum permiſsione peccati. Diuerſimodè tamen. Cum peccato enim, non eſt vt cū medio, ſed vt cum materia deſtruenda: & licèt eſſet cum illo vt medio, ſed non vt cuaſando à Redemptore. At cum permiſsione eſt vt cum medio cauſando à Redemptore vt fine. Nego autem, iſtum inducere ad permiſsionem propter permiſsionis connexionem cum peccato, intentam propter talem finem à Deo. Licet enim neceſſe ſit, quòd Deus præſciat hanc vtriuſque connexionem hic & nunc; non tamen quòd intendat, ſed quòd permittat ob alios fines, quin in illo medio amet totam medij vtilitatem vt dictum eſt reſpondendo ad 1.

677 Hinc ſequitur notandas eſſe ſequentes doctrinas pro aliorum argumentorum ſolutione. 1. Deum decernentem Redemptorem hominum, non eo ipſo obligari, vel velle, quòd homines indigeant redemptione, ſed permittere quòd indigeant, quia ſufficit permiſsio. 2. Per tale decretum eo ipſo peccatum tranſire de ſtatu conditionato ad abſolutum, quod etiam fieret per quodcumque decretum permiſsivum; ſed non per illud vt inducens futuritionem, ſed vt permittens quòd homo præventus auxilijs inducat illam, poſita ſcientia conditionata & decreto permittenti.

678 Vndè licèt poſito decreto Redemptoris eo ipſo nō poſsit nō eſſe iam peccatū, ac per conſequens ſit futurū, eſt futurum ſolùm remotè; proximè verò à decreto permiſsiuo vt conditione, & ab homine ipſo vt cauſa peccati. 3. Licet peccatū per tale decretum, nec maneat volitum efficaciter, nec inductum per illud; eius tamen exiſtentia ita eſt abſolutè & determinatè futura, vt impoſsibile ſit non eſſe, ſuppoſita ſcientia conditionata & permiſsione. Eſt tamen impoſsibilitas cōſequens, non verò antecedēs, cum non procedat, nec ſe teneat ex parte principiorum.

679 Obicijs 4. Deus voluit efficaciter Redemptorem ante peccatum: ergo non potuit odio habere, vel nolle pecatum, ſine quo nequit exiſtere Redemptor. Conſequētia patet, nam odiſſe requiſitum ſimpliciter ad finem, eſſet velle quod finis non ſit. Cum ergo carentia peccati ſit totale impedimentum Redemptionis, ſi vellet carentiam peccati, vellet impedire Redemptionem; quod falſum eſt: ergo nequit Deus ſimùl velle finem redemptionis, & odio habere peccatum. Reſpondetur Deum non poſſe odio efficaci nolle peccatum, ſiue odio tali quod impediat illud; ſecùs odio inefficaci & diſplicentiæ, quia iſtud non ſufficit impedire finem. Sic Deus de facto amabat ſalutem Iudæ inefficaciter, & decernebat efficaciter in eodem inſtanti eius damnationem ex diuerſis motiuis.

680 Sed replicabis: Deus quantum eſt ex ſe vult efficaciter Redemptorem: ergo quantum eſt ex ſe, nequit velle ſeriò impedimentum Redemptoris: ergo neque velle carentiam peccati, eo ipſo impedientem Redemptorem. Sed inſto: Deus dum vult præſuppoſito peccato Redemptorem, deteſtatur quantum eſt ex ſe præſuppoſitionē peccati & vellet, quòd nō fuiſſet ipſum, ſed potius eius carentia: ergo ſimùl de facto quantum eſt ex ſe vult efficaciter Redemptorem, & ſimùl impedimentum Redemptoris inefficaciter, nempè carentiam peccati præſuppoſiti. Poteſt ergo nolle, nolitione non impeditiua.

681 Reſpondent aliqui ad replicam, Deum non velle Redemptorem ſolùm quantum eſt ex parte ſua, ſed quaſi coactus ex amore gloriæ Chriſti. Impedimentum autem vult inefficaciter & quantùm eſt ex ſe. Nulla autem eſt repugnantia inter velle efficaciter rem ex amore alterius, & nolle inefficiter quantùm eſt ex ſe, quia ſunt amor efficax, & inefficax reſpectu diuerſorum. Sic Deus vellet non poni peccatum in omni ſententia, quantùm eſt ex parte ſua & ideò attenta eius malitia illud prohibet, & ſimùl efficaciter permittit ob alios fines & ſic ſunt ſimùl volitio inefficax impediendi, & efficax non impediendi. Simùl etiam mercator vult efficaciter projicere merces in mare ex amore vitæ, & ſimùl ſeriò nollet, ex alijs motiuis. Placet ſolutio.

ARTICVLVS IX.

ALIA TRIA ARGVMENTA.

682 QVintum argumentum: Omnis volitio efficax finis, eſt ſimùl (virtualiter ſaltem) nolitio efficax contrarij finis, & ſimùl nolitio mediorum efficaciter inducentium contrarium finem: v.g. volitio efficaciter & abſolutè vitam intendens, eſt virtualis efficax

Digitized by Google

nolitio mortis, & nolitio læthalis vulneris inducentis mortem; atqui contrarius finis pœnitentiæ eſt pœnitentiæ carentia; medium autem ex ſe inducens pœnitentiæ carentiam, eſt innocentia ſiue carentia peccati: ergo volitio efficax & abſoluta pœnitentię, eo ipſo erit efficax nolitio innocentiæ & carentiæ peccati (idem de volitione redemptionis.) Deum autem efficacitèr nolle innocentiam & efficacitèr excludere carentiam peccati, eſt ſatis durum & indecens: carentiā enim peccati nolle efficacitèr, eſſet velle exiſtentiam peccati, ſaltìm virtuali volitione. Sicut nolle peccatum, eſt velle peccati carentiam: ergo Deus intendens abſolutè pœnitentiam ante præviſum peccatum, vult efficacitèr peccatum. Similitèr intendens Redemptionem.

683 Difficile argumentum. Quòd tamen pati poteſt mille inſtantias in prædefinitione Martirij, & patientiæ dependentèr à perſecutione Tyranni permiſſa: in decreto Dei de viſione Beata Chriſti, per quā videat peccata permiſſa dependentèr ab illa. Sunt enim requiſita. Sed pro ſolutione nota 1. Licet volitio efficax finis intenti, ſit nolitio efficax finis contrarij, volitionē mediorum ad finem intentum, non ſemper eſſe nolitionem mediorum contrariantium fini intento, niſi alias contrarientur medijs ipſis efficacitèr volitis. Ratio eſt, quia intentio finis, etiam vt eſt nolitio finis contrarij, tantùm obligat ad aſſequendum re ipſa finem: qui ſi obtineri poteſt ponente alio media, non obligat intendentem, nec vt inducat illa, nec vt vellit illa, nec etiam vt odio habeat contraria ipſi fini intento, ſi iſte abſque tali amore vel odio, erit obtinendus. De his latiùs articulis præcedentibus.

684 Nota 2. Ad finem pœnitentiæ vel redemptionis intentum, non peccatum (licet requiſitum) ſed permiſſionem peccati eſſe medium volitum, & inductum à Deo; ad finem autem contrarium, nempè carentiam redemptionis, medium eſſe innocentiam ſiue carentiam peccati inter quas & permiſſionem à Deo, nulla datur contrarietas. Sunt enim compoſſibiles, ſi homo vellit non peccare. Hinc fit, quòd volitio efficax permiſſionis eſt nolitio efficax impeditionis peccati à Deo, non verò innocentiæ, quia cum iſta non contrariatur ſed cum illa. Cum ergo volitio efficax redemptionis & nolitio efficax carentiæ redemptionis, ſolùm obligent Deum ad permiſſionem peccati volendam (cætera enim homo ponet ſine influxu & volitione Dei) & hęc volitio permiſſionis non ſit innocentiæ nolitio (licet enim contrarietur fini intento, ſecùs permiſſioni) ex nullo capite volitio efficax redemptionis, nec per ſe, nec per electionem medij, erit innocentiæ nolitio.

685 In forma ergo. Conceſſa 1. parte maioris, nempè quòd volitio finis intenti ſit nolitio finis contrarij, diſtinguo 2. nempè quòd volitio finis intēti ſit nolitio mediorum inducentium finem contrarium. Eſt nolitio contrariorum mediorū, ſi iſta etiā ſint contraria medijs volitis, ſiue quæ debent velli, concedo. Volitio enim efficax vnius, eo ipſo eſt nolitio efficax ſui contrarij. Sic volitio conſeruandi vitam, eſt nolitio vulneris lęthalis, quia iſtud eſt contrarium conſeruationi efficacitèr volitæ. Si media inducentia finem contrarium, non contrarientur medijs efficacitèr volitis, ſiue quæ debent velli nego. Cū igitur innocentia inducens carentiam redemptionis non opponatur permiſſioni, quæ ſola debet à Deo velli ex intentione redemptionis, ſed opponatur peccato, nec à Deo volito nec quod debeat velli, volitio illa nullo pacto eſt nolitio innocentiæ.

686 Replicabis: Volitio efficax vnius obiecti eſt nolitio virtualis efficax incompatibilium cum obiecto volito; atqui cum redemptione volita efficacitèr, eſt incompatibilis innocentia, & carentia peccati: ergo volitio redēptionis eſt efficax virtualis nolitio innocentiæ. Maior patet. Tùm ex conceſſis à nobis. Tùm quia non alia de cauſa volitio efficax finis eſt virtualis efficax nolitio carentiæ finis, ſiue finis contrarij. Diſtinguo maiorē: eſt nolitio incompatibilium, quando iſta ſunt immediatè oppoſita volito concedo, quando ſolùm ſunt mediatè oppoſita, ſubdiſtinguo: ſi excluſio incompatibilium non aliter fieri poſſit, niſi ſit nolita concedo; ſi poſſit (vt in caſſu præſenti, in quo homo excludet innocentiā, quin Deus illam nolit) nego. Etenim intentio efficax finis ad volita vel nolita mediata, qualia ſunt media vel requiſita, ſolùm obligat proptèr finis aſſecutionem. Si autem iſte obtinebitur abſque exercitio vllo volitionis aut nolitionis in intendente, non ſequitur quòd iſtud ponendum ſit.

687 Ratio à priori valdè memoriæ commendanda, & quæ totius eſt noſtræ doctrinæ Achiles eſt, *quia intentio efficax finis eatenùs & non alitèr obligat ad inductionē. Volitionem medij vel requiſiti, ſiue nolitionē requiſiti contrarij, quatenùs finis non obtinebitur, & intentio fruſtrabitur ſi intendens ipſe eas non ponat; ſi verò obtinebitur ſine illis, quia nempè alius ponet, intendens non manet obligatus ad ponendas eas.*

688 Obicies 6. Volitio vnius obiecti, tunc eſt ęquivalenter nolitio efficax alterius, quando ita excludit efficacitèr aliud, ac ſi eſſet nolitio efficax eius; ſed hoc habet tale decretum reſpectu innocentiæ: ergo eſt nolitio virtualis efficax innocentiæ. Reſpondetur diſtinguēdo maiorem: quando excludit per affectionem ſui obiecti, aliud, concedo: quando per ſolam permiſſionē vt alius excludat illam, nego, quia tunc non eſt nolitio: & excluſio prouenit à peccato & à creatura, & non ab affectione Dei. Minor ergo eſt falſa, quia decretum non excludit.

689 Obijcies 7. tale decretum Redemptoris & pœnitentiæ ante peccatum, ſequitur quòd non ſint beneficium Dei; atqui hoc eſt falſiſsimum, præcipuè cum pœnitentia ſic decreta, ſit effectus prædeſtinationis: ergo & illud. Maior probatur, quia tale decretum non poteſt exiſtere abſque peccato ſubſecuto, & homo peccabit poſito illo, qui fortè aliàs non peccaret; ergo non eſt beneficium. Confirmatur, beneficium non eſt quod prudentèr nō eſt elligibile & optabile ab ipſo beneficiato; atqui tale decretum nequit prudentèr eligi & optari ab homine, imò potiùs oppoſitum. Debemus enim petere quod non inducamur in tētationem, nec nobis cadere permittatur; ergo non eſſet beneficium. Si verò decretum ſit poſt præuiſum peccatum, ſit patens quòd ſit beneficium.

690 Reſpondetur negando maiorem. Ad probationem reſpondetur diſtinguendo antecedens; abſque peccato ſubſecuto neceſſitate abſoluta & ineuitabili; nego antecedens quia in hominis libertate eſt abſolutè vitare illud, & facere quòd in Deo non fuerit tale decretum, & adhuc eo poſito, manet liber à neceſſitate vitabili, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Licet enim peccatum ſit futurum certiſsimè, hoc prouenit ex culpa beneficiati, non verò ex voluntate benefactoris.

691 Ad confirmationem nego maiorem, quia ſi quis ſaltìm ex ignorantia invincibili & ex bono fine, interficeret hominem recēs baptizatum, ſaluationem ipſius certam faciendo, magnum ei faceret beneficium; nec tamen licitè poſſet petere ab illo talem mortem. Homo ergo licet ei maximè proſit ad ſaluationem tale decretum pœnitentiæ, ex fine benefaciendi illi poſitum à Deo, & ob hanc rationem ſit magnum beneficium, nequit illud petere, quia ipſe debet quantùm poſsit vitare peccatum ſuum, cuius Deus in illo beneficio non eſt cauſa ſed ipſe homo eſt cauſa, debetque procurare ne permittatur cadere in tentationem.

692 Obicies 8. Deus nequit præmiare propter merita conditionata, niſi propter abſolutè futura: ergo nec decernere mortem Chriſto propter peccatum Adami conditionatè præuiſſum, ſed propter illud abſolutè præuiſſum: alias Deus feciſſet mortem à ſeipſo cum Script. clamet, quòd Deus mortem non fecit, ſed per peccatum mors ingreſſa eſt. Reſpondetur in morte Chriſti reperiri duo, nempè rationem medij ad gloriam Chriſti, atq; remedij peccatorū: (ſicut etiā in meritis reperitur ratio medij) & etiam reperiri rationem pœnæ pro peccato quę duæ conſiderationes etiam reperiuntur in pœnitentia. Fateor ergo non poſſe decerni mortē ante præuiſſum

pec-

Digitized by Google

peccatum, quatenùs habet rationem pœnæ, benè verò quatenùs habet rationẽ medij, & ſic decreta eſt de facto.

693 Nota. Licet in Medico humano impium eſſet permittere infirmitatem propter finem manifeſtandi peritiam ſuam; non ſequitur idem in Deo. Diſparitas eſt. Prima, quia Medicus ex charitate debet euitare infirmitatẽ proximi, ſi cõmodè poteſt; ſecùs Deus peccatũ. Secunda, quia non eſt tãti faciẽda Medici fama, quam proximi ſalus; ſecùs eſt de gloria Chriſti infiniti, quæ magis ponderat quam permiſſio peccati; præcipuè cum Deus per redemptionem manifeſtet ſua attributa (maiori gloria reſultante, quam ſit damnum permiſſionis.) Imò & Reipublicę humanæ maiora commoda ex redẽptione proueniunt, quam damna ex permiſſione, ſiquidem opera Chriſti infinitè ſunt meliora, & magis decoroſa Vniuerſo, quam ſint mala peccata.

ARTICVLVS VLTIMVS.

ARGVMENTVM A PRÆDEFINITIONE.

694 OBijcies vlt. Hoc decretum tollit à Chriſto libertatẽ redimendi, & ab Adamo peccãdi, quia omnis prædefinitio tollit libertatẽ. Etenim poſsita prædefinitione contritionis, v.g. impoſsibile eſt, quod cõtritio non ſit. Reſp. cõmunitèr negando tollere libertatẽ. Impoſsibilitas autem omittendi, eſt impoſsibilitas conſequens, & ex ſuppoſitione ſcientiæ mediæ. At quanti eſt ex parte comprincipiorum, nulla datur impoſsibilitas ſed omnimoda indifferentia antecedens, ac per conſequens, non tollitur libertas; quæ ſtat, non quidem in quacumque indifferentia, ſed in indifferentia omnimoda; comparatiuè tamen ad ſola comprincipia; non verò ad illa quæ comprincipia non ſunt (prædefinitio autem nõ eſt cõprincipium, ſed applicatio extrinſeca comprincipiorum) & ſic neceſsitas procedens ab iſta, eſt neceſsitas conſequens.

695 Replicabis: contritio efficacitèr prædefinita, eſt impoſsibile, quòd deſinat eſſe; nam fruſtraretur prædefinitio. Atqui hæc impotentia omninò eſt antecedens: ergo datur impotentia antecedens. Reſpondetur conceſſa maiori, negando minorem, quia talis impotentia non eſt comparatiuè ad comprincipia ſumpta in actu. 1. & data homini ad illam operationem: quia talia comprincipia omninò ſunt indifferentia, atque omnino teleſtus vſus eorum in manu liberi arbitrij. Sunt autem principia, & comprincipia, voluntas, habitus, concurſus, omnipotentia, & iudicium indifferens ex parte intellectus, ex parte quorum nulla erat determinatio in actu 1. Sed voluntas pro libito ſe determinat. Impoſsibilitas autem orta ex non principijs, non officit libertati, etiam ſi tempore præcedat vſum eius, vt patet in ſcientia viſionis æterna, quam Deus habet de noſtris operationibus in tempore factis.

696 Replicabis 2. Decretum illud efficax Dei prædefinitiuum contritionis, & applicans comprincipia ad illam efficiendam, etiam ſe habet ex parte comprincipiorum, & ex parte actus primi; ſiquidem eſt priùs ipſis comprincipijs & cauſans illa; atqui eo poſsito eſt impoſſibilis omiſsio contritionis: ergo ex parte actus. 1. & comprincipiorum datur impoſsibilitas. Reſpondetur negando maiorem, quia prædefinitio non eſt principium, nec comprincipium, ſed eſt applicatio comprincipiorum ad exercitium contritionis, eſtque applicatio extrinſeca illorum, vt præuiſſa ſunt indifferentèr operatura, per ſcientiam conditionatam. Impoſsibilitas autem omiſsionis, prouenìens ab applicatione ſolùm extrinſeca, atque intrinſecè non immutante modum operandi comprincipiorum, libertati non officit; quæ ſolùm ſumitur è comprincipijs indifferentibus, vt dictum eſt.

697 Sic apud aduerſarios complexum Scientiæ conditionatæ & Decreti dandi vocationem, præcedit operationem liberam. Ante vocationem enim præcedunt in Deo iſti actus: *Si vocauero Petrum, reſpondebit: volo vocare*: poſsita hac volitione efficaci, impoſsibile eſt quòd Petrus vocatus, pro poſteriori nõ conuertatur, quia falſificaretur ſcientia Dei: ſicut ſi poſsita prædefinitione, non conuerteretur, fruſtraretur decretum Dei. Atqui impoſsibilitas illa non reſpondendi præcedit conuerſionem, imò & vocationem: ergo iam ante conuerſionem in ipſa applicatione veſtra vocationis, imbibitur impoſsibilitas omittendi. Et tamen non læditur libertas, quia hæc impoſsibilitas non eſt antecedens, cum non proueniat à comprincipijs, ſed ab eorũ extrinſeca applicatione. Idem dicimus nos de prædefinitione.

698 Replicabis 3. Etiam prædeterminatio phyſica apud Thomiſtas, non ſe habet vt comprincipium, ſed vt pura comprincipiorum applicatio ad opus; ſed tamen lædit libertatem, quia imbibit impoſsibilitatem omittendi: ergo ſimilitèr & prædefinitio. Sed iuſto in veſtro decreto nuper adducto, prout coniuncto cum ſcientia media infallibili. Inſuper do diſparitatẽ. Prædeterminatio applicat comprincipia, phyſicè immutando modum operandi comprincipiorum, vtpotè intrinſeca voluntati, quam phyſicè mouet. At prædefinitio eſt applicatio omninò extrinſeca, & nullatenùs voluntatem immutans, ſed omnino relinquẽs, & volens vt fiat operatio vt per ſcientiam mediam præuiſſa eſt. Nec dicas immutare omnipotentiam, quia determinat concurſum ad vnum & ſic datur immutatio phyſica comprincipiorum. Nego determinare, ſed relinquit omnipotentiam cum indeterminatione illa præuiſſa. Vt enim prædefinitio maneat infruſtrabilis, non requiritur immutatio ex parte omnipotentiæ, vt certificabat ſcientia media. Vndè prædefinitio ſolùm eſt decretum efficax conuerſionis per immediata principia illa, per ſcientiam condicionatam propoſita & eodem modo quo propoſita ſunt, abſque eorum aliqua immutatione, ſiquidem ſine iſta ſortietur effectum.

699 Nota valdè pro iſto decreto, *vt præciſè prædefinitiuo*, prædefinitionem actus liberi conſiderandam eſſe ex parte obiecti voliti, & ex parte applicationis. Ex parte obiecti voliti, nihil omninò immutat de obiecto, ſed præciſse vult ipſiſ-ſimum totum obiectum ſcientię conditionatę, prout illud, quantum ad actum ſecundum & primum dictauit ſcientia conditionata; tantum mutat ſtatum obiecti de conditionato in abſolutum. Ex parte autem applicationis (quæ non eſt obiectum, ſed prædefinitio ipſa,) affert de nouo extrinſecam impoſsibilitatem conſequentem, & ſe non tenentem ex parte principiorum, nec præuiſſam in obiecto conditionato. Sed hanc impoſsibilitatem etiam addit applicatio extrinſeca, vt coaleſcens ex ſcientia conditionata & volitione vocandi, quæ etiam impoſsibilitat; & non fuit præuiſſum tale aggregatum per ſcientiam conditionatam.

QVÆSTIO XIIII.

DE EXTENSIONE ET VI HVIVS Decreti.

ARTICVLVS I.

AN FVERIT DE CHRISTO SOLO.

700 PRimum dubium: An Chriſtus fuerit decretus ſolitariè? Nego, ſed fuit decretus ob ſuam gloriam, tanquam caput Angelorum & hominum, vt per ſua merita influeret in illos, & haberent auxilia ad opera bona facienda & vitanda mala, & ſimilitèr vt quilibet mereretur præmium ſuum. Vndè tale decretum eſt priùs *à quo* virtualitèr, formalitatibus decreti aliorũ quæ ſunt decreta per decretum iſtud, tanquam media ad finem. Vndè per hoc decretum vt tale nihil fuit decretum ex meritis vt meritis, ſed per merita vt per media: & etiam fuit decretum, quòd in executione darentur ex præuiſsis meritis, per aliud ſubſequens decretum, pendens à primo, tanquam priori *à quo*.

Digitized by Google

701 Secundum dubium: An ex vi huius decreti, ſint formalitèr permiſſa omnia alia actualia peccata, præcipuè peccatum mortis? Affirmatiuè reſpondeo cum multis modernis, aſſerentibus vnicum fuiſſe decretum Dei, circa totum negotium creationis & redemptionis. Ita Borrull diſp.16. de voluntate ſect.3. Probatur, quia quo, quis habet maiorem mentis capacitatem, eo plura *vno ductu* poteſt comprehendere, niſi inter ſe dicant ſpecialem repugnantiam vt *vno ductu & decreto* comprehendantur: cum ergo Deus per ſcientiam conditionatam præuiderit totam conuinationem & ſeriem rerum omnium & operationum de facto exiſtentium, & nullam habeant repugnantiam ipſæ res (vel ſaltèm illæ in quibus ſolùm attenditur ratio medij ad finem) poterunt decerni *Vno ductu & decreto* à Diuina mente infinitè capaci.

702 Dixi *vno decreto*, per quòd non excluditur diuerſitas virtualis eorum, quæ eſt connexa & *à quo*, ſed ſola diſparata & inconnexa. Dixi: *in quibus ſolùm attenditur ratio medij ad finem*, nam ſunt aliqua quæ neceſſariò videntur exigere rationem demeriti & pœnę, vt ſi permittatur vnum peccatum in pœnam alterius. Nam ſub hac ratione videtur non poſſe decerni ante peccatum abſolutè præuiſſum (imò nec obligari antecedentèr, ad ita ponendum, quia ſapit credulitatem: quòd non contingit, ſi Deus decernat gloriam vt coronam, manens obligatus dare ex præuiſsis meritis per nouũ decretũ.)

703 Dubium 3. An ex vi huius decreti fuerint permiſſa omnia peccata? Affirmo quatenùs permiſſiones ſumuntur vt media ad finem, & non vna in pœnam alterius peccati (nam ſub hac ratione concluſio non loquitur.) Probatur. Tùm quia Chriſtus vt primo decretus deſcendit de Cœlis propter noſtram ſalutem. Hęc autem claudit redemptionem ab omni peccato: Tùm quia ſic ſaluatur, quòd decreuerit Deus *vno ductu* omnia ordine intentionis. Tùm quia cedit in maiorem gloriam Chriſti hæc maior capitis vniuerſalitas, liberans vt primò decretus, ab omnibus peccatis.

704 Hinc colligitur auxilia data interficientibus Chriſtum, fuiſſe etiam decreta dependentèr à pacientia Chriſti morientis vt primò decreti, exercita in ipſa cruce. Fuit enim Chriſtus ob ſuam gloriam patiens mortem ignominioſam, abſolutè & liberè inferendam ab inimicis habentibus auxilia per talem Chriſti pacientiã ad non inferendam mortem, ſi vellent. Hinc non approbo ſententiam dicentem Chriſtum, ante paciẽtiam meruiſſe in cruce inimicis auxilia, per meritoriam mortis acceptationem conditionatam (ſi nempè inimici vellent inferre illam) quia hoc non fuiſſet mereri per crucem & mortem ſed ante illam; quia hęc acceptatio conditionata imò & abſoluta, fuerunt in Chriſto in primo inſtanti Incarnationis. Et inſuper, quia conditionata nõ pendet à morte re ipſa exercita, & eſſet redemptio, etiam ablata morte contra communem ſenſum.

705 Vndè nec placet, quòd alij dicunt, fuiſſe nempè mortem Chriſti primò decretam vt inferendã ab interfectoribus, præſcindendo tamen pro illo tunc ab eo quòd talis interfectio eſſet peccaminoſa vel virtuoſa. Et per illam pacientiam meruiſſe Chriſtum auxilia, quæ poſtea fuerunt decreta, dataque ad non peccandum. Sed hic modus & difficilis eſt, & non tam conformis PP. celebrantibus paciẽtiam Chriſti redemptricem, tollerantemque crucifixionem peccaminoſam & ignominioſam. Modus autẽ noſter explicandi eſt conformior PP. & gloriæ Chriſti, in vniuerſalitate redimendi per pacientiam crucis; & perfectioni Dei decernentis *vno ductu* omnia.

706 Infero 1. Ex reſolutione dubij ſecundi, & tertij. Licet in alio ordine rerum obiecta modò decreta potuiſſent decerni per decreta independentia; tamen non ita eſt de facto. Lapis enim & muſca, ſi ex parte ſua conſiderentur, independentiam habent: Similitèr ſi ex parte decreti in genere; ſecùs ex parte decreti huius, quo Deus *vno decreto, & ductu*, propter Chriſtum vt finem, omnia hæc voluit ordinare. Licet autem hæc vnitas decreti, nec petatur ab obiectis, nec generalitèr à decretis; ſummitur tamẽ à perfectione, & infinita ipſius Dei capacitate, potentis ita diſponere *vno ductu* valdè decenter.

707 Infero 2. Si D. Petrus potes peccare per non conuerſionẽ, peccauiſſet de facto, tunc in Deo dandum fuiſſe nouum decretũ de pœna talis peccati; ſed in eo caſu non fuiſſet decretum, quòd modò eſt de gloria. Hoc tamen non probat in Deo nunc fuiſſe diuerſa decreta, ſed tunc ſublato iſto decreto, quòd modò eſt vnicũ, poneretur loco huius aliud complectens omnia, quòd etiam eſſet vnicum. Sicut autem impoſsibilis eſt impoſsibilitate conſequenti ablatio huius decreti, ita & poſsitio peccati Petri. Argumenta autem omnia probantia decretorum independentiam & multitudinem, probabunt ſolùm vel quantùm eſt ex parte rerum decretarum, vel ex generalitate naturæ decreti; ſed non de facto, & attento modò conuenientiori decernendi *vno ductu*.

ARTICVLVS II.

DE ADVENTV CHRISTI, NON PECCANTE Adamo, &c.

708 DVbium 4. An Adamo non peccante, vel deficientibus alijs peccatis, Chriſtus veniret ex vi pręſentis decreti: Dupliciter ſumitur ly *ex vi*. 1. formalitèr. 2. arguitiuè. Formalitèr idem eſt, ac ex vi huius ipſiſsimi decreti, quòd nunc eſt. Arguitiuè eſt quòd non veniendo per iſtud decretum, an per legitimas conſeqentias prudentèr deducatur ex iſto, quòd veniret per aliud decretum?

709 Reſpondeo 1. Formalitèr ex vi huius decreti nõ veniret Chriſtus, deficiente Adæ peccato, imò deficiente quolibet actuali. Prima pars cõmunior eſt. Probatur autem vtraque. Quia hoc decretum formalitèr ſumptum eſt vnicum & indiviſibile, prout ex parte Dei, de Chriſto Redemptore peccatorum omnium in particulari vt probatum eſt: ergo deficiente quolibet, iam non maneret hoc ipſiſsimum decretum. Hoc dixi iuxtà ſententiam ſumentem ſpecificationem à quolibet obiecto materiali & ſecũdario & defendentem variationem actus, ex variatione cuiuslibet obiecti. Nam iuxtà oppoſitam, manente ſolo Adę peccato, & interfectorum Chriſti, iam manet ſubſtantialitèr & formalitèr decretum iſtud, prout de Chriſto Redemptore per mortem & crucem, quod eſt primarium in iſto decreto. Confirmatur reſolutio ex PP. num 614. docentibus Chriſtum non venturum ablato peccato.

710 Reſpondeo 2. Loquendo arguitiuè, deficienti omni peccato, adhuc Chriſtus ſubſtantialitèr veniret. Hoc eſt conforme Scoto, Suarez, & alijs contra plures alios. Probatur, quia Chriſtus decretus eſt finis, imò & Redemptor propter ſuam magnam gloriam & excellentiam. Hoc enim fuit præcipuum motiuum decreti; atqui ablato omni peccato Chriſtus vt caput innocentiũ hominum & Angelorum, habere poſſet per ſua merita magnam Dei hominis & capitis excellentiam & gloriam, licet non eſſet Redemptor: ergo prudentèr argui poteſt quòd adhuc veniret per aliud decretum.

711 Reſpondeo 3. Ablatis actualibus propter ſolum originale, arguitiuè adhuc veniret vt Redemptor, licet non per crucem & mortem inferendam ab inimicis, quia nõ eſſent inimici qui poſſent interficere. Probatur, quia adhuc maneret ſubſtantialitèr magna gloria redemptionis humani generis. Deficiente autem originali, ſi omnes homines vel ferè omnes, peccarent mortalitèr, adhuc veniret vt Redemptor, quia ſalus generalis hominum, quæ eſt motiuum redemptionis, adhuc illam petebat, & ſufficientèr iuxtà Script. obligaret amor Deum ad hoc.

712 An verò pro vno vel altero mortalitèr peccante veniret vt Redemptor arguitiuè, videtur quòd non, quia ceſſat motiuum humanæ ſalutis. Quod ſi Deus nõ redemit Angelos, quia caſſus fuit ſolius tertiæ partis;

non

Digitized by Google

non verò generalis, multò minùs veniret Redemptor pro aliquibus hominibus. Nec obeſt quòd Chriſtus pro quolibet ſeorſim, lubens moreretur: nec quòd de facto, vt inquit, Paulus de quolibet *dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Etenim id verum eſt ex parte Chriſti iam in mundo poſiti; non autem conſtat ex parte Dei, an vellet tunc illum mittere: nec eſt vndè colligatur, quod mitteret ad redimendum.

QVÆSTIO XV.

DE COHÆRENTIA HVIVS DECRETI cum meritis PP.

ARTICVLVS I.

ALIQVA NOTANTVR, ET RATIO dubitandi.

713 CIrca cauſas Incarnationis meritorias. Noto 1. Chriſtum non potuiſſe mereri illam de condigno per opera præcedentia, quia nulla fuerunt ante vnionem. An verò per opera ſubſequentia & meritum ſolutiuum agam diſput. de Chriſti merito.

714 Noto 2. Incarnationem quoad ſubſtantiam à nulla pura creatura poſſe mereri de condigno adhuc de poſsibili; quia requiritur meritum ſimplicitèr infinitum. An verò de poſsibili de congruo, parùm intereſt & nõ vacat examinare. Vide aliquid n. 349. ſupra, dum ſermo eſſet de ſatisfactione congrua pro offenſa. De facto certum eſt, nullã creaturã meruiſſe de congruo Incarnationẽ nec potuiſſe, quia cum tale meritum, eſſet ex meritis Chriſti, iam ſupponebat Chriſtum, primò & ſubſtantialitèr decretum, & cum fuerit mera gratia Dei Incarnatio, noluit Deus, ab aliquo eſſe promeritam, adhuc in executione.

715 Noto 3. Antiquos PP. de congruo meruiſſe Incarnationis circunſtantias, nempè Abraam, quòd deſcenderet de ſua ſtirpe, Dauid de familia ſua, Daniel abreuiationem temporis. Conſtat ex Script. & PP. Et confirmatur, quia benè potuit Deus decernere Chriſtum merentem, ponendumque in illis circunſtantijs, quæ dependentèr à merito Patrũ exequerentur & propter illud.

716 Beatiſsima autẽ Virgo etiã meruit de facto eſſe Mater Dei. Hoc eſt certũ, & clamat Eccleſia. Objicies eſſe Matrem, eſt denominatio à ſubſtantiali productione quæ vt probat Bernal eſt ipſa vnio hypoſtatica: ergo mereri maternitatem eſt mereri Incarnationem. Nego conſequentiã. Nam ſubſtantia Incarnationis independens erat à Matre præcipuè in cruce: mereri ergo generare Chriſtum, ſolùm fuit mereri quod Incarnatio aliàs faciẽda, fieret ab ipſa, & aduentus qui aliàs erat futurus, eſſet in ipſam & hoſpitaretur in ipſa.

717 Dubitatur: An meritum Maternitatis fuerit de condigno? Fuiſſe de condigno in actu 1. probat excellentia meritorum Virginis. In actu 2. Reſpondeo: Si Maternitas eſt forma ſanctificans, vt plures tenent, meruit eã condignè; congruè verò ſi nõ eſt. Secunda pars probat. quia Virgo non eſt defraudanda de meliori præmio; hoc autem eſt gratia & gloria, meliores carnali Maternitate. Dices, Deum pręmiare opera noſtra pretio medio; Virginis verò ſummo. Dedit ergo ei medium in gratia & gloria, & quòd deficiebat ad ſummum, ſupleuit Maternitas. Contra, ſi Maternitas ſanctificat bene dicis; ſi verò non ſanctificat, meliùs eſt vt etiam ſupplementum fuerit in gratia & gloria, & maternitas detur ſolùm de cõgruo.

718 Eſt ergo difficultas magna, quomodò cum merito Chriſti primò decreti, componatur meritum iſtud Virginis & Patrum? Ratio dubitandi eſt, quia iſtud fuit ex meritis Chriſti: ergo præuiſsi vt merentis: ergo vt exiſtentis & producti: ergo vt pendentis à Matre. Priùs enim erat præuideri productus à ſua cauſa, quam merens: ergo ante omne meritum Chriſti, iam præuidebatur productus, & Virgo illum producens & Mater.

Reſpondent quidam, Chriſtum fuiſſe productum & conſeruatum in executione, ſimul per duas actiones diſtinctas totales & independentes, vnam ab alia: illam ſolius Dei; iſtam Virginis, aut cauſaru ſecundarum. Illa prior erat miraculoſa. Fuit ergo decretus 1. vt producendus à ſolo Deo, ſicut Adam. Et vt ſic productus, & miraculosè conſeruatus viuebat in Cruce & in deſerto & merebatur. Ex hijs meritis præuiſsis, fuit decretũ vt fieret puer, & altera productio à Virgine, & à cauſis ſecũdis, & etiam quòd decerneretur circunſtantiæ. Ita Erice, Bernal, & Lugo. Primus ponit duas actiones per totam vitam, quia ſemper erat miraculum, quòd Chriſtus extremè dolens de peccatis noſtris, viueret. Iſti in Cruce & deſerto. Sed contra, quia ſuperflua eſt duplex actio ſimul, cum ſufficiat vna pro vno tempore, & alia pro alio tempore vt dicemus. Iſtæ autem diuerſę actiones, erant vna in Cruce, & alia in vtero.

719 Salazar reſpondet aliter, Chriſtum decretum fuiſſe productum, non productione determinata ſed vaga & ex meritis ſic producti, Deum determinatam actionem decreuiſſe. Licet autem aliqui, nempè Bernal, & præcipuè Boneſpei diſp. 3. num. 29. acritèr impugnent decretum vagum, eo quòd Chriſtus ſi præuidetur determinatè merens & exiſtens: ergo productus determinatè, & extra cauſas. Facile reſpond. conced. anteced. de determinatione entitatiua, & per modum termini, quia entitas neceſſaria eſt ad meritum; ſecùs de determinatione per modum viæ. Sicut enim decretus fuit exiſtens determinatè, ſine determinata vbicatione & duratione, ſine quibus determinatis poni non poterat in re, etiam ſine determinata productione, quia talis entitas merens non indigebat illis vt determinatis, cum quælibet ſufficeret. Vide num. 631.

720 Alij ponunt in Chriſto actus animæ meritorios independẽtèr à phantaſmatib⁹, & corpore, & per hos potuiſſe mereri productionem à Virgine, poſteriorem illis. Contra. Tùm quia hoc pacto, Chriſtus etiam meruiſſet de facto Incarnationem, & productionem primam ſubſtantialem ſuæ humanitatis, ſiue vnionis humanæ. Tùm etiam, quia hæc & præcedentes ſententiæ, licet non ſint impoſsibiles, ſed datur alia via magis congrua & Deo, atque Chriſto dignior, quam iam explico.

ARTICVLVS II.

VERA SENTENTIA.

721 POno ergo cum multis in Deo duo decreta intentiuum & executiuum, ſed connexa: vtrumque abſolutum, & efficax; & primum ſortitur effectum per ſecundum, quòd neceſſario infert. Sic D. Thomas, & eius ſcola defendit, prædeſtinationem eſſe ante præuiſſa merita ſed exequendam ex præuiſis meritis, per duo decreta. Dico ergo quòd Deus (præuiſſa tota ſerie huius numero mundi; cum omnibus eius creaturis, & eventibus per ſcientiam conditionatam) primo decreuit abſolutè Chriſtum proptèr ſuam excellentiam, vt merentem, redimentem in cruce, atque vt in vtero habentem Matrem, quæ talis eſſet futura ex ſuis meritis. Decreuit etiam permiſsiones, & omnia alia vnico decreto & actu, ſed cum dependentia & connexione virtuali inter decretum de vno & de alio, vt ſupra dictum eſt vide num. 639.

722 Circa quod aduerte, hęc omnia obiecta quatenùs ſunt intra cancellos hujus decreti intentiui, habere inter ſe ordinem, non quidem meriti vt meriti ad pręmium vt præmium ſed medij ad finem; obligante ſe Deo ad aliud decretum per quod finis vt pręmium habeatur ex meritis vt meritis, quæ reſpectu primi decreti, ſe habebãt ſolùm vt media. In intentione ergo decreuit Deus merita Chriſti vt medium ad merita Virginis, & iſta vt medium ad maternitatem. Vndè in hoc decreto, hucuſque nihil decernitur ex præuiſis meritis, quia adhuc non ſunt præuiſſa; decernitur tamen per hoc decretum, vt

hæc quæ modò ſunt media poſteà præuideantur vt merita, deturq; & ponatur Maternitas (propter illa & ex meritis præuiſis) per novum decretum exequens tamquam præmium.

723 Ad rationem ergo dubitandi reſpondetur, dum ſit comparatio inter merita Chriſti & Virginis, ſermonem poſſe eſſe de vtriſq; in ordine executiuo, vel intentiuo. Si in 1. concesſo anti. Nego vlt. conſeq. conc. ergo meritū Virginis eſſe ex meritis Chriſti vt præuiſis. Chriſti in quā vt exiſtētis, & vt producti, ſed vt producti & conſeruati à ſolo Deo in Cruce. nam ſicut Adam in Paradiſo à ſolo Deo productus fuit & conſeruatus, abſque concurſu Materno. Sic Chriſtus potuit à Deo repentè produci vir perfectus, & merens in Cruce, actione eadem phyſica, qua de facto in Cruce fuit. Ex meritis ergo Chriſti ſic producti vt præuiſis decreuit Deus, quòd illa exiſtentia viri perfecti retrotraheretur ad incipiendum ab Incarnatione, & quòd fieret puer & Beata Virgo acciperet auxilia, quibus mereretur illum gignere, & ex præuiſis meritis iſtis, daretur Maternitas.

724 Si tamen ſit ſermo de decreto intentiuo, nego anteced. quia non ex meritis, ſed per merita in Cruce, tamquam per media ſunt volita Virgini auxilia, vt per illa tamquam media faceret merita ex quibus moueretur Deus ad decernendum, quòd gigneret Chriſtum in vtero: Vndè decretum intentivum Maternitatis non fuit ſine meritis, ſed cum meritis; ſed non fuit ex meritis, ſed potius per merita, intendendo vt poſteà præviſis meritis Maternitas executioni mandaretur.

725 Obicies: ergo Beata Virgo non habet ex meritis, quòd ſit Mater Dei. Probatur conſequentia, quia ante eorum præviſionem, iam erat futura Mater Dei, per primum decretum intentivum, efficax & infruſtrabile, quòd tamen non erat ex meritis ſed per merita. Reſpondetur negando conſequentiam, ad probationem, concedo, quod ante præviſionem meriti erat futura Mater Dei determinatè & efficacitèr, non tamen formalitèr ſed quaſi radicalitèr, quatenùs Maternitas erat futura formalitèr & proximè, dependentèr à præviſione & decreto alio dandi illam propter merita, vt præviſa. Hoc eſſe fuit à decreto intentiuo vt à radice, & ſic ſemper eſt verum, quòd ab initio primi decreti erat futura proximè & formalitèr ex præuiſis meritis, & non alitèr obtinenda in executione Maternitas.

QVÆSTIO XVI.

DE VNIONE HYPOSTATICA, EIVSQVE cauſis.

ARTICVLVS I.

DE VNIONE AN SIT DISTINCTA ab extremis?

726 SErmo eſt de vnione phyſica in Chriſto. Eſt autem duplex in ipſo. Vna humana quæ eſt inter corpus & animam. Alia Hypoſtatica (ſumpta denominatione à perſonalitate, ſiue Hypoſtaſi) quæ eſt inter humanitatem & perſonam Verbi. De iſta eſt difficultas, an diſtinguatur realitèr ab extremis? Affirmo cùm Recentiorib. contra plures Thomiſtas. Prob. 1. Quia poſſunt exiſtere Verbum & humanitas penetrata, quin ſint poſitiuè & phyſicè inter ſe alligata & vnita, atque conſtituentia hominem Deum. Hæc autem indifferentia, vt ſe in actu 2. per vnionem phyſicè exerceant, per aliquid diſtinctum realitèr tollenda eſt, quia poſteà datur vnio, & anteà non dabatur vnio.

727 Dices: Etiam anteà dari vnionem quoad entitatem, licet non quoad denominationem, ſiue quoad exercitium vniendi. Contra; vel anteà reſultabat phyſicè homo Deus, vel non? Si primum, iam dabatur denominatio & exercitium intrinſecum vniendi, erantque extrema inſeparabilia ab iſto exercitio, quod tamē falſum eſt. Si non reſultabat: ergo humanitas & Verbum etiam penetrata, ſunt indifferētia & ſeparabilia ab exercitio & denominatione intrinſeca, ſiue ab alligatione phyſica conſtitutiua in actu 2. Hominis Dei; atqui hoc exercitium phyſicum intrinſecum eſt formaliſsimus nexus, & formaliſsima vnio: ergo diſtinguntur realitèr à phyſica & reali vnione: ergo iſta erit modus realitèr diſtinctus ab extremis.

728 2. Probat. concluſio: Productio ſiue generatio Chriſti producit in Chriſto aliquid ſubſtantiale determinatum & phyſicum & intrinſecum, quo humanitas de ſe indifferens, determinetur ſubſtantialitèr ad conſtituendum ſuppoſitum ſubſtantiale, ſiue hominem Deum; atqui hoc nec eſt humanitas, nec Verbum ſecundum ſe. Verbum enim non producitur & licet humanitas producatur, debet tamen aliquid aliud produci præter ipſam, quia in ipſa aliud eſt produci, & aliud eſt vniri; nec item eſt ſola penetratio, ſiue applicatio, vt probatum eſt, quia hæc non ſunt quid intrinſecum phyſicum ſubſtantiale determinans, vt reſultet homo Deus: ergo eſt aliquid diſtinctum ab hijs omnibus, nempè nexus, ſiue exercitium ſubſtantiale vniendi, ſiue potius ipſa vnio, quę cum perſeipſam ſit actus 2. vniendi, perſeipſam eſt exercitium ipſiſsimum. Confirmatur; humanitas per hanc vnionem intrinſecè mutatur, & tranſit eius potentialitas de non vnita ad phyſicè vnitam: ergo aduenit illi de nouo vnio phyſica ab vtroque extremo diſtincta, & vtriuſque phyſicè determinatiua.

729 Reſpondebis 1. Hæc extrema vniri & determinari intrinſecè perſeipſa, exercerique; poſsita tamen vt conditione productione Dei actiua. Contra, quia vel hæc productio eſt actio creata tranſiens, vel volitio intrinſeca Dei, vt Thomiſtæ volunt? Si 1. talis actio recipietur in humanitate, eritque vnio phyſica diſtincta, cum ſit intrinſeca phyſica determinatio, & alligatio humanitatis ad Verbum. Si ſit ipſa volitio interna Dei, cum hæc ſit purè extrinſeca reſpectu humanitatis, non poterit immutatio phyſica humanitatis intrinſecaq; & ſubſtantialis determinatio eius ad Verbum, à tali actione extrinſeca prouenire.

730 Reſpondebis 2. Poſſe prouenire ab illa, non vt forma ſed vt conditione. Extrema enim perſeipſa, tamquam per formam vniuntur, poſsita iam tali conditione. Contra. Tùm quia admiſſa ſemel hac doctrina poterit dicere quis, aquam fieri de nouo calidam, oculum videntem, & voluntatem liberè operantem perſ ipſas, poſsita volitione Dei, vt pura conditione. Tùm quia talis volitio debet habere obiectū de mutatio e intrinſeca harum potentiarum. Hoc autem non explicab s ſine formis nouis diſtinct s intrinſecis. Tùm à priori, quia quoties res de nouo phyſicè mutatur, neceſſe eſt, vt adveniat nouus actus talis entis in potentia, provt in potentia.

731 Reſpondebis 3. Ex Gonet, actionem reſpectu termini totalis eſſe duplicem. 1. Eſt productiua & vnitiua ſimùl, v.g. generatio Leonis, quæ producit terminū formalem, nempè formam Leonis, ſimulque vnit & ſic facit terminum totalem, nempè compoſitum. Altera eſt purè vnitiua, vt generatio humana quæ producit terminum totalem, nempè hominem; animam vero rationalem non producit ſed productam à Deo purè vnit materiæ. Similitèr Incarnatio actiua terminum totalem, nempè Chriſtum producit; formalem verò nempè Verbum purè vnit. Huic ergo & ſimilibus actionibus non eſt quærendus terminus, ſiue entitas ſpecialis quam producant, ſed Totum ipſum.

732 Sed contra. Hæc productio vnitiua Verbi ad humanitatem eſt efficientèr immutatiua humanitatis, ita vt eam faciat tranſire phyſicè de non vnita ad vnitam, & de indifferenti ad phyſicé determinatam, & de non exercita in alligatione ad exercitam: ergo efficientèr producit in ea intrinſecam quandam actuationem potentiæ ipſius provt erat in potentia. Hoc enim eſt motus; atqui hæc noua actuatio paſsiua immutatiua phyſicè humanitatis, eſt quid reale & formale diſtinctum ab extremis,

cum

cum iſta etiam poſt applicationem potuerint eſſe ſine iſta: ergo datur vnio realis diſtincta ab extremis. Confir. quia talis actio vnitiua per vos eſt volitio Dei, quæ nequit per ſe humanitatem formalitèr immutare vt nuper dicebamus, & ſic neceſſaria eſt entitas diſtincta. Si reſpondeas talem actionem immutare humanitatem per ſe ipſam etiam paſsiuè, ſaltèm virtualitèr. Contra; humanitas ſit formalitèr intrinſecè vnita & non ſolùm virtualitèr: ergo formalitèr & intrinſecè mutata: ergo à forma intrinſecè & formalitèr mutante: ergo non ab actione vnitiua, quæ non eſt formalitèr intrinſeca, ſed ad ſummum virtualitèr. Si enim hæc virtualitas ſufficit ad denominationem formalem, Deus poſſet per ſe ſupplere omne genus cauſæ formalis, contra vos.

733 Obicies ex Gonet, intendente, quòd etiam ſi materia & forma vniantur vnione diſtincta; ſecùs Verbum. 1. Quia Verbum vnitur per id per quòd exercet rationem complementi, & vltimi termini; atqui hoc præſtat per ſe ipſum: ergo & per ſe ipſum vnitur. Min. prob. Quia contra rationem actus puriſsimi eſt, quòd eius virtus & capacitas exerceatur per aliud, quam per ſe ipſum; & ob id Thomiſtæ docent, productionē actiuam Dei ad extra, eſſe intrinſecam ipſius Dei volitionem. Reſp. diſtinguendo maiorem: Vnitur per id per quod exercet rationem complementi, per quòd exercet quaſi in actu 1. nego; per quòd exercet ſiue potius exercetur in actu 2. actualis terminationis & exercitij concedo. Hoc autem non eſt ipſius entitas, ſed exercitiū actuale vniti, ſine quo Verbum potuit eſſe. Nego autem minorem in hoc ſenſu, eiuſque probationem, quia contra rationem actus puri non eſt exerceri virtutem eius, per aliquid diſtinctum ab ipſo, ſiue intrinſecum, ſiue extrinſecum, ſed quod id habeat per aliquam potentialitatem. De quo hic quæſt. 1. num. 53. & alibi ſæpè.

734 Obicies 2. Verbum per ſeipſum terminat viſionem beatam, vniturque intelligibilitèr viſioni abſque alio medio, ſiue Verbo mentis diſtincto. Et ratio eſt, quia ſicut ſpectat ad perfectionem eius vt actus puri, quòd per ſeipſum influat in viſionem, vt virtus & ſpecies impreſa, atque vt intelligibilitas actiua, ita etiam ſit viſum per ſeipſum vt terminus, ſitque ſua intelligibilitas paſsiua: ergo ſimilitèr per ſeipſum vnietur humanitati. Antec. cōſtat ex materia de Viſione, quæſt. de ſpecie impreſſa. Reſp. negando conſeq. Diſparitas eſt, quia Verbum per ſeipſum terminat viſionem & ſimilitèr vnionē, ſed cum indifferentia ad exercitium actualis terminationis: quam indifferentiam tollit Viſio per ſeipſam, quia determinata; ſecùs humanitas, per ſeipſam, cum etiam ſit indifferens. Ideò requiritur modus determinans medius. Sic humanitas indifferens ex ſe ad recipiendum quemlibet modum ſuperadditum, determinari debet ad illum, ſed per illum ipſum, quia ipſe eſt determinatio pro ſe, & pro illa: ſecùs humanitas pro ſe, nec pro Verbo.

735 Obicies 3. Si vnio eſſet media ſequeretur, quòd ſi tres perſonæ aſſumerent tres humanitates æqualiſsimas, vniones illæ eſſent æquales inter ſe, & non eſſent. Eſſent; quia non eſt vndè inæqualitas vlla reſultet, cum perſonæ ſint æquales, & humanitates etiam. Non eſſent, quia eſſent ſpecie diuerſæ à terminis ſpecie phyſica diuerſis, v. g. Verbo & Spiritu ſancto, qui ſunt de diuerſis lineis. Ex Ariſt. autem, ſpecies ſunt ſicut numeri, ita vt nequeant dari duæ ſpecies omninò æquales. Reſp. forte ſpecie diuerſas, ſed æquales. Ariſt. autē loquitur de ſpeciebus de facto. Vel loquitur de illis, in quibus datur aliquis perfectionis exceſſus, vel augmentum, vel diminutio. In hijs autem in quibus non datur æqualitas eſt. Sicut in numero viginti hominum, & viginti lapidum.

736 Obicies 4. D. Tho. negantem vnionem mediam, præcipuè in 3. diſtinct. 1. quæſt. 2. art. 2. in corpore. Sed Reſpondetur ſolùm negare medium accidentale, & per modum extremi, per quod Verbum reddatur vnibile vt benè explicat Gonet. Nullibi autem negauit medium *quo* ſiue per modum nexus diſtincti, imò potiùs fabere videtur noſtræ ſententiæ, dum hic quæſt. 2 art. 7. docet vnionem hypoſtaticam *eſſe quid creatum quo realitèr mutatur humanitas, & non Verbum* quæ verba, quia nec verificari poſſunt de humanitate ſecundum ſe, nec de Verbo ſecundum ſe, nec de compoſito, conuincunt vnionem diſtinctam mediam, & benè. Si enim relatio prędicamētalis apud vos eſt modus medius diſtinctus determinans extrema ad rationem relati, multò magis vnio intrinſecè determinans & immutans ad rationem vniti.

Poſt hæc ſcripta occurrit mihi exēplum olei (Verbum enim vocatur Oleum, & Incarnatio vnctio) quòd declarat ſententiam Thomiſticā. Alitèr enim foliū papyri coniungitur alteri papyro, nempè mediante hoſtia panis, & alitèr oleum coniungitur papyro. Hoc enim per ſeipſum vnitur illi ſine alio medio. Ratio autem eſt, quia cum oleum ſit valdè diffuſiuum & communicabile, poſita materia capaci, per ſeipſum cōmunicatur: ergo idē de oleo Diuini Verbi quod per ſeipſum poterit eſſe communicatio, & vnio, poſita humanitate vt materia capaci. Ecce optimum exemplum, ſi non probatiuum, ſaltèm declaratiuum.

737 Reſpondetur tamen, ſi exemplum aliquid probat probare, poſita ſola penetratione Verbi cum humanitate, eo ipſo manere humanitatē ſubſtantialitèr vnitā, quod tamen falſum eſt. Reſp. 2. Verbum dici oleum propter communicabilitatem, non verò quia per ſeipſum ſit communicatio, cum adhuc poſita humanitate, maneat indifferens. Ad exemplum olei penetrati, reſpondetur vniri cum papyro, vel vnione accidentali, quam oleum natum eſt producere promptiſsimè, vel vniri ſolùm in ratione Totius per accidens. Hic autem vnionem per ſe inter humanitatem & Verbum inquirimus, & ſic exemplum nihil probat.

ARTICVLVS II.

DE PERFECTIONIBVS VNIONIS.

738 NOta 1. Eſſe, non entitatem ſed modū, quia per ſe ipſā affigitur. Eſſe ens phyſicū, quia phyſicè nectit & phyſicè producitur. Eſſe ſubſtātialē, quia eſt de conſtitutiuo ſubſtantiæ in eſſe ſubſiſtentis. Eſſe ſupernaturalem entitatiuè, quia ſuperat vires & proportionē totius naturæ. Argumenta contra illam diſp. 1. ſoluta ſunt. Not. 2. Inter Verbū & humanitatem nō dari duas vniones; vnā ex parte illius, aliam iſtius. Tùm quia vna ſufficit. Tùm quia Verbum eſt purus terminus vnionis & non ſubiectum. Dantur tamen plures vniones hypoſtaticæ partiales humanitatis ad Verbum; vna in corpore materialis vtpotè pendens ab iſto, quæ permanſit in Sepulchro; alia ſpiritualis animæ ad Verbum manens in Lymbo; alia vnionis humanæ ad Verbum. hanc deſtruxit mors deſtruendo extremum, nempè vnionem humanam.

739 Circa vnionis hypoſtaticę perfectiones, nota 4. eſſe ſubſtantialem. De quo Bernal diſp. 12. ſect. 3. Solùm ex lege Dei & non ex natura ſua eſſe indeſtructibilem & æternam, vt probat deſtructio ipſius ad vnionem humanam in triduo. Solùm enim conſeruata eſt vnio partium quæ ſunt id de quo dictum eſt à Damaſc. *Quòd ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit.* Inſuper Chriſtus in vita mortali aliquas particulas deperdit, v. g. præputium; & aliquas gutas ſanguinis & alias per nutritionem.

740 Fuit ens inter omnia creata perfectiſsimum & ſublimiſsimum, excedens naturalia & ſupernaturalia ſubſtantialia & accidentalia. Prob. quia fuit intimior & perfectior diuinæ naturæ participatio ſubſtātialis in vnitatem ſuppoſiti. Et licet excedatur ab alijs in aliquibus perfectionibus genericè formalitèr ſumptis; recompenſat tamen, ſua diuinę participationis altitudine, eminentèr & ſuperexcedit omnes illas.

741 Nec propterea erit ens ſimplicitèr infinitum in genere entis, licet ſit in moralitate valoris. 1. pars patet, quia imbibit eſſentialitèr imperfectiones creaturæ, modi, &c. Vndè phyſicè loquendo, quoad perfectionem entitatiuam ſpecificatam ab vno extremo, fortè eſt poſsibilis alia ſecundum quid melior; ſi nempè vnio eſſet ad Ange-

Digitized by Google

gelum, quia tunc eſſet tota ſpiritualis, ſimplex & indiuiſsibilis, & ad melius extremum. Ex extremo autem Verbi nequit entitatiuè meliorari, etiam ſi fieret ad tres diuinas perſonas vel ad naturam, quia Verbum perſeipſum continet eminentèr omnem totius Trinitatis perfectionem.

742 Dixi poſſe meliorari quoad perfectionem entitatiuam, ſed non quoad intimitatẽ nexus, vt benè D. Tho. quæſt. 2. art. 9. aſſerens eſſe maximam vnionum. Probat. quia nequit dari nexus intimior inter omnes creabiles, dempta identitate quæ intimior eſt. Nec obſtat Auguſt. à D. Thom. citatus oppoſitum inſinuans, & dicens, quòd homo aliquo modò eſt potius in Verbo quam Verbum in Patre (cum tamen ſint vnum idẽticè). Sed intelligẽdus eſt de vnione, nõ per modum intimitatis; ſed per identitatem ſuppoſiti & prædicationis; nam non dicitur: *Verbum eſt Pater*, & dicitur: *homo eſt Verbum.*

ARTICVLVS III.

AN VNIO HYPOSTATICA SIT PRODVCTIO ipſa humanitatis.

743 AFfirmant Recent. aliqui & præcipuè Bernal. Tenet etiam Bonæſpei diſp. 4. nu. 6. Docet enim Bernal productionem ſubſtantiæ eſſe ſubſiſtentiã; quia ſicut creatio eſt independentia à ſubiecto perſeipſam, ita etiam productio ſubſtantialis eſt independentia ab alieno ſuppoſito. Excipitur quando eſt ſimùl productio & vnio humanitatis, v. g. ad ſuppoſitum alienum. Quòd de facto ſit vnio ad Verbum, fundat in PP. docentibus, humanitatem fuiſſe creatam ipſa aſſumptione. Aſſumptio autem eſt ipſa actio & vnio realitèr, iuxtà D. Thom. quæſt. 2. art. 8. & in 3. lib. ſentent. diſtinct. 5. quæſt. 1. artic. 1.

744 Reſponderi ſolet, aſſumptionem duplicitèr ſummi, nempè *illatiuè & cauſalitèr*, ſiue in *fieri*, & ſic eſt productio ipſa cauſans & inferens vnionem diſtinctam; vel ſumitur formalitèr, & ſic eſt formalitèr vnio. PP. autem, vel ſolùm volunt contra Eutichem (qui dicebat, Virginem genuiſſe purum hominem, qui decurſu temporis mutatus eſt in Deum) humanitatem eodem inſtanti reali fuiſſe productam ſine propria ſubſiſtentia & concommittantèr vnitam Verbo ſupplenti pro illa; vel fuiſſe creatam aſſumptione ipſa, non ſumpta formalitèr pro vnione formali, ſed illatiuè, & in fieri, quia creatio ipſa inferebat aſſumptionem formalem, ſiue vnionem, cum creatio ipſa eſſet aſſumptio effectiua. D. Tho. loquitur de aſſumptione formali, quando vocat eſſe vnionem. Vel ſi loquitur de effectiua, tunc ſummit vnionem, non quidem pro nexu formali, ſed pro vnitione, ſiue actione productiua vnionis. Bonæſpes efficacitèr impugnat has & ſimiles ſolutiones PP. Ideò poſſet quis dicere PP. verè eſſe diuiſſos, & inconciliabiles inter ſe, & vnos ſtare pro vna ſententia, alios pro alia. Aliter & faciliùs reſpondebunt, qui docent vnionem humanam ſimùl identicè fuiſſe vnionem hypoſtaticam, quia ſic productio effectiua cauſauit vnionem humanã quæ eſt vnio ad Verbũ.

745 Prob. 2. A paritate, quia tam ſupernum eſt humanitati ſubſiſtere in alio; quam accidentibus Euchariſtiæ exiſtere per ſe; atqui iſta per productionem exiſtunt per ſe: ergo & humanitas in alio. Confirm. quia accidens per eductionem fit & ponitur in ſubiecto: imò hoc exemplum probat, quòd quando producitur terminus dependentèr à tertio, per eandem actionem per quam fit, vnitur, vt patet in productione formæ materialis: ergo & humanitas per productionem, fit & ponitur in ſuppoſito.

746 Reſp. conceſſa maior. & minor. nego conſeq. Quia omnis creatio perſeipſam habet ponere rem abſque ſubiecto; at ſubſtantialis productio non habet ex ſe ponere rem in alieno ſuppoſito; & ſic per aliam entitatem præſtandum eſt. Ad confirmat. conceſſo anteced. nego conſeq. Quia eductio ex eſſentia eductionis habet ponere rem in ſubiecto: secùs ſubſtantialis productio, in ſuppoſito, quantum eſt ex eſſentia & definitione ſua expreſſa. Inſuper alij reſpondent, dependentiam à ſubiecto vtpotè à priori connaturale eſſe prouenire à productione ſe tenente ex parte cauſę; dependentia verò à ſuppoſito alieno eſt à poſteriori, & non debet accipere eſſe formalitèr per productionem quæ eſt à priori.

747 3. Prob. Quia humanitas propriè pendet, & ſuſtẽtatur à Verbo, atqui ſi non penderet per vnionem, quæ ſit creatio, non penderet propriè ab illo ſicut anima rationalis non pendet propriè à materia, ſicut pendet anima materialis, eo quod illa pendeat per ſolam vnionem, & materialis per productionem: ergo dependentia humanitatis à Verbo eſt per productionem. Conceſſa maiori nego minorem, quia pendet à Verbo à poſteriori ſine quo, (ſecundum modum minùs præternaturalem, quo hic & nunc intenditur produci completa, ſine tamen complemento creato) nequit exiſtere: in quo differt ab anima rationali, quæ exiſtit ſine materia.

748 Etenìm ſicut omnis productio tẽdit ad eſſentiã, quatenùs ponendam ſub exiſtentia; ita omnis productio ſubſtantialis tendit ad producendam ſubſtantiam, ſed vt ponendam ſub ſubſiſtentia (ſiue id præſtet per ſe ſiue per actionem à ſe ipſa petitam) & ſic ex vi productionis habet humanitas vt copleatur per Verbum (ſaltìm vagè aut cõditionatè). Quòd ſufficit ad dependentiã à poſteriori. PP. autem de hac connexione, potiùs quàm de idẽtitate intelligendi ſunt. Dum ergo humanitas priuatur ſubſiſtentia creata, nequit eſſe completa niſi per increatam. Similitèr dicendum de creatione vnionis continuatiuæ inter partes materiæ diſtingui ab vnione immediata ad ipſas partes, & pẽdere à poſteriori, & immediatè ab vnione producta, & à partibus ſolùm mediatè.

749 Communior ſententia negat, productionem humanitatis per ſeipſam eſſe vnionem ad Verbũ. Prob. ex D. Tho. in 3. diſtinct. 5. quæſt. 3. art. 1. ad. 2. dicente: *Quòd aſſumitur præexiſtere aſſumptioni, non tẽpore, ſed natura*: ergo humanitas erat creata cum independentia ex ſe ab vnione tali. Et quæſt. 3. art. 3. ait: *Animam Chriſti eodem modò, & genere actionis eſſe creatam, quo alia rationales.* Videatur Suarez diſp. 8. ſect. 1. Prob. 2. Tùm, quia hoc eſt connaturalius. Tùm quia creatio ex immediata definitione expreſsè non ſe habet ad ſubſiſtentiam actualem, nec etiam ad vnionẽ cũ ſuppoſito alieno: ergo ex natura productionis ſubſtantialis, vnio hypoſtatica non identificatur cum productione, nec aliàs eſt aliquid quod vrgeat ad illas identificandas de facto vt videbimus.

750 Dices: hoc probare independentiam humanitatis à Verbo contra 6. Synodum Act. 11. vbi ait: *Simùl Dei Verbum caro, ſimùl caro animata rationalis, ſimùl Dei Verbi caro animata rationalis.* Rationem huius reddit: *in illo enim, & non per ipſum habuit exiſtentiam*: ergo ex vi ſuæ productionis non dabatur indifferẽtia, ſed exiſtentia per Verbum. Reſpond. tamen loqui de exiſtentia vt completa, ſiue de ſubſiſtentia, quam ſimùl in eodem inſtãti *per Verbum habuit.* Sed mediatè inductam per ſe.

751 Obicies: Talis identificatio non repugnat: ergo admittenda de facto. Prob. conſeq. Quia fruſtra fiunt per plura, quę poſſunt fieri per pauciora. Quidam negant antec. quia complebile debet natura præcedere complementum, quòd nõ erit ita, ſi ſubſiſtat per creationem, vel per illam vniatur Verbo. Sed reſp. 1. complebile non debere præcedere complementum prioritate in quo ſed à quo. 2. Conceſſo antecedenti de poſsibili, nego conſequent. Tùm quia intelligitur ly *fruſtrà fiunt per plura*, ſi æquè cõnaturalitèr fiant per pauciora; non verò alitèr. Tùm etiam quia contraria ſententia, licet minuat entitates numero, plurificat ſpecies ponendo actionem productiuam animæ, quæ ſit vnio ad Verbum, quæ ſpecies excuſari poteſt, vtpotè noua.

752 Sententiam hanc communem probant alij ab inconuenienti ex oppoſita, nempè quia humanitas, licet vegetatiua non poſſet ſe nutrire naturalitèr, quia nutritio cum deberet eſſe vnio materiæ alimenti ad Verbũ (aliàs

enim

Digitized by Google

enim eſſet ſubſiſtētia propria,) eſſet ſuperna. Inſuper, quia Maria non eſſet naturalis Mater huius hominis, ſiquidem generatio, cum eſſet vnio hypoſtatica, eo ipſo eſſet ſuperna. Hoc argumento etiam impugnari ſolet identitas vnionis humanæ cum vnione ad Verbum, de qua art. 5. ...

753 Sed facilè reſpondetur, nullum eſſe inconueniens, quod nutritio Chriſti, & generatio Virginis ſint quid supernum, & Virgo non ſit Mater naturalis, dummodo maneat Mater realis, & phyſica: ſicut matres ſteriles gignentes filios ſupernaturalitèr. Virgo enim gignens ſine concurſu viri humanitatē & ſine ſubſiſtentia propria, neceſſario gignit actione ſuperna; dicuntur tamen naturales matres, id eſt non legales aut morales, ſed phyſicæ, & reales; non vero naturales, id eſt non ſupernæ.

754 Sentētia P. Bernal ſatis probabilis eſt, non ſolùm de poſsibili, ſed etiam de facto, & magis apta vt ſine multiplicatione entitatū, Beata Virgo ex vi generationis hominis, ſit Mater phyſica Dei, genueritq; hominē (non quidē indifferentē vt eſſet purus homo, vel homo Deus) ſed qui ex vi proceſsionis eſſet homo Deus, & homo filius naturalis Dei. *Non* tamen videtur ſine maiori fundamento diſcedendum à ſententia communi, propter maiorem huius connaturalitatem, & quia meliùs explicat, quomodò reſpectu humanitatis iam productæ, vnio ad Verbum ſit gratia pura abſque aliquo debito humanitatis iam productæ. Proprietas autem Maternitatis Dei ſaluabitur art. ſequentibus.

ARTICVLVS IV.

DE CAVSA EFFICIENTI VNIONIS; VBI QVOmodò Virgo ſit Mater Dei.

754 CAuſa efficiens principalis eſt tota Trinitas per Omnipotentiam. Prob. quia eſt effectus ad extrà. Explicatur: Tres perſonæ ſe habent, vt ſi tres homines induant actiuè vnum ex ipſis, qui etiam ſe actiuè induat, & induatur. Vndè non ſunt audiendi Vbandingus & alij concedentes Verbo ſpecialem influxum actiuum reſpectu vnionis. apud Bernal diſp. 12. ſect. 2. & multò latius apud Prudentium tract. 3. diſp. 1. dub. 3.

755 Nulla creatura poteſt diuinitus eſſe principalis cauſa vnionis, quia in nulla eſt tam alta & proportionata virtus, adhuc ſi poſsibilis ſit ſubſtantia superna, quia ſemper vnio eſt ordinis altioris. Si dicas: poſsibilis eſt alia vnio hypoſtatica iſti æqualis: ergo vna poterit producere aliam. Nego conſeq. quia vnio non eſt operatiua efficientèr etiam ſi ſit radix alicuius ſuæ proprietatis. Poſſe creaturam eſſe cauſam inſtrumentalem vnionis, probabilius eſt obedientialitèr, vt tenet Suarez. quia non apparet repugnantia. Quidquid dicant Ioan. à S. Thom. & alij Thomiſtæ.

Prob. 1. quia dato & non conceſſo, quod repugnet creaturæ eſſe inſtrumentū ad creandū, ſecùs ad actiuè incarnandum, quia minùs diſtant extrema, homo & Deus, quam nihilum & ens factum ex illo. 2. quia licet actio inſtrumentalis petat præcedere ſubiectum in quo operetur, & humanitas hic non præcedat, reſp. ſufficere præcedentiā prio priori naturæ. Nec obeſt, quod agens inſtrumentale debeat tangere terminū quem producit, vel vnit, illumque in ſua virtute continere, ſibique ſubijcere, & hæc omnia repugnant Verbo reſpectu actionis inſtrumentalis: ergo. Nego enim maiorem reſpectu termini non producti ſed communicati, vt patet in generatione humana vniente animam, quæ tamen vtpotè ſpiritualis, in virtute generatiua, nec continetur, nec ei ſubditur. Tangitur ergo Verbum ab actione inſtrumentali, mediante vnione, potius vt dominans & ſuſtentans, quam quod ſubdatur illi.

756 Quæritur pro explicanda Virginis Maternitate producentis hanc humanitatem; an fuerit inſtrumentum influens phyſicè in vnionem hypoſtaticam? Negat ſententia communis. Affirmo cum Bernal & alijs, Becano & Suarez indicantibus probabile. Loquor ſaltim de illa parte vnionis, quæ vnionem humanam nectit cum Verbo. Prob. 1. quia Ambroſius Epiſt. 82. Eſichius Homil. de B. Virg. tom. 2. Bibliothecæ PP. Virginem, dicunt, fuiſſe Incarnationis inſtrumentum. Item PP. ſæpè dicunt, Virginem fuiſſe Mulierem illam, quæ miſcuit tria ſata farinæ, id eſt tres ſubſtantias, corpus, animam, & Verbum vniuit. Nec dicas, omnes loqui diſpoſitiuè, quatenùs materiam adminiſtrauit. Contra, tum quia nulla eſt repugnātia, ſi intelligantur formalitèr & propriè, & aliàs cedit in magnā Virginis gloriam. Tū quia Albertus Magnus ad illud: *Virtus Altiſsimi obumbrabit tibi*, explicat de vmbra, ſiue imagine & participatione virtutis generatiuæ Patris data Virgini. Plurimos alios PP. vide apud Saabedra, & Lacerda de Maria.

Saabedra etenim de Sacra Dei-para veſtig. 1. diſp. 5. talem virtutem intrinſecam generatiuam imò, & corpoream vtpotè ad effectum corporalem, nempè vnionem hypoſtaticam producendam, probat in Virgine. Diſp. autem 7. eſſe participationem ſupernam phyſicam virtutis generatiuæ æterni Patris, Theologicè diſcurrit. Quòd ſemper in Virgine permaneat (non quidem vt ſemper generet, ſed vt Virginem ſanctificet: Eſt enim forma ſanctificans, de quo veſtig. 2. diſp. 4. & multò luculentius Ripal. tom. 2. num. 79.) veſtig. 1. diſp. 5. ingenioſè probat. & multa alia ad noſtrum intentum valdè concernentia toto illo opere diſcurrit.

757 Prob. 2. quia apud D. Thom. & eius Scholam, ſicut productio rei tendit ad eſſentiam, non vtcumque, ſed vt ponatur ſub actualitate; ita productio ſubſtantialis naturæ tendit ad eam producendam, non vtcumque, ſed prout ſub complemento vel ſubſiſtentia, ne natura illa relinquatur imperfecta: ergo cum B. Virgo habuerit producere phyſicè, & generare humanitatem, debebat illam producere prout ſub aliquo complemento ſaltim vagè, & conditionatè ſub complemento Verbi: ergo produxit vnionem ad Verbum.

758 3. Prob. quia Virgo propriè eſt Mater Dei. Hæc autem proprietas optimè ſoluatur per influxum phyſicum in vnionem hypoſtaticam, nam abſque illo non ita propriè. Prob. nam Chriſtus vt homo Deus, ſub hac ratione, non eſt à Matre ex vi proceſsionis ſine tali influxu. Influxus enim in vnionem humanam, ſolum eſt ad hominem indifferentem, vel vt ſit purus homo, vel homo Deus: ergo ſi determinatè vt homo Deus eſt filius Virginis, debuit Virgo producere talem determinationem, ſiue vnionem. Confirmatur ad hominem: ſi Mater hominis puri adminiſtret materiam ſine concurſu ad vnionem, apud vos non eſſet ab illa, ſed in illa: ergo ſi Virgo poſuit humanitatem vt materiam, non verò hypoſtaticam; vt homo Deus erit factus in illa, ſed non ab illa.

759 Reſpondebis: eo ipſo quod Virgo materiam, & formam iam deificatas vniat ipſas, producit hominem Deum, producendo vnionem humanam tantùm. Contra, quia id non eſſet cum tanta Virginis gloria, quia non eſſet ex vi proceſsionis à Virgine, ſed ex contingenti deificatione partium iam præſuppoſita.

760 Objicies 1. non requiritur talis influxus, vt Virgo ſit abſolutè Mater; atqui nec vt Mater hominis Dei: ergo ad nihil. Minor prob. Tùm quia mulier eſt mater Regis, ſine influxu ad dignitatem. Tùm quia eſt mater hominis in concreto, quin influat in vnionem ad ſubſiſtentiam: ergo, &c. Conceſſa maj. Diſtinguo min. nec vt ſit mater hominis Dei minùs propriè, concedo; ea proprietate, qua alia mulier eſt mater puri hominis, nego, quia requiritur influxus in hominem vt talem, & ſub complemento: & ſic in Virgine, influxus in hominem Deum vt talem. Vt talis enim debet eſſe à Virgine ex vi proceſsionis.

761 Ad 1. prob. reſp. Dignitatem Regiam eſſe quid morale; ſecùs rationem hominis Dei. Virgo autem per diuerſum fidei articulum, vltra eſſe Matrem hominis habentis Diuinitatem, definita eſt propria & ſtricta

Digitized by Google

Mater Dei. Vndè à muliere eſt homo ille, qui eſt Rex; ſecùs ſtrictè vt Rex ex vi & reſpectu generationis. Ad 2. reſ. mulierem eſſe matrem hominis in concreto, ſed vel non ſine influxu in ſubſiſtentiam, vel non ſine iure imbibito in humanitate ad producendam ſubſiſtentiam. Si verò B. Virgo in hypoſtaticam non influeret, cum aliàs humanitas vt genita ab ipſa, non imbibat ius abſolutum ad Verbum, non poſſet eſſe mater hominis Dei ſtrictè. Sicut ſi vnus ignis produceret alium ſecundum ſe & alter illi vniret calorem, prior eſſet cauſa ignis, ſed non eſſet cauſa calidi.

762 Nec obeſt 2. Script. clamans Incarnationem eſſe opus Dei, & eum ſolum facere mirabilia magna: ergo & Incarnationem, quæ eſt opus omnium maius. Reſp. eſſe ſolius Dei. Tùm vt cauſæ principalis operantis ſummum quod poteſt. Tùm vt ſpecialiſſimè excogitantis eius artificiú tam ſummum, quòd anthonomaſticè dici poteſt opus Dei. Nec mirùm ſi D. Thomas alicubi neget concurſum actiuum, loquitur enim iuxtà ſententiam Ariſtotelis, qui illum negat matribus. Nos iuxtà Medicos.

ARTICVLVS V.

EXAMINATVR IDENTITAS VTRIVSQVE Vnionis.

763 MOdernus ingenioſus docuit, de facto vnionē humanā, ſeipſa eſſe hypoſtaticā ſui ad Verbú, ſui ad materiam & animā, ſimulque iſtarum ad Verbum. Licet præter hanc vnionem admittat alias duas hypoſtaticas partiales, corporis ad Verbum, & animæ ad Verbū perſeverātes in triduo (in quo vnio humana, & hypoſtatica huius ad Verbū deſtructa fuit.) Illas autem duas partiales ad quid admittit, cum videretur ſufficere præcipua vnio humana ſui ad partes & ad Verbum? Vt verificetur prolóquium illud: *quod ſemèl aſſumpſit, nunquam dimiſit.* Quod de partibus præcipuis, nempè corpore & anima communitèr intelligitur. Vt autem pateat, quod Virgo ex vi generationis actiuæ ſit mater hominis Dei, nihil aptiùs excogitari potuit, quam quod generare vnionem humanam, ſit generare hypoſtaticam ob identitatem vtriuſque.

764 Vt hanc identitatem tueatur, defendit ſubſiſtentiam generalitèr conſiſtere in ipſa vnione ſubſtantiali; ſicut Pater Bernal docebat conſiſtere in productione ſubſtantiali. Ratio autem eſt, quia vnio eſt ſubſtantiale complementum vtriuſque extremi, potenſque reddere naturam ſiſtentem in ſeipſa & completam, ſine multiplicatione ſuperflua nouæ entitatis. Inſuper habet rationem poſterioris reſpectu vtriuſque extremi (quæ poſterioritas requiritur, cum complementum debeat ſupponere complebile) quam non habebat productio. Quòd ſi vnio humana Chriſti non eſt ſubſiſtentia, ideò eſt, quia non reddit humanitatem completam, ſed potius dependentem ab alieno ſuppoſito, ſicut dicit Bernal de productione. Nec vllum eſt inconveniens in eo quod aliqua vnio extremorum ſit nexus eorum cum vno tertiò. Sic vitatur inutilis entitatum multiplicatio, & defenditur Virginis Maternitas.

765 Nec obeſt 1. ſi D. Thom. eas diſtinguere videatur. Diſtinguit enim *ratione*, fundata in muneribus vniēdi diuerſos terminos. Nec obeſt 2. quod vnio humana eſt naturalis (aliàs humanitas eſſet diuerſæ ſpeciei à noſtra) atqui hypoſtatica eſt ſuperna: ergo diſtinguntur. Nego mai. quia eſt producta miraculosè ſine concurſu viri. Dicitur autem naturalis, ſicut Maria Mater naturalis, id eſt, non purè Affectiua, vel Legalis, ſed Carnalis, & Phyſica, vt nu. 753. Nec humanitas erit abſolutè ſpecie diuerſa (quia ad partes principales in hoc attenditur, quæ eędem ſunt) licet ſit ſecundùm quid, & cum addito; ſicut plures docent de vnione humana Petri, differre ſpecie ab vnione Pauli, quia differt, eo quod ſit eſſentialitèr determinata ad extrema Petri, quæ ratio eſt communis alijs vnionibus poſſibilibus ipſius Petri.

766 Nec obeſt 3. fore vt Verbum non terminet humanitatem, ſed ſolas partes. Prob. quia ſolùm terminat id, quod mediante vnione aſſumpſit; atqui mediante vnione non aſſumpſit vnionem, ſed partes: ergo. Nego mai. Ad probat. diſtinguo mai. quod aſſumpſit mediante vnione, vt *quod* ſolum, nego, vt *quod*, & vt *quo*, concedo. Mediante igitur vnione vt quo, etiam aſſumpſit vnionem per ipſam vnionem, & ſimilitèr aſſumpſit partes vt *quod*. Hæc & alia Modernus ille ſatis probabilitèr, & ingenioſè.

ARTICVLVS VI.

VNIO HVMANA DISTINGVITVR AB HYPOSTatica, & explicatur magis Maternitas.

767 IN identitate vnionis humanæ cum hypoſtatica de poſſibili, nullam invenio repugnantiam, ſed maximam probabilitatem. Loquendo autem de facto non deſſunt congruentiæ ſatis aptæ. Nihilominùs de facto eas diſtinguendas cenſeo cum communi ſententia. Prob. quia vnio humana eſt de conſtitutiuo eſſentiali humanitatis, ergo hypoſtatica quæ proptèr identitatem deberet vnioni, humanitati debebitur. Ex quo ſequeretur reſpectu humanitatis non fore de facto gratiam ſed naturam, eſſe vnitam Verbo, & ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Verbi, contra Script. & PP. docentes, eſſe gratiam factam humanitati, & non loquentes de ſolis partibus, ſed de humanitate.

768 Objicies 1. vt Virgo ſit ſtrictè Mater hominis Dei, requiritur quòd ex vi generationis iſte homo evadat Deus; atqui ſi vnio humana non ſit hypoſtatica, ex vi generationis illius, homo non ſit Deus, ſed indifferens ad Deum: ergo vnio humana debet eſſe hypoſtatica. Reſp. diſtinguo mai. ex vi generationis evadat Deus per eandem productionem immediatè & formalitèr, nego mai. per vnam radicalitèr & mediatè, & per aliam ſecundariam formalitèr, concedo mai. Prima enim producit humanitatem cum exigentia vt ponatur ſub complemento. Et 2. per ſe inducit complementum, ex vi & exigentia prioris, petentis vel vagè vel conditionatè iſtud, nempè Verbum.

769 Replicabis: productio vnionis humanę à Virgine quantùm eſt ex ſe manet indifferens omnino, & abſque vlla exigentia ad producendam vnionem ad Verbum: ergo ex vi primæ actionis non ſequitur ſecunda productio, atqui generatio ſtat in illa prima: ergo Virgo hominem Deum produxit, non ex vi generationis, ſed ad ſummum concomitantèr. Reſp. 1. permiſſo, quòd 2. actio ſe haberet ſolùm concomitantèr ad primam, adhuc ſalvatur, quòd ille homo evadit Deus ex vi productionis integræ à Virgine, cohaleſcentis ex vtraq; actione. Reſp. 2. diſtinguendo 1. antec. illa productio prima manet indifferens indifferentia aliquali imperfecta phyſica, concedo antec. Excludit enim neceſſariam determinationem phyſicam ad vnionem in actu 2. indifferentia totali, & perfecta, *& quaſi æquè interſit, quòd ponatur vnio, vel non ponatur*, nego antec. Prima enim productio, cum ex natura ſua petat producere humanitatem prout ſub complemento, exigentiam habet & vim, complementum inducendi, vel naturale vel ſaltèm æquipolens, & Deum ſuo clamore quaſi obligat, vt ſi auferet creatum ponat diuinum, iuxtà debitum maioris connaturalitatis, quæ non eſſet, ſi expoliaretur omni ſubſiſtentia. Ecce quomodò ex vi generationis, producitur non ſolum homo, ſed homo Deus.

770 Addi poſſet, eandem actionem generatiuam Virginis ex vi ſua producere vtramque vnionem realitèr diſtinctam, vt ex vi ſua, & ponat hominem, & ponat illum completum, nempè vt hominem Deum. Sic enim cum humanitas conſtituatur ex vnione naturali & ſibi debita, non poterit fundare ius ex parte ſua, nec ad vnionem hypoſtaticam, nec ad iſtam entitatiuam generationem vtpotè ſupernam, & ſic ſemper verificabuntur duo,

Digitized by Google

nempè & quòd ſit gratiâ purâ reſpectu humanitatis, & quod Virgo ex vi generationis actiuæ genuerit hominem Deum. Nec ſequitur quod illa generatio ſit naturalis & ſuperna, ſed tota ſuperna entitatiuè, ſicut productio humanitatis poſita à P. Bernal, quæ ſit vnio ad Verbum. Nec item eſt inconveniens, quod eadem actio habeat duos terminos, ordinando vnum ad alium. Sicut vos dicitis de formali, & totali.

771 Objicies 2. Hæc vnio humana non repugnat quod per ſe ſit vnio ſui ad Verbum, & quod eo ipſo quod ipſa ſe vniat vt *quo* partibus & Verbo, ex vi eius partes maneant vnitæ vt *quod*: ergo ſuperfluè ponitur alia vnio. Reſp. de poſsibili non repugnare, ſed de facto, quia de facto eſt gratia humanitati facta & nõ foret vt dictũ eſt.

772 Objicies 3. D. Thom. 3. part. quæſt. 2. art. 4. ad 1. expreſsè ponentem differentiam inter puros homines & Chriſtũ. Quod in illis vnio conſtituit hypoſtaſim. In Chriſto vero non, quia partes vniuntur ad invicem vt adiunctę alteri principaliori, nempè Verbo. Ex quibus duo inferuntur. 1. Subſiſtentiam non diſtingui ab vnione quando eſt complementum partium non ordinans illas ad tertiũ. 2. Quod hypoſtatica eſt ipſa vnio humana, ſiquidem propterea deſinit hæc, eſſe perſonalitas creata, quia per illam vniuntur Verbo. Reſp. D. Tho. intelligendum, nõ formalitèr ſed quaſi cauſalitèr, quia ex partibus vt iã vnitis, reſultat noua ſubſiſtentiæ entitas conſtituens in nobis perſonam. In Chriſto verò hoc ſit per nouam vnionem ad Verbum. De compoſito enim ex partibus ait ibi, *quod aduenit perſona Verbi iam præexiſtenti*: quæ ſraſis advenienti tatis indicat, humanitatem in ratione cõpoſiti præcedere, poſteaque vniri Verbo, adveniendo illi, vt ex illo & ex illa reſultet perſona humana.

ARTICVLVS VII.

ALIA QVÆSITA DE CAVSIS ET TERMINIS Incarnationis.

773 QVæritur 1. an humanitas fuerit inſtrumentum ad vniones partiales hypoſtaticas inductas per nutritionem, inter Verbum & materiam alimenti? Affirmo, quia Chriſti humanitas nutrire poteſt hominem Deum, & cædit in eius gloriam, quòd per influxum ſuum ſe compleat: ſicut homo purus per ſuum ſe nutrit, & complet. Dices: ſequi, humanitatem produxiſſe ſuam 1. vnionem hypoſtaticam. 1. Quia apud aliquos anima rationalis geniti primam vnionem ſui cum materia producit, & licet hoc non admittatur, quia anima nihil producit in corpore niſi vt forma, & vt iam vnita, humanitas tamen ſicut in nobis influit in ſubſiſtentiam propriam, in Chriſto potuit in vnionem ſubſtituentem pro illa. Item corpus & anima, iuxtà Suarez in reſurrectione reproduxerũt, tàm vnionem humanam eandem (eandem inquam, quàm à Virgine accepit: Cædit enim in Virginis gloriam) quàm illius, hypoſtaticam. Sic enim verificatur, quod ipſe ſe reſuſcitauerit, *& iterum animam ſuam ſumpſerit*: ergo vel negandus concurſus in nutritione, vel concedendus humanitati ad 1. vnionem hypoſtaticam. Ego hæc omnia de poſsibili, concedo. De facto non audeo, quia novum eſt. Do ergo diſparitatem. Nego ſequelam de facto, quia humanitas non ſe fecit Deum, nec aſſumpſit ſibi Verbum, vt PP. communitèr loquuntur; ſe tamen nutriuit augmentando hominem Deum.

774 Quæritur 2. de cauſis intrinſecis. An humanitas ſit cauſa materialis hypoſtaticæ? Affirmo. Tùm quia ex D. Tho. præexiſtit humanitas aſſumptioni, non tempore, ſed natura. Prioritas autem naturæ non convenit ſubiecto adhæſsionis, ſed inhæſsionis, de quo res educitur. Tùm quia vnio ad propriam ſubſiſtentiam educitur ex natura: ergo & ad alienam. Tùm quia non eſt creata, ſed educta: ergo ab humanitate. Circa cauſam formalem, dico eam nõ dari, ſed ipſa vnio ſibi eſt cauſa formalis, quia Verbum eſt terminus purus; ipſa autem eſt forma actuans extrema in ratione vnitorum.

775 Quæritur 3. an in humanitate præceſſerit aliqua diſpoſitio vltima? Nego de phyſica. Tùm quia recipiens obedientialitèr vnionem non eget diſpoſitione, nec naturali, quia eſt improportionata; nec ſuperna, quia non eſt aſſignabilis. Gratia enim ſanctificans non eſt diſpoſitio phyſica vltima. Tùm ipſa datur poſt vnionem, & apud multos ab illa vt radice. Tùm quia reperitur ſine vnione; ſecùs vltima diſpoſitio ſit eſt forma. Nego etiam de diſpoſitione morali, quia humanitas eſt aſſumpta ſine vllo merito proprio.

776 Quæritur 4. quis eſt terminus productionis incarnatiuæ? Nota 1. quod duplex datur terminus. Vnus Totalis; alter formalis. 2. Quòd vocari ſolet hæc productio *Incarnatio, Humanatio, Perſonatio, Aſſumptio, & Communicatio diuini eſſe*. quando hæc omnia actiuè ſumuntur; ſi verò *formalitèr*, conveniunt vnioni ipſi.

Reſpondeo ergo 1. vt eſt productio habet terminum totalem, & formalem. Totalis, eſt Chriſtus, ſiue homo Deus. Ipſe enim eſt Totum quòd per talem actionem producitur. Nec dicas, terminum totalem debere eſſe cauſatum in tempore; ſed hoc non convenit Chriſto, ſiquidem hæc propoſitio eſt falſa abſolutè: *Chriſtus eſt Creatura*. Reſp. conceſſa mai. nego min. quia dicitur factus homo, & quia vt compoſitum fiat, & generetur, ſufficit ſi vnio fiat, & generetur.

777 Nec obeſt, quod Chriſtus nequeat dici creatura. Tùm quia plures PP. ea locutione vtuntur. Tùm quia recuſatur, non quia non ſit vera, ſed quia periculoſa ex Arrianorũ introductione volentiũ perſonã ipſã eſſe creaturã. Vide art. 8. infra. Circa terminum formalem, cenſent Suar. & alij, eſſe vnionem hypoſtaticã, quę per illam producitur; non verò Verbum. quod non producitur, nec humanitas, quæ non producitur per illam, licet vniatur. Prob. quia terminus formalis productionis eſt entitas illa, quæ producitur, & ratione cuius totum dicitur productum. Iſta autem eſt ſola vnio.

778 Thomiſtę tenent, terminum formalem eſſe Verbum ipſum. Exiſtimant enim hanc actionem non eſſe productiuam termini formalis, ſed vnitiuam tantùm. Probant, quia terminus formalis non eſt qui producitur, ſed ille qui (ſiue productus, ſiue communicatus) dat Toto, eſſe formalitèr tale, per modum actuantis alteram compartem. Sic reſpectu generationis humanę, terminus formalis eſt anima rationalis, quia dat Totu eſſe tale, & quia præſtat ſimilitudinem cum generante, quæ principaliùs intenditur ab ipſo. Idem in Filio diuino, vbi terminus *qui* formalitèr, non eſt filiatio, ſed eſt natura diuina: ergo terminus formalis productionis incarnatiuæ & productiuæ hominis Dei, non eſt vnio, ſed Verbum: quòd, & ſe habet per modum formæ actuantis, & dat eſſe ſpeciale hominis Dei, diuerſum ab alijs hominibus.

779 Mihi quæſtio decidenda videtur diſtinguendo terminos ſic. Alius Totalis, qui eſt Chriſtus. Alius Partialis. Hic alius *quo*, & alius *qui*. Vterq; eſt formalis, quia vterque importatur expreſsè ab actione ſi ſpecificè penetretur. *Qui* eſt terminus præcipuus dãs Toto eſſe tale ſiue talis terminus ſit productus ſiue non. dùmodò ſit cõmunicatus. *Quo* verò, eſt via illa paſsiua mediãte qua forma communicatur. Terminus *qui* in homine eſt anima rationalis; in filio Dei, Deitas; in Chriſto, Verbum. Terminus verò *quo* eſt vnio quæ in tempore producitur. Hanc aſſertioné probant argumẽta Suarij, & Thomiſtarũ.

780 Sed quodnam ex duobus extremis ſit terminus *qui*. Verbum ne, an humanitas? Generalitèr loquendo, vt eſt productio hominis Dei, terminus formalior eſt Verbum, nam advenit humanitati præſuppoſitæ vt priori, tanquam illam actuans, & determinans ad tale eſſe, vt iam præſuppoſitam. Quia tamen varia habet nomina hæc productio, ſi ad nomina ipſa attendamus, aliquando terminus *qui* erit humanitas, (licet minùs propriè, quia non ſe habet ſtrictè vt actuans, ſed vt præſuppoſita, & actuata) quia formaliùs importatur, vt cum vocatur *Humanatio, ab humanitate vt forma. Incarnatio, Aſſumptio Humanitatis*. Quando verò vocatur *perſonatio, communicatio eſſe diuini*, formaliùs importat Verbum.

Eſt

Digitized by Google

781 Eſt ergo hæc productio ex illo genere actionũ, quæ expreſſè important duos terminos ſubordinatos (ſiue directum, & minùs directum, ne dicam indirectum) vt *florere* ſignificans productionem floris, & vnionem. ſiue immanentiam, & communicationem ad ſeipſum, Sic hæc productio habet vnionem pro termino producto, & ſimul aliud extremum pro termino communicato.

ARTICVLVS VIII.

AN VNIO FACTA SIT IN PERSONA, vel in natura.

782 DVplex eſt quæſtionis ſenſus. 1. An terminus vnionis inmediatus ſit Verbi perſonalitas, vel natura. 2. An vnio ſiue *vniens* ex illa reſultans, ſit vnitas in Perſona, ita vt Chriſtus ſolùm ſit vna Perſona. Vel an vnitas ſit in natura, ita vt ex humanitate & Deitate, vnica tantùm reſultauerit natura. Primus ſenſus eſt Scholaſticus, de quo art. ſequenti. Secundus eſt Dogmaticus. Et de eo hic.

783 Neſtorius vnam negauit in Chriſto Perſonam Eutiches, vt ei extremè opponeretur, ita in Chriſto vnitatem aſſeruit, vt non ſolùm eſſet in eo vna perſona, ſed etiam vnica natura. Vtrique Catholica veritas contraria eſt. De quo ſupra quæſt. 2. art. 3. à num. 79.

784 Sed pro hac difficultate explicanda & ſequenti quæſtione decidenda, nota, ex duplici natura, vel comparte, multipliciter poſſe vnum reſultare. 1. Per aggregationem factam ſine vnione phyſica, vt ex multis granis reſultat tritici aceruus. Sic Neſtorius de Perſona filij Virginis, & de Perſona filij Dei, vnam faciebat abſque vnione phyſica per ſolam moralem coniunctionem, ſiue aggregationem, quia *amicus alter ego*. 2. Poteſt reſultare vnum per vnionem phyſicam duorum, quæ poteſt eſſe, vel vnio phyſica accidentalis, vt ex duplici gutta aquæ fit phyſicè vna aqua phyſicè continuata. Vel poteſt eſſe vnio phyſica ſubſtantialis ex duabus naturis, & hæc eſt quæ facit ad intentum noſtrum.

785 Nota 2. ex duplici natura, poſſe vnicam conſurgere dupliciter. 1. Per conuerſionem vnius in aliam. Sic in Cana Galileæ, ex aqua, factum eſt vinum conuerſiuè, quia deſtructa fuit forma aquæ. Et in Eucharistia ex pane (qui deſtruitur) fit Corpus Chriſti. Similitèr mixtũ fit ex ſubſtantijs elementalibus alteratis, quæ tamen nõ manent in mixto, ſed potius deſtruũtur, & reſultat ex illis vna tertia ſubſtantia. Ita igitur in hoc membro diuiſionis vna reſultat ſubſtantialitèr natura ex alijs, ita vt iſtis deſtructis ſola illa, in quam fit conuerſio, perſeueret, ſecus aliæ. In hoc ſenſu loquebatur Eutiches de vna tantùm natura in Chriſto perſeuerante, quia exiſtimabat, vel vnam deſtructam & conuerſam in aliam, v.g. Deitatem in humanitatem. Vel vtraque natura deſtructa. aliam tertiam reſultaſſe, quæ eſt propria Chriſti. Contra cum autem docet veritas Catholica Chriſtum in Perſona vnum, ſubſiſtere in natura duplici, nempè humanitate & Deitate omninò in ipſo perſeuerantibus, de quo ſupra num. 91.

786 Reſultat 2. vnica natura ſubſtantialitèr ex duplici, per vnionem vtriuſq; ſubſtãtialem, eas in ſuo eſſe perſeuerantes neceſſariè. Hoc autem poteſt contingere, vel ex naturis imperfectis & incõpletis, vt dum humanitas reſultat ex anima rationali & carne, quæ adhuc poſt vnionem manet vera caro & vera anima. Vel poteſt contingere ex duplici natura perfecta & ſpecifica, & in ſuo eſſe perſeueranti, vt ſi humanitas & Deitas ſubſtantialitèr vniri queant immediatè ita vt ex illa vnione reſultet vnũ per ſe ſubſtantiale, quod ſit perſeueranter verus Deus & verus homo. Quæ ſubſtantialis vnitas naturæ ex duplici perſeuerante ſi aſſeratur ab aliquo, contra definita adverſus Eutich. non erit, vt benè Petrus Vrtado de Incarnatione diſp. 15. ſect. 1. An autem contra aliam definitionem, & bonã philoſophiam ſit, alibi examinandũ eſt.

787 Aſſero 1. de fide cõtra Neſtorium vnionem factã in Perſona, ſiue in vnitatem Perſonæ. Conſtat ex nu. 81. Stat autem quòd Chriſtus ſit vna Perſona tantùm, in eo quod humanitas inmediatè vniatur Perſonalitati Verbi tanquam termino formali per quod compleatur, impedita diuinitus Perſonalitate creata & propria. Argumenta aliqua contra cõncluſionem reperies ſupra quæſt. 2.

788 Nec obeſt cõtra hanc concluſionem 1. quòd Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſiue incommunicabilis ſubſtantia, atqui ſunt in Chriſto duæ ſubſtantiæ incommunicabiles: ergo & duæ Perſonæ: multiplicata enim definitione multiplicatur definitum. Conceſſa maj. diſtinguo min. Sunt duæ ſubſtantiæ incommunicabiles, ſi ly incommunicabiles ſummatur adiectiuè, ſiue in obliquo, concedo; ſi in recto & formalitèr, nego, quia incommunicabilitas ipſa ſiue perſonalitas non eſt duplex ſed vna. In multiplicatione autem perſonarum ad perſonalitates præcipuè, & non ad naturam attendi debet vt patet in Deo. Formaliùs enim Perſonæ eſt perſonalitas, ſicut formaliùs Dei vel hominis eſt natura. Multiplicantur autem penes formalius.

789 Nec obeſt 2. quòd in Chriſto Deus & homo ſunt vnum aggregatione & per accidens: ergo & duplex perſona. Ant. prob. quia vnum per ſe non reſultat ex entibus completis. Nego antec. Ad prob. diſt. antec. Si ab vno auferatur reale complementum, in cuius locum intret aliud, nego antec. Sic contingit in præſenti. Dices ens per ſe, ſolum ex incompletis & ordinatis ad componendum reſultat. Atqui humanitas non ordinatur ad componendum Chriſtum: ergo. Reſp. ſufficere ſi vnum ordinetur ad componendum tale in ſpecie compoſitum, & aliud ſit aptum, quia tũc ab illo per ſe fit compoſitio. Humanitas autè per ſe habet cõponere hominẽ, licet accidat illi quòd iſte ſit determinatè Chriſtus.

790 Nec obeſt 3. Chriſtum eſſe perſonam compoſitã: ergo ex duplici perſona. Ant. prob. nam eſt perſona diuina & humana ab humanitate. Quidam has locutiones admittunt abſolutè attendentes ad proprietatem verborum, alij ſolùm admittunt cum addito, deterriti à periculo, ex phraſi Hæreticorum reſultanti. Quòd Chriſtus igitur ſit Perſona compoſita, verum habet, ſi compoſitio attendatur, penes perſonalitatem & humanitatem vnitas, vel penes duas naturas in vnam perſonam (non in vnam naturam) coeuntes, ita vt reſultet ſuppoſitum verus Deus & verus homo, & ſic vera Perſona diuina, & vera perſona humana penes diuerſas naturas.

791 Nec dicas, indè ſequi quod Verbum ſit pars Chriſti veniens in compoſitionem, quod repugnat ſimplicitati ipſius, & ideò negatur à Theologis. Quidam negant fore partem, quia vt componat ſufficit ſi ſit extremum. Reſp. ego fore partem, ſed non ex ſe, ſed denominatiuè à compoſito reſpectu cuius, eſt quid inadæquatum & pars. Quòd non opponitur ſimplicitati.

793 Nec dicas 2. Chriſtus propter humanitatem eſt perſona humana? ergo propter illam vt factam & vnitam in tempore erit Perſona creata. Bernal non renuit concedere conſequentiam abſolutè (cum addito enim nulla eſt repugnantia). Ego abſolutè non concedam, quia ly *creata* cum eque poſsit appellare ſupra perſonam, & ſupra naturam, non poteſt ſine aliquo periculo, abſque diſtinctione concedi. At ly *compoſita*, & ly *humana*, abſque diſtinctione vlla, & multò commodius, appellat ſupra humanitatem, & compoſitionem aſſumptam, quam ſupra perſonam.

794 Aſſero 2. tamquam de fide. Vnionem non eſſe factam in natura, ſiue in vnitatem naturæ conuertibilitèr. Iſte enim eſt ſenſus Eutichianus, quem reprobat tota Eccleſia. De quo nos à num. 81. Obijcies Verbum factum eſt caro ſicut in Cana, aqua facta eſt vinum: ergo perijt Verbum, ſicut perijt aqua. Nego antec. quia Verbum eſt factum caro non conuerſiuè ſed contractiuè, quia contractum eſt ad carnem, ſicut homo dum ſit Sacerdos contrahitur ad Sacerdotium, & non deſinit eſſe homo.

795 Obijcies tandem ex Cyrillo noſtro dicente in Chri-

Digitized by Google

180

Chriſto non duas naturas, ſed vnam diuini Verbi incarnatam. Ad hoc reſpondi num.97. Reſpondent Bernal, & alij voluiſſe dicere Cyrillum, in Chriſto non eſſe duas naturas incarnatas, ſed vnam naturam incarnatam, & aliam aſſumptam. Sed fortè alius eſt Cyrilli ſenſus, de quo art. ſeq. n. 801. Vnum pro nunc certùm ſit, hæc verba Cyrilli omninò eſſe contra Eutichem, quia licet permittamus admittere naturæ vnitatem per compoſitionem, secùs per conuerſionem. Si enim natura Verbi eſt incarnata: non ergo erit deſtructa, ſed poſita & perſeuerans in carne.

ARTICVLVS IX.

AN TERMINVS INMEDIATVS VNIONIS SIT perſonalitas, vel natura.

796 Difficultas eſt de termino immediato, & formali vnionis. Cum enim inter perſonalitatem Verbi & Deitatem, detur diſtinctio virtualis maxima, quæri poteſt an ſicut proptèr illam perſonalitas filij inmediatè producitur, & Deitas non producitur, ita etiam perſonalitas ſola inmediatè de facto vniatur, & Deitas inmediatè non vniatur? Recentiores communitèr & inter eos Gonet diſp.8. art.1. docent ſolam perſonalitatem vniri inmediatè, & Deitatem mediatè.

Quòd è contra Deitas inmediatè vniatur docent alij plures. Durandus negans filiationi quod ſit ſubſiſtentia, docuit vnionem factam eſſe ad ſubſiſtentiam abſolutam Deitatis, tamen provt ſub filiatione (ne incarnatus ſit Deus provt communis tribus). Parum diſtant, qui docent naturam eſſe inmediatam rationem terminatiuam vnionis, ſed provt modificatam perſonalitate Verbi, ſicut natura provt modificata Paternitate eſt virtus, ſeu ratio generandi. Nominales tandem & cum eis aliqui Recentiores ſatis ingenioſi docent terminum inmediatum vnionis eſſe adæquatum ſuppoſitum Verbi, tam ſecundùm Deitatem, quàm ſecundùm perſonalitatem; non quidem ſecundùm Deitatem ſub ea ratione ſub qua eſt cõmunis tribus, ſed ſecundùm Deitatem ſe habentem contractiuè ad perſonalitatem Verbi.

797 Prob. 1. ex grauiſsima authoritate aſſerente, naturam Dei fuiſſe incarnatam. Palacius enim ſuper 3. ſententiarum diſt.1. diſp.2. adfert quod in decretis ſynodicis ſub Martino Papa, hæc habentur: *qui dixerit quòd natura Dei non ſit incarnata anathema ſit.* Damaſcenus lib.3. de orthodoxa fide inquit: *naturam Deitatis in vna eius hypoſtaſean incarnatam eſſe.* Idem habet cap. 7. ſic: *quando dicimus naturam Verbi incarnatam eſſe ſecundùm Athanaſium & Cyrillum, Deitatem dicimus eſſe vnitam carni, & vnam naturam Dei Verbi incarnatam confitemur.* Vbi præter ſuam, de Cyrilli & Athanaſij authoritate perhibet teſtimonium. Idem habet Auguſtinus de fide ad Petrum cap.2. *Humanitatem ſibi vnitam ſumma diuinitas gerit.* Videri alij Patres poſſunt apud Vazq. diſp.14. cap.4. Ex quibus arguitur ſic: ſi Deitas non ſit inmediatè, & per ſeipſam vnita, niſi ob idemtitatem cum perſonalitate, falſæ erunt iſtæ locutiones, ſicut falſum eſt quòd natura Diuina ſit genita, licet idemtificetur cum perſonalitate filij: ergo vt ſint veræ, debet natura inmediatè & per ſeipſam eſſe vnita, non mediatè ſolùm.

798 2. Prob. Vniri inmediatè & non vniri inmediatè admitti non debet, quando in ordine ad tale munus in formalitatibus, nulla eſt contradictio. Patet, quia licet admittamus eſſentiam communicari & nõ Paternitatem, non admittimus eſſentiam diuinam videri à Beatis, & Paternitatem nòn; quia quoad videri nulla eſt in ipſis contradictio. Atqui inter eſſentiam & Filiationem quoad vniri inmediatè, nulla eſt contradictio. Poſſunt enim ſaltèm de poſsibili eandem vnionem inmediatè terminare: ergo quòd perſonalitas inmediatè vniatur, & non natura, non debet admitti.

799 3. Prob. Talis vnio quatenùs ſit ad diuinam naturam, nullam dicit repugnantiam nec de poſsibili, nec de facto. Atqui aliàs aptior eſt ad explicandas locutiones Patrum adductas & ſpeciales huius miſterij veritates: ergo admittenda eſt. Maior de poſsibili probatur, quia quod ſubſiſtentia abſoluta ſicut terminat & complet Deitatem, & de abſtracto facit concretum, compleat humanitatem, nulla apparet repugnantia. Dices repugnat vnio duplicis naturę integræ & perfectæ vt conſtabit, quæſt. 18. artic.1. & proptereà D. Leo damnauit errorem Dioſcori, quem ſequuntur Iacobitæ apud Thomam à Ieſu de procuranda ſalute gentium in indice v. *Iacobitæ* docentis in Chriſto vnam naturam ſimùl diuinam & humanam, ex vtraque perſeuerante compoſitam. Contra, quia non eſſet vnio vnius naturæ ad alteram, ſed naturæ ad ſubſiſtentiam alterius. Sicut enim perſonalitas Verbi, vt perſonalitas vnitur humanitati, & non vt filiatio naturalis, ſic natura Diuina vt ſubſiſtentia eſt, & non vt natura eſt. Vndè non reſultat vnio duarum naturarum, ſed vnio naturæ & ſubſiſtentiæ.

800 Secunda pars maioris, quod non dicat repugnantiam defacto, ſiue provt miſterium modò factum eſt. Patet, quia adhuc optimè verificatur, quòd ſolum Verbũ ſit incarnatum, & non aliæ perſonæ. Non enim Deitas vtcumque vnita eſt, ſed provt contracta ad talem perſonalitatem. Vndè vnio non eſt facta inmediatè ad aliquid commune ſiſtendo in illo provt communi, ſed provt contracto & conſtitutivo talis ſuppoſiti. Sic D. Thom. quęſt. 3. art. 2. docet: Deitatem poſſe dici quòd aſſumpſerit actiuè humanitatem, ſecùs Patrem, quia Deitas ita aſſumit illam ad Verbum vt aſſumat in proprio, & in indiſtincto ſuppoſito. At Pater licet producat actiuè aſſumptionem, non tamen aſſumit, quia non ponit eam in proprio ſuppoſito.

Minor præcipui argumenti, probatur: quia ſunt congruentiæ ſequentes: nempè, quia ſic melius intelligitur quomodò humanitas à Deitate reddatur formalitèr ſancta, & reddatur deificata, quomodò apud Thomiſtas exiſtat per exiſtentiam Dei, quomodò homo ſit Deus. Si ergo ex vna parte hoc non repugnat, & ex alia ſaluatur optimè, quòd ſolum Verbum ſit incarnatum, ſecùs Trinitas, ita eſt tenendum.

Vltima ratio, quia in Patre virtus inmediata formalis generatiua non eſt ſola perſonalitas, ſed Deitas, ſicut & in Verbo virtus terminatiua generationis: ergo etiam virtus terminatiua vnionis hypoſtaticæ. Conſeq. prob. quia non minus eſt propria virtus generandi, & virtus naſcendi in filio, & non communis tribus, quam ſit propria Verbi & non communis, virtus terminandi vnionem hypoſtaticam.

801 Sed rationes iſtæ (quidquid ſit de poſsibili) de facto nihil probant. Ad 1. enim reſp. naturam Dei incarnatam eſſe, ideſt phyſicè in carne poſitam & alligatam, (nõ inmediatè & ratione ſui ſed perſonalitatis, cum qua idemtificatur) in vnitatem ſuppoſiti (in quo differt à perſonis, quibus non convenit Incarnatio, ſed ſola circuminſeſsio, quia ſunt ſuppoſita diſtincta à ſuppoſito Verbi.) Quòd hæc ſit mens PP. conſtat ex 5. Syno. generali, act. 5. apud D. Thom. hîc quæſt.2. artic.1. ad 1. exponente authoritatem Cyrilli his verbis: *Si quis vnam naturam incarnatam Verbi dicens, non ſic accipiat ſicut PP. docuerunt, quia ex diuina natura & humana vnio eſt ſecundùm ſubſiſtentiam facta; ſed ex talibus vocibus, naturam vnam ſiue ſubſtantiam diuinitatis & carnis Chriſti, introducere conetur, talis anathema ſit.* Vbi ſenſum PP. Concilium ſatis clarè manifeſtat eſſe, quod *ex diuina natura & humana dicitur vna, quia vnio eſt ſecundùm ſubſiſtentiã facta*: ergo non inmediatè ſecundùm naturam. Idem indicat Damaſc. authoritas in argumento alata. Dicit enim, *naturam Deitatis incarnatam eſſe, in vnam eius hypoſtaſeon*, non ergo inmediatè in ſe. Eodem pacto interpretatur D. Thom. citandus ſtatìm, qui pro nobis eſt clarè, licet ab aduerſarijs pro ſe afferatur.

802 Nec obeſt ob idemtitatem cum perſonalitate Deitatem à PP. non dici genitam: ergo nec dicetur incarnata. Nego conſeq. Tùm quia ad dicendum incarna-

Digitized by Google

tam, vrgebat aliqualitèr hæreſis Neſtoriana dicens, in Chriſto duas fuiſſe perſonas & naturas abſque vnione phyſica. Vt autem PP. ab illo diſcederent, in vnionem & alligationem diuini eſſe ad humanum defendendam, ita efferveſcebant vt in vnitatem ſuppoſiti Deitatem phyſicè humanitati vnitam, incarnatam exagerarēt. Tùm quia ly *genita* eſt prædicatum ex ſe repugnans Deitati, & ideò identitas non ſufficit dare illud; at vniri non repugnat ex ſe naturæ diuinæ, & ſic poteſt talem denominationem accipere à perſonalitate. Tùm quia vniri ſolùm eſt alligari phyſicè; gigni verò eſt diſtingui à Patre; identitas autem conducit ad alligationem cum humanitate, ſecùs ad diſtinctionem cum Patre. Tùm quia incarnari filiationem non eſt incarnari Paternitatem vllo pacto, eo quòd ſeruent ſuas oppoſitiones relatiuas, quæ non dantur inter perſonalitatem & naturam, & ſic poſſunt vniri.

803 Ad 2. reſp. vnionem eſſe ad perſonalitatem incommunicabilitèr ad alias perſonas. Si verò fieret immediatè ad naturam, eſſet communicabilitèr ad alias, quia eſſet in aliquo, quod eſt de ſuppoſito Patris, nempè in Deitate. Iam ergo adeſt ſufficiens contradictio quoad munera, quia videlicet in vniri ſingularitèr Verbum, & non vniri ſingularitèr datur contradictio. Ad 3. nego non repugnare de facto, quia vnio provt de facto eſt, tantùm eſt ad Verbū ſecundùm quod habet de proprio, non ſecùndùm quòd habet de communi: non ergo ſecundùm naturam immediatè, quæ etiam poſt contractionem adhuc manet communis, cum non perdiderit ſuum ſpeciale prædicatum. Ad 4. eſt diſparitas, de qua in probatione noſtræ concluſionis, nu. 810.

Obijcies illud vnitur formalitèr mediatè quod vnitur mediante alio; atqui perſonalitas non eſt formalitèr aliud à natura: ergo non vnitur mediatè. Diſting. mai. mediante alio formalitèr diſtincto, nego; virtualitèr diſtincto, concedo mai. & min. & nego conſeq. quia diſtinctio virtualis, non facit quòd natura non ſit perſonalitas formalitèr, ſed quòd formalitèr careat munere & denominatione illius, ac per conſeq. quod vnita perſonalitate formalitèr immediatè, Deitas quæ formalitèr à parte rei eſt perſonalitas, non maneat formalitèr vnita immediatè, ſed mediante virtualitèr perſonalitate. Vide me de Trinitate, quæſt. de diſtinctione virtuali.

ARTICVLVS X.

VERÁ SENTENTIA. VBI OBITER de existentia humanitatis.

804 Aſſero cum cōmuni, quod vnio immediatè ſolùm eſt ad perſonalitatē formalitèr, licet ſit radicalitèr ad Deitatem. Prob. 1. ex Concil. Toletano 6. & 11. dicente: *Solus filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitate perſona, non in vnitate naturæ diuinæ; in id, quod eſt propriū filij; non in id, quod eſt commune toti Trinitati.* Vbi diſtinguit perſonalitatem à natura, & proprium à communi in ratione aſſumendi.

805 Nec dicas, dum ſit ad naturam vt contractam, non fieri in id, quod eſt commune, ſed in id, quod eſt propriū. Contra, quia natura vt contracta dicit duo cōſtituentia ſimul vnum, in quo filius aſſimilatur alijs; aliud in quo differt, hoc eſt ſola perſonalitas; illud natura in qua convenit cum alijs. Concilium poſtquam dixit quod *ſolus filius ſuſcepit humanitatem ad perſonam*, per ly *ſolum* excluſit alias perſonas. Sciens ergo in filio ſolo, adhuc eſſe aliquid in quo convenit cum alijs, & aliud propriū ipſi; facta diſtinctione inter *proprium* & *commune* aſſignauit in ipſo filio contractō *proprium*, & excluſit *commune*: ergo Deitatem in filio, etiam in ſtatu contractionis excluſit.

806 2. Prob. ex D. Thom. 3. part. quæſt. 3. art. 2. Vbi agendo de principio actiuo aſſumente ait, quod Deitas actiuè aſſumit, ſecùs Pater; quia licet etiā influat in vnionem, ſed non vnit ad proprium ſuppoſitum, ſecùs natura. Arguo ſic: ergo natura non vnitur immediatè. Prob. conſeq. quia cum natura influens æquè ſit conſtitutivum eſſentiale partiale Patris ac filij, ſi ipſa ad ſeipſam immediatè humanitatem aſſumeret, Pater etiam ad ſeipſum aſſumeret, eum aſſumeret ad naturam indiſtinctam realitèr à ſuo ſuppoſito.

807 3. Prob. ratione: quia ſi vnio eſſet immediatè etiam ad commune, Deus vt talis, ac per conſequens tota Trinitas eſſet incarnata; ſicut tota eſt producens ad extrà, eo quòd producat ſecundùm Omnipotentiam, vt rationem communem tribus perſonis. Quòd enim convenit perſonæ vni ratione perfectionis communis tribus, conuenit rigoroſè tribus. Verificatur enim quòd Tres operantur formalitèr, & immediatè per aliquid cōſtitutivum ſui: ergo ſi ratio immediata & formalis terminandi vnionem eſt natura communis tribus, verificabitur, quòd Tres in aliquo conſtitutivo ſui formalitèr & immediatè illam terminant, ac per conſequens immediatè vniuntur, cum aliàs hæc dominatio illis non repugnet. Si enim homo immediatè recipit ſenſationem, quia recipit in aliquo ſui, nempè in carne, & ſimilitèr albedinem; Item ſi brachium immediatè vnitur corpori, quia vnitur in aliquo ſui, multò meliùs Pater ad humanitatem, quia vnitur in Deitate, quæ eſt principalius conſtitutivum ſui.

808 Dices: vnita Deitate manſurum fore vnitum Patrem, ſi aliàs vnio non determinaret ſpecialem perſonalitatem nempè Verbi; quia tamén determinat, non vnit Deitatem vt communem, ſed vt contractam. Sed contra. Tùm quia hæc ſolutio impugnata eſt in reſponſione ad Toletanum. Tùm quia, quòd vnio ſit ad Deitatem vt contractam, ſiue ad Deitatem & perſonalitatem ſimùl, non tollit à Deitate, nec deſtruit in ea talis contractio, prædicatum imbibitum communicabilis. Adhuc enim vt eſt in ſtatu contractionis ad filium, nō limitatur ad filium, ſed adhuc tunc manet aliquid Patris & conſtitutivum ipſius: ergo vnio quæ ſit in illa, ſit in aliquo communi tribus, & in aliquo Patris & in Patre. Quòd enim vnio ſimùl ſiat ad perſonalitatem Verbi, facit quidem ad perſonalitatem nouam determinationem, ſed non facit limitationem.

809 Tùm denique, quia Toletanum 6. hæc habet verba: *nam ſi naturam hominis Deique, alteram in alteram confundi deſſet, tota Trinitas Corpus aſſumſiſſet, quoniam conſtat naturam Trinitatis eſſe vnam, non tamen perſonam.* Vbi nota valde quòd vt tota Trinitas eſſet incarnata, nihil ampliùs requirit, niſi quòd natura hominis & diuina in vnam confundantur: eo ipſo enim verificabitur, quod tres perſonæ corpus aſſumpſiſſent. Ratio autem eſſet, quoniam licet perſona eſſet diſtincta, natura tamen immediatè vnionem terminans, eſt vna: ergo eo præciſè, quod vnio ſit immediatè & formalitèr ad naturam, omni alio ſublato, incarnata erit Trinitas.

810 Ad hæc antiqui aliqui Thomiſtæ tenent vnionē terminatam eſſe immediatè ad naturam, non ſecundùm ſe, ſed vt modificatam perſonalitate Verbi, ad eum modum quo in Patre virtus generatiua eſt ipſa Deitas provt modificata Paternitate. Ponunt autem duas vniones, vnam ad perſonalitatem, vt humanitas ſubſiſtat per ſubſiſtentiam Verbi; aliam verò ad Deitatem, vt humanitas carens apud ipſos exiſtentia propria, exiſtat per exiſtentiam Deitatis, quia in diuinis ſola natura propriam habet exiſtentiam.

Sed hæc doctrina impugnata manet ex dictis. Si enim vnio immediatè & formalitèr afficiat Deitatem propter exiſtentiam, ſicut perſonalitas eſt incarnata vt reddat humanitatem ſubſiſtentem, ita & Deitas vt reddat exiſtentem. Item, quia ſi aliqua vnio vera phyſica eſt immediatè ad naturam, etiam vt perſonalitate modificatam: ergo Verbum non ſolùm eſt incarnatum, nec vnio eſt facta immediatè in id, quod eſt ſolum *proprium filij*, ſed etiam in id, quod eſt *commune toti Trinitati*. Contra inſuper, quia vnio facta eſt ad Verbum, vt humanitas per Verbum compleatur & perſone-

Digitized by Google

ſoɴetur. Sola autem perſonalitas eſt formalis ratio per-
ſonandi, non Deitas. In quo apparet longa diſparitas in-
ter virtutem terminandi vnionem, & virtutem generan-
di in Patre; quia hæc virtus vt talis non eſt præciſsè
perſonatiua, ſed principalius eſt aſsimilatiua, & vt fi-
lius euadat ſimilis in natura: quo pacto imbibere debet
naturam ſimilem, tamquam virtutem ſe communican-
di, ſibique filium aſsimilandi. Item, quia generare
eſt agere. Relatio autem ex ſe non eſt operatiua. Adde,
quod ſi valeret paritas virtutis generatiuæ ad termina-
tiuam vnionis, perſonalitas Verbi non fuiſſet immedia-
tè vnita, ſed eſſet pura conditio vt natura vniretur; ſi-
cut apud vos Paternitas eſt pura conditio, vt Deitas in
Patre modificetur, ſitque virtus generatiua.

811 Dixi, aliquos Thomiſtas, ita reſpondere. Etenim
alij, vt Pater Gonet, diſp. 8. art. 1. & 2. vt humanitas exi-
ſtat per exiſtentiam Deitatis, contenti ſunt vnione
mediata ad Deitatem. Eo enim ipſo ſufficientèr accipiet
ab illa vltimā actualitatem. Vndè prius vnitur perſonali-
tati, & mediatè & quaſi vltimo naturæ, quia licet in
genere entis ſit prius exiſtere, in ratione tamen termi-
nandi prius eſt ſubſiſtere & vltimum exiſtere, quia exi-
ſtentia eſt actualitas vltima. Nos qui humanitati pro-
priam exiſtentiam concedimus cum Suar. & Recentiori-
bus, eo quod per ſeipſam terminet productionem &
ſiat extrà cauſas, habeatque vltimam actualitatem eſſen-
tialem in linea naturæ, non cogimur ex hoc capite ad
ponendam vnionem immediatam ad Deitatem, nec ad
defendendum, pro hoc munere ſufficere mediatam.

812 Nec momenti ſunt quæ obijci poſſunt contra
propriam exiſtentiam humanitatis (præter illa, quæ
obijci ſolent & ſolui in Metaph.) Nec enim obſunt PP.
ſi aliquando dicunt humanitatem non exiſtere per ſe
ſed per Verbum; loquuntur enim de illa, non in linea eſ-
ſentiali naturæ integræ, ſed de illa prout exiſtente ſub
complemento, ſiue prout perſonata, & vt habente per-
ſeitatem completam. Nec item obeſt 2. q. vt humanitas
nō habeat ex ſe vltimam actualitatem cum ordinetur ad
vlteriorem actuationem per complementum; atqui exi-
ſtentia rei eſt vltima actualitas illius per quam vltimo
ponitur extrà omnes ſuas cauſas; quod non habet huma-
nitas vſque dum eſt ſub Verbo. Reſp. enim, exiſtentiam
eſſe actualitatem vltimam, non omnimodè vltimam, ſed
vltimam in illa linea: Humanitas ergo ante Verbum in
linea eſſentiali naturæ perfectæ, iam habebat vltimam
actualitatem, licet acceptura aliam eſſet vlteriorem in
linea perſonali. Sed ijs relictis.

813 4. Prob. cōcluſio Principalis, quia vnio facta eſt in
perſona, nō in natura. Et propterea perſona eſt vna, natu-
ræ verò non ſunt factæ vna: ergo in natura non datur vni-
tas: ergo quia vnio quæ de ſe habet de multis facere
vnum, non fuit ad naturam diuinam, ſed ad perſonalita-
tem Verbi. Si enim ad ſubſiſtentiam naturæ propriam
eſſet vnio, non tantùm in perſona eſſet vnio, ſed in ali-
quo alio naturæ ſpecialiſsimo eſſet vnio & vnitas: quod
de facto non ita eſt.

814 Obijcies: ſicut anima rationalis & caro vnus
eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus: ergo ſi-
cut in homine vniuntur immediatè duæ naturæ imper-
fectæ, ita in Chriſto duæ perfectæ. Nego conſeq. quia
ſimilitudo non ſtat in omnibus, ſed in eo quod vniantur
ſaltèm mediatè phyſicè; tamen ad faciendum; non vnam
naturam ſicut in homine, ſed vnum ſuppoſitum ſicut in
illo; ideò dicit *vnus eſt Chriſtus*.

815 In fine nota naturam actiuè aſſumere, ſecùs Pa-
trem, quia illa ad ſe & ad ſuppoſitum identificatum ſe-
cùm, aſſumit: ſecùs Pater. Nota 2. naturam eſſe rationem
radicalem & mediatam terminandi vnionem: perſonali-
tas enim ideò eſt eminentèr, completiua immediatè, quia
cum natura identificatur.

ARTICVLVS XI.

ALIA QVÆSITA, VBI DE CONCRETIS.

816 QVæritur 1. An Pater, & Spiritus S. ſint ſpe-
cialitèr in Chriſto? Non eſſe talitèr vt Ca-
tholicè dici poſsint incarnati, certùm eſt. Affirmo eſſe
ſpecialitèr in Chriſto vltra eſſe per immenſitatem, eſſen-
tiam præſentiā & potentiam nempè per circuminſeſsio-
nem & phyſicam concomitantiam. Data enim identi-
tate in natura, neceſſe eſt vt ibi vna perſona eſt, phyſicè
concomitentur aliæ.

817 Quæritur 2. An perſonalitas Verbi ſuppleat
vices ſubſiſtentiæ propriæ, reddendo humanitatem ſub-
ſiſtentem? Ratio dubitandi eſt, quia ſubſiſtere eſt in ſe,
ſiue in proprijs ſiſtere. Humanitas autē per Verbum ſiſtit
in alieno ſuppoſito, & non in ſe. Modernis difficultas hæc
viſa eſt grauis, quā triginta ab hinc annis in Metaph. te-
tigi. Vbi dicebam cum aliquibus Recent. Verbum redde-
re formalitèr eam completā, ſuppoſitum & perſonam, ſed
non formalitèr ſubſiſtentem, niſi ſolùm æquiualentèr &
virtualitèr. Ratio eſt, quia ad 1. ſolum requiritur vt hu-
manitas fiat homo vltimô terminatus & completus, ſi-
ue concretum: at ſubſiſtere ſonat ſiſtere in proprijs, & in-
dependentèr à ſuppoſito alieno; potius autem per vnio-
nem fit humanitas dependens à ſuppoſito alieno.

818 Dicitur autem virtualitèr ſubſiſtens & in pro-
prijs. Tùm quia ſuppoſitum diuinum continet eminen-
tèr proprium. Tùm quia ſubſiſtentia ad hoc eſt, vt per-
ficiat & compleat ſubſtantialitèr naturam faciendo ſup-
poſitum. Hoc autem iam præſtat Verbum. Qui igitur
ſubſiſtentiam definierit per conceptum perfectionis ſub-
ſtantialis conſtituentis & facientis ſuppoſitum, non re-
quirendo vt ſiſtat in proprijs, benè dicet reddi ſubſiſten-
tem etiam formalitèr; ſecùs qui per independentiam à
ſuppoſito alieno.

819 Obijcies: Perſonalitas creata non continetur
eminentèr in diuina. Tùm quia apud Thomiſtas hæc
non dicit perfectionem. Tùm quia continentia eminen-
tialis propria ſola eſt Omnipotētia vtpotè productiua:
ergo humanitas in Verbo nō ſubſiſtit virtualitèr in pro-
prijs. Nego mai. de eminentia purè terminatiua & com-
pletiua, nam quidquid eſt de perfectione complendi (li-
cet non perfectio operandi) continetur in perſonalitate
increata.

820 Quæritur 3. quomodò Deus ſit phyſicè ho-
mo? Ratio dubitandi eſt, quia Deitas & humanitas,
quæ ſunt forma in recto Dei & hominis, non poſſunt
identificari: prædicatio autem per *eſt* denotat identi-
tatem ſubiecti & prædicati ſecundùm rectum. Reſp. 1. nō
verificari ſolùm per idiomatum communicationem, ſi
iſta ſit de mediatis, vt v. g. *quod Verbum ſit paſſum* non
verificatur per vnionem ad paſsionem, ſed ad humani-
tatem patientem. Debet ergo verificari propoſitio iſta
per phyſicam & immediatam vnionem & communicatio-
nem humanitatis ad Verbum. Reſp. 2. verificari, quia
nempè homo ſumitur *adiectiuè*, ſiue per modum concre-
ti adiectiui pro ſuppoſito humanato, non verò ſubſtanti-
uè, pro humanitate.

821 Pro cuius intelligentia, nota 1. duplex con-
cretum, nempè adiectiuum, vt *album*, & ſubſtantiuum,
vt *homo*, & vt *Perſona*. Adiectiuū dicit in recto ſubiectū, &
in obliquo formam, & multiplicatur ad multiplicatio-
nem ſubiecti. Vnus enim homo habens multas artes, di-
citur vnus Artifex. Plura extrema habentia vnam vnio-
nem dicuntur plura vnita. Iſtud in recto vtrumque. Ete-
nim Deus non dicit perſonalitates in recto & naturam
in obliquo, nam eſſent tres Dij; neque naturam in re-
cto; & perſonalitatem in obliquo, nam eſſet falſa hæc
propoſitio: *homo eſt perſona*. Senſus enim eſſet: *humani-
tas habens perſonalitatem, eſt perſonalitas afficiens humanita-
tem*. Subſtantiuum ergo dicit in recto vtrumque, ſiue
com-

Digitized by Google

compoſitum ex natura & perſonalitate , de quo optimè P.Bernal de Incarnat. diſp.45.

822 Noto 2. Subſtantivum importare formalius vnam partem, quam aliam , nempè homo formalius humanitatem , quam ſubſiſtentiam ; & perſona formalius iſtam , quàm iſtam. Vndè multiplicari ſolet ſubſtantivum iuxtà multiplicationem formæ formalioris. Propterea in Deo datur vnus Deus tantùm & tres Perſonæ, quia Deitas eſt vna, & perſonalitates plures.

823 Noto vltimo, ſubſtantivum etiam poſſe aliquando ſumi adiectiuè, quando nempè vna pars aduenit alteri contingentèr , vt cernitur in adiectiuis concretis. Licet enim Deus & homo ſint ex ſua inſtitutione concreta ſuſtantiua & quaſi eſſentialia , tamen poſt Miſterium Incarnationis, ſicut cæpit homo contingenter prædicari de ſuppoſito nempè Verbo (cum antea ſolùm prædicaretur per ſe de ſuppoſito ſic : Petrus eſt homo) ly *homo* cæpit ſumi cõtingentèr, etiã ex tũc & adiectiuè de aliquo ſuo ſuppoſito. Nec dicas quòd prædicaretur homo impropriè de Verbo. Nego enim conſeq. quia ſicut verè & propriè eſt genitũ, quod per ſuam entitatẽ eſt genitum, v.g. Verbum, & etiã quòd per productionem diſtinctam, imò ſupernam atque contingentem eſt genitum, vt Baptiſta, & ſicut *creatum* poteſt ſumi eſſentialiter , dum ſumitur terminatiuè & contingentèr, dum adiectiuè in accidentibus Euchariſtiæ , ita ſimilitèr ly *homo* aliquando ſumetur ſuſtantiuè aliquando adiectiuè. Maneat ergo ly *homo* hodie dupliciter , accipi poſſe iuxtà modum quo conuenit ſubiectis; & ſubſtantiuè & adiectiuè. Hoc igitur pacto verificatur , quod Verbum ſit homo phyſicè & immediatè, ſe tamen habet adiectiuè, quia humanitas contingentèr aduenit ſuppoſito Verbi. Vndè ſenſus eſt: *Verbum eſt homo* , ideſt : *ſuppoſitum habens humanitatem contingentèr ſibi vnitam phyſicè & immediatè*.

Alij alium ſenſum tribuunt huic propoſitioni : *homo eſt Deus. Deus eſt homo.* Etenim inquiunt quòd *Deus* ſignificat in recto conſtitutum ex perſonalitate & Deitate. Nomen *Homo* ſignificat conſtitutum ex perſonalitate & humanitate : cum ergo in Chriſto ſit conſtitutum ex perſonalitate & Deitate (nempè Verbum) quòd ſimùl eſt conſtitutum ex perſonalitate & humanitate , indè ſit quòd homo prædicetur de Deo , & Deus de homine, quia conſtitutum vtrumq; eſt idem. Ita P. Coninck diſp. 18. Sed non explicat ſatis : tùm quia conſtitutum, vel dicit vtramque partem in recto, vel vnam in recto & aliam in obliquo. Si vtramque in recto non eſt idem conſtitutum , ſed diuerſum. Etenim perſonalitas & humanitas vnitæ , non ſunt perſonalitas & Deitas vnitæ, cum ſint complexa ſeparabilia, & vnum æternum , aliud temporale & defectibile. Si dicat vnam partem in recto & aliam in obliquo, adhuc conſtitutum eſt diuerſum, quia ſupponit pro vtroque. Sola ergo conſtituti pars in recto importata , eſt eadem, & hoc pacto explicatione eget & fortè accedit ad explicationem noſtram de concreto adiectiuo. Senſus enim videtur eſſe : Suppoſitum quòd eſt homo eſt ſuppoſitum quòd eſt Deus, Deus per identitatem, & homo per humanitatem importatam in obliquo, ſibique phyſicè vnitam , & ratione vnitatis ſuppoſiti benè poteſt verificari vtrumque. De ijs alia quæſtione 18. interim videndus P. Bernal diſp. 45. præcipuè à num. 12.

ARTICVLVS VLT.

DE IDIOMATVM COMMVNICATIONE.

824 EXplicata vnionis hypoſtaticæ natura, eiuſq; termino immediato & mediato ex parte Verbi, reſtat explicare, quæ prædicata vnius naturæ, alteri communicentur. (Quin propterea naturæ ipſę confundantur , ſed potius quælibet ſuas ſibi reſeruet proprietates) quænam nõn. Et hæc vocatur idiomatum communicatio. Idioma enim idem eſt ac loquela propria cuiuſlibet naturæ , ſiue proprietates & denominationes. Vide Bernal.

825 Quæ ſunt vnius naturæ propria, poſſe alteri communicari, de illaque verè dici, certum eſt contra hæreticos negantes , nudaſque voces ſolum concedentes. Etenim duplex eſt proprium ſiue idioma , vnum eſſentiale, aliud extrà eſſentiale. Facta igitur vnione hypoſtatica, prædicata propria & eſſentialia vnius naturæ prædicantur de Perſona ſubſiſtenti in alia, nempè quòd filius Dei ſit homo. De alijs idiomatibus extrà eſſentialibus, quæ idiomata vocantur anthonomaſticè hic, ſtatim.

826 Nota tamen hanc idiomatum communicationem non poſſe fieri de natura ad naturam, ſed ad ſuppoſitum. Licet enim certũ ſit, quod filius Dei mortuus eſt, hæreticum tamen eſſet dicere quòd Deitas mortua eſt. De quo optimè Belar. to.1. lib.3. c.10. Vndè falſæ ſunt, ſi fiãt per nomina in abſtracto, vt humanitas eſt omnipotens.

827 Eſſet enim naturas confundere, ſi quod proprium eſt vnius alteri tribueretur. Significaret enim quod Deitas in ſe & in propria natura mortua eſt. Itẽ ſi fiat in cõcreto reduplicatiuè ; vt hic homo quatenùs homo eſt Deus, vel omnipotens: quia eſſet facere communicationẽ inter naturas. Vndè quædam ſunt locutiones quæ verificantur phyſicè formalitèr & immediatè, vt, v.g. quod homo ſit Deus & Deus homo , & hęc ſunt idiomata eſſentialia. Aliæ ſunt quę ad hominem & Deum ſe habent extrà eſſentialitèr ſaltèm metaphyſicè, imò & plura, purè contingentèr; & de ijs poterat eſſe dubium . Verificato idiomatè eſſentiali vnius de alio , ad eſſentiale ſequitur extrà eſſentiale, ſicq; quod etiam iſtud verificetur. Sic ſi homo eſt Deus, iſteque eſt creator & omnipotens, benè dicimus : hic homo eſt creator: quod intellige in alia natura. Sicut dicimus de Deo , quod eſt mortuus in humanitate, quæ eſt aliena natura.

828 Obijcies: ergo verum erit dicere quòd hic homo eſt æternus & immenſus , ſiue quòd eſt vbique , & etiam quòd Verbum diuinum eſt creatura. Patet , quia Verbum eſt verè homo , atqui homo habet imbibitum conceptum creaturæ, ergo Verbum diuinum eſt creatura.

829 Reſpondetur tamen primò , aduertendo quòd aliud eſt dicere quod humanitas eſt æterna, immenſa & vbique , & hic eſt error tenacitèr ab Vbiquiſtis defenſus. Sonat enim naturæ ipſi humanitatis conuenire , quod ipſa in ſe ponatur præſentialitèr vbique ; aliud eſt quod hic homo ſit immenſus , & vbique. In rigore iſta propoſitio vera eſt proptèr idiomatum communicationem, quæ homini in concreto conuenire valet, ſecùs humanitati : ſolùm enim ſonat quòd hic homo ſit vbique non in natura humana , ſed in diuina. Similitèr dic de hac propoſitione: *Verbum eſt creatura, Verbum incepit eſſe* vtique in aliena natura.

830 Nihilominùs iſtæ & ſimiles propoſitiones non ſunt admittendæ nec proferendæ abſolutè , ſed cum addito expreſſo; ratione periculi procedentis à phraſi Arrianorum dicẽtium Verbum eſſe creaturam & incepiſsè eſſe, & à phraſi Vbiquiſtarum dicentium hunc hominem eſſe vbique etiam vt hominem, intelligentes naturam humanam eſſe vbique. De ijs latius P. Bernal de Incarnatione v. communicatio.

831 Obicijes 2. Ergo hæc propoſitio eſt vera *Verbum eſt anima rationalis, & Verbum eſt corpus phyſicè ſumptum,* probatur conſequentia. Primò, quia ſunt de conſtitutiuo idiomatis eſſentialis. Si dicas partem non poſſe prædicari de ſuppoſito, v.g. brachium de homine, anima autem eſt pars. Contra , quia non minus eſt pars hominis humanitas , quam anima rationalis, & tamen illa prædicatur in concreto: ergo & anima, & idem de corpore. Secundò , quia Deus iacuit ſepultus. Si autem Deus non eſſet corpus, nec eſſet ſepultus. Etenim non dicitur de ſuppoſito idioma extrà eſſentiale, niſi ratione eſſentialis; dixi in argumento *corpus phyſicè ſumptum* , nam prædicamentalitèr ſumptum benè poteſt de Deo prædicari , quia eſt ſubſtantia completa.

832 Ad argumentum reſpondent aliqui, has locutiones eſſe falſas , quia anima rationalis non eſt ſuppoſitum vtpotè natura partialis & incompleta ; hæc autem locu-

cu-

Digitized by Google

entiones ſolum verificantur ob identitatem ſuppoſiti in ſubiecto & prædicato. Idem de corpore phyſicè ſumpto. Quod ſi Deus dicitur ſepultus non intelligitur per communicationem abſolutam idiomatum in vno ſuppoſito, ſed per communicationem factam per ſynecdochem. Dicitur enim Chriſtus ſepultus ratione ſolius corporis, ſumpta parte pro toto.

Non placet reſponſio, quia per eandem perſonalitatem per quam ſubſiſtit Verbum ſubſiſtit anima rationalis contingentèr phyſicè vnita Verbo, ac per conſequens, quę poſsit ſumi adiectiuè. Quo ſenſu introducto, verum erit quod Verbū ſubſiſtens in Deitate ſubſiſtat etiā in anima rationali, & ſit habens illam ſibi vnitam & copulatam; & ſicut ab humanitate vt forma Logica dicitur humanatum; ita ab anima logicè per idiomata, animatum; contra Gonet diſp. 9. art. 3. §. 1. & cōmunem. Item Verbum poteſt eſſe hoc ſubſiſtens in anima beata: ergo & denominari per illam Beatum: ergo ſaltìm cum hoc addito & explicationē, poteſt eſſe vera talis propoſitio in ſenſu adiectiuo & contingenti: qui, quia non habet locum in nobis, ideò de nobis, nec anima nec corpus prædicabitur. Solùm ergo relegatur illa propoſitio: *Deus eſt Anima*, quia inuſitatus ſenſus adiectivus eius, nam communitèr anima ſumitur ſubſtantiuè.

833 Obijcies tandē: hæc prædicatio *Deitas eſt homo*: eſt falſa; ergo & hæc, *Deus eſt Anima*. Ant. prob. quia nec eſt vera in ſenſu formali: non enim Deitas eſt ratio eſſendi homo, ſicut nec iuſtitia eſt ratio miſerendi; & ideò hæc etiā eſt falſa; *iuſtitia miſeretur*. Nec eſt vera in ſenſu reali, quia abſtractum vnius naturæ nequit prædicari de concreto alterius, ſic: *humanitas eſt Deus*. Reſp. tamen has propoſitiones eſſe inuſitatas & ideò explicatione egere. Tamē introducto ſemel ſenſu adiectiuo, in quo ſuppoſitalitas ſit rectum, & humanitas obliquum, hęc propoſitio habet hunc ſenſum. *Deitas eſt perſonalitas vnita humanitati*, quæ identice vera eſt: falſa autem ſi *homo* ſumatur in ſenſu ſubſtantiuo, vt communitèr ſolet ſumi *homo* pro natura humana in recto.

ADDITIO PRO DICTIS ARTICVLO 9 ET 10.

834 POſt quæſt. 16. Typis mandatam, hæc contra num. 803. & num. 805. occurrit difficultas, non quidem noua, nouitèr tamen me præmens. Virtus generatiua ſita in Deitate, vt modificata Paternitate, etiam ſi coaleſcat ex communi & proprio, adhuc eſt propria ſolius Patris, quoad ſe & quoad ſuum exercitium: ergo idem erit de virtute inmediata terminatiua vnionis, quæ etiam ſi coaleſcat ex communi & proprio, erit ſolius Filij & non Trinitatis, quoad exercitium terminandi vnionem. Conſequentia prob. quia vtròbique Deitas eſt virtus, vt modificata à perſonalitate. Vndè bona erat ſolutio numeri 808. infirmumque argumentum noſtrum numeri 807.

835 Reſpondetur 1. Concedo totum, attenta natura rerum & ratione ſecundùm ſe. Secùs addita ponderatione Toletani, quod poſtquam dixit, ſolius filij fuiſſe vniri (ſicut ſolius Patris eſt gignere) addidit excluſionem illam dicens, quod Filius vnitus fuit *ſecundùm proprium, non ſecundùm commune*: ergo non ſecundùm Deitatem, quæ adhuc vt contracta, rationem *communis* non amiſit. Nulla tamē authoritas à virtute generandi, Deitatem, vel commune, poſitiuè excluſit: imò includenda neceſſario eſt, vtpotè ad quam pertineat ſpecialitèr communicatio, eſſentialitèr in generatione requiſita.

836 Reſpondetur 2. Conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, eiuſque probationem. Diſparitas eſt, quia in virtute generandi, Paternitas ad Deitatem ſe habet limitatiuè. Vndè non tribuitur Deitati ſecundùm ſe, ac per conſequens nec Trinitati quòd abſolutè generet, nec quòd abſolutè ſit virtus generatiua, niſi prout modificata Paternitate; at perſonalitas ad Deitatem in terminādo ſe habet ſolū contractiuè apud vos, ita vt homogenee verificetur, quod Deitas ſicut perſonalitas, eſt incarnata, & quod eſt vnita; talitèr quòd apud vos, ablata perſonalitate, adhuc ipſa maneret per ſe & inmediatè vnita; ex quo benè arguitur à Toletano, & à D. Thoma, quod tota Trinitas maneret vnita in vna quaſi parte trium ſuppoſitorum, ſi Deitas per ſe eſſet vnita inmediatè: quia independentèr etiam à perſonalitate & ratione ſui, eſſet vnita. Item Verbo Deitas ſub ratione Deitatis non eſt generatiua; at ſub ratione Deitatis eſt vnibilis, ac per conſequens, cum vt communis toti Trinitati ſit vnibilis, tota Trinitas eſſet vnita.

QVÆSTIO XVII.

DE EXTREMO ASSVMPTO.

ARTICVLVS I.

DE NATVRA ASSVMPTA.

837 QVæritur 1. Quas partes eſſentiales aſſumpſerit Verbum? Reſpondeo aſſumpſiſſe corpus & animam; non tamē aſſumpſit ſubſiſtentiam, ſed humanitatem. Eſt de fide apud DD. aliàs ſicut eſſet in Chriſto duplex ſubſiſtentia, ita duplex perſona. Nec obeſt 1. quod aliquando, vnus vel alter Pater imò & Toletanum 1. dicat aſſumpſiſſe hominem. Atanaſius etiam dicit *ſicut anima & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus*. Et Eccleſia ait: *Tu ad liberandū ſuſcepturus hominem, &c.* Reſp. Eſſe locutionem impropriam & per ſynecdochem intelligitur de formaliori, nēpè humanitate aſſumpta ad faciendum hominem. Cur autē ea phraſi vſi ſunt? Lugo ait, quia antiquitus non erat introducta nec ſaltìm communitèr recepta, vna vox pro abſtracto, nempè *humanitas* (licet raro in aliquibus reperiretur) & alia pro concreto, nempè *homo*. Sicut nec modò eſt in vſu frequenti, *corpus* & *corporeitas* (quæ ſola ponitur ex vi Verborum in Euchar.) *ſanguis* & *ſanguinitas*, *aqua* & *aquitas*.

838 Nec obeſt 2. Aſſumpſiſſe corpus; atqui corpus dicit corporeitatem & ſubſiſtentiam: ergo aſſumpſit ſubſiſtentiam. Minor patet, quia corpus non eſt abſtractum ſed concretum. Reſp. negando min. de corpore ſumpto more humano pro materia organica ſumpta pro natura; in hoc enim ſenſu approbato à Patribus & Theologis, nō eſt cōcretum ſed abſtractū. Vel dicitur aſſumpſiſſe corpus ſumendo illud pro formaliori corporis, nempè materia & non pro complemento.

Aſſumpſit inſuper Verbum omnes partes organicas, quas informat anima rationalis & complet humana ſubſiſtentia in alijs hominibus. Probatur, quia omnes illæ ſunt de perfectione ſubſtantiali, vel integrali humanitatis.

839 Quæritur 2. An aſſumpſerit vnionem humanam? Negant aliqui, quos ſequitur Boneſpei diſp. 8. nu. 46. Probant, quia illa aſſumuntur à Verbo inmediatè, quæ in puro homine complentur per ſubſiſtentiam; atqui vnio non eſt ex his, ergo non eſt aſſumpta. Mai. prob. quia non requiritur vt humanitas magis ſubſiſtat in Verbo, quam in ſe. Minor etiam prob. quia ſubſiſtentia eſt terminus naturæ; atqui vnio non eſt natura, nempè principium motus & quietis: ergo non competit illi ſubſiſtere. Reſpondetur negando mai. in ſententia dicente vnionem compleri ſed non ſubſiſtere: quia vt aliquid aſſumatur à Verbo, licet non ſubſiſtat per Verbum, ſufficit ſi cōpleatur vt poſsit aſſumi à Verbo complente.

840 Teneo ergo contrarium cum communi. Prob. quia Scriptura, Concilia & PP. abſolutè docent aſſumpſiſſe omnem perfectionem ſubſtantialem humanitatis; vnio autem talis, eſt de conſtitutiuo. Conf. nam ſi ſolùm mediatè aſſumpſiſſet æquè aſſumpſiſſet accidentiā, quod eſt incredibile. Inſuper: Verbum per communicationem idiomatum eſt genitum à Virgine: ergo, quia inmediatè aſſumpſit vnionem, & mediatè propter illam genitam, denominationem geniti. 2. quia ſi aliqua eſſet ratio, maximè, quia vnio non eſt ſubſiſtens, cum pendeat à ſu-

Digitized by Google

à ſubiecto; atqui hoc non tollit, quo minus compleatur per ſubſiſtentiam, fiatque formalitèr independens ab alieno ſuppoſito, etiam ſi non ſortiatur ipſa in ſe, denominationem ſubſiſtentis, ideſt in ſeipſa ſiſtentis, quia ad hanc denominationem requiritur vtraque independentia, nempè à ſubiecto & à ſuppoſito. Potuit ergo compleri per Verbum, pro independentia à ſuppoſito.

Quare dicendum eſt, materiā animam & vnionem formaliter cōpleri; licet non quęlibet ſeorsùm ſortiatur denominationem ſubſiſtentis, provt eam ſortitur totum, ſicut humanitas. Vndè ad *id*, quod in fine primi argumenti obijciebatur, reſtat reſpondere: nempè, ſubſiſtentiam eſſe terminum naturæ; vnionem autem non eſſe naturam, & ſic non terminari per Verbum. Reſpondetur enim, ſtrictè ſubſiſtentiam eſſe terminum & complementum ſubſtantiæ, licet regularitêr dicatur eſſe terminus naturæ. Alitêr dicimus eſſe terminum naturę ſumptæ vt *quod*, vel vt *quo*. Vnio autem non eſt natura vt *quod* incompleta vel completa; eſt tamen vt *quo* intrinſecè, reſpectu naturæ completæ.

841 Infero 1. accidentia nempé ſitim, famem, &c. de facto ſolùm mediatè vniri Verbo, quia nō eſt ad quid inmediatè aſſumpta ſint, quia nec ſunt de conſtiturivo humanitatis, nec complebilia per ſubſiſtentiam. Hæc enim eſt ſubſtantia; accidentia autem non habent complementum ſubſtantiale. Confirmatur: ſubſtantia, non completur complemento accidentali: ergo nec accidens complemento ſubſtantiali. Videtur enim quòd complementum & res complenda debeant proportionari, & de facto Philoſophi docent compleri accidens per inhærentiam ad ſubſtantiam, non per ipſam ſubſtantiam. Ob hanc cauſam, ſubſtantia non completur quantitate, vel qualitate, licet ordinetur ad illas.

842 Inſuper 2. quia exiſtere per ſe, perſeitate poſitiua ſubſtantiali independentiæ à ſubſtentante, eſt modus proprijſsimus eſſendi ſubſiſtentiæ, per quem contraponitur eſſentialitêr accidenti. Quòd ſi accidentia Euchariſtiæ ſint creata, & exiſtant per ſe, iſta perſeitas non eſt poſitiua, de qua loquimur, ſed negatiua & impropria. 3. quia nec facilè explicari poteſt quo genere vnionis Deus vniri poſsit cū accidētibus, cum nec poſsit vnione cōtinuatiua, vtpotè terminata ad materialia, nec vnione naturę & ſubſiſtētię, nec vnione actus & potētię.

843 Dices: vnione eſſentiæ & exiſtentię potuiſſe vniri: quatenùs quęvis eſſentia poteſt exiſtere per exiſtentiam Diuinam, tanquam per actualitatem vltimam, ad quod non requiritur quòd exiſtentia Dei ſit forma ſtricta, ſed terminus: Et propterèa humanitas apud Thomiſtas per exiſtentiam Deitatis fit exiſtens. Vndè accidens poteſt vniri Deo vt termino, vel vnione creata, vel educta de potentia accidentis & habente Deum pro puro termino. Tale autem accidens non inhęreret Deo, ſiue enim eſſet creatum, ſiue eductū & inhærens ſuo ſubiecto, inmediatè per aliam vnionem Deo vt termino puro vniretur. Ita de poſsibili tenet P. Bernal diſp. 25. num. 22. ſed negat idiomatum communicationem.

844 Nec obeſt 1. indè ſequi quòd Deus, v.g. eſſet albus ab albedine vnita, ſicut eſt humanatus. Nego conſeq. quia denominatio albi eſt potentiæ & formę phyſicę. Solū ergo eſt actuans & albedinem terminans. Nec 2. accidēs à termino ſubſtātiali nequit reddi ſubſiſtens: ergo nec exiſtens ab exiſtentia ſubſtantiali Dei. Nego conſeq. quia exiſtentia non eſt actualitas propria ſubſtantię vt ſubſtātia eſt, ſed eius vt ens. Et ſic exiſtentia Dei quæ eminentèr eſt ſubſtātia & accidens, poteſt vt ſic, accidens denominare formalitèr exiſtens. Imò & cum illo denudato propria exiſtentia, facere ens per ſe accidentale, ſicut cum humanitate denudata, ſubſtantiale. Vtròbique enim ens incompletum, completur & trahitur ad eſſe diuinum ſubſtituens eminentèr pro proprio, ad quòd ordinabantur. Nihilominùs licet in hac vnione accidentis cum Deo inmediata, non cernatur aperta repugnantia, ad eum modum, quo apud Bernal plures docent accidentia Euchar. vniri phyſicè Corpori Chriſti vt puro termino: de facto tamen, admittenda non eſt inmediata aſſumptio, ſed mediata; quia nullum eſt fundamentum: & accidentia apud nos propria gaudent exiſtentia.

845 Obijcies: Deus eſt paſſus in Chriſto: ergo aſſumpſit paſsionē, ſicut nuper diximus de vnione genita, quia eſt genitus. Nego conſequentiam, qui dicitur paſſus per comunicationem idiomatum, ad quam ſufficit vnio inmediata ad humanitatem paſſam, & mediata ad paſsionem. At ſi non aſſumpſiſſet vnionem humanam, nec mediatè eſſet genitus, quia ſola vnio inmediatè & formaliter eſt genita, & per eam à Verbo inmediatè aſſumptam, Verbum dicitur mediatè genitum; inſuper minuitur gloria Virginis ſi vnio humana non aſſumatur, ſecùs ſi accidentia.

ARTICVLVS II.

DE SANGVINE.

846 QVæritur an aſſumpſerit Sanguinem? Affirmo cum communi ſententia contra Durandum. Videatur Boneſpei diſp. 8. dub. 1. Prob. 1. Authoritate. Nam Clemens 6. in extrauaganti: *Vnigenitus de pœnis & remiſsionibus*, ait; *ſuffeciſſe pro Redemptione guttam ſanguinis propter vnionem ad Verbum.* De quo textu Lugo diſp. 14. ſect. 2. Epheſinum canone 5. ait, *Verbum æquè communicaſſe carni & ſanguini.* Tandem, quia hìc eſt communis ſenſus Eccleſię, dum ſanguini tribuit ſummum illum valorem. Ratione etiam probatur, quia ſanguis ſiue informetur anima ſiue nòn, eſt de integritate humanitatis, nam ſaltèm eſt alimentum proximum, & natura ita pendet à ſanguine, vt ſine illo ſtatim pereat, & ob hoc dicit Scriptura: *Anima carnis in ſanguine eſt*; atqui aſſumpſit humanitatem integram & perfectam, vt eſt commune apud Theologos. Deficeret etiam veuis ſubſtantialis ille ornatus, ſi deficeret ſanguis.

847 Obijcies 1. Sanguis habet formam materialem, ſed hæc non habet ſubſiſtentiā: ergo Verbum non ſuplet pro illa. Nego de ſubſiſtentia vt complente ipſam formam & ſic eſt falſa minor. V. num. 835.

848 Obijcies 2. Manſiſſe in corona & clauibus aliquas gutas; ſed iſtæ non manent vnitæ Verbo: ergo nec antea erant vnitæ. Conſequentia prob. quia quod ſemèl aſſumpſit, nunquam dimiſsit. Conceſſa mai. & min. nego conſequentiam: quædam enim gutæ manſerunt poſt Reſurrectionem, aliæ verò virtute Angelica fuerunt collectæ, & reſtitutæ Chriſto ad integritatem & ſubſtantialem ornatum venarum (alimentum enim iam non erat neceſſarium). In Chriſto autem omnes ſunt vnitæ Verbo, ſecùs quæ manſerunt in clauibus, &c. Nego autem conſequentiam, & ad probationem reſpondetur cum multis, axioma illud ſolùm loqui de partibus principalibus, corpore nempè & anima, & etiam de gutis illis ſanguinis, quæ iterum ad corpus reſumendæ erant (alias autem dimiſsit ſicut & præputium). Vnio enim humana in triduo & aliquę gutæ atque aliquæ partes materiæ per nutritionem deperditæ, dimiſſæ ſunt.

849 Obijcies 3. Sequitur habuiſſe Chriſtum, ſanguinem ſuperfluum, ſiquidem reſurgens manſit cum ſufficienti, dimiſſo aliquo. Nego ſequelam abſolutè: ſanguis enim neceſſarius non conſiſtit in indiuiſibili, ſed aliquando dantur aliquæ gutæ plus aliquando minus. 2. reſpondetur manſiſſe cum ſufficienti pro ſe, ſed habuiſſe alias gutas non pro ſe, ſed pro reliquijs in terra dimittendis, vel alijs muneribus: Sic Adam habuit coſtam ſuperfluam pro ſe, & neceſſariam pro formatione Euæ: abſolutè autem non erat ſuperflua.

850 Obijcies 4. Si ſanguis non habet animam: ergo Verbum aſſumpſit duas naturas integras, humanam & ſanguineam. Diſtinguo: abſolutè integras & diſparatas, nego. Subordinatas ad integrandam & ornandā vnam ſubſtantialitèr, concedo. Obijcies 5. fore verā hanc prędicationem: *Deus eſt ſanguis*, *Deus eſt effuſus* ſicut hæc: *Deus eſt homo & paſſus*. Poteſt concedi ſequela licet ſit

inu-

inuſitata. Senſus enim eſt: Deus eſt ſuppoſitum habens ſanguinem vnitum. Alij negant, quia partes integrales non ſolent prædicari de ſuppoſito integro, v.g. *homo eſt brachium*, quantumvis brachium conſtet anima materia & ſubſiſtentia. Sed in rigore loquendo, in ſenſu ſaltim adiectiuo, difficilè recuſabuntur de ſuppoſito aſſumente, licet negentur de homine ſubſtantiuè ſumpto.

851 Dico 2. contra Caietanum, aſſumpſiſſe totum ſanguinem. Tùm quia Concilia & PP. loquuntur indiſcriminatim. Tùm quia totus eſt eiuſdem rationis, & totus continetur in venis, & non eſt fundamentum concedendi de vno & negandi de alio: licet enim aliqua pars, ſit minus deſęcata, etiam eſt ſanguis. Imò addo effuſſum in paſsione, manſiſſe vnitum Verbo in triduo. Probatur, quia in Synodo 6. damnatur hæreticus quidam dicens: Verbum in triduo dimiſiſſe carnem, ſanguinem & voluntatem humanam. Inſuper, quia vt refert directorium inquiſitorum, par. 2. quæſt. 9. damnauit Clemens 6. propoſitionem Doctoris Barchinonenſis, ſanguinem effuſſum non manſiſſe in triduo vnitum Verbo. Vndè manſit ſaltim vnitus, qui poſtea collectus eſt in reſurrectione, vt dixi ſupra; ſecùs guttæ non collectæ, quia ex tunc manſerunt pro derelictis.

852 Dico 3. Aſſumpſiſſe alios tres humores. Prob. quia pertinebant ad integritatem & conſiſtentiam humanitatis, & ad conuenientẽ humani corporis diſpoſitionem atque operationes. Videatùr Bernal de hoc & ſequentibus. De dentibus & vnguibus idem dico ſecundùm partes non excrementicias, ſed pertinentes ad integritatem. An capilli ſint cenſendi excrementa, pete ex tua Animaſtica. Aſſumptos tamen à Verbo veriſimilius eſt, ſaltim ſecundùm illas partes ſecundùm quas pertinent ad humanitatis virilis ornamentum neceſſarium & integritatem.

ARTICVLVS III.

DE ORDINE ASSVMPTIONIS.

853 Difficultas procedit: quid Verbum prius aſſumpſerit; humanitatem ne, vel partes? Et in primis quæſtio non procedit de prioritate temporis: certùm enim eſt in eodem inſtanti reali, in quo humanitas producta eſt, animaque Chriſti creata, vtramq; fuiſſe à Verbo aſſumptam. Et hoc eſt; quod volunt PP. dum clamant, humanitatem ſine animam *aſſumptione ipſa productam*: non quòd aſſumptio ſit ipſa productio, ſed quia ita connexæ, & ſe invicem concomitantes, vt non fuerit vna tempore prior alia, de quo nu. 743.

854 Intendunt ergo, errores duos declarare; vnum Eutichis dicentis: prius tempore productum hunc hominem Ieſum, quam vniretur: & alium Origenis ponentis animas omnes, & inter eas animam Chriſti, fuiſſe ab initio productas, & in tempore ad corpus tranſlatas & incluſas. Vnitam fuiſſe Verbo ante Incarnationem damnatur Canone 2. Concilij 5. Generalis, ſic dicentis: *Si quis dicit, aut ſentit animam Domini præ extitiſſe, vnitamque eſſe Deo Verbo ante Incarnationem, aut natiuitatem ex Virgine, anathema ſit.* Videatur D.Thom. quæſt. 6. art. 3.

855 Quæſtio ergo eſt de ſola prioritate naturæ, vel rationis. Poteſt autem procedere vel ordine intentionis, vel ordine executionis. Recẽt. aliqui loquẽdo de ordine intentionis docent non priùs aſſumptam humanitatem, quàm partes. Fundamentum poteſt eſſe. 1. quia ipſiſsimum decretum de humanitate eſt de partibus, vtpotè ipſius conſtitutiuis: ergo non potuit priùs decerni aut intendi humanitas, quàm Verbum. 2. quia licet in intentione ſit prior finis, quam media, eo quòd propter illum intendantur iſta, & ſimilitèr partes propter totum, id eſt verum, ſi ſe haberent vt media; ſecùs ſi ſe habeant vt conſtitutivum; abſque iſto enim finis eſt inintelligibilis, & inintendibilis. Videatur P. Bernal.

856 Aſſero oppoſitum cum D. Thoma, & communi ſententia. Patet, quia quòd intenditur directè & ratione ſui, dicitur eſſe priùs in intentione quàm quòd indirectè, & in alio, ſiue ratione alterius; atqui humanitas intenta eſt ratione ſui; partes verò in illa, ſiue ratione illius; *finis enim Dei fuit fieri homo merens, & moriens* & propter hoc aſſumpſit animam ad merendum, & corpus ad moriendum: ergo illa fuit in intentione prior.

857 Ad oppoſita reſpondetur, diuerſum eſſe, quòd aliquid ſit priùs in intentione alio; & quòd decretum illius ex parte decreti ſit priùs quàm decretum de iſto, ideſt, de partibus; etenim priùs in intentione eſt priùs obiectiuè, quatenùs vt cauſa finalis mouet ad intendendum illud. Fateor ergo decretum humanitatis ex parte ſua eſſe formaliſsimè partium abſque vlla prioritate ex parte decreti: Secùs ex parte obiecti ſiue ex parte mouendi, quia humanitas eſt propter ſe, & directè; partes indirectè in illa, & propter illam. Ex quo patet ad primum. Et ad ſecundùm reſpondetur, licet partes non ſint media, ſed incluſæ in toto, ſunt tamen volitæ more mediorum nempè ratione totius.

858 Quantùm attinet ad ordinem executionis certùm eſt, vt iam dixi humanitatem in eodem 1. inſtanti reali conceptam, conſumatam, & ſimùl Verbo vnitam. Propterea Conceptio eius Mathæi 1. vocatur natiuitas: *Quòd enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt, &c.* quia in Conceptione fuit tàm perfectè formatus, quàm cum naſcebatur.

859 Difficultas tamen eſt: An in executione aſſumptio vnius partis, præceſſerit in aliquo ſigno aſſumptionem alterius? Reſp. 1. Recent. aliqui, priùs fuiſſe aſſumptam materiã organizatam; & poſtea animã; & poſtea vnionẽ humanã dependẽtẽ ab vtraq. Prob. quia partes eo ordine producuntur in nobis: non enim ſunt ſine neceſsitate multiplicanda miracula. Sed modus aſſumendi ſubſiſtentiam diuinam conformandus eſt modo proprio, quantùm fieri poſsit. Verbum enim aſſumpſit eas ſu plendo ſubſiſtentiam propriam & ordinem ipſius. Vndè exiſtentia vnionis humanæ eſt poſt materiam, vtpotè effectus eius; imò vnio non eſt aſſumpta in ſigno, in quo eſt producta ſed in ſequenti. Ratio eſt, quia vnio humana non pendet ab vnione ſui cum Verbo, ſed potius iſta pendet eſſentialitèr ab illa: ergo iſta exiſtit & completur & aſſumitur, poſt illam.

860 Nec obeſt Sanctus Thomas hìc art. 4. aſſerenè non priùs fuiſſe aſſumptam materiam, quàm eſſet iam caro humana: ergo nec prius quàm eſſet vnita animę, quia per talem vnionem facta eſt humana. Negant conſequentiã, quia iam erat caro humana per diſpoſitiones & organizationem. Ex quo reſpondent 2. ad quæſt. materiam priùs fuiſſe aſſumptam, quàm animam. Prob. quia priùs materia eſt diſpoſita & organizata, quàm creetur anima, ſiquidem creatur iſta ad exigentiam materiæ diſpoſitæ.

861 Si dicas ex Patribus, quòd caro aſſumpta eſt mediante anima. Atqui medium priùs eſt in executione. Reſp. ly *mediante* indicare quòd aſſumpta eſt propter animam: non quod anima ſit medium cauſatiuum corporis, ſed mouens in intentione, vt fiat corpus. Hæc doctrina facilè defendi poteſt, quatenùs ait, materiam priùs fuiſſe aſſumptam in re, quàm animam, & vnionem: quòd autem anima priùs fuerit aſſumpta, quàm vnio, non admittetur in libris de generatione à negantibus animæ rationali geniti, prioritatem & influxum in vnionem. Etenim quòd anima non pendeat ab vnione, & iſta pendeat ab illa, ſi eſt ſine cauſalitate, videtur inſufficiens ad prioritatem, ſicut & in termino producto reſpectu ſuæ productionis.

862 Si quis velet tenere oppoſitam doctrinam, dicat, in executione priùs, ante omnem aſſumptionem productam totam humanitatem ſubſtantialitèr, & in ſigno

ſequenti, Verbum toti illi ſimùl vnitum, quia eſt vnica ſubſiſtentia. Et idem de noſtra ſubſiſtentia ſi ſit vel eſſet vnica reſpectu humanitatis, per quod patet ad oppoſita. Etenim connaturalius eſt, quòd ſi vnicus ſit terminus & complementum, aſſumptioni iſtius, tota ſimùl præexiſtat humanitas. Et quòd corpori priùs conueniat compleri per animam in ratione naturæ integræ, quàm in ratione ſuppoſiti.

863 Obijcies: In reſurrectione, corpus & anima priùs fuerunt vnita Verbo quàm eſſent vna humanitas: ergo ſimilitèr in prima generatione. Nego conſeq. quia in Reſurrectione nō potuit alitèr euenire, niſi priùs Verbū dimiſiſſet corpus & animā, & iterùm eas reaſſumeret: quòd non potuit fieri ita connaturalitèr. At in 1. generatione potuit ſic connaturalius fieri, & ob rationem nuper datam & ideò ſic factum fuiſſe tenendum eſt.

QVÆSTIO XVIII.

DE ASSVMENTE ET ASSVMPTO IN alio ordine rerum.

ARTICVLVS I.

AN SVBSISTENTIA ABSOLVTA DEI POSSIT humanitatem terminare?

864 NEgant Lorca, Beccanus, & alij cōtra Recentiores & doctrinam communem Thomiſtarum. Probatur 1. quia talis vnio eſſet duplicis naturæ perfectæ. Hanc autem Philoſophia non agnouit: ergo. Maior patet, quia cum Deitas & ſubſiſtentia illa non diſtinguerentur virtualitèr (non enim dicerent inter ſe aliquam contradictionem) nequiret vna & non altera, eſſe vnita inmediatè. Minor autem probatur, quia ſolùm ſunt agnitæ in Scholis vnio potentiæ & actus, ſiue ſubiecti & formæ phyſicæ. Naturæ & perſonalitatis, quæ eſt naturæ & termini: vnio continuatiua; & eſſentiæ, atque exiſtentiæ. Atqui non eſt ex ijs: ergo repugnat talis vnio.

865 2. Prob. quia nullum poteſt dare effectum hæc ſubſiſtentia humanitati: ergo ſicut Deitas vt natura eſt præciſè, non poteſt humanitati vniri, quando nullum poteſt præſtare effectum naturæ proprium; ita nequit vniri vt ſubſiſtentia abſoluta. Antec. prob. quia illa ſubſiſtentia non eſt perſonalis: ergo nequit reddere humanitatem incommunicabilem alteri ſuppoſito, nec vltimo terminatam aut completam (ſed potius relinquit capacem vt cōpleatur) quia omnes ij effectus ſunt proprij ſubſiſtentiæ perſonalis, vel ſuppoſitalis. Nec item redderet independentem, ſiue impotentem dependere ab alieno ſuppoſito, quia hoc eſt proprium ſubſiſtentiæ cōplentis, & vltimo terminantis.

866 Nec dicas; effectus hos præſtari tunc à perſonalitatibus Diuinis. Contra, quia ſicut hodie humanitas vnita perſonalitati Verbi non terminatur per ſubſiſtentiā abſolutam; ita tunc non terminaretur per relatiuas ex vi vnionis: quia tàm vnio facta ad Deitatem, non tangit inmediatè perſonalitates; quàm vnio facta ad has, non tangit inmediatè illam.

867 Aſſero oppoſitum, admiſſa ſubſiſtentia abſoluta Ita Bernal diſp. 24. ſect. 1. Gonet diſp. 8. art. 3. & multi alij. Probatur 1. quia vt rectè Bernal ſectione 1. num. 3. Tolletanum 6. & 11. Dum negant vnionem ad Deitatem non reddunt pro ratione impoſſibilitatem, ſed potiùs poſſibilitatem ſupponunt, cum aiunt quòd ſi vnio facta fuiſſet de facto ad Deitatem, tres Perſonæ fuiſſent incarnatæ. Hoc autē licet de facto non ſit, non eſt impoſſibile Itē D. Tho. quęſt. 3. art. 2. abſolutè docet Diuinam naturam perſonalitatibus præciſis poſſe creatam aſſumere. Nec loquitur de Deitate alia chimerica, quæ eſſet Perſona, ſed de iſta.

868 Secundò, quia poſſet humanitatem reddere exiſtentem per ſe ſine indigentia alterius ſubſtentaculi, & de abſtracta facere ſubſtantialitèr concretam, ſicut reddit Deitatem. Si enim hæc ſubſiſtētia de ſe eſt ratio vt Deus ſubſiſtat in natura propria; ergo poteſt eſſe etiam ratio vt etiam ſubſiſtat in aliena, complendo & perſeitando illam vice propriæ: ſicut ob eandem rationem id præſtat perſonalitas Verbi. Continet enim Abſoluta eminentèr creatam ſaltìm vt perſeitas eſt, licet non contineat eam vt perſonalitas eſt. Hoc autem impedit quòd reddat humanitatem perſonatam, non quòd reddat perſeitatam. Etenim perſonalitas creata duplex exercet munus. Vnum reſpectu naturæ, dum reddit illam exiſtentem per ſe & ſine indigentia ſubſtentaculi alieni. De quo nos 1. part. num. 192. Aliud præſtat concreto vt tali ſiue ſuppoſito, (non naturæ ſecundùm ſe) reddendo illud alteri incommunicabile. Hoc munus eſt proprium perſonalitatis; illud eſt ſubſiſtentiæ in genere. Et hoc eſt quod præſtaret ſubſiſtentia abſoluta humanitati, ſicut & illud præſtat Deitati.

869 3. Prob. quia illa vnio eſſet naturæ & ſubſiſtentiæ vt puri termini, quę ſatis eſt cognita in ſcholis; qui a nō propterea eſſet vnio duarum naturarum formalitèr & quoad munus. Etenim non minus perſonalitas Verbi eſt formalitèr & virtualitèr filiatio, quàm Deitas ſit ſubſiſtentia: atqui de facto vnitur ſolùm vt perſonalitas, & non vt filiatio formalitér, ſiue quoad munus reddendi filium naturalem, ſicut & anima rationalis vnitur materiæ ad reddendam illam vnitam & animatam, ſecùs ſpiritualem aut rationalem ergo ſimilitèr.

870 Ad argumenta reſpondeo. Ad primum vnionem non fore duplicis naturæ integrę in ratione naturæ, ſed in ratione & munere perſeitatis & ſubſiſtentiæ. Adde quod P. Bernal diſp. 24. nu. 14. defendit poſſibilem vnionem humanitatis ad attributa abſoluta Dei, etiam non admiſſa ſubſiſtentia abſoluta. Talis autem vnio licet non eſſet in ſcholis cognita adhuc, nō facilè oſtēdetur repugnare, ſicut nec vnio humanitatis ad exiſtētiam Dei apud Thomiſtas. Ad 2. Reſp. ex loco citato 1. partis ſubſiſtētiam ſtare in perfectione poſitiua perſeitante naturam, & excludente neceſſitatem alieni diſtincti ſubſtētaculi. Quod ſi aliud ſubſtentaculum adueniret, vel ex fœcunditate vt in Diuinis, vel ex miraculo, nunquam tamen ex neceſſitate.

871 Hinc dico: ſubſiſtentiam abſolutam præſtare ſupradictā perſeitatem ſolam abſque perſonatione humanitatis. Quod ſi adhuc ille homo cōcretus communicaretur tribus Perſonis, hæc non ſunt aliena homini in cōcreto, ſed propria, & ex fœcunditate ſui cōcreti, non ſuæ naturæ: eſſet enim Pater Filius, & Spiritus S. Vndè non inferas 1. quòd ille homo vt talis non eſſet perſona cum non fieret incommunicabilis. In primis dico cum Bernal non eſſe inconueniens quòd non ſit Perſona. Siquidem non eſſet rationalis naturæ indiuidua & incommunicabilis ſubſtantia. Reſp. 2. diſtinguendo: non eſſet Perſona in vi inmediata & formali illius ſubſiſtentiæ communis. concedo; in vi mediata & radicali, nego; nam eo ipſo reſultat quòd ſit triplex Perſona Diuina.

872 Nec 2. inferas, quòd eo ipſo deberet perſeuerare in illa humanitate perſonalitas creata. Prob. quia illa ſubſiſtentia non præſtat vtrumque munus creatæ perſonalitatis, nempè perſeitatis & incommunicabilitatis, ſed ſolùm primum. Cum autem nequeat pro vtroque munere ſubſtituere ſubſiſtentia abſoluta nequibit perſonalitatem creatam impedire. Reſp. enim negando ſequelam. Ad probationem reſp. 1. præſtare vtrumq; munus in vi ſua: in formali & inmediata tribueret perſeitatem. In radicali & mediata, tres perſonalitates, vt dictū eſt. Inſuper 2. vno munere perſeitatis præſtito, eo ipſo excluderet perſonalitatem creatā. Eſſet enim contradictio quòd humanitas illa ſimùl eſſet per ſe in proprijs & in alienis iuxtà communiorem ſentētiam. Neſcio an veram, de quo ſtatim. Fortè enim excluditur potiùs connaturalitèr à ſuperfluitate vtriuſque, quàm à contradictione.

873 Aliæ Authoritates obijci poſſunt ex Varquez, quas

quas adducit Gonet, in quibus à Concilijs & præcipuè Toletano & à PP. probatur, quòd vnio Verbi facta eſt ad Perſonam, ex eo ſolùm quod non eſt facta ad naturam. Eſſet autem mala conſeq. ſi dareiur medium nempè fieri ad ſubſiſtentiam abſolutam. Reſp. tamen ex Gonet argumentum adhuc eſſe bonum ad hominem, licet non ſit bonum ex terminis. Agebant enim contra hæreticos ſolùm diſputantes de vnione ad vnitatem naturæ, vel ad vnitatem Perſonæ. Reſp. ad Toletanum, ex Bernal & Gonet negando verba Concilij continere, nec vmbram illationis. Ea dedimus nu. 804.

874 Difficilior eſt D. Thom. authoritas hîc quæſt. 2. art. 2. in corpore vbi ait, *quod omne, quod ineſt alicui Perſona, ſiue pertineat ad naturam eius, ſiue nòn, vnitur ei in perſona*. Ex quo antecedenti elicit hanc concluſionem. *Si ergo, humana natura Verbo Dei non vnitur in Perſona, nullo modo ei vnitur. Et ſic totalitèr tollitur Incarnationis fides*. Arguo ſic. Si non vnitur in Perſona, nullo modo ei vnitur? Ergo, quia repugnat vniri in natura.

875 Reſpondetur 1. loqui de vniri *alicui Perſona determinata*; vt conſtat ex contextu. Si autem vnio ad Verbum non ſit in Perſona ipſius, ruit fides de Incarnatione, quæ eſt ſolius Verbi. Reſpondetur 2. D. Thomam, vt conſtat ex vltimis verbis, ſupponere, quod de facto humanitas ad Verbi naturam non pertineat. Suppoſito ergo, quòd humanitas Verbo ſecundùm Deitatem non ineſt, ſi aliàs nec ineſt perſonalitati, ex his benè infertur, quòd nec Incarnatio datur, nec vnio ad Verbum, quia nec eſt ad naturam, vt ſupponimus, nec ad perſonam, vt vos dicitis.

876 Quod ſi in 3. ſent. quæſt. 2. art. 3. ait: *circumſcriptis Perſonis naturam non poſſe aſſumere*: expreſsè loquitur, ſi circumſcribatur omnis ratio ſubſiſtendi, & omnis perſonandi, ita vt auferatur à Deitate ſubſiſtere in ſe, & in alio ſubſiſtente, non verò ratione ſubſiſtendi perſeuerãte (quæ eſt vna ex duplici ratione, quam imbibit perſonalitas) prout perſeuerat in abſoluta ſubſiſtẽtia.

ARTICVLVS II.

DE PERSONA ASSVMENTE MVLTIplici, vel vna.

877 QVæritur 2. An tres Perſonæ poſſint aſſumere vnam humanitatem? Negant Scotus, Lugo, & alij. 1. quia ex D. Thoma, eſſent tres Perſonæ, & vnus homo. Hoc autem repugnat, quia eſt quædam ſpecialiſsima incohatio Myſterij Trinitatis ſtãtis in vno & triplici. De cuius incohationis repugnantia, vide infrà quæſt. 20. art. 4. & 1. part. à num. 291. Reſp. neg. ant. eiuſque probationem. Tùm quia cum non ſtaret in identitate perſonalitatis cum natura afferente cõtradictionem, non eſſet Trinitatis incohatio ſpecialis. Tùm quia illa multiplicitas Perſonarum non eſſet ex innata fœcunditate naturę, ſed ex potentia obedientiali; ſicut correſpondentia æterna ad omne tempus, ſi non naſcitur ex natura durantis, non eſt incohatio Diuinæ Æternitatis.

878 Probatur 2. quia ſequeretur confuſio in Perſonis Trinitatis, nam Pater cum ex vi productionis temporalis eſſet à Deo in ſimilitudinem naturæ, eſſet ſimùl Filius, ſicut Chriſtus ob id eſt Filius: imò & Spiritus Sãctus, tunc eſſet Filius. Reſpond. negando aſſumptum. Ad probationem Pater Perez ab Vnanoa hîc diſp. 31. negat. Patrem fore Filium adhuc temporalitèr, quia non procedit, ſecundùm aliquid ſui à virtute generatiua, ſed ab Omnipotentia. Vndè nec eſſet Filius adoptiuus, vtpotè non extraneus, nec eſſet naturalis, cum careret Filiatione Perſonali à virtute generatiua, quę eſt fundamentum in Chriſto Filiationis temporalis. Eſſet ergo hæres & habens ius ſubſtantiale ad bona Patris, non tamen omnis hæres eſt filius, vt patet in Spiritu Sancto, qui habet Deitatem & ius ad omnia bona Patris & procedit ab illo, nec propterea eſt Filius, quia non procedit ex vi virtutis generatiuæ Paternæ.

879 Alij concedunt & benè, fore ſimùl Patrem & Filium, Filiatione ſubſtantiali: non adoptiua, ſed propria, ſiue Filiatione, ſubſtantialis ſanctificationis, quę licet non pertingat ad naturalem virtutis generatiuæ, eſt tamen ſtrictior & ſimilior analogicè quàm adoptiua. Nec eſt inconveniens eſſe ſimùl Patrem & Filium in vno ſuppoſito ob diuerſas naturas & per communicationem idiomatum, ſicut Chriſtus eſt Creator & creatura, Æternus & temporalis.

880 Tertio probatur, quia tunc Pater eſſet homo & Filius homo, atque idem homo: ergo Pater eſſet Filius & Filius eſſet Pater. Conſequentia probatur, quia extrà Trinitatem Æternam: *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*. Reſpondetur 1. negando conſequentiam, quia ſit tranſitus de modo eſſendi idem cum vno tertio, ad modum eſſendi idem inter ſe. Nam iſte eſt per identitatem, non vero per idiomatum communicationem, ſicut ille, quę non datur inter diſtincta ſuppoſita, ſed in vno propter diſtinctas naturas.

881 2. Reſp. ſi ly *homo* ſumatur adiectiuè, non datur vnum tertium, cum ſit duplex ſuppoſitum, ſicut in hoc ſyllogiſmo: *Homo eſt animal, Leo eſt animal: ergo Leo eſt homo*. Si ſubſtantiuè vt vnus homo, adhuc non erunt idem inter ſe, quia identitas cum vno tertio non eſt adæquata & cum toto illo. Aggregatum enim ex humanitate & Paternitate in recto, non dicit identitatem adæquatam cum aggregato ex Filiatione & humanitate in recto. Ob cuius defectum hîc ſyllogiſmus non concludit: *Homo formaliſsimè eſt animal, homo formaliſsimè eſt rationale: ergo rationale formaliſsimè eſt animal*. Deficit enim identitas formaliſsima cum tertio, quæ ſit adæquata & ſolùm datur inadęquata.

882 4. Probatur: Illa natura per Paternitatem ſiſteret in ſuppoſito Patris & non ſiſteret, ſiquidem tranſiret ad Filium. Sed hæc eſt contradictio. Si reſpondeas, negando ly *non ſiſteret*. Solùm enim eſt verum, quod ſiſteret in vtroque & in quolibet eſſet vltimo terminata. Sed contra: Poſt vltimum non datur aliud & in vltimo ſiſtitur: ergo ſi natura tranſit ad Filium, in Patre non erat vltimo terminata. Ideò alitèr reſpondeo, concedendo ſiſtere & non ſiſtere; tamen cum addito. Siſtit enim in Patre quoad ſufficientiam. Non ſiſtit, ſed tranſit ad Filium quoad ſuperabundantiam, & ſic ab vtroque completur. Et in hoc non eſt contradictio.

883 5. Probatur; vna perſonalitas Diuina, communitèr aſſeritur, quod poſsit plures complete humanitates, eo quòd virtus terminandi ſit infinita & non exhauritur per vnam naturam finitam: ergo vna humanitas vtpotè finita exhaurietur per vnam perſonalitatem infinitam, nec erit capax, vt perſonetur per alias. Data probatione antec. nego conſequentiam, quia capacitas obedientialis humanitatis eſt infinita ſyncategorematicè, & quando habet vnum terminum finitum, eſt potens ad alios finitos non involuentes contradictionem. Cum igitur terminatur vna perſonalitate Diuina, perſonatur ab illa virtualitèr finitè, quia non perſonatur quantùm perſonalitas eſt in ſe, ſed modò & vnione finita, ac per conſequens finitè. Si dicas. Saltim perſonatur finitè, quantùm illa perſonabilis eſt: ergo non manet capacitas ad aliam perſonationem. Reſpondetur, quantùm perſonabilis eſt intenſiuè, concedo; quia omnes aliæ perſonalitates, non præſtabunt plus, quàm iſta: non verò extenſiuè, & per alias vniones ad alias perſonalitates.

884 Vltimò & à priori. Idem effectus nequit procedere ſimùl à multis cauſis totalibus. Atqui illa humanitas pendens à triplici ſubſiſtentia, penderet à triplici cauſa formali totali: ergo. Minor patet, quia cum quælibet ſubſiſtentia ſufficiat, quælibet eſt totalis. Reſpondet Gonet diſp. 8. art. 4. §. 2. non fore à pluribus cauſis totalibus, benè verò à pluribus terminis hæc autẽ depẽdentia eſt impropria. Si dicas: repugnat etiã à pluribus terminis apud vos, vt patet in corpore, quod nequit eſſe circumſcriptiuè in duplici loco, licet ſolùm pendeat à locis, non à priori, ſed quaſi à terminis: ergo & à du-

plici perſonalitate vt termino. Reſpondet à duplici ſubſiſtentia pendere naturam poſſe, quia id habet natura in vi potentiæ obedientialis; ſecùs corpus à duplici loco, quia id haberet à quantitate in vi formę, quæ de ſe habet prębere ſubiecto, non ſolùm vnicum effectum primarium, ſed vnicum etiam ſecundarium, qualis eſt reſpectu quantitatis, extenſio in ordine ad locum. Vndè vnum corpus vnico loco adęquatur, non ſolùm intenſiuè, ſed extenſiuè, & repugnat alia extenſio.

885 Sed contra, quia duplex effectus ſecundarius vnius formæ non repugnat: ergo nulla eſt ſolutio. Antec. prob. Tùm quia ideò repugnat duplex primarius, quia iſte eſt ipſa forma communicata & ſi hæc eſt vna, ille erit vnus. Atqui ſecundarius eſt diſtinctus à forma: ergo licet quātitas ſit vna, iſte poteſt eſſe multiplex. Tùm quia ab vna forma ſolet prouenire duplex ſecundarius, ſicut ab vna liberalitate duplex expulſio, nempè prodigalitatis & auaritiæ. Tùm quia effectus ſecundarius eſt ſupplebilis à Deo: ergo dante quantitate vnam extenſionē in vno loco, poterit Deus ſupplere aliam in alio per reproductionem, vel alia via.

886 Reſp. melius, non repugnare quòd idem effectus procedat à multiplici cauſa totali generalitèr loquendo: de multiplici formali ſolū eſt repugnantia, ſed quòd hoc non ſequatur, patebit ex probatione noſtræ aſſertionis.

887 Aſſero ergo poſſe tres Perſonas vnam humanitatem aſſumere. Ita communitèr alij Theologi. Probatur 1. quia nulla eſt repugnantia ex Myſterio Trinitatis, aut incohatione ipſius, cum humanitas nec identificaretur cū perſonis, nec haberet illas ex innata fœcunditate, ſed ex obedientia. Sicut enim de facto in humanitate, terminari perſonalitate infinita, & propriſſima Diuinæ naturæ, non arguit infinitatem in illa, quia id non habet dè ſe, ſed obedientialitèr; ſimilitèr, nec in noſtro caſſu.

888 Secundò; argumento, quo olim Inſignem Scotiſtam valdè præmi vidi. Tota veſtra repugnantia eſt, quòd idem effectus procederet à triplici cauſa totali. Atqui hoc nō ſequitur: ergo nulla eſt repugnantia. Min. probatur, quia in eo tunc ab illa multiplici perſonalitate, vt quaſi cauſa formali, non reſultaret vnus effectus, ſed multiplex. Patet, quia effectus primarius cauſæ formalis, eſt ipſa forma communicata ſubiecto. Eſſet autem tunc triplex forma, nempè triplex Perſonalitas, ac per conſequens non vnus, ſed triplex effectus, nempè triplex Perſona; ergo nulla eſt repugnantia.

889 Vltimò, nec repugnat ex parte perſonalitatum, nec ex parte naturæ. Non ex parte perſonalitatum, quarum quælibet habet vim infinitam terminādi & ſicut naturalitèr terminat propriam naturam, ſimùl terminatam ab alijs perſonalitatibus, & ſine excluſione illarum, aut oppoſitione cum illis, poterit præternaturalitèr eodem modo terminare aliam. Nec item eſt repugnantia ex parte naturæ, quæ eſt terminabilis à Diuinis perſonalitatibus ſolū obedientialitèr. Quæ obediētia eſt ad quidquid non repugnat. Si autem ex parte Perſonarum in terminando & ex parte omnipotentiæ in producendo vniones repugnantia non apparet, nec ex parte humanitatis apparebit. Sequitur ex nu. 883. plures ſimùl humanitates aſſumptibiles eſſe à qualibet Perſona Diuina.

Obijcies: virtus generatiua infinita adæquatur vnico Verbo, ſiue termino: ergo multò magis virtus finita humanitatis vnico ſuppoſito infinito. Hoc argumentum impugnat in Deo triplicem Perſonam. Conceſſo antec. nego conſeq. quia huic. Verbo, ſi daretur aliud, deficeret aliquid de linea formali Verbi, ideò repugnat aliud. Quod humanitati deficiat aliquid, inconveniens nō eſt.

ARTICVLVS III.

DE VNO VEL MVLTIPLICI HOMINE IN EO caſſu, vbi de concretis. Vide nu. 821.

900 QVæritur 3. An tres Perſonæ vnam aſſumentes humanitatem eſſent tres homines, vel vnus? Nota 1. concretum adiectivum exprimere & ſubiectum & formam: ſed illud in recto; iſtud in obliquo. Illud quaſi per ſe ſtans, iſtud vt adiacens, ſiue vt illius entis ens. Multiplicatur autem non à multiplicitate formæ, ſed recti: ſic vir cum multis ſcientijs eſt vnus Sapiens: & plures producentes effectum vnica productione, ſunt plures producentes.

901 Nota 2. ex Bernal diſp. 24. à num. 28. Perſonas Diuinas duplicitèr ſumi poſſe. 1. iuxtà ſuam naturalem conſtitutionem, & ſic Pater dicit Deitatem & perſonalitatem. 2. iuxtà conſtitutionem præternaturalem, & ſic Pater in illo caſſu diceret perſonalitatem & humanitatem.

902 3. Nota ly *homo* poſſe ſumi ſubſtantiuè, & etiam adiectiuè. Primo modo dicit in recto humanitatem & perſonalitatem. Secundo modo dicit perſonalitatem ſiue ſuppoſitum in recto, & humanitatem in obliquo. Vndè diximus num. 820. hanc propoſitionem: *Verbum eſt homo* eſſe veram in ſenſu adiectiuo, quia ſenſus eſt: *Verbum eſt ſuppoſitum terminans phyſicè ſibi vnitam humanitatem, à qua eſt homo*, ſicut paries ab albedine eſt albus. Nomen autem *hominis*, idem quòd antea ſumebatur ſubſtantiuè ſolùm, poſt Incarnationis Myſterium extenſum eſt ad ſignificare adiectiuè, & factum eſt 6. prædicabile mixtum de ſpecie & accidenti reſpectu diuerſorum, vt docui in logica.

903 Nec dicas, ex Gonet: Chriſtus eſt tàm verè homo & eiuſdem ſpeciei nobiſcum & tàm vniuocè homo quàm Petrus; atqui Petrus eſt homo, ab humanitate importata eſſentialitèr in recto: ergo & etiam Chriſtus. Reſpondetùr conceſſa mai. & min. nego conſeq: quia vtrique convenit vniuocè eſſe verè homo, à vera & reali humanitate eiuſdem ſpeciei in ſe: ſed quæ reſpectu vnius indiuidui ſit ſpecies & tota eſſentia; reſpectu alterius ſit accidens Logicum. Quod autem vni conveniat eſſe homo eſſentialitèr, alteri contingentèr & adiectiuè, non tollit vniuocationem. Sicut ens & exiſtere eſt vniuocum ad Deum & creaturas, & tamen Deo convenit eſſentialitèr, creaturis verò defectibilitèr & contingentèr. Item Deus & Angelus vniuocè ſunt cognoſcentes; & tamen Dèus eſſentialitèr & ſubſtantiuè; Angelus adiectiuè & contingentèr.

904 Aſſero 1. triplex illa Perſona vni humanitati vnita, ſi ſumatur quęlibet ex parte ſubiecti iuxtà naturalem conſtitutionem, eſſet triplex homo. Vnus autem ſi iuxtà præternaturalem. Ita P. Bernal & multi Recent. Prima pars patet, quia tunc Perſonæ eſſet contingens denominatio hominis, ac per conſequens ſumeretur adiectiuè, & multiplicatio attenderetur penes triplex ſuppoſitum; non penes formæ vnitatem.

905 Quin obſit 1. quod quælibet Perſona faceret Chriſtum hominem, ens per ſe: ergo non ſumitur adiectiuè. Nego conſequentiam, quia etiam album eſt ens per ſe & ſumitur adiectiuè. Secunda pars patet, quia Perſona ſic ſumpta eſſet in recto perſonalitas & natura; non Diuina: ergo humana. Significatur ergo aggregatum illud, nomine *homo*; & eſt vnum, per partem recti formalius importatam; nempè humanitatem vnam. De quo num. 908. & ſic intelligendus Diuus Thomas, dum vnum aſſerit hominem.

906 Obijcies: in hac propoſitione *Pater eſt homo*, ly *Pater*, vel ſonat perſonalitatē, & ſic propoſitio eſt falſa, vel ſonat aggregatum ex perſonalitate & Deitate; & ſic propoſitionis huius ſubiectum eſt Perſona in ſua conſtitutione naturali: ergo nunquam ſumetur in præternaturali, ac per conſequens nec ſubſtantiuè. Reſp. ſumi hìc pro aggregato ex perſonalitate & natura creata, & ſic de illo aggregato verificatur, quòd eſt *homo*. Aliud argumentum ab axiomate, *quæ ſunt eadem vni tertio, &c.* require art. præcedenti, num. 880.

907 Ex quibus infero 1. nomen *homo* propriè & in rigore ſignificare verum concretum naturæ humanæ & ſubſiſtentiæ, & hoc ſiue ſumatur ſubſtantiuè ſiue adiectiuè. De quo num. 903. ſicut *creatum* propriè ſumitur pro

crea-

Digitized by Google

creato terminatiuè & pro creato denominatiuè à creatione diſtincta, & dicta adiectiuè de termino. De quo num. 823. Infero 2. principalius & frequentius imo abſolutè ly *homo* eſſe concretum naturæ, & abſolutè ſumendum eſſe ſubſtantiuè (licet minus principalitèr ſoleat ſumi adiectiuè). In quo caſſu non tres homines, ſed vnus eſt abſolutè homo ſubſiſtens in tribus ſuppoſitis, ſicut modò dicimus de Deo.

908 Infero 3. vnam perſonam aſſumentem tres humanitates, iuxtà naturalem Perſonę conſtitutionem, eſſe vnum hominem, quia eo ipſo ſumitur adiectiuè. Si verò ſumatur Perſona iuxtà præternaturalem conſtitutionē pro aggregato ex perſonalitate & natura creata in recto, tenendum eſt iuxtà dicta, verè dici tres homines & vnam tantùm Perſonam. Ratio eſt, quia iuxtà ſæpè à nobis dicta cum P. Bernal diſp. 24. à nu. 34. vnitas, vel pluralitas concreti ſubſtantiui ſumitur ab illa parte ſignificata in recto, quæ formalius ſignificatur per nomen ſubſtantivum; formalius autem hominis, eſt humanitas: formalius Perſonæ, perſonalitas: ergo ſi illa eſt triplex & iſta vna, triplex erit homo; Perſona autem vna.

909 Obijcies: duæ humanitates in vno ſuppoſito faciunt duos homines: ergo de facto in Chriſto duæ naturæ faciunt in Chriſto duos viuentes, ſiue duos intellectiuos: ergo in Chriſto eſt vnus & alius viuens, contra Symbolum dicens; *non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus.* Reſpondent Recentiores, quòd ſicut Chriſtus eſt duplex ſiue gemina ſubſtantia, vt loquitur Auguſtinus Sermone 58. de Verbis Domini, & duplex natura, vt loquuntur Patres, ita duplex viuens & intelligens: quia hæc ſunt prædicata propria naturarum, quæ vt tales ſunt viuentes & rationales. Licet autem ſit duplex viuens, & vnū & aliud; id intellige non maſculinè, ſed neutralitèr: quia iuxtà communem omnium ſententiam ly *vnus & alius*, multiplicat perſonas; *vnum & aliud* naturas, & ideò Chriſtus dixit de ſe *ego & Pater vnum ſumus*; vnum non *vnus*, quia natura eſt vna. Videatur Bernal diſp. 47. à n. 19.

910 Sed nego Chriſtum poſſe eſſe abſolutè multiplex viuens de facto, licet diceretur multiplex homo in caſſu illo. Ratio eſt, quia in illo caſſu ſumeretur ly *homo* ſubſtantiuè, & vt concretum naturæ, tàm ſi ſermo ſit de concreto perſonalitatis cum vna humanitate, quàm ſi ſit de alio concreto cum alia. At Chriſtus de facto non ſumitur pro vtroque ſubſtantiuè, ſed ſolùm ſubſtantiuè & in recto pro vno & adiectiuè pro alio. Subſtantiuè & in recto pro aggregato ex perſonalitate & vna natura. Vndè ſolam vnam dicit in recto, vel Diuinam & hanc connaturalius, vel humanam, ſed præternaturalitèr. Si ergo ſumatur vt communitèr ſumitur pro vno concreto ſubſtantiuo, licet ſimùl, cum alia natura faciat adiectivum, multiplicatio viuentis de facto ſumitur à recto naturæ & perſonalitatis: quòd rectum, vnum eſt tantùm viuens abſolutè loquendo: altera enim natura in obliquo importata, non multiplicat concretum recti, quia adiectivum non multiplicatur à forma, & ſic non eſt abſolutè duplex viuens.

ARTICVLVS IV.

DE ASSVMPTIBILI IN ALIO ordine rerum.

911 QVæritur 4. An ſit aſſumptibilis natura irrationalis, nempè leonina aut lapidea? Affirmo cum communiori ſententia contra aliquos modernos qui ducuntur. 1. quia ſubſiſtentia Verbi eſt perſonalitas. Natura autem irrationalis eſt incapax eſſendi perſona. Reſpondeo communicari illi, non vt perſonalitas eſt, ſed vt ſuppoſitalitas, ſicut in triduo, communicabatur animę præciſè vt ſubſiſtentia, reddendo illam per ſe, & inindigentem alieno ſubſtentaculo.

912 Secundò, quia tale compoſitum deberet eſſe Sanctum, Beatum, & Filius naturalis. Sed hæc repugnant Leoni; ergo. Nego mai. Solùm enim eſſet Sanctum ſanctitate conſecrationis, & venerabilitatis, non autem Sanctum ſanctitate propria Filiorum Dei, quia incapax eius, & hæreditatis, ſicut & Filiationis Dei, cum non participaret ſimilitudinem cum Deo in gradu intellectivo adhuc generico, quæ omninò requiritur eſſentialitèr ad Filiationem Dei.

913 Tertiò, quia talis aſſumptio dedeceret Verbum, ſiquidem per communicationem idiomatum eſſet Brutum & Lapis. Reſpondetur, quod licet hæc ſit indecentia quoad vulgus, ſecùs quoad Doctos. Imò vt benè P. Goner, ſi per fidem non cognouiſſemus ſenſum Domini, indecentius videretur, flagellari, conſpui, & crucifigi, quàm quod fieret animal Regium ſicut Leo, vel Aquila Regalis. Inſuper infimius quid eſt cadaber, quàm Leo, cum hoc ſit viuens perfectum. Et tamen de fide eſt aſſumpſiſſe in triduo cadaber (quod & potuiſſet retinere putridū, licet de facto retinuerit incorruptum) ſiue aſſumpſerit ſimùl corpus & formam cadabericam, ſiue ſolùm corpus exiſtens ſub forma cadaberica. Vndè ſimilitèr potuit aſſumere corpus & formam leoninam, vel ſaltèm corpus ſub forma leonina.

914 Optimè autem dixit Tertullianus lib. de carne Chriſti capite 4. apud Bernal diſp. 25. num. 4. vbi ait, loquendo cum Marcione. *Si reverà de Lupa, aut Sue, aut Bacca procedere voluiſſet, & Feræ aut Pecoris corpore indutus &c. tua opinor illa cenſura præſcriberet, Turpe hoc Deo, & indignum Dei Filio; & ſtultum præterea, qui ita credat.* Cui obiectioni, quæ eſt eadem cum argumento Recentiorum, reſpondet ipſe Tertullianus ita proſequens: *Sit ſanè ſtultum, ſi de noſtro ſenſu iudicemus Deum, Circumſpice Marcion &c. Stulta mundi elegit Deus vt confundat ſapientiam, &c.* Dices: mentem Tertulliani eſſe vt conſtat ex illo capite, redemptionem humani generis eſſe tanti ponderis, vt pro illa non dedeceret Deum fieri Pecus. Et ob hanc rationem non dedecuit flagellari & mori. Sed reſpondeo ſi ſemel admittamus, non dedecere Deum iſta, & honeſtari poſſe propter redemptionem, benè potuit Deus decernere, quod Verbum fieret Pecus, vel ex fine humiliandi homines exemplo ſuo, vel ex fine oſtendendi ſuam Omnipotentiam, vel ex fine redimendi illos, non per ſatisfactionem condignam Leonis, ſed dependentèr à merito hominum adorantium Deum Leonem, cum Dæmones noluerint adorare Deum hominem.

915 Aſſero poſſe. Probatur 1. quia in hoc nulla eſt indecentia, vt probatū eſt. 2. quia nec repugnat ex parte naturæ, quæ cum poſſit denudari propria ſubſiſtentia, eſt obedientialitèr eleuabilis ad diuinam, ſicut natura humana & materia prima ipſius. Nec ex parte perſonalitatis diuinæ quæ eminentèr continet creatam.

916 Tertiò, quia leonitas eſt ſuppoſitabilis: ergo ſicut Verbum potuit naturam ſanguinis irrationalem ſubſtantialitèr complere, potuit etiam naturam leoninam. Sanguis enim ſubſtantialitèr æquè eſt natura completa à Deo, licet integralitèr ordinetur ad integrandum hominem. Tandem; quia ſi retinuit in triduo corpus irrationale & non viuens, cur non poterit & naturam Leonis? Si dicas illud ordinari ad naturam rationalem, ſecùs iſtam. Sed contra, quia multò magis ordinatur materia prima Leonis ad animam rationalem, cuius decurſu temporis eſt naturalitèr capax, quàm corpus illud ad reunionem cum anima, cuius erat naturalitèr incapax. Tùm quia ſi facere vnum per ſe cum corpore inanimato de præſenti, cum denominatione corporati ſiue terminantis corpus, non implicat; cur implicabit vnio cum denominatione Leonati ſiue terminantis leonitatem? Admitte iſtam denominationem, cuius Verbum eſt capax, & nega denominationem Leonis ac bruti, ſi apud te Verbum eſt incapax.

917 Quæritur 5. An potuerit etiam, aſſumere naturā Angelicam? Affirmo cum ſententia communi contra aliquos, oppoſitam tribuentes D. Thom. Concluſio intelligenda eſt, ſuppoſito quòd natura Angelica diſtinguatur realitèr à propria perſonalitate, quæ diſtinctio, multò

Digitized by Google

tò probabilior eſt. Non enim cócedenda eſt Angelo tanta ſimplicitas quòd careat omni compoſitione ſubſtantiali ſaltìm naturæ & ſubſiſtétiæ. Quòd ſi D.Tho. apud Gonet varijs in locijs naturam Angelicam idemtificat cum ſuo ſuppoſito, non loquitur de ſuppoſito metaphyſico, ſiue compleméto incommuoicabili naturæ, ſed de ſuppoſito logico nempè ſingularitate, ideſt Michaëleitate.

918 Probatur ergo concluſio. Ex illo Pauli ad Hebræos cap. 2. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Habrahæ apprehendit* (vtique in vnitatem ſuppoſiti. Si enim de apprehenſione per Redemptionem loqueretur, nó dixiſſet, quod genus Habrahę, ſed quod humanū apprehendit): ergo ſi voluiſſet, potuiſſet Angelos apprehendere.

919 Secundò, quia apud plures PP. Angeli ceciderunt ex inuidia, quod Deus aſſumpſiſſet naturam humanam relinquendo Angelicam: ergo potuiſſet aſſumere illam ſi voluiſſet. Tandem, quia nec repugnat ex parte naturæ Angelicæ, nec ex parte perſonalitatis. Vide n. 925.

ARTICVLVS V.

DE PERSONALITATE CREATA DVO DVBIA.

920 QVæritur 6. An ſit aſſumptibilis à Verbo humanitas propriam retinens perſonalitatē? Affirmant noſter Bachonius hic diſtinct. 5. quęſt. 1. Bernal diſp. 24. ſect. 2. & alij Recent. contra communem ſententiam. Et benè, quia quòd humanitas ſiſtat in proprijs naturalitèr & quoad ſufficientiam, ſiue inindigentiam, non pugnat cum ſuſtentari in alienis quoad ſuperabundantiam & diuinitùs. Etenim excluſio ſuppoſiti alieni cùm ſit effectus ſecundarius ſubſiſtentiæ propriæ, diuinitùs eſt impedibilis, ac per conſequens & compatibilis vtraque perſonalitas.

921 Nec obeſt 1. quòd V. Synodus Collat. 8. Can. 5. dicat, *Verbum humanitati ſecundùm ſubſiſtentiam vnitum, & PROPTER HOC vnam eius ſubſiſtentiam & perſonam.* Malè autē inferret ex vnione vnitaté Perſonæ, ſi duplex eſt cópatibilis. Reſp. ſolùm eſſe cópatibiles diuinitùs non verò naturalitèr, ideòque admiſſa vna Perſona Verbi, optimò diſcurſu naturali infert excluſionem creatæ. Inſuper Eccleſiæ diſcurſus ſupponit Scripturam, quæ ſemper de Chriſto loquitur vt de Filio Dei & vnica Perſona, ac per conſequens bené infert excludendam eſſe Perſonam creatam.

922 Nec obeſt 2. quòd in eo tunc eſſet homo purus & homo Deus. Fateor, nam eſſet duplex Perſona quarum vna eſſet homo Deus per communicationem idiomatum. Nec 3. quòd vna naturæ capacitas vnico terminatur complemento; nam ſi multiplici, daretur facilé Perſonarum Trinitas in vna natura. Reſp. naturalem capacitatem, vnico terminari complemento; ſicut perſonalitas Verbi naturalitér vnica natura: obedientialem verò, multiplici.

923 Nec obeſt 4. quòd vna res incapax eſt duplicis exiſtentiæ Diuinę & humanæ: ergo & duplicis ſubſiſtētiæ. Fortè antec. eſt falſum, ſi vnam habeat per ſe naturalitér & aliam obedientialitèr. Eo dato nego conſeq. quia exiſtentia eſt de prædicatis imbibitis, non de diſtinctis & contingentibus; ſecùs ſubſiſtentia de qua loquimur, quæ poteſt ſuperuenire diſtinctæ naturæ, vt multiplex terminus. Si autem ad Perſonam comparetur, cum ſit duplex Perſona vt dictum eſt, non implicat duplex ſubſiſtentia.

924 Nec tandem obeſt quòd ſi ſunt compatibiles, melius fuiſſet perſonalitatem creatam ibi admittere, quàm illam expellere, nam conſeruabat naturam humanam cum omni ſua ſubſtantiali perfectione, eratque minus miraculoſum. Reſpondeo 1. negando fore connaturalius, nam vna perſonalitas adueniens petit præexiſtentem expellere. 2. quia non erat conforme principali intento Dei illam cóſeruare. Tùm quia non eſſet aſſumptio in vnitatem Perſonæ, nec homo eſſet Deus, nec eſſet ſumma Dei ad extrà communicatio. Tùm quia eſſet vnio entis per accidens & per aggregationem, in qua non multum diuina relucerent attributa.

925 In fine nota aliquos Recent. docere, quod natura Angelica idemtificata cum ſua perſonalitate eſt aſſumptibilis à Verbo, licet non in vnitatem perſonæ. Sed diſplicent, quia ex tali vnione, cum eſſet ex duobus entibus completis, & nullo eorum ſuum complementum relinquente, non poſſet reſultare vnum ens per ſe, ac per conſeq. nec perſonale, ſed purum ens per accidens, ſicut ex Petro & Paulo vnitis. Nó enim apparet maior in vnā coaptatio in illis, quàm in iſtis. Inſuper, quia talis natura Angelica ſubſiſtens, eo ipſo eſſet Perſona: ergo incommunicabilis & inaſſumptibilis à Verbo. Licet enim perſonalitas non reddat naturam in ratione naturæ incommunicabilem, vt cernitur in Deitate, reddit tamen incommunicabile ſuppoſitum ipſum, iuxtà definitionem Perſonæ, quæ eſt: *Rationalis naturæ indiuidua & incommunicabilis ſubſtantia.*

926 Quæritur 7. an perſonalitas creata alienam poſsit terminare naturam diuinitùs? Dixi *diuinitùs*, quia cum natura ſubſiſtibilis, ſit naturalitér contenta ſubſiſtentia propria, nequit naturalitèr terminari aliena, ne haberet duplicem naturalitér. Affirmo. Ita plures Recent. & prob. quia nec repugnat ex parte naturæ creatæ, quæ ſi vniri valet perſonalitati alienæ infinitæ, multò magis finitæ, cum qua magis proportionatur. Nec ex parte perſonalitatis creatæ. Tùm quia ſi naturalitèr propriam ſuſtentat naturam, poterit obedientialitèr alienam & multò magis ſi ſepararetur à propria natura, ſicut calor ſeparatus à ſubiecto proprio poteſt diuinitùs informare alienum. Tùm quia quòd perſonalitas vnita propriæ naturæ, vniatur alienę per vnionem ſibi prętemnaturalem & ſupperadditam, non deſtruit prædicata eſſentialia ipſius: ergo poteſt diuinitùs vniri alienæ, eamque ſuſtentare.

927 Nec obeſt 1. ex D.Tho. hìc q. 3. art. 1. ad 2. quòd perſonalitas Diuina ex propria infinitudine habet poſſe terminare alienam naturam & ſubſtituere pro perſonalitate propria. Reſpondet Bernal habere ex propria infinitudine, quod terminatio duarum naturarum ſimùl, non ſit ipſi ſupernaturalis, ſed præternaturalis. Ego dicerē 1. D. Tho. aſſumere infinitudinē pro ratione ſuperabundanti non pro neceſſaria. Vel dic loqui de virtute terminatiua infinitarum naturarum, ſupletiua, quidquid in ſingulis eſt formalis perfectionis; non determinatiua & ſupletiua ſolùm, vnius vel alterius.

928 Nec obeſt 2. ex Suar. quòd ſubſiſtentia eſt modus. Iſte autem, nec diuinitùs valet modificare niſi naturam ſuam, vt patet in figura & in præſentia vnius, quæ nequit reddere præſens aliud. Nego eſſe modum. Dato quòd ſit, Diuina perſonalitas licet ſit inſtar modi, terminat alienam naturam. Idem dicam de figura & præſentia. Non enim repugnat quòd modus eſſentialiter affixus vni rei, alteri per nouam & diſtinctam vnionem affigatur, eamque denominet; ſicut apud multos vnio humana eſt modus formæ, & media eductione & paſsione diſtincta vnitur & denominat materiam, imò & vnio humana modus extremorum vnitur Verbo vnione hypoſtatica contingenti, illudque denominat.

928 Nec tertiò obeſt, ex Vazquez quòd illa ſubſiſtentia redderet perſonatam naturam illam in genere cauſæ formalis; non naturalitèr ſed obedientialitèr. Hoc autem repugnat. Forma enim per ſeipſam & non per eleuationem tribuit ſuum effectum ſubiecto capaci, cum denominatio formalis intrinſeca, ſit ipſa forma, & non aliquid aliud loco ipſius. Hoc argumentum probat humanitatem non poſſe denominare Verbum hominem, aut humanatum, ſiquidem non poteſt niſi in genere cauſę formalis & per eleuationem. Reſp. tamen eleuationem non impedire quòd perſonalitas per ſe ſolam compleat naturam. Eleuatio enim non eſt compars intrinſeca in complendo, ſed extrinſecè aut efficientèr eleuat vt perſonalitas per ſeipſam intrinſecè compleat. Sicut

qui

Digitized by Google

cum potentia paſsiua intellectus eleuatur ad recipiendum lumen gloriæ, per ſe & per ſuam entitatem recipit, licet per aliud habeat (in diuerſo genere cauſæ) vt per ſe recipiat.

929 Differentia ergo formæ naturalitèr informantis & eleuatæ, non ſtat in eo, quod vna informet per ſe intrinſicè, & alia non; neutra enim per aliud informat: ſed ſtat in eo, quod vna id præſtet per ſe ex propria exigentia, alia non ex exigentia, ſed vt eleuata à Deo in alio genere cauſæ concurrente. Sicut materia prima non recipit formam, niſi vt diſpoſita per diſpoſitiones, ſed non per illas vt in genere cauſæ materialis recipientes, ſed vt in genere cauſæ formalis diſponentes eam, ad hoc vt ipſa per ſe ſolam recipiat. Sicut intellectus paſiuè recipit lumen gloriæ per ſe ipſum, ſed eleuatus, vel à Deo actiuè concurrente (de quo Ripalda tom. 1.) vel ab ipſo lumine, vt dicunt Thomiſtæ, concurrente formalitèr. Etenim à Deo, vel à lumine confortatur vt per ſe ipſum recipiat ipſum lumen.

ARTICVLVS VLTIMVS.

RELIQVA ARGVMENTA. VBI DE naturis incompletis.

930 NEc obeſt 4. Quæuis ſubſiſtentia creata eſt debilis, & egens ſuſtentari à natura cui vnitur, quia vel eſt modus, vel res educta. ergo nequit alienam naturam ſuſtentare. Reſp. 1. Si quid probat, probare etiam, quod nequeat naturam propriam ſuſtentare. Reſp. 2. Quando vnita, & ſuſtentata à propria natura ſuſtentat alienam, licèt ab aliena ſuſtentetur, id eſſe non ex indigentia, ſed ex ſuperabundantia. Reſp. 3. conceſſo antecedenti, nego conſeq. quia ſuſtentari ab alio, benè compatitur cum ſuſtentare illud in diuerſo genere. Patet in baculo, qui vt ſuſtentet corpus ſenis, debet à ſene in manu ſuſtentari. Similitèr parietes terreę vt benè tectum ſuſtentent, & detineant, debent à pondere ipſius tecti ſuſtentari, robutque accipere contra ventorum & pluuiarum impetum, & ſic mutuo ſibi deſeruiunt ſuſtentationi. Hæc exempla licèt probatiua non ſint, intentum tamen aptè explicant, ſicut & exemplum luminis adductum num. 929.

931 Nec obeſt 5. Virtus hæc deberet eſſe perfectionis infinitæ heterogeneæ; atqui hoc ſolum conuenit diuinæ Perſonalitati: ergo & illud. Maior patet, quia debet ſuplere in quauis natura aſſumptibili perfectionem propriæ ſubſiſtentiæ formalem, ſtrictam, & ſpecialem ſecundum omne, quod propria dicit de ſpeciali perfectione. Minor etiam patet. Quia eminentialis & ſimùl formalis continentia huius & illius naturæ ſpecificæ, non conuenit naturæ creatæ, (hæc enim contenta eſt ſuo formali eſſe, limitato) ſed ſolum diuinæ, quæ ſpecialitèr formalitèr, & per gradus formales diuerſos, omnium ſpecierum continet omnes earum perfectiones. Reſp. 1. diſtinguendo maiorem, vt virtus ſupleat pro perſonalitate omnis naturæ, ſecundum omne omnino, quod illa dicit perfectionis ſpecificæ, concedo. Vt ſupleat pro vna, vel altera ſibi ſimilari, nego. Et negabo magis ſi pro perfectione complendi, ſolum ſupleat genericè; quia ad hoc ſufficit ſi ſit generalitèr complementum, quamuis nihil amplius habeat ſpecialis perfectionis. Nos iſtud intendimus, non primum.

932 Declaro exemplo clauis, in qua ad infinitas ſeras eiuſdem artificij, ſufficit artificium vnum & finitum, vnius clauis: imò, & ad diuerſa artificia ſi ſint aperienda modo vnico vniuerſali communi omnibus, vt per clauem appellatam *magiſtram*, quæ duplici ſolo dente per modum omninò eumdem plures ſpecie aperit ſeras. Requiruntur tamen in claue artificia formalitèr infinita, ſi coaptatio clauis ad artificia, debeat eſſe talis quæ omnes omnino cuiuslibet artificij aperturas impleat, & per ſuas partes ſolidas coæquet: & ſic erit de ſubſiſtentia, quæ ſolum eſt infinita in perfectione, quando omnes omninò perfectiones ſpecificas ſuplere debet in ſingulis naturis infinitis perſeitandis, ſecùs quando per modum vnius vel genericé, illas eſt terminatura. Idem dici ſolet de cognitione plurium indiuiduorum expreſſa, vel infinitarum ſpecierum confuſa. Finitæ enim perfectionis vtraque eſt, quia per modum vnius & finitè attingit illa: infinita vero erit, quæ infinitas ſpecies per infinitas ſpecificas expreſiones attingeret. Vide infra quæſt. 20. art. 4. & 1. par. nu. 3.

Ex his nota pro dictis num. 883. perſonalitatem Verbi ideò terminare humanitatem finitè, quia non ſecundum omnes virtutes terminatiuas ſuas heterogeneas & ſpeciales, omnium naturarum diuerſæ ſpeciei, ſed terminat ſecundum illam ſolam ſpecialem quę correſpondet propriæ. Quòd ſi ſecundum alias virtutes terminaret, id eſſet generalitèr, & non ideò eſſet plus terminatiua intenſiuè, ſed ad ſummum extenſiuè. Sed quomodò perſonalitas diuina, quæ eo ipſo eſt infinitè perfectior omnibus ſpeciebus creabilibus, non infinitat vnionem (imò nec viſionem beatam) & ſpecies illę infinitant cognitionem expreſſam ſui? Valdè eſt dificile explicatu. Sed vide quęſt. 20. art. 4.

933 Nec obeſt 6. Creatam perſonalitatē fore infinitā, quia ſi eſt virtus terminādi vnam, poterit duas & tres & infinitas: ergo requirit virtutem infinitam. Conſequētia probatur, quia virtus terminatiua infinita, in ratione ſubſiſtentiæ, infinita eſt. Reſp. negando fore infinitam. Ad probat. reſp. Si debat ſupplere perfectiones ſpecificas propriæ ſubſiſtentiæ fore potentem ad vnam, vel alteram ſolum; ſecùs ad infinitas, quia finita eſt. Si verò ſolum debeat ſupplere generalitèr terminando, poterit ad infinitas; ſicut intellectus finitus per perfectionem finitam eſt potens ad cognitiones infinitas iuxtà dict. 1. par. à num. 283. & ſicut hic num. 932. dixi de cognitione finita. Vndè ſolum eſt infinita illa ſubſiſtentia in qua eſſent formalitèr omnium ſubſiſtentiarum heterogeneę perfectiones, non vero vna generica ſolum, ſicut virtus vnius albedinis ad infinita ſubiecta diuiſiuè, vel ſimùl non eſt infinita.

934 Reſtabat examinare, an Verbum poſsit aſſumere naturas incompletas & quomodo? Sed de corpore & anima rationali iam conſtat potuiſſe, ex triduo. Solum aduerte pro dictis num. 832. quod in triduo anima rationalis vere ſubſiſtebat per ſubſiſtentiam Verbi, & perſeitata erat poſitiuè ab illa, & inter Verbum & illam vt mihi eſt valdè probabile (ſi adiectiuè ſummatur) idiomatū dabatur communicatio, & hoc abſque Sinecdoche. *Deus enim verè deſcendit ad inferos, verè confregit portas inferi*, quod fecit per animam in qua ſubſiſtebat. Iacuit in ſepulchro per corpus in quo ſubſiſtebat. Vndè ſicut paries denominatur albus in obliquo ab albedine incompleta, vel etiam à calce alba completa; cur non Verbum in obliquo homo ab humanitate natura perfecta, & corpus & corporatum à corpore natura imperfecta? Vndè *ſepultus* dicitur de Chriſto, per Sinecdochem; de Deo verò abſque illa.

Sic ſi anima Chriſti fuiſſet creata & Verbo vnita, ante vnionē ad corpus, poſſet verè diligere Deum (ſicut modo anima Diui Petri) & facere actiones liberas & meritorias infiniti valoris: ergo quia operans erat ſuppoſitum diuinum: mereri enim amando eſt proprium animæ, ſicut videre Deum & ſubſtantialitèr beatificari: ergo tunc Verbum per animam idiomaticè denominabatur, & erat illud merens infinitum: ergo & Verbum erat anima, adiectiuè ſumpta. Et ſic manet magis firmata doctrina num. 832.

935 Quòd ſi alicui durum videatur, quòd Verbum ab anima dicatur Logicè animatum; ſicut à corpore corporatum, & ab humanitate humanatum. Eo quod ſolum dicatur animari, quòd ſupponebatur non viuens, vt corpus animalis ante animationem. Reſpond. me propterea dixiſſe *Logicè animatum*, non phyſicè, ob inconueniens propoſitum. Logicè autem, idem eſt, ac ſubſiſtens in anima rationali, per quam reddatur merens, beatificatum,

ligans Dęmones in inferno, &c.

936 De formis materialibus reſtat quæſtio, & negant Thomiſtæ, quia negant eis eſſe poſsibilem ſtatum incompletionis & ſeparationis à materia. Nos dicimus 1. poſſe diuinitus ſeparari, & aſſumi, & tunc ſuſtentari, & perſeitari poſsitiuè à Verbo & denominari à Verbo, nõ quidē ſuppoſsitatas; benè verò concretas, ſuſtentatas & vltimo terminatas; Verbum verò ab illis ſi adiectiuè ſummantur (de quo num.832.) denominari logicè nāturatum, animatum: Sicut ab vnione denominatur vnitum. In ſtatu autem vnionis ad corpus, etiam poſſet aſſumi forma materialis, inaſſumpto corpore; vt plures docent in triduo aſſumptum corpus, & non formam cadauericam. De aſſumptione accidentium de poſsibili ſatis diximus ſupra num.841.

937 Pro coronide huius tractatus nota; Chriſtum dicere, ſubſiſtens in vtraque natura: ita tamen vt poſsit ſumi in ſua naturaliori conſtitutione, vel in minus naturali, (ſæpè autem ſumi vno modò, ſæpè alio). In naturaliori eſt formalitèr in recto *concretũ ſubſiſtentium Deitatis & perſonalitatis, dicens in obliquo humanitatē*. In minus naturali eſt *concretum ſubſiſtentium humanitatis & perſonalitatis, dicens in obliquo deitatem*; & ſic verificatùr, *quòd homo ſit Deus, & Deus ſit homo*, numquam tamen prædicari debet in recto vna natura de alia. Hæc valdè notari debent, & ſimul diſtinctio illa conſtitutionis naturalis, & præternaturalis, de qua num.901. pro complemento doctrinæ à num.820. allatæ. Et hæc de 1. parte Miſterij, ſiue de eius ſubſtantia. Nunc de alijs illud comitantibus.

TRACTATVS II.

DE PERFECTIONIBVS Chriſti.

DISTINCTIO V.

DE GRATIA CHRISTI.

938 POST Myſterium Incarnationis conſtitutiuè declaratum, eiuſque cauſas in præcedentibus quæſtionibus diſcuſſas, modò neceſſe eſt de Chriſti gratia ſanctificante, ipſiuſque alijs perfectionibus, pro perfectiori Incarnationis notitia, ſermonem inſtituere. Et 1. de gratia cum D.Thoma 3. part. à quæſt.7. De duplici autem gratia poteſt difficultas procedere. Vna eſt ſubſtantialis formalis, ab vnione ſubſtantiali hypoſtatica cum Verbo proueniens. Altera eſt accidentalis, nempè gratia habitualis per quàm reddimur amici Dei, grati, atque iuſti. Nunc de prima gratia ſermo ſit, quæ eſt fundamentum, & quaſi menſura alterius.

QVÆSTIO XIX.

DE GRATIA VNIONIS.

ARTICVLVS I.

AN SIT IN CHRISTO SANCTITAS ſubſtantialis.

939 CHriſtum fuiſſe à Verbo ſubſtantialitèr Sanctum, ita apud omnes Theologos eſt receptum, vt oppoſitum cenſura dignum iudicauerint aliqui. Hurtado diſp.47. ſect.2. §.11. habuit pro de fide. Martinus Perez diſp.17. ſect.3. oppoſitum iudicauit eſſe temerarium ſaltim. Alij abſtinent a Cenſura. Et Merito, quia Rada & Felix cap.11. difficul.2. cum alijs Scotiſtis tenuit à gratia vnionis, ſiue à Verbo, Chriſtum non fuiſſe formalitèr Sanctum, ſiue humanitatem non fuiſſe formalitèr ſanctificatam, ſed cauſalitèr tantùm; quatenùs ei, vt Verbo vnitæ, fuit debita gratia habitualis, vniuerſaliſque rectitudo, quæ ſola eſt ſanctitas Filiorum Dei propria, & de qua hic eſt ſermo: à differentia alterius ſanctitatis, quæ poteſt conuenire non filijs, vt brutis & inanimatis, ſcilicet ſanctitatis conſecrationis. Vndè ſi humanitas mortale commiſiſſet ante vnionem, poſt vnionem perſeuerare poſſet in macula & inimicitia Dei, ſi gratia habitualis ei denegaretur, quia non haberet per quòd formalitèr redderetur ſancta, atque formalitèr mundata à peccato.

940 Hæc ſententia probari poteſt. 1. quia repugnat Verbo eſſe formam phyſicam humanitatis licet poſsit eſſe forma moralis: ergo repugnat ei eſſe formam ſanctificantem. Prob. conſeq. quia ſanctificatio propria Filiorum Dei fit iuxtà Concilium per formam inhærentem.

941 Secundò: humanitas ſi ſanctificaretur ſubſtantialitèr à Verbo, vel eſſet ab vnione vt forma, vel à perſonalitate, vel Deitate. Non ab vnione, vt ſtatim probabimus. Nec à perſonalitate, vt tenet Gonet cum aliquibus Thomiſtis. Nec etiàm à Deitate; ergo nihil eſt per quòd ſanctificetur formalitèr ſubſtantialitèr. Prob. min. in primis de perſonalitate. 1. quia perſonalitas nec eſt ſanctitas, nec rectitudo, quia iſtæ ſtant in natura ipſa diuina, vt radice viſionis & amoris Dei. 2. quia Relationes vt tales apud Thomiſtas non dicunt perfectionem. 3. quia ratio ſanctitatis non conſiſtit in ſola immunitate à peccato, ſed in ſanctificatione per modum facti eſſe, & imitatione naturæ diuinæ, non vt quævis perfectio diuina eſt talis ſicut gratia habitualis eſt ſanctitas,

etiam

etiam perfectiones participantes alia attributa diuina, v.g. lumen gloriæ, imò & fides, eſſent ſanctitates) ſtat ergo in perfectione diuina per modum naturæ vt talis, quod non competit perſonalitati. 4. quia nec ſanctificat, quia perſonalitas præciſè, atqui nec quia diuina; alias quodlibet attributum ſanctificaret: ergo non ſanctificat.

942 Probatur etiam de Deitate vt tali. 5. quia iſta communicatur humanitati, non quidem immediatè, ſiquidem immediatè non vnitur, ſed ſolùm mediatè: ergo nequit humanitatem Deitas per ſeipſam ſanctificare. non enim eſt forma phyſicè ſanctificans, quia non eſt forma, nec Deus poteſt ſuplere vices formæ creatæ, nempè gratiæ habitualis: atqui effectus primarius gratię eſt ſanctificare: ergo hic effectus ſanctificandi nequit præſtari per ipſum Deum. Confirmatur, quia Deitas nequit reddere humanitatem Deam, nec ſapientem, nec omnipotentem, eo quòd cómunicatio Deitatis ad humanitatem ſit tantùm mediata: ergo nec poteſt reddere ſanctam. Alia argumenta pro hac ſententia proponentur & ſoluentur infrà. Vide art. 4 ſolutionem.

943 Aſſero 1. humanitatem fuiſſe ſubſtantialitèr & formalitèr ſanctam à gratia ſubſtantiali. Ita ferè omnes alij Theologi præter Scotiſtas. Probatur 1. ex Patribus, quos congerunt Bernal (& alij Recentiores) diſp. 29. per totam, vbi ex Concilijs & Patribus concluſionem probat frequentiſſimè aſſerentibus *Chriſtũ vnctum fuiſſe ſubſtãtialitèr vnctione, ſiue Vnguento Diuinitatis*, & quidã ita claré loquuntur, vt doceant, *non fuiſſe ſolùm vnctum illa, operatiuè & cauſalitèr, ſed illa per ſeipſam formalitèr.* Certùm autem eſt, nomine vnctionis ſanctificationem intelligere.

944 Vndè facilè impugnatur duplex reſponſio, quam ad Patres adhibere ſolent. Prima eſt quòd Patres loquuntur de ſanctificatione cauſalitèr & operatiuè, quatenùs vnctio ſubſtantialis per vnionem, eſt cauſa & radix propter quam habet gratiam habitualem, quæ eſt formalis ſanctitas. Contra tamen, quia Nazianzenus Oratione 36. propè finem ait: *Ea enim humanitatis vnctio eſt, non operatione vt in alijs Chriſtis ſanctificans, ſed vnguenti præſentia; cuius hic effectus eſt, vt id quod vngit, homo vocetur, & quòd vngitur Deus fiat.* Vbi differentiam inter Ieſum Chriſtum Dominum, & alios Chriſtos ponit in eo quod Ieſus ſanctificatus ſit, totius vnguenti, ſiue Verbi præſentia: nos verò non illa, ſed dono aliquo creato, ſiue operatione. Ergo humanitas ſanctificatur per Verbum ante gratiam habitualem, ſiue creatam operationem.

945 Secunda ſolutio, cui magis fidit Felix, eſt quòd Patres loquuntur de ſanctitate conſecrationis, non verò de ſanctitate propria Filiorum Dei. Sed contra, quia expreſſè loquuntur de ſanctificatione altiori in Chriſto, quàm in nobis: ergo loquuntur in Chriſto de propria Filiorum Dei. Tùm quia Synodus 6. apud Bernal diſp. 29. num. 4. expreſſè loquitur de ſanctitate illa Deificante voluntatem Chriſti, propter quam (audi Verba) *aſſumptæ humanitatis voluntas, ideò non eſt contraria Deo, quia Deificata*: ergo loquitur de ſanctificatione propriiſſima voluntatis rectæ & conformis diuinæ impotente irrationalibus convenire, ergo de propria Filiorum Dei. Tùm ex Pſalm. 44. *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, proptereà vnxit te Deus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Vbi expreſsè vnctio, & ſanctificatio Chriſti, quam in Chriſto facit formalitèr Deus, eſt ſanctificatio *ad diligendam iuſtitiam.* Proptereà inquit, ideſt *proptereà vt diligeres iuſtitiam, vnxit te Deus*: ergo eſt propria Filiorum Dei.

946 2. Probatur ratione. Tùm quia Chriſtus vt homo ex vi vnionis eſt ſubſtãtialitèr factus Filius Dei naturalis, vel ſaltim proprius cum iure æternæ hæreditatis: ergo & Sanctus filialitèr. Tùm quia quòd ablata gratia habituali Filius Dei ſubſtantialis, eſſet peccator & inimicus Dei & ſeruus diaboli, incredibile eſt. Tùm quia ſanctitas propria naturæ intellectiuę duo dicit, nempè puritatem immaculatam, immunem ab omni ſcęlere graui, (imò & leui, ſi ſit perfectiſſima) quæ per ſeipſam ſit, vel ſaltim ipſi debeatur vniuerſalis rectitudo in operando. Dixi, *vel deberetur*, quia ſi Charitas ſit gratia ſanctificans, vt plures docent, ipſa non eſt per ſeipſam principium vniuerſale influens immediatè in opera omnia ſuperna; debentur tamen illi aliæ virtutes, quę influant. Si autem gratia ſanctificans ſit qualitas à Charitate diſtincta, ipſa vt anima ſuperna, influit generalitèr immediatè cum omnibus virtutibus; atqui totum hoc quòd requiritur ad ſanctitatem, habet humanitas ex vnione ad Verbum; ergo ex vi iſtius, redditur ſubſtantialitèr ſancta. Minor prob. quia ipſi ratione diuinæ filiationis, etiam deficiente gratia habituali, debentur comprincipia inhærentia, vel permanentia vt habitus, vel tranſeuntia, vt lumen gloriæ datum D. Paulo in via, vt tanquam filius cognoſcat & amet Patrem.

ARTICVLVS II.

AN AB VNIONE PER SEIPSAM SANCTIficetur humanitas.

947 EST duplex difficultas. 1. An formalitèr ſanctificetur ab ipſa vnione. 2. An à Verbo, & an ſecundùm perſonalitatem, vel ſecundùm Deitatem. De vnione negant plures Recent. contra Bernal & multos alios. Probant, quia vnio hypoſtatica poteſt eſſe ad naturam irrationalem: atqui iſtam nequiret ſanctificare: ergo de ſe non eſt formalitèr ſanctitas. Mala conſequentia, quia, quòd iſta non ſanctificaretur, prouenitet ab incapacitate ſubiecti, quæ non datur in humanitate capaci amicitiæ Dei, æternæque hæreditatis. Præberet autem naturæ irrationali ſanctificationem conſecrationis, cuius erat capax, vt eam tribuebat Corpori Chriſti in triduo.

948 Aſſero 2. Vnio non eſt per ſeipſam forma ſanctificans. Prob. diuerſa ratione. Quia ſi eſſet formalis ſanctitas, maximè quia eſt perfectio ſuperna puriſſima & incompatibilis cum peccato ſanctitati oppoſito, iuſque ad rectitudinem vniuerſalem, atque participatio diuini eſſe. Sed hęc omnia non ſufficiunt, vt ſit forma ſanctificans: ergo non eſt. Minor probatur, quia hæc omnia vnionem eleuant ad rationem ſolam ſanctificationis vialis, & quaſi in fieri, non verò ſanctitatis formalis in facto eſſe, ſiue formæ ſanctificantis. Patet multis exemplis. Etenim identitas animalis cum rationali, licet ſit prædicatum hominis proprium, primòque determinans animal ad conſtituendum hominem, & ad incompatibilitatem cum bruto. Item vnio phyſica materiæ primæ ad animam rationalem, habet ſimilitèr totum hoc. Nec proptereà ſe habent vt formæ, & per modum facti eſſe, eo quod has incompatibilitates habeant per modum viæ, nexus & in fieri, ſiue per modum determinationis vialis.

949 Idem cernitur in vnione gratiæ habitualis cum anima rationali, & in vnione luminis gloriæ cum intellectu: quæ vniones, licet ſint primùm incompatibiles cum oppoſitis termino ſuo, & primum cui debetur immediatè immunitas à peccato, atque rectitudo vniuerſalis, ſuntque modi ſuperni ſecum afferentes omnia, quæ affert gratia, & lumen, eorumque ſaporem in omnibus habent effectibus; quia tamen nec habent prædicatum ſpeciale perfectionis, naturæ diuinæ imitatiuum, nec ſe habent per modum formæ, & facti eſſe; ſed per modum viæ, non ſunt forma ſanctificans: ergo ſimilitèr, nec vnio hypoſtatica.

950 Nec dicas: In Chriſto vnio hypoſtatica eſt Deitatis increatæ, creata participatio: Ergo erit forma ſanctificans, multò melius, quam gratia habitualis. Conſequentia probatur, quia gratia habitualis ſanctificat, eo quod euehat hominem ad eſſe diuinum; atqui perfectius trahit vnio humanitatem ad eſſe diuinum. Trahit enim, vt dicemus, ad eſſe diuinum in ſe ipſo: ergo

eſt

Digitized by Google

eſt forma ſanctificans. Reſpondetur, eſſe participationem tantum per modum nexus & viæ, & abſque ſpeciali imitatione naturæ diuinæ, ac per conſequens non eſt forma ſanctificans, ſicut eſt gratia habitualis.

951 Infero, gratiam habitualem in ratione formæ ſanctificantis differre ab vnione hypoſtatica, ita vt illa ſanctificet, & hæc non. 1. quia gratia ſanctificat per modum naturæ, vt radicis videndi, & amandi Deum, ſiue per modum puritatis in facto eſſe. Vnio verò per modum viæ. 2. quia gratia expellit peccatum per ſe immediatè & directè. Vnio indirectè & per aliud, nēpè per diuinitatem, quam phyſicè trahit. Sicut contritio reddit animam incompatibilem cum peccato, ſed mediatè & indirectè, & ratione gratiæ, ad quam vltimo diſponit, & vt diſpoſitio vltima trahit. Vndè cum Patres dicunt vnionem eſſe gratiam, volunt eſſe donum gratuitum. Et dum dicunt ſanctificare; intelligitur mediatè, & per aliud, ſicut dicunt, charitatem ſanctificare; vtique mediatè, & per gratiam cum qua connectitur.

952 Quod ſi dicunt de humanitate ſanctificari, quatenùs deificatur, & eſt deitate delibuta. Atqui denominatio deificatæ eſt formalitèr ab vnione, ſiue à fieri paſsiuo: ergo ab vnione ſanctificatur. Reſp. 1. diſtinguendo mai. ſanctificatur quatenùs deificatur, ſanctificatione inquam viali, concedo: quia vnio eſt fieri, & via ſanctificationis: formali nego maior. quia hoc habet à deitate per illud fieri, vnita. Data maiori. Pater Gonet negat minorem, quia talis denominatio & ſimiles, ſumuntur à forma, licet locutio non ſonet formam, ſed vnionem, & fieri formæ. Sic viſum explicatur per terminare viſionem, cum tamen ſit denominatio, non à termino, ſed à viſione; ſimilitèr denominatio igniti ſonat coniunctionem cū igne, & potius eſt denominatio ab ipſo igne, ita denominatio deificatæ, eſt à diuinitate ipſa. Sed 1. ſolutio planior, & facilior eſt.

ARTICVLVS III.

AN HVMANITAS SANCTIFICETVR à Verbo.

953 ASSERO 3. Humanitatē ſanctificari formalitèr Verbo, ſiue ſanctitate Dei increata, tanquā forma. Eſt cōmunis aſſertio. Et probatur. Tū ex Cōcilio Frācofordienſi in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, dicente: *Chriſtus natura vnctus, non per gratiam, qui in illo plenè fuit Diuinitas.* Ecce quomodo ſanctificationem, quam nos habemus per gratiam, Chriſto tribuit per Diuinitatem: ergo formalem. Tum quia Diuinitas, licèt non poſsit eſſe forma phyſica, benè poteſt ſe habere formalitèr phyſicè, ſiue per modum termini, & facti eſſe puriſsimi phyſicè vniti, & incompatibilis cum peccato, & fundantis immediatè ius ad rectitudinem vniuerſalem. Sicut ſubſiſtentia Verbi reddit phyſicè immediatè formalitèr, ſiue vt forma logica humanitatem completam, & ſubſiſtentem.

954 Obijcies 1. Verbum phyſicè vnitum humanitati, nequit eſſe forma phyſica ipſius: ergo nec illam mediante phyſica vnione phyſicè formalitèr ſubſtantialitèr ſanctificare. Conceſſo antecedenego conſeq. quia aliud eſt formalitèr phyſicè ſanctificare, & deificare, & aliud vt forma phyſica. Primum eſt verum. Secundum eſt falſum, quia forma phyſica dicit incompletionem, & potentialitatem, phyſicè autem deificare formalitèr, ſolum importat terminationem phyſicam, exercendo illam ſicut perſonalitas humanitatem reddit ſubſiſtentem formalitèr quidem, ſed vt forma metaphyſica denominatiua. De quo diſputatione 1. de Incarnatione.

955 Summitur ergo hic ly *formalitèr* ad diuerſificandum à *cauſalitèr*, vel *virtualitèr*. Non enim Diuinitas ſanctificat humanitatem deificatque illam ſibi vnitam, eo ſolum, quòd cauſet gratiam habitualem in illa, ſed per ſeipſam ſanctificat, ita vt ablata gratia habituali, adhuc humanitas maneret immediatè deificata, ſanctificata, & incompatibilis cum peccato, & fundans immediatum ius ad comprincipia, ſiue ad auxilia tranſeuntia, & permanentia ad rectè vniuerſalitèr operandum. Nec etiam ſanctificat æquiualentèr ſolum, ſed formalitèr ſanctificatione formali ſubſtantiali diuerſa à gratia habituali accidentali, cui eminentèr æquiualet. Ratio eſt, quia humanitas vnita per vnionem ipſam trahitur formalitèr, & multò perfectius ad eſſe diuinum, quam per gratiam habitualem, adducatur ad illud homo in bono creato participatū. Sic manet explicatum ly formalitèr.

956 Obijcies 2. Ergo etiam poterit humanitas reddi intelligens ab intellectione Dei increata, imò, & potens intelligere à lumine intellectiuo Dei. Pro nunc nego conſequentiam, quia cum intelligere ſit vitalis operatio, debet eſſe ab intrinſeco intelligentis, vel per identitatem, vt in Deo, vel per immanentem productionem, vt in nobis. Si dicas: lumen poteſt eſſe ab extrinſeco, & ob id lumen Dei reddere intellectum creatum vice luminis gloriæ illuminatum. Quidam tamē reſpondent negando in Deo lumen per modum actus primi. Eo tamen dato, repugnat tale lumen creaturæ, cum repugnet intelligere per intellectionem diuinam ad quam ſolam deſeruit lumen increatum Dei. Inſuper reſpondetur ſicut de Omnipotentia, nu. ſeq.

957 Replicabis: ergo poterit humanitas ab Omnipotentia reddi formalitèr omnipotens, ſaltim ſi vniatur illi immediatè, ſicut & redditur Deificata, & ſancta; denominatio enim potentis omnia, cum vitalis non ſit, poteſt eſſe ab extrinſeco. Nego conſequentiam, quia denominatio potentis, virtuoſi, & omnipotentis, ſe habet, tanquam potentiæ, & actus phyſicorum, ſiue ſubiecti, & formæ intrinſecæ, & immediatæ, vt docetur in materia de Viſione à negantibus poſſe Deum eleuare intellectum per auxilium extrinſecum, & ita cernitur in omni denominatione intrinſeca formali: nec ſufficit ad hoc ſe habere inſtar puri termini, niſi quando denominatio eſt naturæ & ſubſiſtentiæ, vel ſanctitatis.

ARTICVLVS IV.

AN SANCTIFICETVR PER PERSONALITAtem, an per Deitatem. Vbi reſpondetur argumentis articuli primi.

958 RAtiones dubitandi contra vtramque, artic. 1. propoſuimus. Aſſero tamen 4. cum Recentioribus, ab vtraq; ſanctificari ſimùl, & diuiſivè. Quælibet enim ſe habet ad humanitatē intrinſicè phyſice formaliter, per modum perfectionis diuinæ in facto eſſe. Et quælibet reddit humanitatem puram, & à peccato immunem, & quælibet vt communicata humanitati fundat ius ſtrictum, vt talis humanitas obtineat, vt porè eleuata ad ordinem diuinum ſubſtantialiter, comprincipia cognoſcendi, & videndi Deum, & illum redamandi. Et quælibet, ſuppoſitum illud conſtituit amabile à Deo amore amicabili: ergo quælibet ſanctificat humanitatem formalitèr, ſanctitate propria Filiorum Dei.

959 Ad argumenta articuli primi reſpondetur, & ad primum humanitatem, ſicut phyſicé ſubſiſtit formalitér à Verbo, quin ſit forma phyſica, ſed ſufficit Logica, ita & phyſicè ſanctificatur. Tridentinum autem formam inhærentem requirit ſolum in nobis, quia gratia habitualis per ſe eſt forma. Sicut autem ſanctitas intrinſicé ſanctificat Deum quin Inhæreat, & quin ſit forma, ita & ſanctitas Verbi humanitatem per vnionem intrinſecam: Ad 2. reſpondetur negando minorem, quia ſanctificatur à perſonalitate, & Deitate. Ad primam probationem minoris reſpondetur, perſonalitatem eſſe ſanctitatem puritatis, & vlterius eſſe radicaliter rectitudinem propter ius in comprincipia ad operationes rectas. Ad ſecundam probationem reſpondetur, perſonalitatem di-

Digitized by Google

dicere perfectionem. Et licet non diceret ratione ſui, adhuc ratione ſui eſſet puritas, vtpotè Filiatio diuina ſubſtantialis reddens incompatibilem cum peccato, afferenſque ius ad comprincipia operandi rectè. Quòd ſi replices fore in Deo tres ſanctos contra omnes Theologos. Reſp. Abſolutè nego, cum addito nempè tres relatiuè, per tres ſanctitates relatiuas & puritatis, cum iure, &c. Concedo. Sola enim ſanctitas per modum naturę eſt vna. alia vero puritatis eſt traſcendens, ſicut apud multos ſunt tres æterni relatiuè ſecus abſolutè.

960 Ad tertiam probationem minoris reſpondetur, diſtinguendo duplicem ſanctitatem, vnam puritatis non operatiuæ per ſe (ſed ei ego addo, quod ſit cum iuribus iam dictis). Aliam, quæ per ſeipſam, præter eſſe puritatem, ſit participatio diuinæ eſſentiæ, & principium immediatum vniuerſale ſupernum operandi rectè per cognitionem & amorem, vt eſt Deitas ipſa. Vt autem aliquid ſit ſanctitas ſanctificetq; human. tatem, debet eſſe participatio diuinæ naturæ vno ex his modis: ideſt vel in ratione eſſentiæ in gradu aliquo proprio ipſius vt diuerſę ab Attributis, & quod ſimul ſit immediatè operatiua rectè vel in ratione puritatis & iuris ad comprincipia ad operationes rectas. Quod autem ſufficiat illud ſecundum patet, tum in Charitate ſi ſit forma ſanctificans, tùm quia alias Deitas etiam ſi immediatè vniretur humanitati, non poſſet illam ſanctificare, quia in illa non eſſet potens per ſe operari immanentèr cognitionem & amorem. Solum ergo ſanctificat, quia per ſe mundat, & fundat ius, & affert comprincipia ad operationes rectas.

961 Ad 4. reſp. perſonalitatem ſanctificare vt diuinam, quia vt ſic eſt puritas, & fundans prædictum ius. Et idem dicam de quovis Attributo, ſi ipſum vniatur humanitati, ob eandem rationem. Non tamen de eius participatione, quia non omnis fundat tale ius, nec participat puritatem diuinæ naturę prout cum munere radicis, & iuris operãdi vniuerſalitèr rectè. Iuris inquam, quod petendo habitus, & comprincipia, petat mediatè operationum illarum exercitium.

962 Ad 3. partem min. de Deitate reſpond. ſanctificare humanitatẽ, tùm quia apud Patres dicitur vngi Deitate. Tùm, quia eo ipſo, quod mediatè intrinſecè informetur, iam denominatur a Deitate intrinſicè deificata. Tùm, quia hoc titulo Deitatis phyſicè mediatè vnitæ, humanitas eſt intrinſecè phyſicè pura, & immunis à culpa cum phyſica incompatibilitate. Haberque ius eo ipſo ad comprincipia rectitudinis. Tùm denique, quia ſi gratia poſita in ſola anima (imò & charitas poſita in ſola voluntate diſtincta ab anima) ipſam ſanctificat, imò & totum hominem, eo quod ſit participatio diuinæ naturę multo melius ipſa diuina natura per ſeipſam totam humanitatem ſanctificabit.

963 Nec obeſt, quòd mediatè communicetur. Contra 1. Quia ſicut ſi gratia ſanctificans recipiatur in ſola anima immediatè & non immediatè in potentijs, non proptereà potentiæ deſinunt eſſe intrinſece ſanctificatæ, & puræ, puritate incompoſsibili pro eo tunc cum peccato, à ſanctitate intrinſeca ſuppoſiti, vel animæ. Similitèr eſt de Deitate intrinſecè mediatè vnita. Inſuper, quia accidentia recepta in ſola quantitate non proptereà deſinunt eſſe intrinſeca materiæ ſubiecto quantitatis & reddere iſtud incapax pro tunc, ſui contrarij.

964 Contra 2. Quia poſita perſonalitate, & vnione vt conditione, ipſa Deitas ratione ſui, eſt immediatus titulus immunitatis a peccato, phyſicè & intrinſicè poſſeſſus. Nec enim ad immediatè ſanctificandum requiritur tan ſtricta & immediata vnio, ſicut requiritur ad dandas alias denominationes Sapientis, Omnipotentis & Deæ, vt cernitur in dignificatione operum Chriſti à Verbo. Adhuc autem eſt maior intimitas in deitate ad vnionem, quia phyſica & neceſſaria & intrinſeca, quam in Verbo ad productionem operum, quia contingens productioni. Ex quo patet ad confirmationem. Et inſuper ad denominationem Deæ, eſt incapacitas in humanitate, ſecùs ad denominationem ſanctę, ad quam ſufficit, vt dictum eſt, phyſica intrinſeca poſſeſsio Deitatis.

965 In hoc articuli nota Scotiſtas nouitèr ad concilia & Patres docentes humanitatem ſanctificari Deitate, reſpondere, nunquam dicere à Deitate ſola: & ideò interpretandos eſſe ſanctificari a Deitate & gratia: ab illa vt radice ſiue vt iure congruentiæ; ab iſta formalitèr. Et ratio eſt, quia iſta eſt forma inhærens & principium operandi per ſeipſam rectè: quod requiritur ad ſanctitatem. Sed contra, quia Patres ſæpè ponunt diuerſitatem ſanctificationis inter Chriſtum & nos. Si autem ſolum ſanctificaretur humanitas formalitèr à gratia, nulla eſſet diuerſitas in ſanctificatione (ſi quidem nulla eſt in conſtitutiuo formali ſanctificationis, licet ſit in congruentia ad illam contingentèr ſe habente) ſicut nulla eſt diuerſitas apud Patres in beatitudine eſſentiali, licet ſit in iure ad illam.

966 Falſum autem eſt, quod omnis ſanctitas debeat eſſe forma inhærens vt patet in ſanctitate ipſius Dei. Tridentinũ autem ſolum intendit ſanctitatem noſtram, non eſſe denominationem extrinſecam à ſanctitate Chriſti, ſed intrinſecam, quod abſque inhærentia verificari poteſt in ſanctificatione humanitatis à Verbo. Sicut enim illud, quia perſonalitas eſt reddit intrinſecè phyſicè humanitatem perſonatam & incompatibilem cum oppoſito perſonæ, cur non ſi ſanctitas ſit, reddet illam formaliter ſanctam & incompatibilem cũ ſuo oppoſito nempè peccato? Certè hæc denominatio non impeditur à deffectu inhærentiæ, ſolius qualitatis propriæ, dummodo conſtet de intrinſicitate. Et confirmatur, quia non eſt vndè repugnet puritas & incompatiblitas cum peccato per aliquod donum intrinſecum, diuerſum à noſtra gratia habituali, & non inhærens, ſiue ſit donum ſubſtantiale, ſiue accidentale creatione productum. Cur ergo hoc exercitium denegandum eſt Verbo Dei, fonti ſanctitatis intrinſecè communicato? Certè nulla apparet in hoc repugnantia, ſed ſumma decentia & ad concilia & Patres ſincere interpretandos, ſumma conuenientia.

967 Nec verum eſt, quod ſit de ratione ſanctitatis eſſe principium immediatum operandi vniuerſalitèr rectè per ſeipſum. Nec enim Deitas per ſe in Deo influit in cognitionem & amorem licet ſit radix virtualis, & tamen eſt ſumma ſanctitas formalis. Nec item id conuenit habitui charitatis etiam ſi ſit ſanctitas. Imò ipſa gratia habitualis, vt operetur vniuerſalitèr rectè indiget habitibus realitèr diſtinctis à ſe. Ad ſanctificandũ igitur formalitèr, ſufficit formalitèr mundare & pulchram reddere naturam (quid autem mundius & pulchrius filio Dei, ſiue homine Deo?) & fundare ius ad alia comprincipia, etiam non ſanctificatiua, vt fides & ſpes &c. vt talis homo per illa operetur vniuerſalitèr rectè, quæ omnia intrinſecè præſtari à perſonalitate & Deitate ſatis probatum eſt. Vide iterum infra quæſt. de impeccabilitate Chriſti.

ARTICVLVS V.

ALIVD ARGVMENTVM, VBI AN ſanctificetur infinitè.

968 OBijcies 3. Si humanitas ſanctificaretur deitate intrinſecè, vel eſſet finitè, vel infinitè: atqui neutro modo: ergo non ſanctificatur. Minor probatur quoad 1. part. nempè non finitè. Tùm, quia alias magis valorarentur à Verbo operationes accidentales humanitatis, quam ipſa humanitas, ſiquidem illæ infinitantur, quod tamen abſurdum eſt. Tũ, quia humanitati ſubſtantialitèr vnitur, faciendo cum illa vnum totum per ſe ſubſtantiale, & quia immediatius vnitur, & intimius: actionibus enim, ſolum vnitur mediatè, quarenùs iſtæ oriuntur ab humanitate, cui contingens, & de per accidens eſt, eſſe Verbo vnitam.

969 Tum, quia actiones, ideò moralitèr infinitan-

Digitized by Google

tate ratione ſui, ſed de ipſa prout ſic eleuata ad ordinem filij Dei naturalis,& ſanctitate delibuta, atque diuinitate deificata.

981 Confirmatur, nam ſupra diximus, gratiam habitualem humanitati datam, titulo vnionis, non eſſe minorem ea quæ daretur illi, ſi data fuiſſet illi titulo meritorum. Ratio autem erat, quia humanitatis ius, in eius dignitate & eleuatione fundatum, non eſt inferius iure meritorum: ergo licet in eſſe communicationis, non ſit ſumma, eſt tamen in eſſe dignificationis, maior, vel æqualis valori ſummo meriti. Nec propterea humanitas dignificata à Verbo erit moralitèr omninò æqualis Chriſto, ſiquidem habet ſuam æſtimabilitatem, media identitate; humanitas verò media vnione. Sicut ergo opus Chriſti infinitatur à Verbo, ita & magis humanitas infinitabitur moralitèr, licet cum inferioritate ad Verbum.

982 Aſſero 2. Phyſicè infinitè ſanctificatur. Probo, quia tota capacitas obedientialis eſt repleta per Verbū, & hoc non extrinſecè, ſed intrinſecè, & quaſi inhærentèr; atqui eſt infinita, vt dicemus ex D. Thoma ad Anibaldum adducto hic quæſt. 21. de Gratia habituali art. 1. Ergo Verbū communicatur illi infinitè ſimplicitèr phyſicè. 2. Quia ſi per impoſsibile tota Dei ſcientia, vel tota omnipotentia vnirentur humanitati immediatè, prout oportet ad denominandam ſcientem vel potentem, redderent phyſicè infinitè ſcientem & potentem: Atqui tota ſanctitas Dei cum ſuis omnibus infinitatibus omnis generis, vnitur ſufficientiſsimè humanitati, vt omnes denominent illam ſanctam: ergo & ſimplicitèr infinitè ſanctam.

983 Minor probatur. Vt diuinitas humanitatem phyſicè ſanctificet, nihil amplius requiritur apud vos, quam quod habeat Deitatem intrinſecè per vnionē phyſicam mediatam, abſque eo quod à Deitate reddatur Dea. Hoc enim pacto præciſsè, iam redditur phyſicè pura, & phyſice incompatibilis cum peccato, ſed hoc omninò eodem modò, participat omnes & ſingulas infinitates diuinæ puritatis,& ſanctitatis totas & totalitèr, & eadem omninò totalitate, ac participat Deitatem: Ergo ſanctificatur ab omni, atq; ab infinitis titulis diuinæ ſanctitatis, ita vt quantum Deus habet ſanctitatis, nulla formalitate reſeruata ſibi, communicetur totum, & totalitèr licet modò inferiori humanitati, quia totum habet eodem modò ſibi communicatum, ac communicatur ſanctitas Deitatis.

984 Vndè licet humanitas ſit incapax, vt denominetur ab alijs perfectionibus diuinis, denominatione propria cuiuslibet, non tamen, vt denominetur ſancta ab omnibus, vt omnibus. Eſt enim magna diſparitas inter denominationem ſanctificatæ ab omnibus vt omnibus,& alias denominationes. Ad illam enim ſufficit, quod humanitas per vnionem mediatam ſit habens eas. Nec enim omnis denominatio gratæ, eſt denominatio virtutis ad operari per ipſam ſanctitatem, vt male quidam obijciunt. Inſuper eo ipſo redditur per illas pura,& incomparibilis cum peccato, Vt autem reddatur ſapiens, omnipotens, vel Dea, ſtrictior & immediata vnio potentiæ & formæ requiritur. Vndè nec redditur æterna, nec immenſa ab his attributis, quia (præter incapacitatem in intrinſeca ſua limitatione fundatam) nec eſt ſemper, nec vbique: nam ad hoc non ſufficit *habere eas*, ſicut non ſufficit habere filiationem, vt reddatur naturalis filia.

985 Si autem per Verbi ſubſiſtentiam ſubſiſtat ſolum finitè phyſicè (dico phyſicè, nam moralitèr plus infinitatur quam opus Chriſti) adhuc eſt diſparitas à ſanctificatione; hanc enim accipit ab omnibus vt omnibus, phyſicè ei intrinſecis: ſubſiſtere verò à ſola ſubſiſtentia, quatenùs præciſsiſsimè ſubſiſtentia eſt, quin alia concomitantia Verbi influant in iſtam denominationem.

986 Dixi ſubſiſtere finitè. Quod ſi dicas primò contra hoc, ſubſiſtere quantum ſubſiſtibilis eſt, ita vt tota eius ſubſiſtendi capacitas obedientialis ſit expleta. Reſp. quod adhuc ſubſiſtit finitè phyſicè. Tùm, quia communicatur media vnione phyſica. Tùm, quia eius capacitas obedientialis non eſt infinita, ſed finita, ſicut capacitas intellectus eleuati, vt beatificetur à Deo, quia ſolum ſunt capaces denominationis, vt media vnione, aut viſione phyſicè finitis communicandæ. Si 2. hic homo præciſsè vt dicit Deitatem & perſonalitatem Verbi, vt diſtinctam virtualitèr à Deitate eſt perſona infinita ſimplicitèr (alias non infinitaret opera): ergo ſola perſonalitas ſufficit infinitare illud, cui communicatur: ergo humanitatem. Concedo anteced. de perſona in concreto (non in abſtracto de humanitate perſonata) & diſtinguo conſequens, ſi communicatio ſit per identitatem, vt reſpectu Chriſti concedo; ſi per vnionem finitam ſubdiſtinguo. reſpectu concreti concedo: abſtracti, ſiue humanitatis, nego. Iſta enim de perſonalitate, ſolum aufert de munere ſubſiſtendi, quod ſufficit vt ipſa ſubſiſtat & ſic ſubſiſtit finitè.

987 Objicies (& eſt valdè notandum) humanitas non redditur à Verbo phyſicè infinitè ſubſiſtens, ſed ſolum finitè & quantum ſubſiſtibilis eſt (vt diximus hic num. 985. & etiam num. 883.) ergo Chriſtus vt eſt hic homo Ieſvs, ſiue vt perſona ſubſiſtens in natura humana, non erit perſona ſimplicitèr infinita, nec vt ſic erit merens infinitum. Prob. conſeq. quia non alitèr Chriſtus vt hic homo Ieſvs imbibit perſonalitatem infinitam niſi quatenùs ex vi vnionis, hæc communicatur humanitati; atqui communicatur ſolum finitè: ergo hic homo, eſt perſona finita. Sed reſpondetur, perſonalitatem infinitam poſſe ſumi duplicitèr. 1. Vt vnitur & vt vialitèr ad conſtituendum. 2. Conſtitutiuè, ſiue vt formalitèr conſtituit hunc hominem. Conceſſo ergo anteced. nego conſeq. quia vt hic homo Ieſvs, imbibit *conſtitutiuè* infinitatem totam diuinæ perſonalitatis, quia *in conſtituendo*, ſe habet *vt eſt*: licet *vialitèr* ſe habeat vt vnitur.

988 Ad probat. reſp. diſtinguendo. Non alitèr imbibit perſonalitatem infinitam, niſi quatenùs ex vi vnionis communicatur humanitati: non alitèr, *vialitèr*, concedo, quia non eſt alia via immediata. Non alitèr *conſtitutiuè*, nego, quia ſic non ſumitur ſecundum quod præciſsè de perſonalitate expreſsè & formaliſsimè vnitur, ſed ſecundum, quod *perſonalitas in ſe ipſa eſt*, quia ad conſtituendū intrat, *vt eſt*. Sic Spiritus S. conſtitutiuè eſt Deus ſed vialitèr & ex vi proceſsionis non procedit immediatè & directè vt Deus. Similitèr anima rationalis *conſtitutiuè ad hominem*, ſe habet vt eſt, nempè vt ſpiritualis, & vt rationalis *vialitèr* tamen & reſpectu vnionis ad materiam, ſolum vnitur vt anima, & ſolum vt anima communicatur corpori, reddendo illud animatum; non verò intellectiuum & ſpirituale, quia vt ſic non communicatur corpori. Si replices iterum: hæc conſtitutio non intrat niſi *vi ſola vnionis*, ergo ſi vialitèr intrat finitè, conſtitutio finita reſultat. Diſtinguo anteced. via ſola vnionis radicalitèr, concedo. Formalitèr & complete, nego. Poſsita enim vnione, intrant formalitèr immediatè ratione identitatis ad conſtituendum, omnes aliæ perfectiones perſonalitatis. Sicut in exemplo animæ rationalis. Nam poſsita vi vnionis & capacitate ſubiecti, intrant aliæ formaliter ad conſtituendum cum illo. Perſonalitas ergo licet humanitatem reddat ſubſiſtentem finitè, concretum reddit ſubſiſtens infinitum.

ARTICVLVS VII.

ARGVMENTA DIFFICILIA.

989 NEC obeſt 1. Contra 2. concluſ. de infinitate, quod communicetur media vnione finita. Reſp. 1. vnionem non ſe habere vt menſuram, ſed vt conditionem, qua poſsita omnes tituli diuinæ puritatis intrant ad dandam infinitatem, ſicut infinitudo offenſæ non limitatur à cognitione finita, quia ſe habet, vt pura conditio, nec valor meritorum à productione vel à cognitione finita.

Reſp.

990 Reſp. 2. Vnionem poſſe eſſe infinitam virtualitèr vt quo, quatenùs eo ipſo quod alligat formam infinitam ſubiecto capaci, vt tota ſe communicet, ad intentum deſeruit ac ſi eſſet infinita. Declaratur exemplo, adducto de vnione omnipotentiæ, ſiue totius ſcientiæ Dei, ſi dabilis ſit. Inſuper ſi qualitas amoris infinitè intenſa producatur diuinitus, & totalitèr vniatur voluntati creatæ vitalitèr per productionem entitatiuè vnitam & carentem gradibus intenſionis, voluntas ſic producens, redderetur infinitè formalitèr amans, vtpotè ſubiectum capax obedientialitèr: talis autem vnio eſſet formalitèr finita, infinita autem æquiualenter, & quoad munus infinitè communicandi amorem ſubiecto, quia in vnione nihil amplius infinitatis requiritur, quam quæ ſufficiat vt amor infinitus, totus vt totus & totalitèr communicetur. Similitèr dic de vnione hypoſtatica eſſe æquiualentèr & vt quo infinitam: quæ tamen non ſe habet, ſicut viſio in beato, hæc enim non ſe habet, vt conditio ad beatificationem, nec vt pura alligatio Dei ad intellectum, ſed vt forma beatificans. Vnio autem hypoſtatica ad ſanctificationem prouenientem à Deitate, habet ſe, vt pura conditio & alligatio modo dicto.

991 Nec item eſt paritas de Deo viſo & beante, ad Deum ſanctificantem humanitatem: licet enim ibi communicetur finitè, hic infinitè. Ratio eſt, quia Deus viſſus non beatificat beatum totalitèr & adæquatè, ſecundum totum quod eſt & habet, ſed ſecundum quod exprimitur per viſionem; ſicut perſonalitas non terminat humanitatem, nec influit in ſubſiſtere ipſius, ſecundum totum, quod perſonalitas eſt & habet, ſed præciſsè ſecundum rationem vltimi termini. Reliqua enim Dei, ad beatificandum & perſonandum, nec conducunt, nec influunt, ſed ſe habent metaphyſicè, quaſi non eſſent. Ad ſanctificationem verò humanitatis & dignificationem, omnia omninò concurrunt, quia quodlibet ex prædicatis Dei, ſpecialitèr habet, & addit nouum titulum puritatis ad impediendum peccatum in illa, & ſic concurrunt omnia Dei, vt omnia & vt infinita. Et ad hanc denominationem eſt capax, quia ſolum ſtat in habere intrinſecè.

992 Vndè ſicut reſpectu ſenis, baculus ligneus multis gemmis circundatus ſolum ſuſtentat ſenem vt baculus; gemmæ verò ſe habent de per accidens ad ſuſtentandum, de per ſe tamen ad ditandum ſenem; ſic perſonalitas Verbi ſuſtentat humanitatem vt perſonalitas præciſsè: reliqua verò ipſius ſe habent de per accidens ad ſuſtentandum; de per ſe verò ad ſanctificandum.

993 Nec obeſt 2. Si ex dictis inferas, ſolum Verbum, ſiue potius Chriſtum ſanctificari infinitè, non verò humanitatem, id enim falſum eſt. Sed probas ſic: humanitas non eſt infinitè ſancta modò de facto ratione ſui, ſed vt diuinitate quaſi informata, Verboque vnita: atqui hoc modò non eſt iā humanitas, ſed Chriſtus: ergo Chriſtus eſt, qui redditur infinitè ſanctus: non verò humanitas. Minor probat. quia Chriſtus nihil amplius ſignificat, niſi humanitatem Verbum & vnionem: atqui hoc ipſum & nihil aliud importat humanitas, vt ſanctificata à Verbo: Ergo Chriſtus eſt, qui redditur infinitè ſanctus & non humanitas. Reſp. 1. Si argumentum aliquid probat, probare etiam, quod nec redditur ſancta ipſa humanitas, ſed Chriſtus: nam humanitas eſt ſancta, vt informata Verbo & hoc pacto illa, etiam eſſet Chriſtus.

994 Reſp. 2. negando humanitatem ſic ſumptam eſſe Chriſtum. Etenim Chriſtus diuerſimode eſt ſanctus ac humanitas; quia eſt talis per incluſionem & identitatem; humanitas verò per vnionem & denominationem ſibi ſuperadditam & contingentem, quod alij minùs benè vocabunt de connotato. Conceſſa ergo maiori, nego minor. Ad probationem reſpond. Chriſtum ſignificare eadem, ac ſignificat humanitas Verbo Deificata; diuerſimodè tamen, & nō ſupponit pro eodē. Licet enim humanitas ſanctificata, vtrumque ſignificet, ſicut Chriſtus, ſed non ſupponit pro vtroque, ſed pro humanitate, quæ eſt rectum & ſubiectum illius denominationis, reliqua dicens in obliquo; Chriſtus autem ſupponit pro vtroque. Vndè Chriſto, Verbum eſt quid eſſentiale componens, & eſſentialitèr ſantificans; humanitati verò eſt quid contingens; Chriſtus enim in rectò importat & humanitatem & Verbum vnitum, de quo num. 937. quod tamen humanitas importat ſolum in obliquo, & vt quid ipſi contingens; ratione cuius contingentèr, denominatur phyſicè pura, & phyſicè incompatibilis cum peccato, & ſic eſt longa diuerſitas.

995 Sed replicabis 3. difficultèr. Si humanitas à Verbo eſſet infinitè ſancta, ſequæretur, quod data homini optione de vnione ſola hypoſtatica & de viſione beata æterna, non poſſet homo licitè viſionem eligere & vnionem relinquere: peccaret enim, non eligendo vnionem, ſiquidem poſtponeret bonum ſimplicitèr infinitum, bono ſimplicitèr finito; atqui viſio videtur eligibilior, imò audiui viros prudentes & timoratos, ſe viſionem electuros: Ergo ſignum eſt, quod vniri Verbo hypoſtaticè, non adfert bonum vel ſanctitatem ſimplicitèr infinitam. Reſp. tamen 1. In eo caſu quemlibet prudentem, ſe experiri ſatis implicatū in reſoluendo electionem. Et hoc etiam apud Aduerſarios. Etenim eleuatio propriæ humanitatis ad eſſendum Chriſtus, ſemper eſt ſupremum bonum (licet eſſet finitum) in comparatione ad viſionem, & omnia alia ſuperna, ſemperque videretur grauis inordinatio, pro iſtis illam relinquere.

996 Reſp. 2. Poſſe prudentem eligere viſionem. Res enim in ſe multò melior, poteſt hic & nunc, eſſe minùs elligibilis, minuſque bona reſpectiuè ad elligentem. Etenim melior eſt dignitas regia incomparabilitèr ſtatu ciuis mediocri: & tamen ſi homini vili, prudenti tamen, proponatur dignitas regia per vnam horam (ita vt tranſacta illa, redeat ad primam vilitatem, miſeriam & abiectionem); Et ſtatus ciuis cum mediocri diuitiarum conuenientia, duraturus imprudens eſſet non eligendo iſtum.

997 Ratio autē eſt, quia inſpectis circunſtantijs, non eſt determinatè elligibilius, quod abſolutè & in ſe eſt melius, ſed quod reſpectiuè ad conuenientiam, vel obligationem elligentis. Patet, nam ſaluatio omnium hominum eſt ſummè melior, & pro qua Chriſtus mortuus eſt. Si autem iuſto proponatur omnium hominum perditio, niſi ipſe faciat mendacium leue, tenetur iſte permitere omnium perditionem, imò & deſtructionem ipſius exiſtentiæ Dei, ſi ei proponeretur, ne dicat mendacium leue, quod eſt intrinſecè malum. Etenim ipſe elligere debet permiſsionem damnationis omnium ſine ſua culpa, quam leuitèr mentiri cum ſua culpa; quia fuga iſtius, licet in ſe minùs bona, quam damnatio omnium in ſe ſit mala, eſt tamen melior reſpectiuè ad ſuā obligationem vel ſtatum. Applica argumento facto.

998 Confirmatur hæc doctrina. Si fiat comparatio inter præſeruationem à culpa, & remiſsionem culpæ, quā ex his elliget prudens? profectò præſeruationem, ſicut & Beata Virgo ſuam præſeruationem prætert & magni facit. Elliget autem, non quia præſeruatio ſit in ſe ipſa melior, cum ſolum conſiſtat in auxilijs finitis efficacibus ad non cadendum; & remiſsio ſit infinitè melior & præmium condignum meriti infiniti Chriſti: ſed elliget præciſsè, quia reſpectiuè ad habentem eſt melior. Maneat ergo quod humanitas ſanctificatur infinitè ab omnibus Dei, vt omnibus, ac per conſequens & ſanctificatur & infinitè ſanctificatur.

999 Infero 1. Licet perſonalitas compleat humanitatem vt diuina & infinita, ſed non infinitè, quia non terminat ſecundum quod continet omnes ſubſiſtentias creatas, ſed iſtam humanitatis propriam. Infero 2. Vnionem conſiderandam tripliciter. 1. Phyſicè & eſt finita à termino. 2. Formaliter moraliter & eſt infinita à Verbo vt forma, quia non ſolum prodeſt vt tangitur, ſed ſecundum totum quod eſt, in quo differt à viſione Dei viſi. 3. Secundum conſtitutionem quam infert, inquam ingrat Verbum, non vt tangitur, ſed ſecundū quod eſt in ſe.

QVÆS-

Digitized by Google

QVÆSTIO XX.

DE GRATIA HABITVALI.

ARTICVLVS I.

AN DETVR IN CHRISTO.

1000 EXAMINATA in Chriſto gratia ſubſtātiali & vnionis, examinanda reſtat accidentalis, quæ eſt habitualis. Hanc dari in Chriſto, eſt ita certum vt oppoſitum ſit ad minùs temerarium. Videatur Suarez, Vazquez, & alij.

1001 Ratio à priori eſt. tùm, quia humanitas debuit eleuari ad actus ſupernos per aliquod principium vniuerſale permanens, atqui non eſt aſignabile aliud, cū gratia habitualis cum habitibus, verè ſe habeat inſtar animæ cum ſuis potentijs in ordine ſuperno: ergo datur gratia habitualis. Mi. probatur, quia id mun' non poteſt præſtare vnio hypoſtatica, quæ non eſt operatiua ex ſe, cum ſit modus. Nec Verbum: quia nullum influxum præſtat efficientèr Verbum in opera humanitatis, quem non præſtet tota Trinitas: tùm, quia hoc principium vniuerſale debet eſſe in Chriſto ſimile noſtro, vt conformetur caput cum membris, noſtrum autem eſt ſola gratia habitualis.

1002 Nec dicas 1. In Chriſto fides eſt inutilis & non datur, quia quidquid habet perfectionis, eſt iam in ſcientia infuſſa; atqui quidquid eſt perfectionis in gratia habituali, eſt iam in ſubſtantiali, ergo nō datur. Reſpondetur eſſe diſparitatem. Etenim quidquid eſt perfectionis in fide datur iam formalitèr & non ſolum eminentèr in ſcientia infuſa, vt dicemus q. 22. art. 1. & 2. de fide & virtutibus Theologicis in Chriſto & ſi aliquid nō eſt formalitèr, eſt ſola obſcuritatis inutilitas; at perfectio gratiæ vt phyſitè influxiuæ in opera ſuperna & redēptionem, non eſt formalitèr in Verbo, licet ſit eminentèr. Ideò debet gratia addi vt ſit formalitèr.

1003 Nec obeſt 2. Chriſtum fore per illam, filium adoptiuum. Probat. quia iſte eſt effectus primarius gratiæ habitualis. Nego anteced. eiuſque probationem, quia primarius effectus eſt reddere humanitatem ſanctam & participantem naturam diuinam in ratione principij vniuerſalis. Ad adoptionem autem deficit adhuc pars quædam eſſentialis (& non pura conditio vt alij volunt) nempè extraneitas, vel voluntas Dei extraneum adoptans tanquàm proprium.

1004 Nec 3. Non requiritur hæc gratia vt Chriſtus ſit ſanctus, quia iam eſt infinitè ſanctus per vnionē, atqui nec vt ſit ſanctior: ergo ad nihil. Mi probat. quia Chriſtus cùm hac gratia nō eſt ſanctior Verbo ſolo, alias Chriſtus poſſet eſſe ſanctior & perfectior Patre. Dices 1. Nō eſſe ſanctiorē intenſiuè, benè vero extenſiuè. Cōtra vel hoc addit de ſanctitate ſolas voces & ſic nihil addit, vel addit aliquid de re. Si de re: ergo Chriſtus cū gratia, eſt in re ſanctior, melior, æſtimabilior & venerabilior Patre, quia ſanctitas & æſtimabilitas eodem currunt paſſu. Sic melior eſt extenſiuè arbor cum fructu & intellectus cum cognitione, quam ſine illis, quia ſit formalis & maior extenſio quando eſt fructus in re & non ſolum in virtute.

1005 Dices 2. Chriſtum non reddi ſanctiorem Verbo ſolo, benè vero ſanctiorem vnione ſola, quia ſanctitas huius, licet infinita moralitèr, non eſt ſumma, cū maior ſit ſanctitas Verbi; & ſic poteſt creſcere. Cōtra, quia gratia datur ad reddendam ſanctam perſonam: vel ergo hæc per gratiam redditur ſancta & ſanctior vel non; ſi 1. reddit replica facta: ſi non: ergo inutilitèr datur talis gratia.

1006 Reſpond. ad argum. 1. non dari vt reddat ſanctum vel ſanctiorem, ſed vt reddat principium vniuerſale merendi & ſatisfaciendi per operationes creatas humanitatis: quod non præſtat vnio cum non ſit operatiua. Licet autem Chriſtus per hanc gratiam fiat potentior ad plura, ſed non abſolutè potentior ſiue perfectior in poſſe, nec æſtimabilior.

1007 Reſp. 2. Chriſtum non poſſe abſolutè eſſe ſanctiorem Patre, quia reſpectu Dei habentis omne bonum nulla creatura poteſt addere aliquid boni, ſicut fructus addit bonitatem arbori vtpotè limitatæ: reddi tamen ſanctiorem extenſiuè. Non extenſiuè abſolutè, ita vt ſe extendat ad mundandum à pluribus. Sed extenſiuè ſecundum quid & cum addito: vel, quia reddit ſanctum pluribus titulis & ſanctitatibus, ſicut Sacerdos cui Deus det mille characteres ad conſecrandum, non erit potentior, ſed potens per plures poteſtates, quam qui habet tantum vnum. Vel quia eſt ſanctior extenſiuè cauſalitèr, quatenùs eius virtus extendi poteſt ad plura opera ſancta; quam poſsit Verbum vel Pater. V. g. ad merendum, ad ſatisfaciendum, &c. & ſic eſt *ſanctior ad hoc & potentior ad hoc*; hoc eſt cum addito.

1008 Vndè non eſt gratia, ornamentum tantum animæ, vt voluit Vbandingus, ſed eſt vera ſanctitas modò explicato. Sí dicas: eſt *ſanctior & potentior ad hoc*: ergo eſt melior, ergo æſtimabilior & venerabilior Patre. Reſp. conceſſo anteceden. diſtinguo conſequens. Melior in ſe & quo ad ſe nego, quia de bonitate non addit ſibi plus vtraque ſanctitas, quam ſola Verbi. Melior *cum addito* & quoad nos ſiue ad merendum pro nobis, concedo 1. conſequ. & nego 2. quia æſtimabilitas abſolutè ſummitur à bonitate rei quoad ſe, secùs laudabilitas, de quo num. 287. A melioritate autem quoad nos, qualem ſolam addit, ſola ſummittur maior bonitas, *quo ad hoc* (& maior gratificabilitas quia creſcit) noſtrum beneficium, nō vero quoad ſe. Nec dicas melius eſſe, eſſe bonum ſibi & nobis quam ſolum ſibi, ſiue quoad ſe. Reſp. negando de *melius abſolutè*, in bono ſummo ſiue Deo: concedo autem de *melius cum addito*, & tantum de bono nobis.

1009 Replicabis. Attributa reddūt Deitatē perfectiorē extenſiuè licet contineantur in illa: ergo & gratia habitualis ſi detur, reddet Chriſtum perfectiorem etiam ſi eminentèr contineatur in illo. Nego conſeq. Diſparitas eſt, quia perfectio formalis attributorum non continetur formalitèr in Deitate à qua dimanant radicalitèr. Benè vero omnis perfectio creata ſecundum quod dicit de perfectione formali, iam erat non ſolum eminentèr ſed formalitèr in Verbo: & ex tali perfectione exēplatur in creaturis, in quibus a perfectione formali Dei vt exemplari, ſumptum eſt quidquid perfectionis, eſt formalitèr in illis.

1010 Infero, ideò Chriſtum non eſſe vllo pacto abſolutè meliorem, aut æſtimabiliorem Verbo ſolo, aut Patre, quia omnes omninò titulos ęſtimationis, aut venerationis, quos per vtramque gratiam continet Chriſtus, modò eminentiſsimo formali & altiori, continet Verbum in ſua Deitate. Quod autem additur de nouo, nempè entitas gratiæ, atque munus Redemptoris, auget nouas entitates & noua muneta bona & vtilia, ſed pro nobis, & pro noſtra melioratione. Sed non talia, quę augeant ipſi Verbo ex parte ſua, perfectionem aliquam, ita vt reddant ipſum abſolutè melioratum, vt dixi á num. 23. ſed ſolum cum addito, iam ſæpè repetito. Vide num. 287.

1011 Quæres: quando data fuerit Chriſto hęc gratia? Reſpond. cum communi, in primo inſtanti vnionis, ſed poſterius natura. Prima pars patet. Tùm, quia in illo elicuit actus ſupernos nobiles; ingrediens enim mundum obtulit Patri corpus ſuum, aptum ad ſatisfaciendum vt inquit Paulus & debebat habere vniuerſale principium ad tales actus. Tùm, quia ratione vnionis erat debita illi. Secunda pars patet, quia vnio ad Verbum ſupplebat deffectum ſubſiſtentiæ humanæ: ergo vniri Verbo, prius erat, quam recipere accidentia. Confirmatur, quia gratia data eſt, vt proprietas, vnioni moralitèr debita: ergo vnio habebat prioritatem naturæ.

ARTICVLVS II.

QVANTA SIT ISTA GRATIA.

1012 GRATIAM fuiſſe Chriſto datã, in tota ſuà intenſione poſsibili etiam infinita, Recentiores aliqui docent, & inter infinitas ſummã (ſi ſit deſignabilis) alij tenent. Infinitam admittunt, Maior & alij, præcipuè Bernal & Arriaga. Summam ſi ſit deſignabilis admittit etiam Suarez. Quam ſententiam ego intelligerem de ſumma deſignabili, quæ ſine aliorum præiudicio iuſtorum dari queat. De quo propè finem huius articuli numerò 1019. Probat. hoc aſſertum. Primò, quia ſi poſsibilis ſit gratia in gradu ſummo finito deſignabili & omnium maximo, fere omnes fatentur fuiſſe Chriſto debitam & de facto datam: ergo ſi eſt poſsibilis infinita & inter infinitas ſumma, erit de facto data.

1013 Secundò probatur. Quia qualitas in ſubiecto proprio connaturali & ſuperexcedenti, poſtulat intenſionem totam, ſibi connaturalitèr poſsibilem. Sic calor in igne & lux in Sole ſunt in ſummo: atqui non eſt poſsibile ſubiectum connaturalius, & magis proprium gratiç, & cui ſit magis debita gratia, quam Chriſtus: Eſt enim ſubiectum ſuperexcedens omnia: ergo debet habere totam intenſionem poſsibilem, deſignabilem.

1014 Ratio autem à priori eſt, quia radix gratiæ, iuſque ad illam in Chriſto, eſt dignitas filij Dei infinita ſimpliciter, ſupra quam, eiuſque ius nulla gratia habitualis poteſt eſſe, ſed intra; ergo nulla erit tam magna, vt ſi abſque proceſſu in infinitum, poſsit alia maior determinari, ſufficiat dignitati & iuri Chriſti. Confirmatur, datam eſſe de facto. Patet enim eximiè voluit, Chriſtum gratijs cumulare, & pertinebat ad perfectionem operum Dei, ſe alicui creaturç capaci & habenti tantum ius, ſe communicare modò hoc poſsibili perfectiſſimo & proportionatiſsimo.

1015 Vltimo probatur. Quia incredibile eſt, Chriſtum nunc, minùs habere de gratia & gloria, quam haberet ſi meritis ſuis, illas aſſecutus fuiſſet. Tùm, quia ius vnionis, non eſt minus ſtrictum, quam meritorium ius. Tùm, quia ſequeretur, Chriſto fuiſſe melius, quod Pater expectaſſet merita eius, dediſſetque propter illa; atqui hoc non eſt admittendum, ſiquidem dando propter vnionem, magis fuit conſultum dignitati infinitæ Chriſti & filiationi. Nunc ſic ſi illas haberet ex meritis, haberet in ſummo. Merita enim Chriſti ſuperant omne præmium poſsibile, intenſionis gratiæ. Nec credibile eſt, Deum defraudaturum de præmio meritis debito: ergo nunc habet gratiam & gloriam in ſummo, ſicut haberet tunc.

1016 Vndè optimè Pater Suarez, loquendo de huius ſententiæ probabilitate, ſic ſcribit: *Cenſeo, eam tanta probabilitate colligi, quanta colligimus ex vi vnionis, fuiſſe Chriſto debitã perfectiſsimã gratiã & gloriã, à principio ſuæ Conceptionis & alia ſimilia dona.* Hæc Suarez. Quod ita probat, quia nulla perfectio finita gratiæ habitualis potuit Chriſto aſignari, quin alia maior, & maior, ſit decens & proportionata eius dignitati: Ergo ſi poſsibilis ſit gratia infinita & deſignabilis ſumma, ſola hæc habebit proportionem & decentiam tali dignitati, quantum fieri poteſt correſpondentem.

1017 Obijcies 1. ex Vazq. quæuis creatura rationalis, quantumcumque ſancta, poteſt quotidie de nouo placere Deo per nouos actus meritorios: ergo & de nouo ſanctificari per augumentum gratiæ: atqui data ſumma Chriſto, hoc eſſet impoſsibile: ergo & dari ſummam. Hoc argumentum licet valeret contra ſummitatem, non contra infinitatem gratiæ, ſi poſsibile eſt vnum infinitum maius alio. In Chriſto contra neutram valet, ſiquidem à primo inſtanti habuit tãtam gratiam, vt nec in vno gradu creuerit. D. autem Lucas cap. 2. dicens, Chriſtum profeciſſe ætate, ſapientia & gratia apud Deum & homines, ab omnibus intelligitur, non de profectu in habitu, ſed in actibus & operibus, quibus quotidie ſe plus manifeſtabat & placebat Deo & hominibus.

1018 Vndè ad antecedens argumenti dicimus, creaturam cum gratia ſumma, placere Deo quotidie per noua opera, non per augmentũ habituum: quç opera & merita, vel præmiarentur à Deo, alio præmio, nempè gratia danda alijs, vt præmiabatur Chriſtus. Vel ſi non eſſet poſsibile aliud præmium, illa opera eſſent quoad ſufficientiam meritoria, non quoad efficaciam. Hæc autem gratia infinita, vel ſumma à primo inſtanti, non ponitur à ſuis Authoribus proptèr neceſsitatem dignificandi opera Chriſti, quia ad hoc ſufficit vnio, ſed proptèr rationem ornamenti & principij connaturalis Chriſto in ſummo debiti, vt expreſſè docet S. Thomas quæſt. 7. artic. 11.

1019 Obijcies 2. Gratia Chriſti maior eſſet & intenſior, ſi ei ſuperadditur gratia Diui Patri & potuit, præcipuè, ſi gradus ſint ſimilares; nequit enim oſtendi repugnantia: ergo non eſt ſumma. Reſpond. 1. Non eſſe ſummam ſummitate poſsibili intenſionis, ſed ſummam, quam permitit decentia & honor Chriſti, qui non patitur membra manere ſine gratia & meritum Chriſti, ſine præmio in nobis, vt ipſe totam abſorbeat. Eſt enim etiam contra eius liberalitatem.

1020 Impugnabis: Nec data eſt ſumma, inſpecta hac decentia: ergo. Probatur antecedens, quia manentibus D. Petro & alijs cum ſua gratia, adhuc ſunt poſsibiles alij, & alij gradus, qui non ſunt producti de facto. Illi inquam gradus, quos potuerunt mereri iuſti, ſi ferventiores fuiſſent, & reprobi ſi conuerſi fuiſſent: ergo iſti potuerunt ſuperaddi Chriſto ſine detrimẽto noſtri. Etenim in ſententia admittente infinitum in actu, & deſignabilem eſſe ſupremam creaturam, oſtendi nequit repugnantia, in eo quod Chriſtus habeat ſuam gratiam, coniunctam cum his: & ſic probatur, de facto non habere ſummam.

1021 Admittentes ex vna parte gratiam infinitam ſummam in Chriſto, & ex alia qualitatis gradus eſſe ſimilares, difficultèr hęc componunt, ſiquidem gratia hominibus promiſſa conditionatè & non data ex meritorum defectu, cur Chriſto addi non potuit? Videtur, debere recurrere ad taxam. Tùm ex parte gratiæ. Tùm ex parte capacitatis obedientialis à Deo taxatæ, de quo nos quæſt. 22. art. 1. Ipſi viderint.

1022 Reſpond. 2. Summam non eſſe deſignabilem & proptereà licet habeat magnam, ſed non ſummam. Argumenta probantia deſignabilem eſſe creaturam ſupremam, proponi poſſunt contra hanc reſponſionem. Ideò reſpondebis 3. eſſe deſignabilem gratiam ſummam omnium poſsibilium facientium vnam intenſionem: ſed hanc non eſſe dabilem in humanitate, ob ſubiecti incapacitatem & limitationem. Data ergo fuit Chriſto ſumma, cuius ſubiectum eſt capax, non vero ſumma intenſio, ex parte ipſius intenſionis, poſsibilis, quia iſtud eſſet eleuare ſubiectum ad ſupremam infinitatem poſsibilem, quod quidem non eſſet ſolum eleuare ſupra proportionem, ſed ſupra ſphęram.

1023 Contra: Quia gratia in tota intenſione ex parte ſua poſsibili, adhuc eſt qualitas & accidens & forma ſuperna: Ergo poteſt & debet illi correſpondere ſubiectum obedientiale, quod illa petat, cuique inhæreat, quia ſunt correlatiua, forma & ſubiectum. Nec verum eſt, tunc ſubiectum extrahi à ſua ſphera, licet eleuetur ſupra proportionem & connaturalitatem recipiendi. Patet, quia cum gratia ſit amicitia Dei, eius ſphera extenditur ad Deũ pro termino, ſiue obiecto amabili & ſubſtantialitèr ſpecificatiuo talis amicitiæ & gratiæ. Deus autem cum ſit obiectum amoris naturalis noſtri, eo ipſo eſt de ſphera voluntatis humanæ. Vndè ſicut intellectus videns Deum eleuatur ſupra proportionem & non ſupra ſpheram; ſic anima, dum ſupernè ſit amica Dei.

Cum

Digitized by Google

Cum autem gratia infinita idem habeat obiectum, ac finita, eamdem habet ſphæram.

ARTICVLVS III.

VERA SENTENTIA DE QVANTITATE Gratiæ.

1024 NOTO 1. Non eſſe hîc diſputandum, an ſit poſsibilis intenſio chategorematicè & in actu infinita, quia hoc eſt Phyloſophicum. Noto 2. Quadruplicē infinitatē pro noſtro intento. 1. Eſt ſimpliciter & in ſubſtantia, ſiue quidditate rei. Hæc non eſt infinitas formalis à ſolis accidentibus, ſed formalis ab eſſentia rei. Secunda eſt Infinitas formalis, ſed ſecundum qualitatem, ſiue intenſionem claudentem gradus formalitèr infinitos, quæ tamen infinitudo, contingens eſt eſſentiæ qualitatis, ſiue gratiæ. Tertia eſt in quantitate, ſiue extenſione ad infinitos effectus; & hæc poterit eſſe finita in ſe & formalitèr, & infinita in cauſando. Quarta in relatione, ſiue reſpectu ad ſuppoſitum infinitum, à quo dignificationem ſumat, ſimplicitèr infinitam.

1025 Gratiam Chriſti habitualem, certum eſt, non fuiſſe infinitā entitatiuè primo modo, quia eius eſſentia finita eſt & limitata. Certum eſt ſecundò, fuiſſe infinitam virtualitèr in cauſando effectus & operationes proprias gratiæ, quia quantum eſt ex ſe, potuit ſe extendere ad omnem varietatem ſupernorum operum gratiæ in via & in patria poſsibilium. Tertio, eſt certum, eſſe infinitam ſecundū relationem & dignificationem à ſuppoſito; & ex hoc capite, etiam eſt ſumma infinitè ſimplicitèr, dignificatione ſibi contingente, quia cum nequeat dari maius ſuppoſitum, nec maior vnio, nec erit poſsibilis maior dignificatio. Vndè D. Thomas hîc artic. 1. ad 2. ait gratiam Chriſti non poſſe creſcere in eſſe gratiæ: quod intelligitur in eſſe huius moralitatis & dignificationis.

1026 Reſtat ſolum difficultas de infinitate ſecundum intenſionem, & iam dixi nuper, diſputandum non eſſe hîc de poſsibilitate huius infinitatis. Quæſtio ergo ſolum eſt, an talis intenſio, quæ eſt in Chriſto de facto, ſit ſumma inter poſsibiles illi, ita vt augeri nequeat. Quæ quæſtio non ſolum habet locum inter admittentes illam eſſe de facto infinitam in actu, ſed etiā inter admittentes finitam.

1027 Aſſero 1. Non eſſe ſummam, ſed augeri entitatiuè poſſe diuinitus: ſumma enim non eſt deſignabilis. Ita Suarez, Albarez, Medina, quos citat & ſequitur Ioannes à Sancto Thoma de Incarnatione, ad quæſt. 7. diſp. 9. artic. 1. contra Caietanum, Nazarium & alios. Probat. 1. ex D. Thoma. Tùm 3. par. quæſt. 10. artic. 4. ad tertium. Vbi ait, quod ſicut gratia non poteſt eſſe maior per reſpectum ad vnionem cum Verbo, nec viſio beata, *licet abſolutè conſiderando, poſsit eſſe aliquis gradus ſublimior, ſecundum infinitatem diuinæ potentiæ.* Tùm etiam quæſt. 7. artic. 12. ad ſecundum vbi dicit, quod virtus diuina, licet poſsit facere aliquid maius, aut melius, quam ſit gratia habitualis Chriſti, non tamen, quod ordinetur ad aliquid melius, quam ſit vnio ad Verbum, cui vnioni ſufficientèr correſpondet menſura gratiæ ſecundum diſpoſitionem diuinæ ſapientiæ. Hæc D. Thomas, qui non dixit ſecundum virtutem omnem diuinæ omnipotentiæ.

1028 Probat. 2. Ratione: quia quauis gratia data, non repugnat augmentum intrinſecum entitatiuum: Nec ex parte gratiæ; nec ex parte ſubiecti: ergo non eſt dabilis ſumma. Antecedens quoad ſecundam partē conſtat. Capacitas enim animæ obedientialis, eſt etiā ſincathegorematicè infinita & ad plus, & plus. Probat. quia potentia paſsiua correſpondere debet & commenſurari actiuæ, ita vt ſi agens poteſt facere & augere rem petentem ſubiectum receptiuum, debet dari illud vt poſſit recipere; atqui gratia poteſt à Deo augeri plus & plus, quin repugnet ex parte Dei & gratiæ, vt probatum eſt: ergo etiam poterit obedientialitèr ſubiectum recipere gratiam maiorem, & maiorem ſine limite.

1029 Antecedens ergo quoad primam partem probatur, nempè non ex parte gratiæ. Hæc etenim ſecundum eſſentiam ſuam eſt participatio diuinæ naturæ, quæ ſempèr eſt participabilis magis & magis, ita vt nulla creatura ſit poſsibilis adæquans totam Deitatem, vt talem & exhauriens totam eius participabilitatem. Ergo quæcumque gratia deſignata, adhuc erit Deitas participabilis vlterius magis & magis, per aliam gratiam magis intenſam. Vndè bene docuit D. Thomas, Charitatem ſemper eſſe augmentabilem plus & plus. Ratio eſt, quia eſt Spiritus ſancti participatio, quem nulla valet adæquare creatura.

1030 Antecedens autem probat. Creatura adæquans Dei cognoſcibilitatem, eſt impoſsibilis; ergo & adæquans Dei participabilitatem. Etenim ſicut cognitio creata adhuc poteſt intentionalitèr aſimilari obiecto diuino plus & plus, ita & gratia aſimilari phyſicè participatiuè plus & plus. Et ſicut creatura cognoſcens intuitiuè & comprehenſiuè Deum, quantum ex parte ſua eſt cognoſcibilis, eſſet tam ſapiens, ac Deus, ita gratia participans de Deo adæquatè, quantum participabilis eſt in ſe ipſo, haberet de Deo quantum habet ipſe Deus, quia nulla formalis perfectio eſſet in Deo ſpecifica & attributorum propria, non participata à creatura.

1031 Quod autem hoc repugnet, probatur manifeſte. Chimericum eſt aggregatum ex prędicatis propriſsimis creaturæ & differentia propriſsima Dei, nempè ex ente ab alio vt genere & ex Pelago diuinæ ſapientiæ, vel omnipotentiæ, vt talium: ergo numquam creatura poteſt adhuc diuinitus habere de aliquo attributo Dei, v.g. de ſapientia vel de potentia, tantum de rationibus differentialibus diuinis, quantum habet ipſe Deus: & ſic ſemper erit potens augeri plus, & plus. Antecedens patet. Differentia quælibet diuini attributi vt talis, eſt in ſua linea ſimplicitèr infinita, v.g. in ſapientia diuina vt tali, infinitas vniuerſalitatis & comprehenſiuæ claritatis. Repugnat autem identificatum ex prędicatis eſſentialitèr & ſimplicitèr infinitis, & ex prædicatis poſitiue & eſſentialitèr finitis & imperfectis & multis modis atque imperfectionibus reſperſis & limitatis. Confirmatur, quia quis dicet, differentiam ſpecialiſsimam metaphyſicam diuinę ſapientiæ, vt contra diſtinctam à diuina voluntate, eſſe ex ſe ipſa indifferentem, vt contrahat genus entis à ſe, vel entis ab alio? Et omnes differentias attributorum diuinorum, vt talium, quantum eſt ex ſe ipſis, poſſe eſſe creaturas? Certè nullus.

1032 Nunc ſic: Creatura numquam poteſt de attributo Dei ſecundum ſpecialia ipſius attributi, participare tantum, quantum habet ipſe Deus, ſed minùs & infinitè minùs: ergo quidquid creatura habeat participatum à Deo, ſemper eſt minùs & infinitè diſtans ab illo attributo, cum creatura ſit & attributum ſit Deus: ergo creatura intra lineam illam, adhuc poteſt participare plus & plus, ſine termino intrinſeco deſignabili.

Aſſero 2. Gratia data Chriſto de facto fuit ſummā ſolum iuxtà taxam diuinæ prouidentiæ. Hanc concluſionem, declarabo infrà quæſt. 21. artic. 1. Nunc ſint argumenta contra primam.

1033 Si ergo dicas 1. Chriſtus ita eſt gratus Deo, & participans de illo per gratiam, vt quantum ad eſſe gratum, augeri nequeat; atqui ſi gratia poſſet creſcere & Chriſtus creſceret in ratione grati, & etiam in ratione participantis Deū, quia gratia eſt participatio, & quia vnit hominem cum Deo, creſceret in ratione vniti: ergo repugnat augmētum gratiæ, eritque entitatiuè ſumma. Confirmatur ex D. Thoma, qui dixit, gratiam Chriſti in ratione gratię augeri non poſſe & hoc eſſe proptèr vnionem ad Verbum.

1034 Reſpondetur diſtinguendo antecedens: Chriſtus ita eſt gratus, vt quantum ad hoc non poſsit augeri in ratione grati ſubſtantialitèr & hypoſtaticè conce-

Digitized by Google

cedo, in ratione grati & vniti accidentalitèr nego. Quia ex hac parte poteſt diuinitus creſcere augmento extenſiuo; ſicut enim humanitas ablata vnione & manens cum ſua gratia, poſſet creſcere in illa ſincathegorematicè per maiorem intenſionem, ita & nunc diuinitus poſſet. Ad confirmationem reſpondetur in gratia habituali, duplicem eſſe finem, vnum intrinſecè, nempè Deitatem vt participabilem; alium extrinſecè, nempè ſuppoſitum in quo eſt. Primò modo creſcere poteſt. Secùs ſecundò, nam non eſt poſſibile ſuppoſitum dignius, à quo amplius dignificari valeat.

1035 Infero Chriſtum, licet non poſſit eſſe diuinæ naturæ magis conſors adhuc de poſſibili quam nunc, abſolute & ſimpliciter loquendo, eo quod ſupra vnionem ſubſtantialem, non ſit dabile conſortium, eo quod ſit maius; id intelligitur de maiori ſimplicitèr & abſolutè. Poteſt tamen eſſe magis conſors de poſſibili ſecundum quid & cum addito, nempè accidentalitèr & in ratione, ſiue munere principij vitalis per modum animæ ſupernæ influentis ſupernè. Ratio eſt, quia quantum ad primum eſt in ſummo. Quantum ad ſecundum non, quia vt ſupra dictum eſt, diuina natura, cum nequeat participari ad æqualitatem per gratiam habitualem, ſemper eſt participabilis plus & plus de poſſibili. Per hanc doctrinam ſoluitur argumentum ab impoſſibilitate maioris conſortij ſumptum.

ARTICVLVS IIII.

ALIA ARGVMENTA.

1036 OBijcies 2. Æternitas Dei eſt participabilis à creatura ad æqualitatem: ergo & ſapientia & aſeitas. Antecedens probatur, quia non repugnat creatura, quæ duret à parte ante & poſt, quantum durat Deus. Reſpondetur negando antecedens ex D.Thoma 1.part. quæſt. 10. art. 3. de Æternitate ſtricta: *Æternitas enim eſt in duratione ex ſe immutabili & tota ſimul.* Hoc autem nulli poteſt conuenire creaturæ, licet poſſit conuenire correſpondentia vniuerſalis contingens & extrinſeca ad omne nunc; ſicut conuenit tempori imaginario, imperfectiſsimo ex ſe. Si ergo creatura ab Æterno eſſet producta, improprijſsimè eſſet æterna, quia non ab æternitate ſtricta, talis eſſet, ſed à latiſſima extrinſeca correſpondentia, vel modo phyſico ſuperaddito, variabili & contingenti.

1037 Aduerto Non eſſe idem interminabilitatem & æternitatem. Colligitur ex definitione Boëtij: *Interminabilis vitæ, tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Ly *tota ſimul*, manifeſtè denotat immutabilitatem, vt radicè interminabilitatis, vndè ſi Deus producat creaturam ab æterno, vel creaturam occupantem infinitum ſpatium, gaudebunt interminatione, quia carebunt termino in ſua correſpondentia ad tempus vel ſpatium imaginarium; ſed non æternitate aut immenſitate ſtricta & propria conſiſtentibus in perfectione illa poſitiua exigente ex ſe & ex natura ſua, correſpondentiam & interminationem illam.

1038 Tales autem creaturæ, habebunt interminationes illas, quaſi contingentèr & per modum concomitantiæ, non vero à propria eſſentia & perfectione radicali. Tùm, quia in illis nulla adeſt abſolutè perfectio ſtricta de tali linea, cum ea quæ apparet conueniat tempori & ſpatio imaginarijs. Tùm, quia non conuenit illis ab exigentia propriæ naturæ, cum nec quantitati, ratione ſui conueniat correſpondentia ad infinitum locum, ſed ratione extenſionis infinitæ, eſſentiæ quantitatis valdè contingenti.

1039 Obijcies 3. Poſſibilis eſt participatio æqualis diuinæ ſapientiæ ſecundum formalitates omnes ſapientiæ, nempè comprehenſio ſolius Dei, vel ſaltim vnius attributi, nempè omnipotentiæ, in qua comprehendantur omnes creaturæ poſſibiles: ergo & talis participatio Deitatis. Antecedens prob. quia nulla eſt repugnantia. Etenim non ſequeretur, quod eſſet Deus, ſed maneret creatura, cum eſſet adhuc ens ab alio.

1040 Nego Antec. Ad prob. Reſpódeo fore creaturam, quia ens ab alio, & non fore creaturam, ſed Deum, quia Omniſciens, perfectione tota poſſibili de linea intelligendi. Etenim ſolus Deus eſt formaliſsimè quod adæquat ipſum, habetque tantum de cognoſcente, quantum Deus de cognoſcibili, ac per conſequens de perfectione omnium ſumma, qualis eſt Sapientia, habet tantum, quantum Deus. Ad quam perfectionem omnium ſummam, neceſſariò ſequuntur omnes aliæ perfectiones; ſicut ad eſſentiam proprietates.

1041 Satis autem apparet chimericum, vt ſupra diximus, aggregatum ſpecificum ex genere creaturæ ſpecialiſsimo & differentia ſpeciali Attributi Dei; Multò plus quàm rationale hominis proprijſsimum, rectè ahi poſſit per rugabile Leonis proprijſsimam differentiam. Eodem modo nego de participatione totali cuiuslibet attributi diuini, & de cauſalitate primæ cauſæ propria, atque de comprehenſione omnipotentiæ; quia hæc eo ipſo eſt intellectio ſimplicitèr infinita, ac per conſequês connexa cum perfectione omnium attributorum & identificata cum omnibus iſtis, conexaque Metaphyſicè connexione illa, quæ datur inter proprietates & eſſentiam; ſi enim eo ipſo, quod aliquid eſt riſibile eſt homo, quia trahit ſecùm riſibile eſſentiam & omnia alia hominis: ergo quod eſt ſimplicitèr phyſicè infinitum, eo ipſo Deus erit: trahet enim omnia Dei.

1042 Imo addo, tamquam valdè notandum, non ſolum repugnare creaturæ, vnius attributi adæquationè, ſed etiam repugnare ſpecialem incohationem ſiue participationem ipſius in gradu remiſſo, quando incohatio illa eſt diuini attributi ſpecialiſsima & proprijſsima, vt verè eſſe poteſt; quia hæc incohatio, neceſſariò traheret ſecùm, eiuſdem attributi conſummationem in gradu intenſo & perfecto. Patet, repugnat creatura, quæ ſit cauſa vnius muſcæ, totalis & adæquata, ita vt ſine conſortio vllo Dei immediato, illam producat. Ratio eſt, quia eſſet creatura vt ſupponimus; & non eſſet, quia hic modus producendi eſt ſpecialiſsimus primæ cauſæ vt talis. Licet autem non eſſet virtus omnium expreſſa, eſſet tamen ſpecialiſsima incohatio omnipotentiæ, neceſſario trahens ſecùm reliquum omnipotentiæ.

1043 Confirmatur. Bruto non ſolum repugnat diſcurſiuum phantaſmaticum, ſed etiam iudicatiuum phátaſmaticum; Imò & ſpiritualè apprehenſiuum: non quia tale iudicatiuum ſit adæquatum formalitèr rationale in toto gradu intenſo, ſed quia eſt ſpecialiſsima incohatio, & eo ipſo ſolius hominis proprijſsima & traheret alia hominis. Quid mirum ſi in Deo, non ſolum attributa ſint in gradu intenſo, Dei proprijſsima, ſed in gradu remiſſo & vt incohatio, quæ ſit tam perfecta, vt non cadat in limitationem creaturæ, eo quod trahat alia Dei.

1044 Vrgeo hæc. Etenim certú eſt naturas habere ſuas quarto modo proprietates, nempè homo habet riſibile & auis volare ex ſe. Natura ergo Dei multò magis habebit ſuas proprietates ſecundarias. Iſtæ autem non ſunt Aſeitas, nec Neceſsitas exiſtendi, quia ſunt tranſcendentes primariores. Erit ergo infinitas ſimplicitèr, ita vt quælibet Dei perfectio ſit pelagus infinitum. Dices infinitatè in omni genere eſſe proprietatè ſecùs in vno. Cótra, quia etiam in vno poteſt, quia creatura petens eſſentialitèr durare ab æterno in æternum repugnat (alias nó fuiſſet creatura, ſiquidem id petit per eſſentiam): ergo infinitas hæc dotandi per eſſentiam, quæ eſt infinitas in vno genere, erit proprietas Dei. Cur non dicemus idem, de infinitate ſimplicitèr in cognoſcendo & in poſſe? &c.

1045 Contra illud de incohatione Obijcies, non repugnat cognitio creata comprehendens infinitas ſpecies per tendentias hæterogeneas graduales diuerſas: ergo nec cognitio eſſentialitèr infinitè perfecta & quæ ſit incohatio ſpecialiſsima ſapientiæ Dei. Antecedens probat. quia multò plus eſt exprimere intuitiuè quidditatem Dei, quã omnes ſpecies creatas (illa enim omnibus iſtis præ-

præpóderat)·atqui illud poteſt viſio finita: ergo & iſtud. Dices 1. viſionem beatam non adæquare quidditatem Dei, ſed illam licet infinitam exprimere finitè, ſicut qui ex vaſſe pleno aqua infinita, biberet per foramen, finité & inadæquatè biberet. Cognitio tamen comprehendens infinitas ſpecies, eo ipſo adæquaret illas & proptereà repugnat, hæc & non illa. Contra: ergo ſaltim non repugnat cognitio infinita hæterogenea exprimens infinitas quidditates vt tales, quin comprehendat illas. Dices 2. Non dari vnum tertium in quo eas cognoſcat. Contra: iam dabitur, ſi admitas ſpeciem impreſſam, vel virtutem creatam eſſentialitèr infinitam.

1046 Sed reſpondeo negan. anteced. quia iuxtà dicta à nobis in 1. p. D. Thom. à n. 283. Repugnat creatura perfectionis eſſentialis gradualis infinitæ & ſic repugnat illa cognitio etiã ſi comprehenſiua nó ſit. Nec obeſt: quod quiditas & infinitas Dei præpóderet creaturis in ſe ipſis. Diſtingo enim: quoad eſſe, concedo, quoad cognoſci vnica cognitione nego. Sicut multò plus eſt vnus homo quam mille ſpecies brutales & tamen ſummè multò difficilior eſt, virtus vnica iſtarum generatiua hęterogenea, quam generatiua hominis. Inſupèr Deus abſtractiuè cognitus eſt obiectum multò maius, quam centum ſpecies brutales; & tamen ille eſt ſignificabilis vna voce & noſcibilis vno ductu & cognitione, ſecùs iſtę in ſeipſis. Igitur viſio Dei vnam accipit perfectionem ab obiecto ſummo: viſio de infinitis ſpeciebus, infinitas. Illa infinitè excedit viſiones infinitarum ſpecierum, ſed exceſſu ſolum ſincathegorematico finito, non vero graduali, quia viſio vna illarum *in ſeipſis* eſt gradualitèr infinita in ſe, proptèr infinitas tendentias, ſicut ſatisfactio Chriſti nu. 528. aſſerta eſt infinita ob infinitas graduales continentias ad infinita præmia inæqualia. Dixi *in ſeipſis*, quia in virtute productiua earum, nempè omnipotentia impoſsibilior eſt, quia eſſet comprehenſio vel quaſi, Omnipotentiæ. Vide num, 531. & quæſt. 26.

1047 Argumenta ſpecialia, quibus probari ſolet deſignabilitas creaturę & intenſionis ſummæ, potius ſunt phyloſophica (vbi controuertitur, an ſit producibilis creatura ſumma) quam Thelogica; & ideò, ne actum agamus, illa omitto & vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Nec hanc ſententiam de poſsibilitate augmenti diuinitus in Chriſto nos defendimus, niſi vt aliqui Authores, ſuppoſita nempè gratiæ ſummæ indeſignabilitate.

ARTICVLVS V.

ALIVD ARGVMENTVM DIFFICILIVS.

1048 DEcreueram omittere illud, remittendo ſtudioſos ad Phyloſophiã, vbi laté de infinitate. Sed poſteà placuit perſtringere illud, pro complemento & intelligentia quæſtionis, maiori. Objicies ergo tandem. Deus poteſt producere ſimúl omnem gratiam poſsibilem. ergo & ſummam, vt daret Chriſto, quia ſumma vna eſt de poſsibilibus. Antecedens patet, quia poteſt omnes creaturas poſsibiles ſimùl: ergo & omnes gratias poſsibles. Si neges antecedens, quia exhauriretur tota omnipotentia, hoc Recentioribus, non videtur inconueniens, vnum nempè infinitum virtutis productiuæ exhauriri & æquari per aliud capacitatis infinitæ producibilis, ſicut per vnum Verbum adæquatur tota Patris virtus generatiua.

1049 Reſpondeo tamen, nego antecedens. Ad probationem, nego antecedens certiſsimè. Licet enim omnia poſsibilia ſint ſimùl poſsibilia, non tamen ſimùl producibilia. Non enim habent potentiam ſimultatis ad productionem, licet habeant ſimultatem potentię. Patet in amore & odio eiuſdem obiecti ſimùl poſsibilibus, ſimultate poſsibilitatis & ſimultate virtutis, in voluntate: non vero ſimultate productionis. Vndé ſaltìm, vniuerſaliſsima illa propoſitio, quæ aſſummi ſolet ad probandum infinitum & ſummitatem, à poſsibilitate omnium, vera non eſt.

1050 Nec obeſt ſi dicas, dari repugnantiam inter tales actus, ideoque non poſſe ſimùl produci, quæ tamen inter gratias omnes poſsibiles habituales, non datur. Contra: ergo ſaltím non valet argumentú à poſsibilitate ad productionẽ. Nihilominùs cenſeo, quod admiſſa intenſione infinita poſsibili in actu, adhuc repugnet produci omnes gratias. In hoc enim nó datur ſola illa repugnãtia, de exhauſta omnipotẽtia ſed alia; nempé, quod eſſet & nó eſſet exhauſta: quod explico exẽplo magni luminis in facula. Supponamus lumen magnú accenſum, à quo candelæ lumẽ participent & quod omnes poſsibiles candelæ accendantur ab illo lumine: ſequitur, quod tota virtus illius luminis eſſet exhauſta, quin poſſent aliæ candelæ accendi, vt per ſe patet. Item non eſſet exhauſta, quia cum adhuc poſt omnium accenſionem, maneret illud lumen integrum in ſe, adhuc haberet virtutem accendendi alias & alias.

1051 Probatur aſſumptum, quia adhuc manet integra illa virtus: ergo poſſet alias accendere. Dices, non poſſe, quia repugnant aliæ. Contra: ergo ex parte ſua adhuc manet virtus productiua lucis: ergo non produxit, quantum ex parte ſua productiua eſt, ita vt dicatur, quod ex parte ſua non poſsit plus; ergo eius virtus exhauſta non eſt; atqui ſimùl eſt: ergo ex productione omnium poſsibilium ſequitur contradictio. Idem dicendum de omni virtute productiua, quando non conſumitur producendo.

1052 Vndè virtus infinité productiua ſincathegorematicè, non ſolum reſpectu infinitorum, ſed reſpectu finitorum, eſt impoſsibile, quod ſucceſiue producat tot finita, vt intra limites finitos, non poſsit addere plus & plus, quin ſit dabilis numerus finitorum maximus. Sic in diebus à parte poſt æternis, ſemper erunt finiti dies illi, qui erunt & erunt, ita vt numquam perueniamus ad vnũ, in quo Deus, ſi vellit ceſare & ponere finem extrinſecum, non poſsit. Vndè dies qui erunt, vnus poſt alium, ſemper erunt finiti. Sed vbi erit infinitum æternitatis per fidem creditum à nobis & à Deo cognitum? Reſpond. non ſtare in diebus, qui erunt, ſed in cumulo infinito eorum, qui ſemper reſtabunt vltra & vltra, vt poſsint ſucceſiue eſſe & eſſe.

1053 In omnibus ergo, quæ producentur & producentur, non eſt aſignabile vltimum adhuc à Deo, quia poſt quodlibet, datur aliud. Sicut licet verum ſit, quod aliquis æqus requiratur ad æquitandum, Deus cognoſcens omnes, nequit determinare aliquem, qui requiratur, quia poſt quemlibet deſignabilem, datur alius & alius ſufficiens. Idem de qualibet gratia habituali, quam Deus vellit deſignare.

1054 Ratio autem non ſtat pręciſsè, in eo quod omnipotentia eſſet exhauſta, ſed quia eſſet & non eſſet, vt probatum eſt. Inſuper, quia natura infiniti ſincathegorematici, licet patiatur terminum extrinſecum, qui prouenit à voluntate addentis & potentis ceſſare, non vero intrinſecum, ſiue qui ſit vltimus ex natura ſua. Hinc ſequitur, Deum comprehendentem creaturas omnes, nullam cognoſcere vltimam, quia non datur; ſicut qui videt in menſa dracmas plures circularitèr extenſas, nullam videt ex ſe vltimam, licet ipſe numerando poſsit facere vltimam. In conuinationibus ergo tan infinitis quam finitis, ſemper poteſt addi.

1055 Nec obeſt, quod Deus noſcit omnium poſsibilium cumulum, ſciens extra illum nihil amplius dari: ergo cognoſcit creaturam vltimam. Nego conſeq. quia inter illas, quę ſunt in cumulo, nulla datur vltima, nec tam multa, quod quacúque aſignata multitudine, nó poſſit Deus ſummere ex reſtantibus in cumulo aliquam, ad addendam illam; ſicut diebus æternis, qui erunt, ſemper & ſemper fiet additio ex his, quę reſtabunt. Cognoſcit ergo Deus aliquam vltimitatem impropriam ſolum & negatiuam in cumulo, (nempè nihil eſſe creabile extra illum) comparatiuè ad illa, quæ ſunt extra cumulum: quatenùs à poſsibilibus nequit exire ad impoſsibilia, vt producat ea.

ARTICVLVS VI.

DVÆ REPLICÆ.

1056 REplicabis 1. Poſsibilis eſt cognitio creata, noſcens vnam ſolam creaturam & alia duas & alia tres, & ſic aſcendendo gradatim, per quaſi ſcalam, ſemper & ſemper, vſque in infinitum: ergo cum Deus noſcat omnes hos ſcalæ gradus, noſcit vltimum & ſummum. Idem argumentum fit de cognitionibus diſpoſitis adinſtar Piramidis. Nego conſeq. Loquendo ſincathegorematicé: quia non eſt dabilis, habens gradum vltimum deſignabilem, ſicut repugnat determinatus æqus requiſitus ad æquitandum. Eſt enim de natura huius calculationis & infiniti ſincathegorematici, carere termino intrinſeco. Deus enim ſcit de ſe, virtutem ſuam nullum habere limitem in producendo, nec poſſe peruenire ad vltimum, cui nequeat addere amplius, cum eius virtus producendo exhauriri nequeat.

1057 Sed dices: Si totum productum eſt finitum; & infinitum, ſolum reperitur in his, quæ producenda reſtant, & hæc producibilia non ſunt: ergo non datur infinitũ in potentia. Reſpondetur, dupliciter ſummi poſſe infinitum in potentia. Primò, pro potentia ad ponendum infinitum, quod veré & in re infinitum ſit, & totum exiſtat ſimùl in actu; & de hac potentia non loquimur, quia eſt potentia ad ponendum infinitum actu & in re, de quà in Phyloſophia. Secundò, de potentia ad infinitum ſincathegorematicè, quodque ſit finitum in ſe & infinitum in potentia, quatenùs ſine fine poteſt ei addi & addi, & de hac eſt ſermo.

1058 Potentia ergo ſincathegorematicé infinita habet duos terminos concatenatos, directum & indirectum. Eſt ergo potentia ad terminum directum re ipſa finitum & finitum; reſpicit tamen in illo capacitatem ad terminum indirectum infinitum, nempè ad cumulum reſtantem, de quo ſummat additionem & additionem ſemper & ſemper, pro addendo termino directo finito. Et ſic eſt infinita in potentia ad terminum directũ finitum, ſemper & ſemper addibilem ex indirecto infinito. Vndè Deus cognoſcendo ex vna parte conuinationes de creaturis finitis, in infinitum addibilibus; & ex alia parte conuinationes de infinitis creaturis, nequit calculando, de finita tranſire immediatè ad infinitam. quia calculatio addit finitum, & ſi per hoc fieret infinitum, eſſet admittere ante hoc, numerum finitorum maximum & vltimum: talem, quod per vnam vnitatem tranſiret ad infinitum, contra dicta.

1059 Replicabis 2. Deus noſcit æternitatem dierum poſsibilium à parte ante: ergo cognoſcit in illis primum excedentem ſubſequentes. Probatur, quia in illo aggregato non omnes ſunt excedentes & exceſi, ſed in excedentibus datur vnus plus: ergo cognoſcitur à Deo ille excedens, non exceſſus. Idem de numero finitorum maximo. Cum enim numeri finiti, inæquales ſint, debet dari vnus qui excedat & non ſit exceſſus. Ille ergo erit ſummus & vltimus.

1060 Reſpondetur, Deum in primis noſcere, ſe eſſe participabilem à creaturis vage & ſemper plus & plus in infinitum, quia hoc eſt determinatè verum & nequit non noſci ab ipſo. Inſuper 2. Noſcit ſimùl ſimultate ex parte cognoſcentis, omnes participationes ſui poſsibiles, & omnes earum conuinationes tám finitas, quàm infinitas; noſcit tamen eas, vt ſingulas & diuiſiue ex parte earum determinaté; non vero vt omnes copulatiuè, comparando exceſſum vnius ad aliam in omnibus determinatum. Ratio eſt, quia ſumptæ copulatiuè, & vt omnes, imbibunt eſſentialitèr ex parte ſua confuſionẽ & indeterminationem, atque indeſignabilitatem, quia talis confuſio & indeterminatio, eſt de eſſentiali conceptu infiniti, vt talis. Deus autem nequit noſcere rem, niſi vt eſt cognoſcibilis, ſicut nequit in medio comprehenſo noſcere rem, niſi inadæquate & confuſſe, ſi medium ſit tale, quod rem ita & non alitèr repreſentet.

1061 Noſcit ergo omnes determinatè vt ſingulas, & exceſſus vt ſingulos; vagè vero & indeterminatè vt omnes, & vt imbibunt infinitatem. Sic potentia hominis ad vitanda omnia peccata venialia, eſt potentia moralis ad illa vt ſingula, ita vt nullum ſit deſignabile diuiſiue, ad quod non ſit potentia moralis; non tamen eſt potentia moralis ad illa copulatiuè & vt omnia, ſed potius moralis impotentia. Hinc ſit, quod dies æternos tàm à parte ante, ſi fuiſſent, quàm à parte poſt vt futuros, non noſcat Deus, determinatè futuros vt omnes, quia vt omnes numquam erunt, quia finiretur æternitas, ſed noſcit determinatè omnes vt ſingulos, & numquam vltimum, quia noſcit futurum *hunc, ſed cum ſuo anteriori & poſteriori & futurum alium determinatè, ſed cum anteriori & poſteriori:* Et ſic de reliquis, vt ſingulis. Scit ergo de quolibet, quod erit; ſed ita erit, quod alius ſubſequatur.

1062 Ad argumentum ergo dicimus, quod licet ſciat Deus, ſingulos dies & ſingulas conuinationes & vnam cum alia comparando vt ſingulas, noſcat quod vna excedit aliam, & licet ſciat, quod poſt omnes generalitèr & confuſſe ſumptos, non eſt dabilis alia; & quod inter excedentes & exceſſos in genere & in confuſſo, non ſit ęqualitas, nullam tamen valet deſignarè de qua verificetur, quod excedit & non exceditur, ſitque vltima. Natura enim infiniti hanc poſtulat confuſsionem & inordinabilitatem ex parte ſua, ac per conſequẽs, quod in illo non detur terminus & exceſſus intrinſecus per aliquid determinatum ſui.

1063 Dices. Aggregatum omnium poſsibilium eſt ſummum continens omnia poſsibilia; atqui tale aggregatum & omnia poſsibilia in illo contenta, non propterea deſinit eſſe creatura, nec tranſit ad eſſendum ſimùl Deus: ergo etiam ſi detur gratia ſumma, non propterea tranſit ad eſſendum Deus. Reſpond. ad maior. Continere omnia poſsibilia continentia negatiua, ideſt quatenùs extra illud nulla alia creatura datur. Conceſſa ergo ſic mai. & min. nego conſequent. Etenim propterea non eſt Deus, aggregatum illud, quia in toto illo non datur ſumma creatura, nec ex omnibus illis reſultat creatura ſumma, quia omnia illa non vniuntur ad faciendum cathegorematicè ſummum, ſiue talé quod æquaret Dei participabilitatem; ſed omnia ſe habent ſincathegorematicè & vt ſingula in illo; aliàs iam eſſet Deus.

1064 Pro coronide, nota, me vſum fuiſſe phraſi illa, *omnipotentia exhauſta, vel inexhauſta*, eo quod Aduerſarij vtantur illa, cum potius videretur dicendum: omnipotentia habens actum ſuæ virtutis adæquatum, ſi produceret omnia, vltra quem actum progredi non poteſt. Sed hoc ipſum, magnum inconueniens videtur, quod omnipotentia, facta productione totali, habuerit limitem & impotentiam ad plus & quod potuerit adæquari per illum actum. Et ex hoc ipſo, argumentum contradictionis ſumo, nempè omnia eſſe producta tunc, vt ſupponimus & non eſſe producta, quia omnipotentia tota, eſſet coæquata & non eſſet coæquata, quia impoſsibile eſt, attributum Dei, ita coæquari producendo, vt non maneat potens ad plus.

1065 Quod ſi inconueniens non eſt, quod Scientia Dei adæquetur per omnia cognita, ita vt non maneat potens ad plus: ergo nec erit in omnipotentia. Nego conſeq. quia attributum Dei valet adæquari, per æquale, ſecùs per inæquale. Scientia ergo Dei. cum creaturis habet procognito ipſum Deum & ſic nihil mirũ ſi adæquetur, nã eſt per æquale. Cumulus autem poſsibilium, nõ eſt æqualis omnipotentiæ ſimplicitèr abſolutè & ſubſtantialitèr infinitæ. Cum ſolum ſit infinitum ſecundum quid, ſiue ſecundum accidens. Numquam ergo adæquabitur, quacumque productione facta, ſed ſemper manebit potens ad plus & plus. Eſſet ergo & non eſſet coæquata.

1066 Per inæquale ergo, Attributum Dei non coæqua-

193

quatur, quia tunc ſemper eſt ſincathegorematicè capax ad plus dum non æquatur. Licet enim eſſet infinitus in actu ille cumulus, reſpectu eorum, quę continet, deberet eſſe ſincathegorematicè potens ad plus & plus, ſicut ſi ab Æterno, creari potuiſſent Angeli infiniti in actu & cathegorematicè, adhuc eſſet infinitum ſincathegorematicum, reſpectu addibilium.

QVÆSTIO XXI.

DE PLENITVDINE GRATIÆ CHRISTI.

1067 Plura ſe offerent in hac quæſtione, quæ valdè conducunt ad intelligentiam præcedentis, ſuntque complementum ipſius. Ideò valdè attendenda.

ARTICVLVS I.

NON EST PLENVS OMNI PLENITVDINE poſsibili. Vbi de mente D.Thomæ & de taxa.

1068 Aſſertio poſsita probata eſt quæſtione præcedenti. Pro cuius maiori explicatione, mens D.Thomæ inueſtiganda eſt, qui ſæpè videtur nobis contrariari. Præcipuè quæſt.7. artic.10. in corpore admittit in Chriſto plenitudinem gratię ex parte ipſius gratię. Plenum autem dicitur, quod pertingit ad ſummum. Item art.12. ait, quod ex parte formę excluditur poſsibilitas augmenti in gratia Chriſti; vbi etiã addit alia, ſatis expreſſa de ſummitate gratiæ, non ſolum relatiuè ad ſuppoſitum, ſed ex parte ſua.

1069 Inſuper in 3. Sententiarum diſtinctione 13. quæſt.1. art. 2. ait, quod ſecundum quod res eſt in termino, tota eius capacitas obedientialis impleta eſt ex fine & ideò non habet quo creſcat vlterius, & quia anima Chriſti ab initio fuit Verbo vnita (id eſt vltimo fini & termino) eius gratia creſcere non poteſt. Hæc D. Thomas. Tandem ex 3. parte ad Anibaldum diſtinctione 3. quæſtione vnica, artic.4. docet, non poſſe augeri Chriſti gratiam, *quia humanitas eſt maximè vnita Deo & tota eius capacitas* (nota) *impleta & ideò gratia Chriſti augeri non potuit, quia tanta fuit eius capacitas, Vltra quam augmentum eſſe non potuit remanente natura humana ſeu creata, & Deus non poteſt facere aliquam capacitatem increatam*: vbi ſermo eſt, attenta etiam potentia abſoluta.

1070 Reſpond.tamen, Diuum Thomam ſolum velle, non poſſe Deum facere gratiam in ſe intenſiorem de potentia ordinaria, ſecùs de abſoluta. Pro cuius intelligentia, nota, Deum attendendo ad finem extrinſecum gratiæ, nempè ſuppoſitum Chriſti taxaſſe gratiam, eiuſque menſuram, non ſecundum omnem intenſionem diuinitus poſsibilem, ſed ſecundum ſuæ ſapientiæ diſpoſitionem, proportionando intenſionem cum tali fine & cum muneribus ad quæ dabatur & *præcipuè euitando proceſſum infinitum*: cum enim formæ ex ſe non habeant terminum intrinſecum, ſed ſint augmẽtabiles plus & plus, pertinet ad diuinam Sapientiam, aſsignare illis terminum, ad quem perueniant & non vltra; niſi alias ſubiectum ipſum formæ iuxtà ſuam capacitatem, intenſionem formæ limitet. Sicut ignis limitat calorem & ſubiecta alia colores, quam limitationem, cum ſubiectum obedientiale non faciat ex ſe, fieri debet à ſapientia Dei, ſed non purè pro libito, ſed attento ordine talis formæ & muneribus ad quæ datur & vitato proceſſu infinito.

1071 Connaturale autem eſt Chriſto ob ſuam dignitatem & ob rationem capitis, quod gratia eius inter omnes taxatas à Deo, ſit non ſolum magna in ſe, ſed ſuprema & à nullo alio excedi poſsit, imò nec incomparabilitèr æquari. Sed hoc intelligitur, non diuinitus, ſed attenta taxatione ſapientiæ Dei. Ex hac doctrina manent explicati duo primi textus D. Thomæ. Loquitur enim de impoſsibilitate augmenti, attenta diuinæ ſapientiæ taxatione & lege ordinaria. Hæc ſolutio confirmatur ex ipſo art.12. In ipſis enim quæ ibi addit, manifeſtè loquitur, *attenta taxatione Dei*, quam ſicut Sapientia Diuina facit in alijs formis, fecit in gratia Chriſti.

1072 Ex his etiam patet reſponſio ad Textum ſententiarum. Fatemur enim iuxtà D.Thomam, augmentum non competere rei in termino (ſed in via ad terminum) idque prouenire ex fine, quia nempè iam obtentus eſt finis, qui intendebatur: cum autem Chriſtus fuerit in termino à primò inſtanti & vnitus vltimo fini, ex tunc manſit augmenti incapax, attenta lege ordinaria. De potentia autem abſoluta poterat augeri, ſicut & Beati per actus liberos poterant mereri ſibi augmentum gratię, ſi Deus ita diſpoſuiſſet. Noluit tamen diſponere, eo quod iam ſint in termino.

1073 Ad vltimum Textum, de impleta tota capacitate ſubiecti; Reſpond. vel loquitur D.Thomam de gratia vnionis, vel ſi de habituali, loquitur de illa ſecundum relationem ad ſuppoſitum Chriſti. In hoc enim ſenſu, non eſt poſsibilis maior gratia, nec in creatura maior capacitas, manente creatura, quia Deus nequit illi aliquid maius, nec modò ſtrictiori & maiori dare, quam dedit, ſiquidem dedit vnione reali omnium ſumma, ſupra quam, non eſt dabilis nexus ſtrictior, niſi identitas, quæ tamen repugnat creaturæ manenti creaturæ.

1074 Replicabis: Iuxtà D. Thomam hìc quæſt. 7. artic.11. gratia Chriſti omnem habet perfectionem, quæ pertinet ad perfectionem gratiæ; ergo non ſola gratia vnionis eſt ſumma, ſed etiam gratia habitualis. Diſtinguo anteced. omnem perfectionem, ſi ſummatur ſecundum ſubſtantiam gratiæ, nego anteced. Si ſecundum extenſionem ad varios effectus, nempè ſecundum quantitatem, concedo. Secundum intenſionem enim, augeri poteſt de poſsibili. Alijs terminis diſtinguo antecedens. Omogeneam nego anteced. quia per gradus ſimiles iſtis, adhuc poteſt creſcere & creſcere de poſsibili.

1075 Vndè quoties D. Thoma ait, gratiam eſſe infinitam, vel ſummam, attendendum eſt valdè. An loquatur de magnitudine abſoluta gratiæ, vel de reſpectiua ad ſuppoſitum? Si de abſoluta, ita vt nequeat de reſpectiua interpretari, reſpondeo loqui de lege ordinaria & iuxtà taxam. Si autem de reſpectiua ad ſuppoſitum explicari poſsint, ita ſunt explicanda, ſicque ſe explicat D.Thom. hic quæſt.10. art. 4.ad tertium dicens *Quod id quod dictum eſt de gratia, nempè quod non poteſt maior eſſe, quam gratia Chriſti, dictum eſt de gratia reſpectu ad vnionem Verbi, ſecus de gratia ſecundum intenſionem* Hæc Diuus Thomas.

1076 In fine nota: Quod ſi D. Ioannes ait, Deum non dare ſpiritum ad menſuram (quod præcipuè debet intelligi de Chriſto). Reſpõd. aliam eſſe taxam de poſsibilitate ad futuritionem; & aliam, decreta iam futuritione ad conditionatè exiſtendum. De hac data fuit Chriſto ſine taxa, quia data eſt ſumma, inter decretas ad exiſtendum.

ARTICVLVS II.

ALIÆ IMPVGNATIONES NOSTRÆ Sententiæ.

1077 Obijcies 3. Contra dicta. Sapientia Dei taxauit gratiæ Chriſti terminum, non tamen taxauit pro libito, ſed iuxtà finem ad quem dabatur, vt docet D. Thom. nempè iuxtà vnionem ad Verbum; atqui hæc eſt ita ſumma, vt nec diuinitus poſsit dari aliquid maius: ergo gratia, quæ taxatur & menſuratur per hoc, debet eſſe ita ſumma, vt nec diuinitus poſsit eſſe alia maior. Confirmatur: Diuina ſapientia poteſt in aliquo caſu diſponere de gratia, quæ ſit ſumma, adhuc per potentiam abſolutam; atqui in nullo caſu reperiet ſubiectum, cui magis poſsit eſſe connaturalior & debita, quam Chriſto.

1078 Reſpond. diſtinguendo mai. Menſurauit iuxtà finem & attenta etiam poſsibilitate, vel impoſsibilitate deſignandi, concedo: iuxtà finem ſolum, nego. Attendebat

Digitized by Google

bat enim ad finem nempè vnionem, ſed non ſequando mathematicè & ſtrictiſsimè ſummum & adæquatum ius vnionis, quia ſic plus & plus poterat taxare: Concedebat ergo attendendo prudentiſsimè ad vnionem & iuxtà illam, attentis alijs circumſtantijs proportionabilitèr, dando illi gratiam in tali menſura. Conceſſa ergo mai. nego conſeq. quia Deus in menſuratione gratiæ, attendit ad dignitatem vnionis, ad hoc vt haberet gratiam, quę deceret vnionem, & quæ ſufficiens eſſet abundè pro omnibus Chriſti muneribus, ſed etiam attendebat ad indeſignabilitatem ſummæ. Propter dicta autem, hæc taxa ſemper haberet aliquid de libito: ſed ne in infinitum fiat proceſſus, taxare debuit ſic vel ſic, & in hoc ſtat libitum aliquale.

1079 Ad confirmationem nego mai. propter dicta; vel data maiori, nego minor. Tùm, quia cum hæc gratià detur Chriſto ob rationem principij vniuerſalis & ob conformitatem capitis cum membris, ad hos fines nó eſt connaturalius, quod detur ſumma, vtpotè improportionata ad illos fines, & etiam fortè noxia gràtię membrorum, & quia infinitum haberet de ſuperfluitate ad effectus & munera, quia ſi gradus ſint ſimilares & Chriſtus habuiſſet ſummã, eo ipſo membra manerent ſine vlla gratia. Non autem eſſet connaturale, Chriſtum omnia ſibi aſſumere & membra expoliata manere, deficeret enim proportio & ſimilaritas cum membris in capite. Daretur autem gratia ſumma in alio caſu, ſi nempè Deus pro libito vellet ſolum Chriſtum ornare & alios expoliare. De potentia ergo ordinaria ſecundum taxam diuinæ ſapientiæ, nequit dari maior gratia, ſecùs de abſoluta.

1080 Sed replicabis 2. Quia ſi de potentia ordinaria, non poteſt dari maior: ergo nec de abſoluta. Conſequetia probatur, quia vt benè Ripalda to. 2. diſp. 129. nu. 43. Potentia ordinaria producendi gratiam in Chriſto eſt omninò abſoluta. Patet, quia tunc aliquid non poteſt fieri, de potentia ordinaria & poteſt de abſoluta, quando natura poſtulat, vt non fiat, poteſt autem fieri ex voluntate Dei ſupra naturam; atqui nihil poterat ex parte Chriſti poſtulare, vt ei non daretur gratia maior & maior, ſi poſsibilis eſt, ſtante dignitate Redemptoris, imò hæc petebat maiorem & maiorem: ergo Deus non omiſsit dare maiorem, quia non poterat de potentia ordinria & iuxtà naturam Chriſti, ſed quia non poterat adhuc de abſoluta. Confirmatur illa maior, omnibus argumentis ſuprafactis pro gratia Chriſti ſumma.

1081 Sed reſpond. conceſſo anteced. nego conſeq. eiuſque probationem, quia præter potentiam ordinariam in argumento aſignatam attendentem ad exigentiam naturæ, datur alia ordinaria, fundata in lege communi Dei: quidquid enim fit iuxtà communes leges, licet ſit alias ſupernum, dicitur fieri de potentia ordinaria. Et ſi fiat diſpenſatis legibus, fit de abſoluta. Sic ſi anima ſeparata, infunderetur materiæ in vtero diſpoſitę, fieret de potentia abſoluta; non quia ſupra, vel contra exigentiam naturæ (quia ex parte animæ, ſatis connaturale eſſet revniri & plures idē docent de forma cor rupta) ſed quia eſſet ſupra communes leges Dei. Addo, quod cum non ſit deſignabilis gratia ſumma, non eſt connaturalis aut debita Chriſto, in ſummitate; ordinarium enim & connaturale illud eſt, quod Deus attentis muneribus & decentia perſonæ, taxet gratiam. Quod ſi poſteà vellit addere maiorem, pertinebit ad potentiam abſolutam, cum ſit ſupra legem taxæ.

1082 Objicies 4. Data eſt Chriſto tota gratia, cuius etiam diuinitus eſt capax, ergo ſumma. Antecedens docent Bonauentura & alij, quos citat & ſequitur Bernal: id probans ex D. Thoma, Damaſceno & Damiano. Idem ex Ioannis 1. vbi Chriſtus dicitur plenus gratiæ & veritatis: ergo de his nequit plus vltra capere. Confirmatur, quia gratia Chriſti non fuit aucta decurſu temporis, etiam ſi habuerit merita ad augmentum: ergo quia tanta erat, vt augeri nequiret, eo quod replebat omnem Chriſti capacitatem. Antecedens eſt certum apud Theologos omnes & probauit D. Thomas, quia Chriſtus ex tunc fuit in termino ſicut & alij Beati.

1083 Conſequen. probat. Quia augeri eam non repugnat ex alijs capitibus, niſi ex ſola ſummitate. Probatur: nam non ex eo quod gratia eſſet infinita. Dari enim poteſt vnum infinitum maius alio. Infinitum enim omnium poſsibilium, maius eſt, etiam in ſtatu poſsibilitatis, multitudine infinita hominum poſsibilium. Nec ex eo quod Chriſtus non eſſet in ſtatu merendi. Id enim falſum; meruit enim nobis plura dona. Nec, quia non eſſet in ſtatu merendi ſibi: Contra, quia meruit ſibi gloriam corporis & ſui nominis exaltationem & fortè gloriam animæ. Nec, quia non decebat mereri aliquid, quo careret interìm, nam meruit gloriam corporis, qua interìm caruit.

1084 Nec tandem repugnat, quia ſi meruiſſet nouam gratiam, mereretur etiam nouam gloriam & variaretur etiam gloria, quæ tamen eſt invariabilis. Contra, quia non eſt inuariabilis ex natura ſua & diuinitus poteſt, vel augeri, vel variari. Nec, quia Pater decreuiſſet, non dare maiorem gratiam, etiam ſi Chriſtus faceret noua merita. Contra, quia hoc eſſet contra dignitatem Chriſti exigentem maiorem & maiorem & contra meritum ipſius. ergo ideò non meruit, quia erat incapax habendi maiorem gratiam, eo quod iſta eſſet ſumma inter poſsibiles, & Chriſti omnem replens capacitatem, etiam ſumptam de poſsibili.

1085 Reſpondetur tamen, negand. anteced. Ad probationem reſpondeo Patres illos loqui de lege ordinaria & ſuppoſita diuinæ ſapientiæ definitione & taxa: hac enim poſsita, impoſsibile eſt augmentum. Ad locum Ioannis de plenitudine Chriſti. Reſpond. non probare ſummitatem diuinitus poſsibilem, ſicut nec probat in Stephano & Beatiſsima Virgine, ſed ad ſummum probare abundantiſsimam gratiam, iuxtà munera ad quæ ordinabatur. Sed de hac plenitudine ſermo erit infrà.

1086 Ad confirmationem conceſſo anteced. nego conſeq. Ad probationem reſpond. quod licet de facto non ſit aucta, poterat tamen diuinitus, ſicut & poteſt in Beatis de potentia abſoluta. Impoſsibilitas autem, quæ datur, vt in hoc ordine rerum augeatur, prouenit à taxa diuinæ ſapientiæ, & à lege ordinaria, fundata, vt inquit D. Thomas, in eo quod humanitas, iam ſit in termino gloriæ & in termino ſanctitatis & gratię, vtpotè vnita iam ex tunc hypoſtaticè Verbo. In termino autem nullum datur augmentum de lege ordinaria. Nec Pater iniuriam intulit dignitati & merito Chriſti, decernendo incapacitatem augmenti. Tùm, quia vt dixi, erat iam in termino Chriſtus. Tùm, quia Pater vſus eſt iure ſuo, quod habet in deſignando termino & taxa formis non habentibus ex ſe limitem, nec limitatis ab exigentia ſubiecti. Tùm, quia ne fiat infinitus proceſſus & ob generalem prouidentiã poteſt Rex in bonum Reipublicæ, priuare vel minuere de iure alicuius particularis, vt quotidie Rex facit in Republica. Hęc ergo eſt ratio negandi augmentum, non vero illæ, quas argumentum contrariorum aſignat, nec ſummitas ipſa gratiæ.

1087 Si dicas: Gratia Chriſti eſt capax augmenti? Hoc autem deberet dari ſecundum aliquem finem: ſed non eſt altior finis, quam vnio ad Verbum: ergo totum augmentum poſsibile datum eſt. Conceſſa major. diſtinguo minor. non eſt altior finis ex fundantibus ius concedo, non eſt altior diuinæ libertatis & libiti, vel prouidentiæ, nego minor. Poſſet enim Deus, aliquid addere pro libito, poſtquam taxam fecerat. Inſtas: ſi poſsibilis eſſet gratia ſumma daretur Chriſto. ergo quæ nunc ſit poſsibilis dari debet Chriſto. Conceſſo anteced. nego conſeq. quia ſumma daretur ſine proceſſu in infinitum; ſecùs ſecunda, vt probatum eſt.

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

EXPLICATVR MODVS PLENITVDINIS *Chriſti.*

1088 PLures in Scriptura Sacra pleni gratiâ dicti ſunt. Chriſtus Ioannis 1. Beatiſsima Virgo, Lucæ 1. Stephanus Actorum 7. *plenus gratia & fortitudine.* Baptiſta Lucæ 1. & Apoſtoli ſæpè repleti dicuntur Spiritu ſancto.

1089 D. Thomas in tertio ſententiarum diſt. 13. art. 2. docet, diuerſimodè dici plenitudines iſtas. Stephanus, Baptiſta & Apoſtoli dicuntur pleni, plenitudine ſola ſufficientiæ ad munera ipſis commiſſa. Virgo plenitudine prærogatiuæ, quia præter munus digniſsimæ Matris Dei, habuit gratiam, qua redderetur immunis ab omni peccato etiam veniali. Chriſtus autem plenitudine excellentiæ ſupra omnes, quæ plenitudo explicanda nunc eſt.

1100 Tenentes gratiam ſummam in Chriſto, aſſerunt dici plenum, quia tota eius capacitas obedientialis, adhuc de poſsibili, fuit impleta gratia, & manſit augmenti incapax, ſicut in vaſe omnino pleno non manet capacitas, adhuc pro vna gutta addenda, de quo articulo præcedenti. Nihilominùs dicendum eſt, Chriſtum eſſe plenum gratia plenitudine omni poſsibili de potentia ordinaria, & iuxtà taxam explicatam quæſt. præcedenti. Vndè eius incapacitas ad augmentum, cum non ſumatur ab exigentia ſubiecti, vt in igne & ſole, ſum debet à taxa Diuinæ Sapientiæ, quæ, cum non potuerit determinare ſummam, *& noluit procedere in infinitum* voluit facere legem de gratia competenti, attenta recipientis dignitate, muneribus & circumſtantijs & proceſſus in infinitum euitatione.

1101 Obijcies: Stephanus & Beata Virgo etiam dicuntur pleni: ergo etiam tunc erant incapaces recipiendi plus iuxtà taxam, ſicut Chriſtus, ſi plenitudo hoc importet. Potuit enim Stephanus dici plenus vt vas vel fons, Maria vt fluuius, Chriſtus vt Mare, habendo nempè capacitates inæquales. Dicere autem de Stephano & Virgine, fuiſſe incapaces augmenti de lege ordinaria antequam eſſent in termino, erroneũ eſſet: ergo nec in Chriſto erit explicanda plenitudo per incapacitatem de lege ordinaria.

1102 Pater Arriaga hic diſput. 32. à num. 36. negat, Chriſtum & Sanctos dici plenos in ſenſu prædicto. Tanta enim eſt capacitas obedientialis ex parte animæ in Sanctis, ac in Chriſto; ergo vel Chriſtus non eſt dicendus plenus ob incapacitatem augmenti, vel Sancti etiã erunt dicendi pleni ab ipſa. Quod ſi dicas, Sanctos dici plenos, non plenitudine quoad ſe, ſed quoad munera. Contra, quia Epiſcopus deſtinatus ad munus Epiſcopale & Secularis non deſtinatus ad aliquod ſpeciale munus, ſi Secularis habeat maiorem gratiam, quam Epiſcopus, poſſunt ambo dici pleni Spiritu ſancto. Si enim Epiſcopus dicitur plenus, cur non & ſecularis, maiorem habens gratiam? ergo plenitudo non dicitur reſpectiuè ad munera.

1103 Quare docet ipſe Arriaga, plenitudinem iſtam, tàm in Chriſto, quàm in Sanctis, æquiuocè vocari plenitudinem, ſolumque ſignificare quamdam magnam & abundantem gratiam: qua gratia abundanti ſupponita, ſi Chriſtus habeat multò plus quàm Virgo, & Virgo, quàm alij, vt verè ita eſt, exceſſus iſte colligendus eſt ex alijs principijs, vel ex muneribus, non autem ex phraſi plenitudinis.

1104 Sed hæc doctrina non placet, quia Scripturæ loca accipienda ſunt propriè, ſi poſſunt propriè, vel accedendo ad proprietatem. Multò autem melius intelligitur Chriſtus eſſe plenus gratiæ & veritatis, quaſi vnigenitus à Patre, plenitudine illa excellentiæ, poſita à D. Thoma, quæ ſit vera in aliquo verò ſenſu & proprio, ſcilicet de lege ordinaria. Inſuper in alijs, dando gratiam plenam, non plenitudine capacitatis (adhuc ſecundum legem ordinariã) ſed plenitudine ſufficientiæ ad munus, alrius Scriptura intelligitur, quia ſaltem analogicè eſt plenitudo, & moralitèr ſaltim, multum ad plenitudinem accedit.

1105 Ad argumentum autem. Conceſſo antec. nego conſeq. quia plenitudo Chriſti eſt excellentiæ & ſumma, & eſt non ſolum plenitudo vtcumque, ſed ipſa plenitudo abſolutè. Propterea Ioannes vocauit illam, *plenum neutralitèr, id eſt, el lleno de gratia, y verdad. ple. num gratia & veritatis;* non ergo dixit: *Vidimus gloriam eius plenam gratia & veritatis, ſed plenum,* quia erat ipſiſsima plenitudo. Hoc non dicitur de Stephano & Virgine, ſed *plenus & plena,* quia plenitudo Stephani ſolum erat ſufficientiæ; Virginis autem plenitudo prærogatiuæ, excedens Stephanum & alios, & valdè accedens ad Chriſtum. Vndè Chriſtus eſt plenus vniuocè; alij autem analogicè.

1106 Replicabis, modus plenitudinis Chriſti non differt à modo Stephani: ergo vel vterque eſt ſtrictè plenus, vel neuter. Antecedens patet. Stephanus dicitur plenus, non abſolutè & ex parte gratiæ, ſed reſpectiuè ad munera & ad conditiones ſubiecti; atqui ſimilitèr Chriſtus reſpectiuè ad munus Redemptoris & ad ſubiectum, nempè vnionis dignitatem: Ergo idem eſt modus etiam ſi Chriſtus habeat multò plus, quam Stephanus, ſicut idem eſt modus habendi gloriam in Adultis Beatis, nempè propter merita & vt coronam, licet vnus habeat multò plus, quàm alius, D. Petrus videlicet, quàm infimus Chriſtianus.

1107 Reſpondetur negando antecedens, quia modus non eſt vniuocus in vtroque, quia in vno eſt modus puræ ſufficientiæ, quæ non eſt ſtricta plenitudo capacitatis obedientialis taxatæ, cum potuerit creſcere: in alio vero eſt modus excellẽtiæ & ſummitatis. Ad probationem reſpondetur, datam vtrique reſpectiuè ad munera, ſed non ſolum, ſed etiam ad dignitates ſubiecti. Propter munera, data eſt Stephano ſufficientia, Chriſto autem ſummitas & excellentia, quia ita decebat in principio vniuerſali merente pro omnibus & omnia.

1108 Vndè gratia data Chriſto, ex parte dignitatis & ex parte muneris, differt valdè ab alijs: ex parte muneris, quia cum deberet mereri pro omnibus, adhuc ad influendum efficacitèr in omnes, debebat eſſe ſumma, ex parte qualitatis & intenſionis entitatiuæ. Vndè ex hoc capite influendi, non ſolum eſt ſumma inter taxatas ſummitate ſecundum relationem, ſed ſummitate ſecundum intenſionem.

Ex parte autem dignitatis & ſi comparetur ad ſubiecta, magnum eſt diſcrimen, ad hoc vt Chriſto detur ſumma intenſio taxata; non vero Stephano. Quod ſatis indicat ipſa phraſis Scripturæ, dum loquitur de plenitudine Chriſto data. Dicit enim, Chriſto datam gloriam, tamquam vnigenito Patris: ergo data eſt ipſi intenſio gloriæ & gratiæ, attendendo ad hanc dignitatem vt menſuram, ac per conſequens data eſt ſumma inter taxatas, quia ita dignitas Chriſti poſtulabat. In Stephano autem ex parte ſubiecti nulla erat tanta dignitas, quæ peteret ipſi dari intuitu illius totam ſibi taxatam, ſed dari illi ſi mereretur.

ARTICVLVS IIII.

DE GRATIÆ CHRISTI PERFECTIONIBVS.

1109 QVoad perfectiones autem, gratia habitualis Chriſti in ratione qualitatis excedit alias non ſubſtantialitèr, quia eſt eiuſdem ſpeciei, & eſſentiæ cum noſtra, ſed in intenſione. Inſuper parum excedit noſtram, quantum ad multitudinem habituum, quæ iſtam concomitantur, ſicut animam potentiæ eius. Solum enim addit lumen gloriæ, quod nos nõ habemus, & loco fidei, ſcientiam infuſam. Accidentalitèr autem habuit exceſſum in priuilegis maiorib⁹. Erat enim prin-

cipium meriti, non obſtante beatitudine Patriæ, propter quod meritum, de plenitudine eius omnes accepimus. Item eam comitata eſt poteſtas excellentiæ ad ſacramenta inſtituenda, quæ forſè intuitu gratiæ ſummæ habitualis taxatæ, ei data eſt, quamuis etiam videatur fuiſſe attentum ad dignitatem vnionis.

1110 Dico cum Lugo, intenſionem talis gratiæ, non ſolum eſſe ſummam inter omnes intenſiones taxatas, ſed credibile eſt, eſſe tantam, vt in graduum multitudine, excedat omnes alias gratias Angelorum & hominum, ſimùl ſumptas, vt ita nó ſolum ſit Patri gratior omnibus ſimùl ſumptis, etiam quatenùs homo, ſed etiam opera eius, quatenùs ab illa gratia accidentali proficiſcuntur & dignificantur, gratiora ſint adhuc diuiſiuè omnibus operibus creaturarum omnium, ſimùl ſumptis.

1111 Obijcies: Gratia Chriſti de facto, licet iuxtà taxã ſit ſumma, nõ eſt infinita; atqui gratiæ taxatæ omnibus dandæ ſunt infinitæ: ergo excedũt gratiam Chriſti. Minor patet, quia omnis illa gratia abſolutè eſt decreta à Deo, quam homines poterant obtinere, ſi ſe diſponerẽt; atqui potuerunt ſe diſponere plus & plus, & in infinitum: ergo eſt infinita. Reſpondeo, gratiam Chriſti in ratione entitatiua qualitatis, excedere omnes abſolutè datas & de futuro abſolutè dandas, imò & iam decretas, conditionatè dandas; cum enim omnes deberent dari ex Chriſti meritis, efficientèr & dignificatiuè procedentibus à tali gratia, congruum erat, vt plus ipſe haberet gratiæ.

1112 Nego autem 1. gratiam Chriſti eſſe entitatiuè finitam, ſi poſsibilis ſit infinita. Nec eſt inconueniens, quod Chriſtus deberet omnes ſuos actus facere in intenſione cathegorematicè infinita, vtpotè qui operaretur, iuxtà intenſionem habituum. Fateor enim. Nec obeſt ſumma capitis defatigatio ex quolibet actu procedens, quæ mortem afferret Chriſto. Reſpondetur enim, quod ſicut debita erat talis intenſio, ita & talis virium confortatio, vt nimia illa impediretur virium defatigatio. Licet inſuper gratia illa eſſet intenſionis cathegorematicè infinitæ, adhuc eſſet capax augmenti ſincathegorematicé, quia non eſſet tanta, quod eſſet infinitarum ſumma.

1113 Tandem nego 2. Gratias datas, nec decretas, vt conditionatè darentur, fore infinitas, etiam ſi omnes ponerentur. Tùm, quia Deus taxauit capacitatem cuiuſlibet creaturæ obedientialem. Tùm, quia nec auxilia data pro meritis faciendis, & gratia proximè obtinenda ſi vellent, fuerunt infinita, ſed finita. Tùm, quia Deus maiorem gratiam taxauit pro vno Chriſto, quam pro omni alia creatura ſimùl, licet tantam taxauerit pro illis, quod ad taxam non peruenerint, quãvis ſit finita abſolutè & conditionatè, & nullatenùs æqualis Chriſti gratiæ.

1114 Nota tamen, quod licet hæc gratia prout talis, eſſet intẽſionis infinitæ, præciſſa tamen gratia vnionis, non ſufficeret ad obtinendum de condigno remiſsionem offenſæ, quia iſta eſt ſimplicitèr & ſubſtantialitèr infinita; gratia autem illa ſolum ſecundum quid & accidentalitèr. Eſt tamen talis gratia proprietas moralis vnionis hypoſtaticæ, licet non quarto modò, cum poſsit alijs conuenire, adhuc in tali intenſione, ablata taxa. Vt autem eſt proprietas, ſufficeret ad ſatisfactionem cõdignam pro offenſa, ſumpta vt proprietas. Tunc autem, non ſumitur iam præciſsè ſecundum intenſionem, ſed ſecundum relationem & dignificationem.

QVÆSTIO XXII.

DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS & primò de Fide.

1115 POST quam actum eſt de gratia, anima ordinis ſuperni, agendum eſt de habitibus infuſis, quæ ſe habent inſtar potentiarum & præcipuè de Theologalibus, & primo de fide.

ARTICVLVS I.

AN DETVR IN CHRISTO FIDES? ET PROponuntur rationes dubitandi.

1116 PArs affirmatiua probari poteſt ſic. 1. Chriſto debentur omnes perfectiones omnium virtutum, vt ſic habeat omnium virtutum varietatem ſibi poſsibilem; atqui Fides eſt perfectio, nam eſt cognitio ſuperna, vera & certa: ergo debetur Chriſto. Reſpondebis ex Loica citato à Patre Hurtado diſp. 29. de Fide, ſect. 2. fidem eſſe imperfectam, quia intra genus cognitionis habet imperfectionem, nempè obſcuritatem. Sicut Equus mancus eſt imperfectus, quia intra rationem æqui habet deffectum.

1117 Contra: Tùm, quia Fides diuina intra genus fidei eſt perfectiſsima & abſque vllo deffectu: obſcuritas enim in illa, non eſt deffectus, ſed differentia ſpecifica; ſicut Equus integer non eſt animum imperfectum, licet ſit irrationale, quia hoc eſt de eſſentia eius. Tùm, quia Fides eſt perfectior, quam miſericordia, cum illa ſit actus intellectus, iſta non; illa ſit virtus Theologica habens obiectum materiale & formale nobilius, nempè Deum: ergo ſi miſericordia ponitur in Chriſto, etiam Fides. Tùm quia ſcientiæ naturales, ideò ponuntur in Chriſto, quia intra limites ſcientiæ naturalis, nihil deeſt illis, licet comparatæ cum viſione beata, ſint imperfectæ: ergo cum fides ſit nobilior quauis ſcientia naturali (excedit enim eas ſupernaturalitate, certitudine, motiuo, origene à cauſis, nam eſt à gratia & principijs ſupernis) debet poni in Chriſto.

1118 Nec dicas, ſcientias naturales eſſe perfectas in ratione cognitionis, quod non habet fides, cum ſit poſitiuè obſcura. Contra, vt aliqua cognitio ſit perfecta in ratione cognitionis, vel requiritur, quod habeat perfectionem nobiliſsimam, cuius eſt capax genus cognitionis vt ſic; vel ſufficit, quod habeat perfectionem propriam ſuæ ſpeciei. Si primum, ſcientiæ naturales, imò & ſcientia ſuperna infuſa, erunt imperfectæ. Si ſecundum: ergo Fides diuina eſt perfectiſsima, ſiquidem habet omnem perfectionem, quam petit ſpecies & natura fidei.

119 Reſpondebis. Scientiæ naturales, adhuc ſunt perfectæ, eo quod reſpectu ſui obiecti materialis & formalis, tendunt meliori modò, quo tendi poteſt. Hoc non habet fides reſpectu obiecti formalis & materialis. Vndé ſcientiæ ſunt minùs perfectæ, quam viſio beata, non verò imperfectæ. Secùs fides, quæ ob ſuam obſcuritatem eſt imperfecta.

1120 Contra. Tùm, quia etiam fides tendit meliori modò, quo poteſt tendi, reſpectu talis obiecti formalis. Ad myſterium enim, prout dictum à Deo & propter dictum per modum dicti (*quo pacto mouet ad Fidem*) non poteſt tendi, nec aſſentiri melius, quam confuſſe, noſcendo myſterium, propter dictum Dei præciſsè per modũ dicti, ſiue quia Deus dixit alijs. Dicimus *per modũ dicti*: fides enim non aſſentitur myſterio propter reuelationem ſumptam clarè per modum medij connexi, connexione eſſentiali cum myſterio, quia hoc non eſſet credere, ſed diſcurrere. Tùm, quia ſcientiæ naturales non tendunt in talia obiecta meliori modò, quo tendi poteſt, nam melius tendit in illa ſcientia per ſe infuſa, & melius viſio beata noſcit creaturas per Deum, tamquam per altiſsimam cauſam, quam eas noſcat methaphyſica noſtra per ipſum Deum. Tùm denique, quia confuſio Fidei, licet demus, quod ſit imperfectio, eſt tamen imperfectio phyſica, quæ compenſatur per perfectionem moralem: ergo admittenda melius in Chriſto, quam ſcientiæ naturales.

1121 Conſequent. probatur, quia melius eſt habere imperfectiones phyſicas, dum compenſantur per optimam moralitatem, quam carere illis. Melius ergo erit habere fidem, licet confuſſam, quam carere illa, prop-

ter

ter eius magnum meritum. Antecedens patet, quia propterea admittuntur in Chriſto dolor & triſtitia, nempè propter meritum & moralitatem. Fidei autem moralitas magna eſt, cum ſit actus ſupernus meritorius, & primum fundamentum ſpiritualis vitę, multum in Scriptura celebratum.

1122 Confirmatur, ad patientiæ meritum integrandum & complendum, tribuuntur Chriſto actus interni, phyſicè imperfecti, nempè dolor & timor, plus diſtantes à ſtatu beatifico, quam fides: ergo ad complendum meritum piæ affectionis dabitur in Chriſto fides. Meritum enim affectionis completur per exercitium fidei, vt obiectum affectionis; ſicut patientia per dolorem, de quo ſit patientia. Addo inſuper, omnes operationes Chriſti phyſicè eſſe imperfectas eſſentialitèr, vtpotè accidentia & ens ab alio: Et tamen, quia cum Chriſtus ſit Deus perfectus, & homo perfectus & conducant valdè ad moralem perfectionem Chriſti vt hominis, ponuntur in Chriſto: ergo etiam fides, quia Chriſtus eſt beatus, & viator, & conducit valdè ad ſtatum viatoris.

1123 Secunda ratio dubitandi eſt, quia in Deo cognitio creaturarum in ſe ipſis, non eſt tam perfecta, quàm cognitio earum in Deo, licet ſit perfecta in ſua ſpecie & tamen vtraque ſimùl ponitur in Deo à Recentioribus, quia perfectius eſt multis modis cognoſcere eas: ergo idem de fide & viſione in Chriſto, vt cognoſcat multis modis. Confirmatur: Chriſtus noſcebat, Deum reuelaſſe in Scriptura Trinitatem: ergo poterat illi aſſentiri & propter ipſam, quia illam videbat, & quia Deus dicebat. Et ſic noſcebat Trinitatem modis illis, quibus eſt noſcibilis, & cum merito & ſine merito, vt viator & beatus.

1124 Tertia ratio, quia gratię habituali in ſtatu intenſo & perfecto debentur ij habitus, ſicut animæ debentur potentiæ, ſeu virtutes. Fides autem eſt vna ex præcipuis, vtpotè Theologalis. Nec dicas, Chriſto deberi virtutem ad operandum per intellectum, ſed diſiunctiuè, nempè lumen gloriæ, vel habitum fidei, ita tamen, vt poſito vno, non ſit alius. Contra, quia licet abſolutè non debeatur vterque, ſi tamen poſſunt eſſe ſimùl debentur Chriſto ſimùl. Tùm, quia eſt viator & beatus & ſicut lumen eſt perfectio comprehenſoris, ita fides viatoris. Tùm, quia cum Chriſtus habeat in donis ſupernis plenitudinem excellentiæ, ſi fides eſt compatibilis cum lumine gloriæ, debetur vtrumque.

1125 Quarta ratio: Quamuis de his, quæ beatus videt, non detur fides, tamen non videt omnia cognoſcibilia, & Deus ſcit aliquid, latens quemlibet beatum, & ipſum Chriſtum, ſaltèm aliquo ſpeciali modò, quo illud ſcit Deus: ergo poteſt Deus illud ipſi reuelare & beatus illud credere, propter dictum Dei per modum dicti, ſiue quia Deus dicit, & tunc exercebit Fidem.

ARTICVLVS II.

ALIQVÆ SOLVTIONES.

1126 HÆc argumenta non facilem ſolutionem habent. Nihilominùs eſt fere certum apud Theologos, in Chriſto & Beatis non dari fidem. Sumitur ex Paulo 1. ad Corint. dicente; *Nos in via, cognoſcere ex parte* (id eſt imperfectè) *in Patria autem cognitionem fore perfectam, & fidem euacuandam, quia cum venerit, quod perfectum eſt* (id eſt viſio beata) *euacuabitur, quod ex parte eſt*, id eſt, Fides. Hæc enim eſt cognitio imperfecta, quia per vnam noſcitur vnum myſterium & non aliud, & per aliam, vnum & non aliud, & per omnes, multa, ſed non omnia. Per viſionem autem noſcentur omnia. Cum autem Paulus non dicat, vnam partem, ſiue cognitionem ex parte ſupplendam, & perficiendam per additionem alterius, ſed euacuandam illam, quando aduenit viſio, ſatis clare indicat, non manſuram Fidem.

1127 In aſsignãda autẽ ratione, labor eſt. Et primo Petrus Hurtado, Lugo & alij dant rationem, quia Fidei habitus eſſet perpetuo otioſus. Nec gratia habitualis ſimùl petit, niſi ad operationem. Sed contra, quia de hac otioſitate rationem inquirimus. Et ſi quis dicat, Deum ita ordinaſſe in Beatis, non ſatisfacit reſpectu Chriſti, cui danda eſt omnis perfectio moralis poſsibilis augnari, propter ſuam dignitatem & præcipuè propter duplicem ſtatum Beati & Viatoris. Nec dici poterit cum Lugo vlterius, Fidei obſcuritatem dedecere beatos & Chriſtum, quia ſatis id impugnatum videtur, præterito artic.

1128 Nec poteſt reſpondere Hurtado, Chriſtum fore imperfectum, ſi cognitio obſcura admittatur in eo, nam fides obſcura non eſt imperfecta in ſpecie ſua, ſed comparatiuè ad viſionem. Hoc autem etiam habent virtutes morales, comparatiuè ad charitatem. Et tamen cum illa admittuntur in Chriſto ab ipſo. Imò dato, quod obſcuritas ſit poſitiua imperfectio phyſicè, etiam eſt imperfecta ſtricta compaſsio & dolor; & tamen propter varietatem moralem perfectionis, admittuntur in Chriſto.

1129 Ad replicam autem iſtam, nempè virtutes morales ſunt imperfectæ: ergo communicatæ Chriſto reddent ipſum imperfectum. Reſpondet Hurtado, negando conſequentiam, quia illam imperfectionem referbant ſibi. Subiectum autem tunc denominatur imperfectum per illas, quando ſimùl habet carentiam ſummæ perfectionis. Sicut intellectus ab apprehenſione ſolum denominatur ſuſpenſus abſolutè, quando caret iudicio determinante; Chriſtus autem habens virtutes morales; ſimùl habet charitatem: ergo cum exercendo Fidem, ſimùl habet viſionem, non denominabitur imperfectus ab illa abſolutè.

1130 Conink diſputatione 11. de Fide, numero 13. quem ſequuntur alij, reſpondet aliter & ſatis aptè, aduertendo, quod viſio & ſcientia infuſa ſuperna continent eminenter formalitér omnem perfectionem formalem Fidei, excluſa tantum imperfectione ipſius, nempè obſcuritate, ideò non eſt admittenda cum ipſis; ſed ratione ſolius inutilitatis, non alterius impedimenti, quod non datur. Quod ſit inutilis patet: nec enim intellectus Chriſti redderetur per illam cognoſcentior, aut perfectior. Aſſumptum patet, continent enim ſupernaturalitatem ortam à gratia, certitudinem, attingentias formales obiecti materialis & formalis ipſius Fidei. Vndè ſicut homo, quia eſt quoddam totum perfectum, continet perfectionem animalis intra ſe, quæ animalitas eſt pars eius v. g. excluſa brutalitate. Ita ſcientia infuſa (vel lumen prophetiæ) perfectiones Fidei, excluſa obſcuritate.

1131 Etenim Fides eſt aſſenſus myſterij propter reuelationẽ, ſupernus & certiſsimus. etiam ſcientia infuſa (vel ſaltèm prophetia) poteſt eſſe aſſenſus myſterij propter reuelationem clare cognitam in atteſtante; ſed ſupernus & certiſsimus & alias clarus. Sicut autem adueniente Rege, ceſſat Prorex, qui habet partem gubernationis Regiæ, ita adueniente ſcientia infuſa totali & viſione, ex natura rei ceſſat omninò Fides, quaſi Vicaria ipſius. Et ſicut in præſentia ſolis lucidiſsimi, ſuperflua eſt tenuis lucerna, vtpotè fere nihil illuminans, ita & fides. Sed contra hanc ſolutionem.

1132 Dices 1. Stante ſcientia naturali de Deo datur Fides, ergo & ſtante infuſa de eodem myſterio. Nego conſequentiam, quia Fides ſupra ſcientiam naturalem addit certitudinem, ſupernaturalitatem & etiam diuerſum motiuum, ſecùs ſupra infuſam. Ideò cum iſta inutilis eſt. Dices 2. Stante ſcientia naturali de exiſtẽtia Matriti, dabilis eſt fides humana de ipſa, quia non ſe expellunt, in ſententia admittente Fidem & euidentiam, atqui hęc non addit perfectionem, vel certitudinem: ergo ſimilitèr. Data maiori negatur minor, quia addit diuerſum motiuum & nouum titulum ſecuritatis, contra formidinem, quæ in timidis oriri ſolet, etiam in his, quæ vident. Reſpondetur 2. data minori negando conſequentiam, quia nobis non repugnant ſuperflua & inutilia, ſecùs Chriſto, præcipuè in infuſis à Deo.

Ex

Digitized by Google

1133 Ex hac doctrina reſpondetur ad primam rationem dubitandi, excludendam eſſe Fidem, etiam ſi ſit moraliter perfecta & compatibilis cum evidentia, ob ſolam inutilitatem. Si replices fortitèr. Licet Verbum contineat eminentèr formalitèr omnes perfectiones humanitatis, & hæc ſolam addat imperfectionem, nihilominùs eſt addita Verbo; & licet non reddat illud abſolutè meliùs, adhuc extenſiuè; reddit tamen meliùs *ad hoc*, nempè ad merendum, & propterea admittitur: ergo ſimilitèr Fides. Reddit enim intellectum Chriſti meliorem, non abſolutè, ſed reſpectiuè & *ad hoc*, nempè ad meritum. Propter hanc replicam ſtando rationi, non renuerem defendere Fidem in Chriſto vt viatore, ſi Fides & ſcientia compatibiles ſint in eodem intellectu, ſed non diſcedo à ſententia cõmuni, & pro ea cõfirmatur replica facta: Incredibile enim videtur, Chriſtũ non meruiſſe merito conſumato per ipſum intellectum, ſicut & per alias potentias à voluntate diuerſas. Patientia enim pendet à doloribus & tormentis aliarum potentiarum; atqui non meruit conſumatè per ſcientiam, quia nullum eſt meritũ in volendo aſſentiri obiecto evidentèr propoſito, phyſiceque neceſsitãti ad aſſenſum: ergo meruit per Fidem. Eſt enim in fide magnum meritum, quia non neceſsitat ad aſſenſum, obiectum obſcure propoſitum.

1134 Reſpond. communitèr, Chriſtum ſine fide habuiſſe formalitèr totum Fidei meritum, quia habuit habitũ & actum piæ affectionis, quo voluntas eius erat ſummè præparata ad aſſentiendum omni illi obiecto, quod Deus per reuelationem obſcuram propoſuerat, & proponere poterat, ſi ipſi confuſè proponerentur. Et licet in hoc obiecto conditionato, nulla ſit difficultas, nec abſoluta victoria, quæ ſolet eſſe in exercitio abſoluto credendi, hoc nihil derogat merito Chriſti, ſicut nec caruiſſe tentationibus, quas vinceret cõtra alias virtutes. Vndè nihil deficit Chriſto, quoad meritum, de his, quæ poterat illi afferre Fidei exercitium.

1135 Ad inſtantiam doloris, reſpondetur, Patientiã in laboribus addere ſupra charitatem diuerſam perfectionem in voluntate, ob diuerſum motiuum, ac per conſequens, cum patientia non conſiſtat in ſola animi præparatione, ſed in patiendo & ſufferendo, quod re ipſa moleſtat, hinc eſt, quod ad exercitium patientiæ, debuit habere dolorem, vel aliquid aliud re ipſa moleſtans, tanquam materiam, circa quam patientia ſtricta verſatur. Licet autem poſſet exercere circa dolorem non exiſtentem aliquam volitionem & animi præparationem conditionatam, tamen non eſſet abſoluta & ſtricta patientia. Etenim eſt de genere illarum virtutum, quæ non ſunt actu, niſi actu obiectum exiſtat, vt v.g. viſio, quæ eſt de obiecto exiſtente exercitè, & fides, quæ non eſt de obiecto poſsibilitèr dicto, ſed de obiecto actualitèr dicto. Vide in fine artic.

1136 Si autem dicas, propoſita morte reo, poteſt illã patientèr amplecti, licet nondum venerit. Reſpond. veniſſe modò moleſtatiuo, licet non exercitè, quia etiam vt propoſita & vt ventura moleſtat in re. Patientia autem, quæ ſit ſtricta patientia multum prodeſt ad meritum Chriſti, ipſiuſque gloriam. Meritum autem piæ affectionis circa credibilia, ſolum requirit animi præparationem, & hæc abſque exercitio Fidei datur, licet autem non adſit difficultas aliqua vincenda, non tamen proptereà deficiet Chriſto ratio & meritum piæ affectionis. Virtutes enim primario ſunt propter ſuum obiectum. Secundario propter difficultates vincendas, ſi adſint. Ad confirmationem reſpondetur permitendo, Chriſtum non meruiſſe completiuè, externe & conſumatè per intellectũ, quia meritum fidei formalitèr eſt à pia affectione voluntatis. Adde, meruiſſe per alios actus intellectus, nempè per orationem mentalem & per alias conſiderationes ſanctas, ad quas libere ſe applicabat.

ARTICVLVS III.

SOLVVNTVR ALIÆ RATIONES DVBITANDI.

1137 AD ſecundam reſpondeo ex dictis, poſſe eſſe in Deo duplicem illam cognitionẽ creaturarum (quod tamen multi negant de cognitione creaturarum in ſe ipſis) ſecùs in Chriſto Fidem, quia in Deo, vna cognitio addit ſupra aliam vtilitatem, ob diuerſum obiectum formale & diuerſam tendentiam intuitiuam, circa creaturas in ſe ipſis & propter ipſas, quã non dicit cognitio earum in Deo; at Fides ſupra ſcientiam infuſſam, ſolam obſcuritatem ſuperaddit. Nec obeſt quod Fides habeat diuerſum modum tendendi; diuerſum, deffectiuum & diminutum, concedo; vtilem nego.

1138 Ad tertiam rationem, iam eſt reſponſum. Ad replicam reſpõdetur, non poſſe ſimùl eſſe in Chriſto niſi innutilitèr. Nec ex eo, quod Chriſtus ſit viator poſtulat Fidem, eſt enim viator formalitèr, non pro ſe principalitèr, ſed pro nobis, eſtque viator altiori modò. Ad quod ſufficit cognitio illa de Deo & de myſterijs, quæ relinquat in Chriſto libertatem, nec neceſsitet ad Deum amandum & mandata, ſiue conſilia ſeruanda. Ad hoc autem ſufficit cognitio ſcientiæ infuſſæ, quæ cum non ſit beatifica, non neceſitat ad amandum Deum modò illo, quo ab ipſa proponitur. Vndè ad intentum iſtud libertatis, inutilis eſſet fides.

1139 Replicabis: Licet exercitium fidei eſſet inutile, ſecùs habitus. Nec iſte repugnat in Patria, ratione ociofitatis perpetuæ. Patet in homine beato, in quo potentia nutritiua erit perpetuo otioſa. Reſpond. negando aſſumptum; & do diſparitatem, quia hæc potentia manebit, propter corporis integritatem. Status autem gratiæ ad integritatem ſuam nõ poſtulat fidem, dummodò pro intellectu detur ei habitus ſupernus intellectualis luminis gloriæ, vel ſcientiæ infuſſæ. Vndè ſi habitus fidei addendus eſſet, propter ſolum exercitium adderetur, quod tamen non datur.

1140 Ad quartam reſpondetur, de his quæ Chriſtus non videt, poſſe habere reuelationem & aſſenſum propter illam; hic aſſenſus, cum ſit clariſſimus, non eſt fides de qua loquimur, ſed eſſet euidentia in atteſtante, ſiue euidentia de atteſtatione ipſa Dei, quem Chriſtus euidentèr audiret loquentem. Quod ſi adhuc dicas, hoc non obſtãte fore fidem, quia eſt aſſenſus myſterij propter dictum Dei.

1141 Reſp. 1. Thomiſtæ, non eſſe fidem, quia quãdo repugnat actus primarius virtutis fidei, ſiue circa primarium obiectum, non datur talis virtus, & alij actus ſecundarij procedunt ab alia virtute. Obiectum primarium fidei eſt Deitas obſcure cognita. Obiectum autem huius actus eſſet creatura Chriſto reuelata. Sed contra, quia licet actus non eſſent elicitiuè à virtute fidei, tamen eſſet de obiecto ſpecificatiuo ipſius, id eſt, de myſterio, vt à Deo dicto & per modum dicti: ergo exercitium eſſet fides. Præterquam, quod falſum eſt, actus, quos ſecundarios vocant, non eſſe à virtute ipſa fidei.

1142 Secundò quidam facile reſpondent, eſſe aſſenſum propter dictum, ſed non per modum dicti Dei præciſsè, ſed propter connexionem dicti cum myſterio, vt euidentèr cognitam. Et hoc pacto non eſt fides, licet primo modò, id eſt per modum dicti ſit fides, vt erat in Prophetis antiquis, qui euidentèr noſcebant, Deum ſibi loqui, & aſſentiebantur, quia Deus dicebat, non diſcurrendo circa connexionem reuelationis cũ myſterio. Et ſic myſterium obſcure noſcebatur ab illis. Sed Chriſtus non ita noſcebat, ſed propter dictum per modum connexi & ſic in Chriſto non erat fides.

1143 Alij tertiò reſpondent, eſſe fidem, ſed non eam, de qua Theologi loquuntur, nec pertinentem ad habitũ fidei, quem nos habemus, & de quo diſputamus, ſed aliam altiorem euidentem abſtractiuè, iam explicatam, ad quam non requiritur habitus fidei, quia elici valet

ab

Digitized by Google

ab habitu ſcientiæ infuſſæ,vel à Prophetico. Si autem dicas in Chriſto dari poſſe operationem fidei vt in Patriarchis antiquis,nẽpè aſſenſum propter dictum per modum dicti,& non propter connexionem dicti cum myſterio, quia poterat de connexione non curare. Reſpondeo eodem modo ac ſupra,nempè talem aſſenſum nullam afferre vtilitatem Chriſto.

1144 Non intellectui, quia aſſenſus myſterij propter dictum vt connexum, duo inhibit : nempè quod ſit propter dictum;& præterea,vt connexum.Aſſenſus propter dictum, conuenit cum illo in eſſe propter dictum, & includitur in illo.Modus autem ille *per modum dicti,* ſuperadditus, eſt *imperfectus* , & *ex parte & inadæquatus & diminutus* : ergo vbi adeſt ille,inutilis eſt iſte in intellectu.Non voluntati, ſicut dictum eſt iam.Ex quibus patet,quod ſi compoſſibiles ſunt ſcientia & fides , non dari fidem , ex inutilitate ſatis benè colligit hæc ſententia.

1145 Addo nunc,quod meo videri, ratio præcipua, quare fides non datur ſimùl cum ſcientia eſt , quia ita Deus diſpoſuit in Chriſto.Quare autem ita diſpoſitum ſit,eſt ratio,inutilitas dicta(licet non valdè vrgens).Etenim vtilitas ſtans in eo quod nouo modò aſſentiretur,aſſentiendo myſterio propter dictum per modum dicti, eſt ita tenuis , vt magis præponderet malum confuſsionis, quã bonum talis vtilitatis tenuiſsimæ.Hoc pacto totam hanc ſententiam & modum defendendi , olim docui.

1146 In fine nota quatuor 1. euidentiam in atteſtante de dicto per modũ dicti,de qua à nu.1132. ab aliquibus aſſeri eſſe ſcientiã infuſam;ab alijs vero pertinere ad lumen propheticum. 2.pro nu.1134.In actionibus, quæ nõ ſunt elicitiuè à voluntate,non dari nouũ meritũ, niſi quando datur nouus actus voluntatis occaſionatus ab illis: ideò præparationi ad martyrium,per exercitiũ additur meritum,quia additur nouus actus diuerſus patientiæ, qui non additur,per exercitium credendi præciſè. 3. Actus minùs præcipuos poſſe procedere ab eadem virtute , deficiente præcipuo ; de quo quæſt. ſeq. in 4.art.4.Licet exercitium fidei afferret aliqualem vtilitatem victoriæ,vel gaudij eliciti a pia affectione hæc quia non addit nouum ſpecie exercitium,eſſet tam leuiſsima , vt non propter illam Deus voluerit eximere Chriſtum à lege communi excludente fidem à beatis.

ARTICVLVS IIII.

ALIA RATIO DESVMPTA EX INCOMPOSſibilitate cum euidentia.

1147 SI fides & ſcientia incompatibiles ſunt , vt Thomiſtæ volunt, hęc eſſet ratio facilior & magis prompta. Probant autem hanc incompoſsibilitatẽ multis argumentis. Quod mihi validius videtur,eſt formandum ſic. Non repugnat virtus & aſſenſus, petens in ſuo ſubiecto , certas conditiones diſtinctas ab obiecto: v.g. aſſenſus confuſus, petens non ſolum confuſionem in ſe , ſed in ſuo ſubiecto carentiam viſionis & claritatis, ergo non repugnat aſſenſus de obiecto, prout non viſo, ſed credito propter dictum per modum dicti : atqui fides, quæ de facto datur , erit talis aſſenſus : ergo hæc eſſentialitèr excludit à ſuo ſubiecto viſionem & ſcientiam.

1148 Antecedens probatur. Sicut enim ſpes,ex ſuo modò tendendi eſſentiali , petit eſſe de re prout non poſſeſſa & prout difficili conſequi à tali ſubiecto , cur non erit dabilis in intellectu aſſenſus obſcurus ex ſuo modò tendendi,petens eſſe de obiecto , prout non viſo? Plures enim ſunt virtutes petentes ex ſua determinatione, præter ſpecificatiuum obiectiuum,aliud ſumptum à conditionibus ſubiecti. v.g. pœnitentia, quæ non ſolum ſpecificatur, à placabilitate Dei de peccatis , ſed requirit,quod iſta ſint in ſubiecto proprio & propterea non datur in Chriſto. Item in Angelis non datur ſtricta caſtitas & abſtinentia (licet detur amor de moderatione paſsionum noſtrarum) quia deficit eſſentialis conditio , nempè quod tales paſsiones , ſint in proprio ſubiecto.

1149 Minor autem argumenti , nempè , quod talis aſſenſus, ſit fides illa, quæ de facto datur. Probatur.Licet enim ſit poſsibilis fides alia,aſſentiens dicto per modum dicti, & non petens in ſuo obiecto , carentiam viſi (non enim poteſt repugnantia ſufficiens aſsignari) tamen, quæ de facto datur, non eſt hæc vltima fides , ſed illa prima. Probatur , natura fidei exiſtentis , cognoſcenda eſt, ſumpta notitia à peritis ordinis ſuperni, v.g. ab Apoſtolis & Patribus. Paulus de fide exiſtenti ait, eſſe ſubſtantiam ſpectandarum rerum , *argumentum non apparentium* , ideſt , conuictio conuincens intellectum de non apparentibus. Diuus Petrus vocat fidem , lucernam ardentem in caliginoſo loco , ideſt , in intellectu, obſcuritate pleno. Patres communitèr dicunt : quid eſt fides? Credere quod non vides. Et Eccleſia de Apoſtolo Thoma, non obſtante, quod Chriſtus dixit , *quia vidiſti me Thoma credidiſti, &c.* inquit , *quod aliud vidit & aliud credidit* : ergo natura huius fidei , prout diuerſa ab alia poſsibili,eſt aſſenſus de non viſis.

1150 Alia faciunt argumenta ,quæ mihi leuiora videntur , tenduntque ad probandum repugnantiam fidei ex ſuo genere cum ſcientia. Probant ergo ſecundo: nemo poteſt eſſe ſimùl in termino & in via ad illum;atqui fides eſt via,ſiue motus ad viſsionem,vt terminum:ergo nequeunt eſſe ſimùl.Data maiori,poteſt diſtingui minor: fides in nobis, eſt via & motus, ex ordinatione Dei,cõcedo; ex natura rei, nego. In illo enim, qui habeat viſionem , nec erit via,nec motus,ſi auferatur ſtatus merendi. Vndè ex hoc capite, non repugnãt coniungi diuinitus.

1151 Reſpondetur ſecundo, negando maiorem, reſpectu diverſorum.Qui enim pergit ad Eccleſiam,poteſt corpore & vno pede eſſe intra illam, & alio pede, qui erat extra,moueri ad illã. Item poteſt eſſe Beatus & viator,poſsidẽs & merẽs,vt cõtingit inChriſto.Quod ſi dicas, non eſſe merentem, nec viatorem, reſpectu termini poſſeſſi, nempè beatitudinis, ſed reſpectu aliorum præmiorum. Contra,tùm,quiaChriſtus in cruce iam poſsidebat circunſtantias incarnationis , quas tamen tunc merebatur.Tùm,quia probabile eſt quod per opera ſubſequentia, potuit mereri, vel incarnationem, vel ſaltim viſionem , ſi Deus decreuiſſet dare viſionem , dependentèr à meritis poſtea faciendis. Tùm denique , quia ſaltim potuit eſſe in Chriſto fides cum viſione , reſpectu obiecti non viſi. His ſolutionibus abundè ſatiſfactum eſt argumento iſti,cui innititur Pater Granado.

1152 Probant 3. argumento communi:nempè, quod intellectus eſſet clarus & obſcurus. Sed facile reſpondetur.Clarus & obſcurus abſolutè,nego;clarus abſolutè & obſcurus ſecundum quid & cum addito , concedo. Eſt enim obſcurus, prout per talem actum & media; in quo non eſt contradictio: ſicùt , nec in eo quod intellectus habeat ſimùl de obiecto , apprehenſionẽ & iudicium, & per illud ſit abſolutè determinatus & per illam ſuſpenſus : non quidem ſuſpenſus abſolutè, ſed cum addito nempè prout per apprehẽſionem.Sicut aer illuminatus à ſole & à candela ſimùl, non erit illuminatus abſolutè multum & parum, ſed abſolutè multum; parum autem cum addito,& ſecundũ quid,nempè per candelam. Hęc facilia ſunt.

1153 Sed replico vrgentiſsimè , replica quadam ab omnibus ſoluenda:ergo non repugnant affirmatio & negatio eiuſdem de eodem per diuerſa media : ergo contradictoriæ numquam repugnant, quia ſemper ſunt per diuerſa media , ſeu per diuerſa motiua. V. g. affirmatur albedo in Petro,quia vera:negatur autem in ipſo, quia falſa: aſſentior exiſtentiæ Petri,quia eum video:& ſimùl diſſentior,quia homo mendax illam dicit. Confirmatur: ergo non repugnant forma & carentia per diuerſa media, nec amor & odium efficax Petri,quia bonus quoad ſcientiam & malus quoad inclinationes.Nec repugnat ſimùl eſ-

Digitized by Google

ſe viuū & mortuum: aërem eſſe lucidum & tenebroſum, quia hæ denominationes ſunt per diuerſas formas.

ARTICVLVS V.

DOCTRINA NOTABILIS PRO SOLVTIONE.

1154 Nota 1. formā & carentiā, ſiue contraditorias, nō ſtare in quauis affirmatione & negatione, ſed ſolum in illa, quæ eſt eiuſdē prædicati, de eodem ſubiecto, ſecundum idem: id eſt ſumpto in eodem ſenſu tali prædicato, affirmato & negato. Vndè contradictio non attendit ad vias, per quas prædicata hæc veniunt, nec ad fines, ſiue motiua: parum enim intereſt, quod hæc ſint eadem vel diuerſa, ſi obiectum materiale de ſubiecto affirmatum & negatum, ſit eadem omninò res & eodem modo ſumpta: per hoc enim præciſsè, ſaluatur contradictio & non aliter.

1155 Vndè, iſtæ ſunt Contradictoriæ, *Petrus eſt albus, Petrus non eſt albus*. Iſtæ vero non: *Petrus eſt albus, Petrus à Calore, non eſt albus*, vel ſecundum capillos non eſt albus: quia in prima, res affirmata, eſt albedo. In ſecunda poteſt non eſſe albedo, ſed albedo prout à Calore cauſata, vel albedo limitata ad capillarem. Vndè prædicatum in vtraque, non eſt ſecundum idem. Nec ex hoc ſequitur, non fore contradictorias, has propoſitiones: *Petrus viuit, Petrus non viuit à forma cadauerica*. Item nec has: *anima rationalis eſt independens à ſubiecto; anima rationalis eſt dependens à ſubiecto, ratione eductionis*. Nego etenim, quia vita & eiuſdem vitæ carentia: independentia & eiuſdem carentia, aſſeruntur hic, de eodem omnino ſubiecto & in eodem ſenſu.

1156 Illud autē, quod in verbis videtur, ſe habere per modum additi, non eſt verè limitatio & additum in re, ſed explicatio rationis formalis conſtitutiuæ, affirmandi, vel negandi. In illa ergo propoſitione: *Petrus non viuit, &c.* intelligendo non habere à forma cadauerica, quod viuat, ſic nulla eſt contradictio, quia prædicatum negatum, eſt diuerſum ab affirmato; ſiquidem intentum non eſt negare vitam, ſed negare, quod forma cadaueris cauſet illam. Vel talis negatio ſonat, Petrum habere tunc formam cadauericam & non viuere, & hoc eſt contradictio ſtricta: quia eadem omninò vita affirmatur & negatur in eodem ſenſu abſoluto & quod apparet *additum*, ſolum eſt expreſsio maior, formæ contradictoriæ.

1157 Dices: ergo ſimilitèr repugnabit; intellectum eſſe ſimul clarum & confuſum, ſiue clarum & non clarum, etiam cum addito illo, *vt aſſentitur obſcure per tale medium*. Conſequentia probatur, quia negatio cum addito tunc ſolum non eſt contradictio, quando formæ & prædicata ſe habēt diſparate ſic: *Petrus eſt albus, Petrus per animam ſpirituali non eſt albus*. Licet enim ſpiritualitas dicat albedinis carentiā, dicit illā ſibi; non vero ſubiecto, nempè Petro; ſecùs eſt, quando ſe habent oppoſite, vt v.g. anima leonina eſt pendens à ſubiecto per eductionem & non eſt pendens per creationem. Tale enim additum, non impedit contradictionem; atqui clarus & non clarus, ſe habent oppoſitè, quia ſunt de ipſo ſubiecto, quod manet clarum & non clarū, licet à diuerſis formis, ſicut vivens & non vivens, pendens à ſubiecto & non pendens: ergo repugnant euidentia & fides, etiam per diuerſos actus & media.

1158 Nota 2. pro reſponſione ad iſtas inſtantias, ſatis implicatas; tres poſſe fieri rerum comparationes, ſiue formarum combinationes. Prima eſt formalitèr diſparata, inter ipſas formas & cum ſubiecto. Hanc habent albedo & dulcedo, quæ licet materialitèr ſumptæ, fortè non ſint identificabiles, formalitèr & quantum ad eſſentias, nec habent Contradictionem inter ſe, nec cum ſubiecto: Secunda inter formas oppoſitas inter ſe ipſas; ita vt earum differentiæ, in vnam entitatem repugnent conuenire, ſecùs cum ſubiecto. Sic ſe habent cognitio eiuſdem obiecti, naturalis & ſuperna; repugnant enim iſtæ differentiæ, eidem entitati cognitionis. Non autem in duplici cognitione, dicunt contradictionem in ipſo intellectu: & de facto Chriſtus eas hăbet, quin proptereà intellectus Chriſti, denominetur ab eis naturalis & ſupernus. Tertia eſt inter ipſas formas & etiam reſpectu ſubiecti, in quo eſt tanta oppoſitio, vt ſequantur contradictoria in ipſo ſubiecto, vt v.g. oppoſitio, quæ eſt inter aſſenſum & diſſenſum, odium & amorem efficaces, eo quod contradictio in ipſum ſubiectum, abſolutè ſumptum redundet.

1159 Reſpondetur ergo, quod confuſsio & claritas, ſolam dicunt oppoſitionem, in ſecunda combinatione explicatam; repugnant enim eidem actui, ſecùs eidem intellectui. Ratio autem eſt, quia confuſsio, præciſsè dicit attingere per ſe ipſum imperfectè, ex parte, incohaté, ſiue inadæquate. Hoc autem actus confuſus tenet ſibi, quin communicet abſolutè ipſi ſubiecto. Et licet in ſe, fides neget per poſitiuam oppoſitionem claritatem & attingentiam perfectam, ſiue adæquatam, ſicut naturalis cognitio excludit ſupernaturalitatem, has tamen limitationes reſeruant ſibi & non communicant ſubiecto, inducendo in ipſo immediatè carentiam claritatis. Sic apprehēſio per ſe ipſam & per ſuum modum tendendi, eſt poſitiua ſuſpenſio, negans in ſe determinationem, non tamen illam negat in intellectu, per actum iudicij.

1160 Licet autē ſuſpenſio, reddat intellectū poſitiuè ſuſpenſum nō tamē abſolutè, ſed cum addito, nam ſuſpēſum abſolutè diceret carentiam determinati per iudicium. Sic illuminari parum dicit carentiam illuminari multum, per eamdem lucem, non vero per maiorem lucem. Vndè in aëre in præſentia ſolis, non eſt contradictio, quod ſit multum illuminatus abſolutè & parum cū addito, ideſt, per candelam. Ratio autem eſt, quia contradictio ipſorum luminum quantum ad parum & multum eſt inter luces, ſecùs comparatiuè ad ſubiectum, quia reſpectu ipſius ſunt, de genere diſparatorum & hoc prouenit ex natura ipſorum, nec requirenda eſt alia ratio. Idem dicimus de claro & confuſo per diuerſa media, nam intellectus eſt confuſus tunc, cum addito.

1161 In viuo autē & mortuo per aliam formam, ſubiectum abſolutè aſſeritur viuum & abſolutè mortuum. Ly enim, *per aliam formam*, non ſe habet, *per modum additi, ſiue limitationis, ſed potius exprimit formam ipſam, conſtituentem Petrum in ratione abſolutè mortui*. Vndè duplex eſt *additum*, aliud limitatiuum, aliud expræſiuum. Primum tollit contrarietatem, ſecùs ſecundum. Hinc ſequitur, has propoſitiones eſſe contradictorias: *Deus eſt Trinus: Deus non eſt Trinus, quia dæmon falſarius dixit*. Etenim manet aſſerta Trinitas abſolutè per primam & per ſecundam abſolutè negata, *motiuo illo, non ſe habente ad limitandum, ſed ad exprimendum, quare non aſſentitur, quod ſit Trinus*. Idem de motiuis veritatis & falſitatis, bonitatis & malitiæ ad amorem & odium efficax; ponunt enim abſolutè, vel ſaltim inferunt in eadem re, *quod ipſa ſit, & quod ipſa non ſit*, motiuis illis exprimentibus, quare abſolutè ſit, & quare abſolutè non ſit.

1162 Aſſero ergo primò. Fides obſcura, non repugnat ex ſuo genere cum euidentia. Sicut non repugnat ſuſpenſio & determinatio, illuminari multum & parum, cognoſcere naturalitèr & ſuperne, per diuerſas formas ſecundi generis: ergo nec eſſe clarum & confuſum.

1163 Secundò, nam Deus potuit ponere in Chriſto ſummum gaudium nempè beatificum, & ſummam triſtitiam, propter diuerſa motiua. Cum enim æque opponantur ex ſe, ac amor & odium, proſecutio & fuga; temperantur tamen eo quod ſe hăbeant quaſi ſpeculatiuè, & reſpectu diuerſorum, quin ſequatur proptereà in ſubiecto, quod abſolutè ſit & non ſit: ergo etiam fides & euidentia, poſſunt poni in Chriſto, vel reſpectu eiuſdem obiecti, propter diuerſa motiua, vel ſaltim reſpectu diuerſorum obiectorum.

1164 Aſſero 2. Attenta ratione, ſatis probabilitèr poni poſſe fidem in Chriſto; loquendo de fide iſta compatibili. Etenim nec tam ſuperflua eſt, vt aliquid vtilitatis non afferat, vt ſatis vrgentèr probant inſtant. à num. 1142.

1135. & num. 1145. Tum, quia quod Paulus dicat euacuari, non obeſt, vt apud multos maneat ſpes : ergo nec fides oppoſitum teneo de facto.

1165 Aſſero 3. Tamquam ſatis probabile : fides de facto exiſtens incompatibilis eſt cum euidentia phyſica. Hanc probat ſatis vrgentèr, primum argumentum, initio Articuli factum. Vndè hanc fidem, non potuit Ioannes habere, de morte illius hominis, qui in re erat Chriſtus, ſed ſolum de morte hominis Dei, quia hoc non videbat. Paulus autem de his, quæ viderat in raptu, potuit iſtam fidem habere, quia fortè non manſit in ipſo memoria phyſicè euidens, ſed moralitèr tantum. Quod ſi manſiſſet, exerceret illam, non de Miſterijs illis ſecundum ſe, ſed vt obſcure reuelatis, alijs. Vel exerceret ſcientiam infuſſam, vel alteram fidem in atteſtante euidentem. Sed his non obſtantibus, loquendo de omni fide generalitèr, ratio ſupefluitatis ſufficiens eſt, vt negemus in Chriſto fidem. Nota tamen inſtantias plures ex factis ſumptas eſſe ex alienis ſententijs.

QVÆSTIO XXIII.

DE ALIIS VIRTVTIBVS THEOLOGICIS, Spe & Charitate.

ARTICVLVS I.

NOTANTVR ALIQVA DE SPE ET DE timore, generalitèr.

1166 Coniungimus vtrumque actum, quia cum ſpes ſit de bono abſenti & timor (loquor de communitèr dicto) de malo imminenti, notitia vtriuſque eſt valdè connexa.

1167 Eſt ergo ſpes generalitèr ſumpta, deſiderium per modum fiduciæ de bono futuro & abſenti. Requiritur ab aliquib[us] in obiecto eius, futuritio ſtricta, ab alijs arduitas, & ab alijs incertitudo rei (de quibus in tract. de Spe). Sed nec eſt requiſita incertitudo rei, nec quoad ſubſtantiam. B. enim Virgo & animæ Purgatorij gloriam eſſentialem. Chriſtus gloriam corporis, nos carnis reſurrectionem ſtrictè expectamus & PP. antiqui aduentum Meſiæ, de quibus adderat fidei certitudo. Nec dicas: non ſperamus diem craſtinum, quia eſt certus. Nego, nam eſt bonum abſens deſideratum cum fiducia.

1168 Dices: Sperari aliqua ex his, quando circunſtantia temporis eſt incerta, vt in animabus Purgatorij: Reſp. Etiam dum circunſtantia eſt certa, ſicut erat Chriſto quoad omnia, gloria corporis: & iuſtus cui reuelaretur ſua gloria & inſtans mortis, adhuc ſperaret, quia eo ipſo magis deſideraret & confideret. Sicut enim quanto loquens veratior eſt, magis fidimus eius dictis, ita quanto fidelior eſt, magis fidimus promiſsis. Certitudo ergo rei ſperatæ tollit effectum ſatis frequentem ſpei, nempè *anxietatem contingentia*: de prædicatis autem ſpecialibus ſpei nullum tollit.

1169 Nec requiritur futuritio ſtricta, ſed ſufficit lata. Illa petit carentiam rei in vno inſtanti & exiſtentiam in alio; iſti ſufficit poſterioritas naturæ : nulla enim eſt repugnantia in eo, quod in eodem inſtanti quis credat Deo promittenti gloriam, ſperetque & mereatur illam, conſequaturque pro poſteriori. Sicut enim inter meritum & præmium, ita inter ſpem & præmium, ſufficit præciſsio & prioritas naturæ. De quo infra in Epilogo de Merito Chriſti. Futuritio, nec debet eſſe realis exercitè, vt patet in Iuda, qui ſperauit beatitudinem, nec realis determinata in apprehenſione. Non enim requiritur cognitio dictans, quod illa res determinatè erit: ſed ſufficit futuritio vialis apprehenſa, ideſt, res cognita quaſi in via vt ſit. Hæc enim eſt futuritio confidentialis.

1170 Nec arduitas eſt ſimplicitèr requiſita (quam quidam ponunt in eo quod res pendeat à voluntate alterius. Alij in difficultate obtinendi) 2. pars patet, quia arduitas potius ſolet mouere ad deſperationem: ergo non eſt generalitèr requiſita; ſolum enim animo magnanimo ſolet prodeſſe, qui à difficultate ipſa allicitur ad aggrediendum. Hac de cauſa requirit auxilium & gratiam ad ſperandum Spes Theologica beatitudinis, quia obiectum ſpeciale eius eſt arduum & difficile. 2. Quia facilia & leuia ſolemus deſiderare cum fiducia.

1171 1. pars probatur, quia à nobis ipſis ſolemus ſperare; vt quando quis fidit de ſua conditione, quod poſsitus in obligatione addiſcendi ſcientiam, ſe vincet & toto connatu ſtudebit. Vndè ſicut ſæpè quis confidit in ſe, poteſt ſperare à ſe: ſicut & præbere fidem ſibi, ſi aliquam rem vel euentum antiquum, cuius iam non recordatur inueniat firmatum ſua manu, poteſt illum credere ob veracitatem ſuam, ſicut & alterius Hiſtographi: ergo Spes non petit quod res pendeat ab alio.

1172 Infero, obiectum ſpei eſſe rem abſentem latè (licet non ſtrictè futuram, nec arduam & incertam). Sed quomodò cùm abſentia ſit malum, & ſpes ſit actus proſecutionis, poterit pertinere ad obiectum materiale? Triplex poteſt eſſe via reſponſionis. 1. quia eſt requiſitum & non obiectum. 2. quia ſpes habet admixtum aliquid de fuga mali & abſentiæ. 3. quia ſpes attingit abſentiam non directè in ipſa, ſed *indirectè in toto*, ſicut odium comeſtionis prohibitæ, eſt de prohibitione *indirectè & in toto*.

1173 Hæc de ſpe generalitèr. Reſpectu autem ſpei Theologalis, obiectum neceſſario eſt arduum, cum ſit beatitudo ſuperna pendens à Deo vt omnipotente, in quem vt Auxiliatorem ſperamus. Ita vt huius ſpei obiectum formale ſit Deus vt Auxiliator. Materiale autem ſperatum, vel eſt omne ens ſupernum, vt comprehendit beatitudinem & omnia alia auxilia & dona Dei, vt plures Recentiores docent; vel eſt ſola beatitudo, ita vt alia ſolum ſint obiectum ſecundarium mediatum & remotum, & vt medium ad illam, vt volunt Thomiſtæ, ſed de hoc in tract. de Spe.

1174 Circa timorem dico, quod eſt fuga mali imminentis correſpondens ſpei, non ſolum vt deſiderio, ſed cum formalitate correſpondente fiduciæ ſpei. Solet afferre triſtitiam, ſicut ſpes anxietatem. Vndè minus benè dicunt aliqui, eſſe deſiderium, ne malum eueniat, vel triſtitiam de euentuto vel vtrumque, cum formalitate correſpondente fiduciæ. Licet enim hæc interueniant, non ſtat in his, cum ſit fuga mali abſentis imminentis.

Quæri ſolet an ſit timor de malo longinquo, de malo facile vitabili, & de malo certiſsimè futuro? Reſp. non dari de lõginquo, quod probat Ariſt. quia mortẽ homines regularitèr non timent, quia longinquam. Dices: Timorati meditantes mortem & iudicium finale longinquum timent. Reſp. timere mortem propter contingentiam eueniendi cito, & in illa iudicium particulare & generale, cui ipſa obnoxia & connexa eſt. Vel ſi generale in ſe timent, præſcindit tunc conſideratio, à longinquitate; & proponitur obiectiuè vt præſens.

1175 De facile vitabili, etiam datur timor, quia datur fuga cum fiducia vitandi. De certiſsimè futuro, non datur timor efficax & abſolutè mouens ad procurandum toto connatu vitare, & de hoc loquitur Ariſt. dum negat. Datur tamen inefficax, ſicut fuit in Chriſto de morte & alijs malis certiſsimis. Hæc autem eſt differentia quando malum eſt certum, quod affert triſtitiam præſentem, (ſicut ſpes de obiecto certo lætitiam præſentem) non ſolum de medijs inductiuis mali, ſed de ipſo malo.

1176 Dices 1. Timor affert conſultationem de euitando malo, vt inquit Ariſt. atqui hæc non datur dum malum eſt certiſsimum: ergo nec timor. Reſp. maiorem ſolum eſſe veram de timore efficaci, non de inefficaci. Dices 2. Timor eſt fuga mali oppoſita ſpei & cum formalitate correſpondente fiduciæ; atqui de malo certiſsimè futuro nulla eſt vitandi fiducia; ergo nullus timor adhuc innefficax. Reſp. formalitatem correſpondentem fiduciæ in timore, vel poſſe eſſe ſimilarem cum ſpe, ideſt, confidentiam vitandi, vel poſſe eſſe diſsimilarem

rem

rem & oppoſitam, quia datur diffidentia & deſperatio vitandi. Primus eſt timor efficax & ſecundus inefficax & etiam eſt verus timor. Hic fuit in Chriſto.

1177 Quæritur in fine, an de malo poſsibili, quod numquam erit, poſsit eſſe timor? Videtur quod non quia tale malum non eſt imminens. Affirmo. Sicut enim deſiderium & ſpes appetunt, *quod res ſit*, ita timor fugit, *quod ſit*. Talis enim fuga, nec eſt odium ſtrictum, nec deteſtatio, nec triſtitia, cum ſit de re abſenti ergo timor. Etenim duplex eſt timor vt diximus. Vnus efficax, nollens. *quod res ſit* & mouens efficaciter ad procurandum *ne ſit*, quia eſt cum confidentia vitandi. Alius inefficax nollens, *vt ſit*. ſed quia certiſsimè erit tale malum, deſperat evitare & ideò adfert triſtitiam, nec mouet ad evitandum. Alius de malo quod certiſsimè non erit, & ideò coniungitur cum certiſsima fiducia de eo quod non erit, affertque alacritatem & excludit anxietatem, nec mouet ad impediendum. Hinc conſtat, quod Chriſti humanitas potuit timere hoc genere timoris peccatum ſibi poſsibile, fugiendo illud *ne ſit*.

1178 Ad rationem dubitandi, reſpond. ad timorem inefficacem non requiri, quod malum ſit proximè imminens (iſtud enim ſolum requiritur ad timorem anxium, vel coniunctum cum triſtitia) ſed quod ſit imminens remote & attenta conditione naturæ: hoc enim ſufficit, vt voluntas fugiat, quod res quæ adhuc eſt abſens, *ſit*. Dices: talis fuga potius correſpondet deſiderio, quam ſpei: ergo non eſt ſtrictè timor, quia iſte correſpondet ſpei. Confirmat. quia quatuor actibus proſecutionis, debent correſpondere quatuor fugæ; atqui deſiderio nullus alius correſpondet niſi iſta fuga de malo non proximè imminenti: ergo non eſt ſtrictè timor.

1179 Reſp. nego anteced. quia deſiderium appetit vt res ſit, & non dicit formalitatem reſpondentem fiduciæ, ſicut dicit iſte fidens vel deſperans. *Ad confirmat.* reſp. deteſtationē correſpōdere deſiderio, quia iſtud vult vt res ſit. Illa dolet quod fuerit, v. g. *nollem peccaſſe*; in homine autem ad obiectum abſens, non dantur in fuga duo actus, ſicut in proſecutione, ſed vnus; nempè timor, cui cum ſit duplex, poteſt æquiualere pro vtroque. Vide infrà de Dono timoris.

ARTICVLVS II.

AN FVERIT IN CHRISTO SPES THEOLOGICA.

1180 EX exercitijs propriiſsimis ſpei Theologicæ hoc colligendum eſt (certum enim eſt, alias res Chriſtum ſperaſſe). Difficultas præcipua eſt de gloria animæ, an Chriſtus eam ſperauerit? Dato quod obiectum eius debeat eſſe arduum. Aſſero 1. de Spe quod dicam de merito, quoad ſubſtantiam gloriæ, in Epilogo de merito. Si enim illam de facto potuit mereri, etiam ſperare. Quidam docent potuiſſe ſperare continuationem gloriæ & de facto beatos eam ſperare (licet abſque anxietate, eo quod certiſsima ſit). Alij negant, quia tota gloria eſt illis quaſi præſens. Quæſtio eſt parui momenti, & forte pars affirmans eſt conformior dictis in art. præcedenti num. 1167.

1181 Dico 2. Cum communiori ſententia Recentiorum Chriſtum habuiſſe actum ſpei ſtrictum de gloria corporis, quia iſta erat illi abſens, ardua & obtinenda per duriſsimam mortem, & ſperabat eam ſub ratione formali ſpei, nempè vt arduam, completiuam beatitudinis, & vt ab omnipotentia habendam: & licet poſſet diſpenſationem petere, etiam hoc erat arduum, cum ſciret voluntatem Patris, de morte prædeffinita, & gloria per labores obtinenda. Nec hac ſpe carent Beati in Cœlo de ſua Reſurrectione, iuxta dict. art. præced., ſi non eſt neceſſè vt ſit ardua ipſis. Imò fortè eſt ardua, eo quod pendet à voluntate alterius. Sed horum reſolutio pendet à materia de ſpe.

1182 Obijcies contra 2. concluſ. Spes, vt differt à deſiderio, duo poſtulat: nempè incertitudinem, & quod ſperans non habeat in ſe principium, vndè certificetur de futuritione abſoluta rei. Inſuper, quod non habeat in ſe principium, propter quod talis res poſsit eſſe in ſua manu. Nam ſi eſt, non erit iam difficilis; atqui Chriſtus vtrumque in ſe habet, nempè certitudinem & poteſtatem: ergo non exercebat ſpem. Nego maiorem, quoad primam partem de incertitudine, ex dictis art. 1.

1182 Ad ſecundam partem maioris prætet dict. art. 1. Si ſpes Theologica requirit ſpecialiter arduitatem. Reſp. in Chriſto vt Deo, fuiſſe poteſtatem gloriæ Corporis, non vero in Chriſto, vt ſperante, ſiue vt homine & vt alligato legibus Dei. Vt ergo, homo & viator, gloriam Corporis obtinere nequibat voluntate humana, vt ſubdita Patri, niſi cum diſpenſationibus, vt dictum eſt. Sicut ergo timor eſt fuga mali imminentis, quod de facili nequit vitari, ita ſpes eſt amor boni abſentis & ardui, quod homo de facili nequit conſequi. Sicut ergo in Chriſto, erat ſufficiens difficultas, vt poſſet exercere ſtrictum timorem, vt verè exercuit; ita etiam, vt poſſet veram ſpem.

1183 Maior eſt difficultas de habitu ſpei, an fuerit in Chriſto & ad quid? Prima ſententia affirmat fuiſſe. Quidam autem docent, fuiſſe in Chriſto, propter continuationem viſionis, vel propter gloriam Corporis ſperandam. Alij verò, propter exercendum gaudium de beatitudine vt iam obtenta: quo pacto, etiam datur in alijs beatis, gaudentibus de Deo viſſo, vt bono ſibi. Hoc autem eſt ſpecificatiuum ſpecialiſsimum ſpei Theologicæ. Probo ergo, fuiſſe in Chriſto habitum. Eiuſdem enim virtutis eſt amare ſuum obiectum materiale & formale ſub quatuor quaſi ſtatibus, & per quatuor actus diuerſimodè tendentes, nempè amare illud ſecundum ſe per amorem ſtrictum, deſiderare illud abſens, ſperare arduum, & de illo vt præſenti gaudere: ergo gaudium de Deo poſſeſſo, vt bono videnti, eſt actus ſpei. Confirmatur; Tùm quia hos actus exercent aliæ virtutes. Tùm quia Charitas, non poteſt exercere iſtum actum gaudij, quia non eſt de Deo, vt bono in ſe, ſed vt bono poſsidenti.

ARTICVLVS III.

AMPLIVS EXAMINATVR ISTE habitus Spei.

1184 LIcet beatus exerceat actum ſpei Theologicæ in gaudio prædicto, non propterea admitti poteſt, quod beatus abſolutè loquendo ſperet viſionem, quia ly *ſperet*, non ſonat ſolam tendentiam ad obiectum materiale & formale ſpei elicitam ab habitu, ſed ſonat modum tendendi ſpecialem ſperandi, qui eſt præcipuus ſpei actus, quem beatus non elicit, circa ſubſtantiam beatitudinis. Nec ex eo quod beatus non ſperet, ſequitur perdidiſſe habitum ſpei, ſicut perditur in via per deſperationem & fides perditur, per diſſenſum alicuius myſterij: Iſti enim perduntur per deſperationem & diſſenſum peccaminoſos, & demeritoriæ ſiue in pœnam peccati, quod non contingit in beatis.

1185 Exiſtentia ergo habitus ſpei, probatur propter alia munera, & in primis propter actum ſpei, vel de continuatione, vel de gloria Corporis. Hæc enim ſperari poteſt & etiam deſiderari per Theologicam ſpem. Probatur: gloria Corporis eſt complementum ſtatus beatifici: ergo habitus ſperans illam, ſub ratione complementi beatifici, erit idem, ac ſperans ipſum ſtatum beatificum. Vndè gloria Corporis non ſperatur remotè, & vt medium ad beatitudinem, ſed proximè vt completiua beatitudinis. Confirmatur, quia fortè vt volunt Recentiores non requiritur, quod ſpes ſperet ſemper ipſum Deum vt videndum, ſed quod ſperet donum ſupernum, ſub ratione diuina ardua ab Omnipotentia pendens, atqui Chriſtus ſperabat ſic gloriam Corporis, ſub ratione aliqua diuina, nempè vt completiuam ſtatus beatifici: ergo per actum ſpei Theologicæ. Vide num. 1173.

In-

Digitized by Google

1186 Inſuper alij ponunt habitum propter ſperandam beatitudinem eſſentialem alijs prædeſtinatis. Chriſtus enim non ſolum per Charitatem deſiderabat eam illis, nempè quia erat placita Deo, ſed per ſpem, quia bona ipſis, abſens & difficilis illis: ergo per ſpem Theologicam. Conſequentia probatur, quia Charitas & ſpes in nobis differunt, eo quod illa ſit de rebus propter gloriam Dei; hæc verò quia bona nobis. Nec Chriſto negari poteſt de ſua & aliorum beatitudine vtrumque gaudium: de ipſa propter gloriam Dei; & de ipſa quia bona ſibi & proximis; varietas enim vtriuſque gaudij perfectior eſt vno ſolo. Neutrum autem eſt imperfectum poſitiuè, ſed negatiuè, ideſt minùs perfectum vnum quam aliud.

1187 Nec dicas: perfectius fore, quod Chriſtus & quilibet beatus omnes ſuas vires applicet ad Charitatis gaudium, vtpotè perfectius. Reſpondetur enim, applicari totas, quas obedientialiter pro tali gaudio charitatis applicare poteſt, reſeruãdo alias obediẽtialiter etiã eleuatas ad alterum gaudiũ Spei, ſimùl cum illo (propter pulchritudinem & varietatem). Non autem poteſt omnes obedientiales applicare, quia non poteſt niſi eleuatas. Non autem eleuantur omnes pro Charitate, ſed aliæ reſeruantur eleuabiles per Spem. Vires enim perfectæ & completæ ſunt vterque habitus, & vnus non influit in opus alterius. Hæc ſententia de habitus permanentia defenditur à Recentioribus multis, nempè Arriaga hic diſput. 33. ſect. 1. à Suarez, Vazquez & alijs ponentibus illum in aliquibus propter vnum exercitium ex aſsignatis; alijs vero propter aliud.

ARTICVLVS IIII.

RESPONDETVR ARGVMENTIS.

1188 CONtrariam ſententiam Thomiſtæ docent, & multum eis videtur fauere Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 18. art. 2. ad 3. vbi negat habitum Spei, docens euacuari in Patria, aſſerenſque actum ſpei de gloria corporis non eſſe Theologicum, ſed vel ex Charitate, vel ex magnimitate inclinante ad ardua, cum aliquali confidentia ex parte ſui ipſius; cum tamen confidentia ſumpta à Spe Theologica, fundetur in ipſo Deo. Similitèr deſiderium & gaudium de beatitudine proximi & gaudium de propria, docet eſſe à ſola Charitate ſecundario illos eliciente & propter Deum. Ratio autem eſt ſtatus nobilitas, poſtulans vt omnia fiant ex nobiliori virtute, nempè Charitate.

1189 Reſponderi poteſt, dum negat habitum ſpei, non loqui de ipſo entitatiuè, ſed de ipſo vt denominato ab actu ſuo præcipuo, qui eſt ſperandi propriam beatitudinem in ſubſtantia; vt autem eſt elicitiuus aliorum actuum, eodem obiecto materiali & formali nitentium, non eſt cur negetur. Ratio autem D. Thomæ, nihil aliud probat; eſt enim hæc: *ablato ſpecificatiuo primario habitus auferetur iſte*; atqui primarium ſpei, eſt beatitudo, vt conſequenda: ergò ablata conſequibilitate (quia iam eſt conſecuta) ceſſat habitus ſpei. Vndè nec manet quoad actus ſecundarios, quia ſecundarij fundantur in primario.

1190 Reſpondetur tamen, aliud eſſe ſpecificatiuum actus præcipui, & aliud primarium totius habitus. Illud eſt beatitudo vt conſequibilis, iſtud autem eſt beatitudo, vt bona beato præciſsè, quin limitetur ad futuram, vel præſentem. In Patria ergo, licet ceſſet actus præcipuus, quia ceſſat ſpecificatiuum ipſius, non eſt cur ceſſent alij actus, nec ipſe habitus; ſiquidem manet ſpecificatiuum commune illorum. Fateor autem ceſſante actu primario, ceſſare ſecundarios, vt riſibile, ceſſante rationali, intelligendo pro ſecundarijs eos, qui in primario fundantur, vt communitèr dicitur, quod odium fundatur in amore. In quo ſenſu alij actus à nobis aſsignati, non ſunt ſecundarij, quia deſiderium non fundatur in ſpe, ſed ſunt etiam primarij, quantum ad ſpecificationem & independentiam, licet ſint minùs præcipui.

1191 Nec obeſt, ſtatus nobilitas impediens actus imperfectos, ſiue ex parte, quale eſt gaudium ſpei pro ſe, & deſiderium beatitudinis, pro alijs. Reſpondetur enim negando illos actus eſſe imperfectos, ſed minùs perfectos, quæ minoritas ſupletur per ordinationem vltimatam omnium ad gloriam Dei per charitatem. Inſuper poſſunt ſperare gloriam corporis ſaltim Chriſtus, cui erat ardua. Quæ gloria eſt aliquid creatum. Et talis ſpes poteſt eſſe Theologica: ſi nempè ſperetur propter aliquam rationem diuinam, nempè propter beatitudinem conſiſtentem in Deo, vt bono nobis, complendam & integrandam.

1192 Vtraque ſententia eſt ſatis probabilis, & difficultèr aſsignabitur, probabilior. Ego diſtinguerem ſic. Vel ſermo eſt, attenta natura rei & probabilitate intrinſeca. Vel ſermo eſt in hoc ordine rerum, attenta extrinſeca probabilitate. In hoc ſecundo ſenſu, probabilior videtur ſententia negans de facto habitum ſpei, propter dictum Pauli, quod in beatis ſolum remanet charitas, euacuata fide & ſpe. Et propter authoritatem Diui Thomæ & aliorum Patrum, & ſcolaſticorum ſummentiũ abſolutè authoritatem Diui Pauli de omni actu ſpei.

1193 Sed cur iuxta primam ſententiam Diui Thomæ ab illo ſtatu nobiliſsimo relegabitur habitus ſpei, ſi admittantur alij inferiores? reſponderi poteſt, quia Deus ita diſpoſuit, ob aliqualem congruentiam, nempè propter deffectum actus præcipui, qui deffectus non reperitur in alijs habitibus. Ex his ſententijs, eliges quã volueris. Et vide multa conducentia infrà à num. 1126.

1194 In primo autem ſenſu, probabilior videtur ſententia Recentiorum. Etenim nec datur incompatibilitas vt probatum eſt. Nec ſtatus nobilitas illos excludit actus, cum admittat alios cum ſuis habitibus, minùs nobiles, nempè virtutes morales: ideſt Religionem propter cultum Dei, Iuſtitiam propter ius vniuſcuiuſque; imò plurimi Doctores tenent, Chriſtum ſatisfeciſſe Patri ex Iuſtitia ſtricta. Et pro perfectione ſtatus, ſufficit, quod omnia vltimatè ex charitate ordinentur ad Deum, & ſic conſeruatur omnium, vel fere omnium virtutum varietas & pulchritudo. Excipe ab habitu ſpei deſiderium ſaluationis aliorum & gaudium de illa, quia potius videntur actus ſupernæ amicitiæ & charitatis proximi. De quo tamen nihil reſoluo. Vide à nu. 1128.

ARTICVLVS V.

DE CHARITATE.

1195 DE Charitate autẽ de fide eſt, fuiſſe in Chriſto plenã; eſt teſtimonijs tota Sacra Scriptura. Inſuper concilia & Patres, atq; ratio ſuadent. Fuiſſe autẽ ſummã, iuxtà Taxam patet. Tũ à paritate gratiæ habitualis. Tùm, quia iſti debent correſpondere in eadem intenſione habitus virtutum, tamquam potentiæ ipſius. Tùm, quia vt Chriſtus ſumme amaret connaturalitèr Deum & homines, debuit eſſe in ipſo principium intrinſecum proportionatum, ideſt, charitas in ſummo.

1196 Duplicem, per eam Chriſtus amorem continue exercebat. Vnum vt Beatus qui ex viſione beatâ procedebat & dirigebatur. Hic amor non erat meritorius, imò communitèr eſſeritur amor neceſſarius, ſine vlla libertate exercitus. Alterum, vt viator, qui non procedebat ex directione viſionis neceſsitantis, ſed ex directione ſcientiæ infuſſæ quæ loco fidei, Chriſtum alliciebat ad amandum Deum ſuper omnia; ipſum tamen liberum relinquebat.

1197 In tract. de merito Chriſti cenſetur difficultas ingens, quæ ex dictis facile reſoluetur. Quomodò Chriſt⁹ potuerit mereri per actũ charitatis? Et ratio dubitandi eſt, quia in Chriſto non fuit alius amor Dei niſi beatificus; atqui non meruit per iſtum vtpotè neceſſarium: ergo per nullum. Pater Gonet & alij diſtinguentes in amore beatifico duas terminationes, vnam neceſſariam, & alteram liberam, docent meruiſſe per beatificum, quem ſolum admittunt in Chriſto. Etenim talis

Digitized by Google

amor licet vt eſt de diuina bonitate tamquam ratione amandi perfectiones neceſſarias Dei, ſit neceſſarius, idem tamen eſt liber & meritorius, quatenùs eſt de illa vt eſt ratio amandi obiecta creata, quæ non rapiunt. Sic contingit in actu libero Dei, neceſſario erga Deum, liberè quantum ad terminationem ad creaturas. Hæc enim nec dicunt contradictionem in eodem actu reſpectu diuerſorum. Sicut eadem viſio beata eſt intuitiua Dei, & abſtratiua creaturarum. Nec repugnat ob infinitatê Dei propriã, identitas actus neceſſarij & liberi reſpectu diuerſorũ. Solum enim eſt propria Dei ſimplicitas identitatis voluntatis cum amore, quæ tamen non datur in beato, ſecùs identitas actus neceſſarij & liberi.

1198 Ego dicerem, hunc amorem non fore neceſſarium in elici quoad indiuiduationem, licet ſit neceſſarius quoad ſpeciem, & quoad exercitium ex parte obiecti rapientis; quia tali obiecto ſat eſt, ſi rapiat ad amandum ipſum, vel hoc indiuiduo amore ſimùl amante liberè iſtas creaturas, vel aliq indiuiduo amore non amãte has, ſed alias. Dixi quoad indiuiduationem, quia Thomiſtæ hos amores ſolum numero diverſos facient, licet Recentiores eos ſpecie diuerſificent ob ſimultatem diuerſi obiecti creati. Sed quidquid ſit de hac diuerſitate, & modo eliciendi.

1199 1. Dico, Chriſto negari non poſſe meritum charitatis, quia licet poſſet mereri per exercitia aliarũ virtutum, non tamen denegandum eſt Chriſto meritum perfectiſsimum quale eſt charitatis. Præcipuè cum Chriſtus fuerit liber in amando has, vel illas creaturas propter Deum, ſicut & in hoc Deus ipſe liber eſt, qui tamẽ actus cum ſpecificetur à diuina bonitate eſt actus charitatis. 2. Dico in Chriſto præter terminationem illam amoris beatifici ad creaturas licet poſsit eſſe libera & meritoria, concedendum eſſe alium amorem, non beatificum, ex directione ſcientiæ infuſæ procedentem. Prob. Tùm, quia Chriſtus non ſolum debuit amare liberè creaturas propter Deum, ſed etiam Deum propter ſeipſum, quia iſte amor nobilior eſt ab obiecto materiali terminatiuo immediato; amor autem beatificus quatenùs liber, non eſſet immediatus de Deo. Tùm, quia ſtatui viæ & meriti connaturalior eſt amor iſte ex directione ſcientiæ infuſæ, quam beatæ.

1100 Nec dicas 1. Repugnare hos duos amores ſimùl, quia ſunt eiuſdem ſpeciei ab obiecto: repugnant autem duo indiuidua eiuſdem ſpeciei in eodem ſubiecto. Reſp. 1. nego repugnare. 2. nego eſſe eiuſdem ſpeciei. Dices 2. habent eandem rationem formalem diuinæ bonitatis. Concedo *de qua*. Nego de *ſub qua*, nempè de illa provt diuerſiſsimè apprehenſa. Nec 3. dicas, habitum viæ manere in patria. Concedo, ſed non actus, quia ratio ſub qua habitus, eſt apprehenſibilitas generica: & rapiens vel non rapiens, ſunt ſpecificæ. Nec 4. obeſt D. Thom. negans actus eſſe diuerſos ab apprehenſione, niſi quando apprehenſa ſunt diuerſa. Reſp. Velle non à quauis apprehenſione; benè verò ab illa quæ propter diuerſiſsimam expreſsionem facit quaſi diuerſa obiecta.

1101 Si tandem dicas, quod omnis libertas requirit in operante, vt præcedat iudicium indifferens de bono & malo. Vbi ergo & quomodò in Chriſto tale iudicium reſpectu Dei? Reſponderim, Chriſto propoſitum fuiſſe Deum vt ſummè bonum & amabilem, ſed cum aliqua incõmoditate, in amando illum ſuper omnia vtpotè propter quem, labores erant ſubeundi & commoditates naturæ relinquendæ, & in hoc ſtabat indifferentia iudicij.

QVÆSTIO XXIIII.

DE VIRTVTIBVS MORALIBVS.

ARTICVLVS I.

AN FVERINT IN CHRISTO.

1102 NON eſt ſermo nunc de intellectualibus, de quibus agemus, dum de ſcientia Chriſti; ſed de affectiuis. Moralis differt à Theologica, quia non eſt de Deo, vt obiecto formali immediato, vel incluſo in formali immediato, ſed eſt de obiecto honeſto per honeſtatem creatam, licet mediatè & indirectè aliqua reſpiciat Deum. Religio enim v. g. habet pro obiecto cultum Dei, non propter ipſum Deum, ſed propter honeſtatem ipſam creatam, relùcentem in tali cultu Dei. Quod ſi attingit etiam Deum, eſt indirectè, quatenùs honeſtas cultus, eſt reſpectiua Dei.

1103 Duplex eſt virtus moralis. Vna adquiſita per noſtros actus facilitanſque ad vlteriores. Alia vero infuſſa à Deo. Iſta adhuc ex duplex. Vna per ſe infuſſa. Alia infoſſa ſolum per accidens. Per ſe, eſt ille habitus ſupernus inſtar potentiæ, datus à Deo, non ad facile, ſed ad ſimpliciter poſſe. Vndè nequit eſſe phyſicè cauſatus à creatura ipſa, nec phyſicè adquiſibilis, ſed debet à Deo ipſo infundi. Et ſic communior ſententia docet, virtutes per ſe infuſſas, in Baptiſmo ipſo infundi, cum gratia habituali, tamquam eius potentias, eamque complentes in linea vniuerſalis rectitudinis, ſue principij vniuerſalis in ordine ſuperno. Dixi phyſicè, nam moralitèr & meritoriè; ſicut iuſtus meretur & moralitèr ſibi cauſat augmentum gratiæ, ſimilitèr cauſat ſibi augmentum talium habituum.

1104 Per accidens infuſſa eſt illa, quæ de per ſe loqoendo, adquiri valet à creatura, per repetitionem ſuorum actuum, qui quidem habitus adquiſitus, ſe habet per modum facilitantis & non per modum potentiæ. Poteſt autem adquiri hæc facilitas, non ſolum per actus virtuoſſos naturales, ſed etiam per ſupernos morales. An autem facilitas per ſupernos adquiſita, ſit facilitas ſuperna, vel non? Quidam affirmant ſupernam. Alij vero, naturalem, quia non procedit à ſupernis vt ſupernis, ſed à ſupernis, vt repetitis præciſsè. Sed hæc quæſtio, non eſt huius loci. Sufficiat nobis, quod hæc virtus per ſe adquiſibilis, poteſt per accidens à Deo infundi, ſupernaturalitèr quoad modum. Sicut habitus ſcientiarum naturalium, fuerunt à Deo infuſi Adamo, illi et entitatiuè qui ab ipſo adqoiri poterant.

1105 Aſſero 1. Cum communi ſententia, illas virtutes per ſe infuſſas, quæ non repugnant cum ſtatu beatifico, fuiſſe in Chriſto, à primo inſtanti & ſummè intenſas, ita vt quoad habitum, non creuerint. Probatur aſſertio. Tùm ex Scriptura, referente in Chriſto miſericordiam, obedientiam, aliaque exercitia virtuoſa, quæ debent ſtrictè interpretari, cum nulla ſit in hoc indecentia. Tùm, quia apud SS. Patres ſatis commune eſt, omnium virtutum varietatem recognoſcere. Tùm, quia hæc ipſa varietas pulchritudinem facit maiorem, cum non excludat Charitatem, pro omni opere. Tùm, quia cum in Chriſto à primo inſtanti, fuerit gratia habitualis ſumma, vt anima & principium vniuerſale, debuit ex tunc eſſe commitata ſuis potentijs, vt eſſet perfecta & completa in linea vniuerſalis rectitudinis.

1106 Nec obeſt, tales virtutes eſſe imperfectas. Probatur: Illud eſt imperfectum, quod caret perfectione, intra ſuum genus & lineam poſsibili, v.g. talpa carens viſſu; atqui deficit his virtutibus perfectio tendendi propter Deum, poſsibilis illis, provt genericè virtutibus; ergo ſunt imperfectæ. Confirmat. quia virtus imperfecta, redderet Chriſtum vt hominem, imperfectum ſiue imperfectè virtuoſum, quia ex ſe eſt ſubiectum capax talis denominationis, vt homo. Reſp. 1. negando antecedens, ſed ſunt minùs perfectæ. Ad prob. nego maior. ſed imperfectum eſt, quod caret perfectione, ſibi debita, ſecondum ſpeciem vel genus. vt talpa carens viſſu per totam vitam, habenſque ſolum in morte, cum viſſus debeatur animali. Leo autem non eſt animal imperfectum, licet careat rationalitate, quia non eſt debita ei, nec ſecundum ſpeciem, nec ſecundam genus.

1107 Ad confirm. reſp. non eſſe imperfectas. Permiſſo tamen, quod ſint; nego Chriſtum reddi imperfectum abſolutè, ſed ſolum cum addito & quantum eſt ex parte ipſarum: ſupplebilitèr tamen, per charitatem. Ratio

pri-

Digitized by Google

primi eſt, quia quod habent de imperfectione, reſeruant ſibi ipſis, nec communicant abſolutè ſubiecto, quoad efficatiam. Sicut anima rationalis, ſpiritualitatem ſuam non communicat materiæ. Chriſtus autem vt homo, illud minoris perfectionis ſiue imperfectionis, ſupplet pro ſe vt ſubiecto, per actus charitatis, faciendo omnia ſua opera, vltimatè propter Deum.

1108 Nec obeſt ſi dicas iterum. Chriſtus habens charitatem perfectam, eſt ab hac abſolutè perfectus: ergo habens miſericordiam imperfectam, erit ab illa, abſolutè imperfectus. Nego conſequent. Tùm, quia perfectio charitatis, potius ſupplet imperfectionem miſericordiæ, quam deprimatur ab iſta. Tùm, quia imperfectum, cum ſit quaſi negatiuum & malignantis naturæ, excluderet rationem perfecti, ſi ſemèl admitteretur; perfectum autem non excludit imperfectum cum addito, nempè quoad hanc partem, ſumptam ex ſe. Cum ergo in Chriſto non detur carentia charitatis, ſed potius ordinatio omnium à Deum, ſubiectum manet perfectum abſolutè & omnis imperfectio manet ſuppleta.

1109 Aſſero 2. Fuerunt in Chriſto virtutes iſtæ per ſe infuſſæ, cum exercitio vero & reali. Probo, quia ad hoc ponuntur in Chriſto, vt per illas, vterque appetitus reſpectiuè, maneret perfectè ordinatus, in ſuis operationibus, reſpectu finis superni. Pro exercitio ergo datæ ſunt Chriſto & etiam Beatis. Loquimur de non repugnantibus ſtatui beatifico.

ARTICVLVS II.

DE PER SE ACQVISITIS.

1110 DVo inquiruntur. Primò, an dentur in Chriſto. Secundò, à quo tempore. Aſſero 3. Contra paucos: fuerunt in Chriſto virtutes per ſe adquiſibiles: illæ nempè, quæ non repugnant cum vnione, vel beatitudine. Ita Suarez diſp.29.ſect.2. Vazquez diſp.42.cap.2. & communior ſententia. Probatur, quia appetitus ſpiritualis & ſenſitiuus Chriſti, cũ ex natura ſua non ſit perfectus & promptus ad operationes honeſtas, debuit perfici & cõpleri & omninò ordinatus reddi, non ſolum ad honeſtatem in ordine & fine ſuperno & obediẽtialitèr, quod præſtabant per ſe infuſſæ, ſed etiam in ordine naturali, ſibi proportionato, ſiue per ordinem ad finem naturalem. Creatura enim rationalis, ita eleuatur ad ordinem ſupernaturalem, vt non amittat ordinationem innatam, ad ſuum finem naturalem. Cum autem appetitus Chriſti, hanc perfectam ordinationem ad bonum, non habeat ex ſe, ſicut nec nos, cum quibus eſt eiuſdem ſpeciei, indiguit compleri & perfici in vtroque ordine tàm ſuperno, quàm naturali, ad promptè & facilitèr eliciendos tales actus honeſtos; quod non potuit preſtari per vnionem, cum non ſit operatiua, nec per virtutes per ſe infuſſas, cum hæ ſolum ſint ad actus ſupernos: ergo per aliã formã ſuperadditam ordini naturali proportionatam, quæ nequit eſſe niſi virtus iſta per ſe adquiſibilis.

1111 Nec dicas 1. eas dedecere Chriſtum, vtpotè naturales. Cõtra. Tùm, quia in Xpo eſt vera natura & innata ordinatio ad finem naturalem, quæ debuit perfici, proportionato modo, ſiue naturali. Tùm, quia ob iſtam rationem, ponuntur in Chriſto ſcientiæ naturales pro perficiendo intellectu in ordine naturali.

1112 Nec dicas 2. Tales virtutes, quando dantur, dari propter refrenandos & ordinandos motus fomitis inordinatos, qui in Chriſto non erat. Contra: Tùm, quia in Adamo Innocente & in Beata Virgine, non erat fomes & tamen erant iſtæ virtutes. Tùm, quia ſicut nequibat eſſe in appetitu deordinatio, ita nec error in intellectu & tamen erant in iſto ſcientiæ naturales: ergo & in illo virtutes naturales. Ratio autem à priori vtriuſque eſt, quia primario dantur tales virtutes ad abſolutè perficiendas potentias in ordine naturali, modò iam explicato. Ad reformandos autem tales motus, ſolum dantur conditionatè, ſi nempè ſint; quia ſunt materia quaſi ſecundaria ad tales virtutes. Adde propterea non fuiſſe, quia potentiæ per has virtutes erant rectificatæ.

1113 Nec 3. dicas, Chriſtum omnia debuiſſe facere, propter finem ſupernum & ſic per virtutes infuſſas & nõ per adquiſitas, eo quod eſſet perfectiſſimus operans. Contra, quia hoc pacto, deberet eſſe in Chriſto ſola charitas: ſicut autem hoc non obſtante, facit plura, ex virtutibus alijs ſupernis, vltimatè ordinando ea, ad Deum per charitatem, ſimilitèr potuit facere actus naturales proportionatos naturæ & ex virtutibus naturalibus ordinatos ad finem naturalem, vltimatè tamen ordinando ad finem ſupernum. Addit Ripalda, dum homo facit actum naturalem poſſe ex virtute infuſſa ſimùl facere ſupernum circa idem obiectum materiale & circa eamdem rationem *qua*. Vndè naturalis non eſt impeditiuus ſuperni.

1114 Obijcies ex Sancto Thoma in 3. diſt.33. quæſt. 2. art.4. virtutes morales adquiſitas, non manere in Patria: ergo nec in Chriſto beato. Nego conſequent. quia Chriſtus ſimùl erat viator. Reſ.2. negand, non manere & dicẽdo, duo interuenire in virtute adquiſita, vnum quod ſe habet ad talem virtutem de per ſe, v.g. ratio formalis ſpecificatiua talis virtutis. Aliud, quod ſe habet materialitèr, vel quaſi de per accidens, ſiue vialitèr. Sic ſe habent in via delectationes, quas immiſcuit natura in ipſis operationibus ad alliciendas potentias, vt exerceãt illas; ſimilitèr ſe habent quaſi materialitèr illæ materiæ, quæ ſe habent conditionatè, vel minùs præcipuè ad formale exercitium talis virtutis, vt v.g. mala excitantia ad timorem, vel etiam inordinati motus, qui per talem virtutem refrenabuntur ſi adſint; nec virtus illa, petit, vt adſint. Negat ergo D. Thomas virtutes adquiſitas, non ſecundum formale virtutis, ſed ſecundum complementum materiale, ſiue latitudinem accidentalem talis virtutis. Hæc eſt mens D.Thomę.

1115 Nec dicas ex Lorca Beatos ita rapi viſione, vt omnia propter Deum faciant. Reſp. negando, elicitiuè & in vltimatè; quia hoc eſſet negare virtutes per ſe infuſſas. Faciunt autem omnia propter Deum imperatiuè & vltimatè. Reſp.2. ſolum rapi in his, quæ faciunt ex ordinatione viſionis & conſtat illis voluntas diuina, non vero in alijs, quæ operantur ex directione alterius ſcientiæ, non tollentis libertatem, vt procedit in amore Chriſti meritorio. Tunc enim obiectum ſic propoſitum, non rapit voluntatem.

1116 Quæres: an has virtutes Chriſtus habuerit per adquiſitionem, vel à primo inſtanti per infuſionem? Aſſero 4. accepiſſè Chriſtum eas virtutes à Deo infundente in primo Incarnationis inſtanti. Ita communior ſententia. Probatur, quia cum Chriſtus eas habuerit, vt redderetur perfectus & promptus in ordine ad finem naturalem, deberetùrque ei propter vnionem omnis perfectio ſuperna & naturalis, debuit eas habere, ex quo habuit vnionem, quia ex tunc habuit ius. Vndè non placet Vazquez excludens prudentiam per ſe adquiſitam, eo quod Chriſtus ſucceſſu temporis, potuerit illam adquirere, ſicut adquiſiuit ſcientiam per ſe adquiſitam. Non inquam placet, quia quidquid ſit de iſta ſcientia, de qua infra, inter iſtam & prudentiam datur magna diſparitas. Nam cum prudentia, adeò connexæ ſunt virtutes morales, vt nequeant ſine illa habere ſtatum perfectum, cum nequeant niſi ex directione ipſius perfectè ſe exercere.

1117 Reſpondet Vazquez per ſcientiam per ſe infuſſam, ſatis dirigi poſſe. Contra: Si iſta poſſet ſupplere prudentiam, quia repreſentat obiecta talium virtutum; etiam ſcientia beata, repreſentat eadem obiecta, nec tamen eſt ſuppletiua ſcientiæ per ſe infuſſæ: ergo nec iſta prudentiæ. Confirmatur, quia ſicut actus virtutis moralis per ſe infuſſæ fit connaturalius ex directione prudentiæ infuſſæ; ſic actus virtutis per ſe adquiſitæ ex directione prudentiæ per ſe adquiſitæ. Sic enim ſeruant eundem ordinem: ergo ſicut præter ſcientiam bea-

tam

tam datur infuſſa, propter actus virtutis infuſſæ, ita præter prudentiam infuſſam, dari debet per ſe adquiſita. Inſuper, quia prudentia non datur ad obiecta, ſed ad operationem hic & nunc exercendam.

1118 2. probatur concluſio. Ab inſtanti Incarnationis, non ſolum fuit reperta in Chriſto perfectio operandi vt beatus, ſed vt viator: ergo ſimiliter perfectio operandi, nō ſolum ex motiuo vel ratione ſuperna & modo ſuperno, ſed ex motiuo vel ratione naturali honeſta & modo naturali, quia ſicut illa perficit & complet supernè in ordine eleuationis, ita iſta naturalitér in ordine naturalitatis.

1119 Hanc ſententiam eſſe D. Thomæ, conſtat ex prima ſecundæ quæſt. 67. art. 1. vbi in beatis admittit virtutes adquiſitas. Vndé ad locum ſupra alatum ex 3. diſtinct. 33. quæſt. 2. reſpondet Suarez, mutaſſe ſententiam in prima ſecundæ. Vel reſpondetur, vt nuper, negaſſe de virtute adquiſita ſecundum eſſe completum accidentale.

1120 Ex quibus colligitur, Chriſtum virtutes adquiſitas non habuiſſe per adquiſitionem, ſed per infuſionem. Sicut Adamus habuit ſcientias naturales independentèr & non expectato exercitio, per quod ex repetitione producerentur. Fortè autem, nec repetitio eos habitus augebat in Chriſto, quia dati ſunt illi in menſura ſufficientiſſima taxata: ſed de hoc infrà.

ARTICVLVS III.

DE PIA AFFECTIONE.

1121 REddeo ad aliquas virtutes infuſſas morales, quia poteſt eſſe ſpecialis difficultas, an fuerint in Chriſto. Præcipuè autem dubitatur de pia affectione circa myſteria fidei. Negat Vazquez cap. 3. & plures Thomiſtæ. Affirmo tamen cum Suarez, Lugo, Bernal & alijs. Probatur, quia Diuus Thomas art. 3. ad 1. ait fuiſſe in Chriſto ex parte voluntatis, quidquid pertinet ad obedientiam vel meritum fidei: & art. 9. habuiſſe quidquid eſt perfectionis in fide. Hic autem actus & habitus, dicunt perfectionem, ſine imperfectione.

1122 Confirmatur à ratione, quia non eſt cur negetur Chriſto iſte actus; *ſi myſteria fidei mihi eſſent obſcure propoſita, paratus ſum illa credere*; atqui ad iſtum actum vt fiat connaturaliter, ſaltèm cum repetendus eſt, non ſufficit auxilium tranſiens vel extrinſecum, ſed requiritur habitus: ergo iſte fuit in Chriſto. Minor patet, tùm, quia iſte actus eſt ſupernus & meritorius: ergo tam poſtulat principium inhærens & permanens, quam alij. Tùm quia gratia vt anima ſuperna, poſtulat ſuas potentias ad omnem operationem ſupernam: ergo & habitum ad iſtos actus.

1123 Nec obeſt 1. Quod Chriſtus non poterat facere actum fidei. Reſpondeo enim, quod hæc impotentia erat illi aduentitia & per accidens, quod non tollit præparationem animi. Sicut in infirmo incurabili, præparatio adeſt animi ad ieiunandum ſi ægritudo permitteret. Similitèr in paupere eſt meritum eleemoſynæ & liberalitatis, propter præparationem animi conditionatam, etiam ſi ſit impotens dare, vel ex ſumma paupertate, vel ex voto paupertatis.

1124 Nec obeſt 2. ſi dicas: ergo propter eamdem rationem erunt in Angelis habitus abſtinentiæ & caſtitatis ad actus conditionatos, circa obiecta talium virtutum; quos tamen Scolaſtici communitèr negant in illis. Salas citatus à Lugo hic num. 117. negat conſeq. & dat diſparitatem, quia tales actus ſunt Angelis de per ſe faciles & quaſi innati, eo quod ſit illis impoſſibilis talium virtutum materia, ideoque habitus eſt ſuperfluus. Sed contra, quia habitus per ſe infuſi, non dantur ad facile, ſed ad ſimplicitèr poſſe operari, ex illo motiuo: ergo licet nulla ſit difficultas, dabuntur in Angelis, non ad facilitèr, ſed ad ſimplicitèr poſſe. Contra 2. quia actus naturales circa talia obiecta, erunt illis faciles poſſuntque facere ex propria natura & virtute, ſecùs ſuperni, quia iſti egent comprincipio ſuperno.

1125 Medina & alij negant conſeq. quia tales actus fiunt ab Angelis per generalem habitum operandi honeſtè, ſiue ex motiuo honeſto, qua tali. Contra, quia poſſunt Angeli eos elicere, ex ſpecialiſſimo motiuo abſtinentiæ & caſtitatis: ergo non fiunt ab habitu illo generali. Sicut concluſiones Logicæ non fiunt ab habitu metaphyſicæ. Requiritur ergo habitus ſupernus ad ſimplicitèr poſſe, & diſtinctus ad operationem ex tali motiuo.

1126 Ideò Lugo & alij concedunt ſpeciales habitus Angelis, quia actus verſantes circa illa obiecta ſunt boni, ac meritorij in Angelo viatore. Verum tamen eſt, quod tales habitus non habēt abſolutè denominationes caſtitatis & abſtinentiæ, quia talis denominatio non ſummitur à ſolo obiecto formali, ſed ab exercitio in propria perſona, quæ tamen circunſtantia, licet tollat denominationem, non vero ſpecificatiuum, ideòque Angeli, non ſunt dicendi ſimplicitèr & abſolutè caſti, aut abſtinentes, niſi ſolum affectiuè & non executiuè. Inſuper addit probabilius eſſe, tales habitos diſtingui ſpecie à noſtris, quia ſolum ſunt virtus ad actus conditionatos, ita vt abſolutè ſint impotentes ad abſolutos in propria perſona.

1127 Contra hanc ſolutionem replicatur ſic: Tales habitus in Angelis & in nobis, habent idem obiectum formale, & ſolum differunt, quia in nobis tendunt per actus abſolutos & in Angelis per conditionatos; atqui hoc non ſufficit, vt ſint ſpecie diuerſi: ergo vel non ſunt in Angelis, vel ſunt eiuſdem ſpeciei cum noſtris, contra communem ſententiam, vt dicebamus in argumento. Maior patet, nam omnes amamus tale obiectum propter honeſtatem relucentem in abſtinēdo, & ſic propter idem obiectum formale. Non autem alia de cauſa, virtutes Theologicæ, in Angelis & in nobis, ſunt eiuſdem ſpeciei, niſi quia habent idem obiectum formale.

1128 Minor autem replicæ probatur, quia ab eodem habitu oriuntur actus abſoluti & conditionati circa idem obiectum, licet aliquando materia partialis habitus, ſit impoſſibilis, dummodò maneat idem obiectum formale. Sic S. Auguſtinus charitate vulneratus dicebat: quod ſi ipſe eſſet Deus & Deus eſſet Auguſtinus, Auguſtinus deſineret eſſe Deus vt Deus Deitatem acciperet & haberet. Similitèr Beata Virgo, ex eadem caſtitate eliciebat actus abſolutos & etiam conditionatos de tentationibus vincendis, ſi adeſſent. Aliæ autem Virgines ex eadem caſtitate in ſpecie, eliciebant circa tentationes, actus abſolutos. Confirmatur ex eadem ſpe Theologica, apud multos, vult quis beatitudinem proximo abſolutè: ergo ſimilitèr Angelus poteſt ex eadem caſtitate, velle caſtitatem hominibus. Vndè erit in ipſo caſtitas ad actus abſolutos pro nobis, licet faciat conditionatos pro ſe.

1129 Vt reſpondeatur huic replicæ, ſolet proponi doctrina ſequens, nempè eſſe aliquas virtutes, ita addictas ſuo obiecto formali in ſubiecto proprio, vt nequeant tendere ad illud in ſubiecto alieno. Vide nu. 1147. Patet, quia virtus obedientię v. g. nō alia de cauſa non datur in Deo, licet plurimum amet Deus, quod obediatur legi ob honeſtatem obediendi. Arguitur ergo ſic: in Deo non eſt obedientia, licet ſit amor efficax pro nobis, vt obediatur legi: non autem alia de cauſa, niſi quia hæc eſt virtus practica, ſubiciens alteri ſubiectum, vel perſonam ipſam, in qua ipſa eſt. Cuius ſubiectionis cùm Deus ſit omninò incapax ab intrinſeco, etiam eſt incapax virtutis obediētiæ. Idem dicitur de actibus caſtitatis & abſtinentię eſſe practicos & addictos, ad tale obiectum formale, provt in proprio ſubiecto. Vndè multi Doctores negant in ſpe Theologica, poſſe extendi ad beatitudinem alienam, quia ſolum eſt de beatitudine, vt bona ſperanti. Vel ſi vt bona alteri perſonæ, reſpicit perſonam vt coniunctam & vt commembrum ſperantis, & ſic ad obiectum formale, provt in proprio ſubiecto alligata eſt.

1130 Ex qua doctrina ad replicam diſtinguenda eſt maior: habent idem obiectum formale in Angelis & no-

Digitized by Google

nobis, abſque vlla modificatione obiectiua & ſpecificatiua, nego, cum illa concedo. Reſpiciunt enim obiectum formale prout determinatum & modificatum ad proprium ſubiectum. Etenim licet honeſtas amata ſit eadem ſpecificè ſed non eodem modo, ſiue in ratione ſpecificatiui, in quam initiat ſubiectum ipſum, vel tamquam materia eſſentialis perficienda per illud obiectum formale, vel tamquam finis, *Cui*. Valdè enim diuerſum eſt, velle abſtinere à venereis, cum ſit capax non abſtinendi, & velle, quod alius abſtineat, ſiue velle abſtinere, caſu quo in ſubiecto proprio eſſet poſsibilitas non abſtinendi.

1131 Vnde ſequitur, quod habitus piæ affectionis in Chriſto & in nobis non diſtinguantur ſpecie. Tùm, quia in vtriſque vult ſubiectum proprium ſubijcere obedientiæ fidei, ſuppoſita materia credenda, quæ reſpectu noſtri iam adeſt; reſpectu Chriſti non adeſt, ſed hoc eſt de per accidens, ſicut & in beata Virgine, caruiſſe tentationibus. Etenim abſolutè loquendo, humanitati Chriſti non repugnat materiam fidei conſultæ proponi, nec ex parte humanitatis credere.

1132 Angelis autem quoad piam affectionem, imò & quoad virtutes Theologicas, ipſamque gratiam ſanctificantem, idem conuenit ſpecie habitus, ac nobis, cum eas habeant, tamquam ſubiectum ſolum obedentialitèr capax. Diuerſitas autem entitatiua ſpecifica Angelorum à nobis de per accidens & impertinentèr ſe habet; ſecùs reſpectu habituum caſtitatis & temperantiæ; illi enim dantur ad rectificandum practicè proprium appetitum, circa opera caſtitatis & abſtinentiæ. Cum autem in Angelo ſit impotentia ad ea exercenda, nec eius appetitus ſit de per ſe dabilis circa illa, etiam repugnat, quod ſit per tales habitus rectificabilis. Erunt ergo ſpecie diuerſi, non ab obiecto formali in genere, ſed ab obiecto vt modificato per incapacitatem ſubiecti in genere attingibilis. Sicut virtus intelligendi verum eſt ſpecie diuerſa in Angelo & in nobis; non à vero in genere, ſed ab illo, vt modificato in ratione attingibilis per ipſa ſubiecta, ſiue per conuerſionem ad phantaſmata in nobis.

1133 Obijcies 1. replicando contra dicta. Eadem ſpes Theologica poteſt eſſe de beatitudine aliorum in Angelo. ergo etiam idem habitus caſtitatis & eiuſdem ſpeciei cum noſtro, poterit eſſe in Angelo ad deſiderandam abſolutè caſtitatem noſtram & conditionatè ſuam. Antecedens ſatis eruditè probat Pater Oxea diſp. 2. de Spe ſect. 5. quia in Angelo tale deſiderium eſt Theologicum, cum ſit de Deo, vt bono alteri. Videatur omnino ibi, vbi nec renuit concedere habitus obedientiæ caſtitatis & temperantiæ eiuſdem ſpeciei in vno reſpectu alterius. Et licet quidam negent antecedens, quia tale deſiderium eſt amicitia ſuperna, ſpecificata à bono proximi propter ipſum proximum. Reſpondet adhuc eſſe eundem habitum, quia in re (licet non in voce) quilibet eſt amicus ſui. Amor enim amicitiæ & concupiſcentiæ, eſt idem realitèr ſed eſt amicitiæ vt eſt amor perſonæ ſiue ſuæ, ſiue proximi & eſt concupiſcentiæ vt eſt amor aliarum rerum.

1134 Sed non placet, quod ſit idem amor ſui & proximi in ſpecie, patet, quia qui ſibi multa deſiderat diuitias propter ſe eſt auarus, qui multas pro alio eſt liberalis, vel prodigus, vel verus amicus. Ergo eſt magna differentia in genere intentionali, & communitèr Theologi, amorem proximi propter ipſum ad charitatem proximi, & non ad ſpem referunt. Vndè quidam negant anteced. Alij eo dato (vtpotè omninò ſpectante ad materiam de Spe) negant conſequent. Tùm, quia in Angelo eſt eadem capacitas pro ſe, ac pro proximo, reſpectu deſiderandi beatitudinem Theologicam, quod deſiderium eſt efficax & practicum pro ſe, eſt autem incapacitas ad opera caſtitatis pro ſe. Tùm, quia ſpecificatiuum talis ſpei, eſt Deus, viſio & homo proximus, vt finis. *Cui*; quæ omnia ſunt eiuſdem ſpeciei, ac obiectum ſpei pro ſe ipſo, ſecùs obiectum caſtitatis pro ſe ipſo.

1135 Obijcies 2. ergo gratia habitualis in Angelo & in nobis erit ſpecie diuerſa. Conſequentia probatur, quia poſtulat in Angelo talem habitum infuſſum ſpecie diuerſum à noſtro. Nego conſequentiam, quia in illis & in nobis poſtulat abſolutè & ſimplicitèr ex parte ſua eoſdem habitus præcipuos, licet ſecundum quid habeat exigentiam conditionatam pro aliquibus actibus proportionatis ſtatui illi, vel ſubiecto illi, in quo reperitur de per accidens. Sicut eadem anima diuerſa petit in puero & in viro. Similitèr eadem eſt anima ſeparata & coniuncta corpori, & petit diuerſa pro diuerſis ſtatibus; ſic etiam gratia petit in via fidem & in patria lumen gloriæ, cum excluſione fidei. Similitèr dic de gratia in Angelo & in homine.

1136 Maneat ergo, quod non eſt paritas de caſtitate Angelica ad piam affectionem in Chriſto, in quo non datur incapacitas ad exercitium fidei, licet detur impedimentum aduentitium. Nec verum eſt, pro exercitio piæ affectionis ſufficere in Chriſto auxilium tranſiens, cum eſſet rariſsimum. Nego enim fuiſſe rariſsimum. Chriſtus enim illiciebat illum, quoties videbat homines incredulos, fideique repugnantes. Dato, quod eſſet, adhuc dabatur habitus pro complenda gratia in ſtatu connaturali viæ.

1137 Quod confirmatur exemplo Eutropeliæ, quam plures admittunt in Chriſto, cuius munus, ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 68. art. 2. verſari, tamquam circa propriam materiam circa iocos & ludos. Etenim reſpectu eorum, Chriſtus numquam exercuit volitionem eorum abſolutam ſed tantum conditionatam ſic: *Eligerem eos moderatè, niſi impedirer à magnis, circa quæ ſum occupatus.* Si ergo pro illo actu datur habitus: ergo & pro pia affectione conditionata. Nec obeſt, quod Chriſtus erat impotens ad actus abſolutos piæ affectionis propter impoſsibilitatem credendi. Siquidem hæc impotentia erat contingens & aduentitia, ſicut & impeditio iocandi. Hæc dixi in ſententia admittente habitum Eutropeliæ, pro actu conditionato: ſunt enim aliqui admittentes actus abſolutos in Chriſto, non quidem volitiuos, ſed potius deſpectiuos, ſicut & deſpiciebat diuitias: Sed iſti actus potius erant magnanimitatis, ſiue magnificentiæ.

ARTICVLVS IIII.

DE POENITENTIA.

1138 QVantum ad Pœnitentiam, an fuerit in Chriſto, negant plures, quia non poterat elicere actum præcipuum, qui eſt dolor de peccato proprio & à quo ſumptum eſt *pœnitentia* nomen. Plurimi tamen admittunt, non quidem pœnitentiam ſub hac denominatione, benè verò ipſum habitum entitatiuè, qui eſt pœnitentia. Etenim obiectum formale pœnitentiæ, quoad actus poſitiuos eſt ipſa honeſtas relucens in conſeruatione iuris diuini, quod habet ne offendatur à creaturis. Hanc enim proſequitur honeſtatem, non ſolum amore ſimplici, ſed deſiderando, ſperando, de illaque gaudendo. Hos actus benè potuit Chriſtus elicere; aliquos reſpectu ſui, gaudendo de eo, quod ipſe rectè conſeruauerit ius diuinum; alios vero actus reſpectu noſtri.

1139 Elicit etiam habitus pœnitentiæ actus fugæ circa læſionem diuini iuris ſiue circa offenſam (intendendo reſarcire tale ius diuinum læſum & Deum placare) nempè odium ſimplex læſionis, timorem læſionis, dolorem, ſiue deteſtationem læſionis & triſtitiam. Hos actus fugæ Chriſtus poterat elicere reſpectu noſtri. Reſpectu autem ſui ſolum poterat elicere odium ſimplex læſionis poſsibilis ſuæ humanitatis ſecundum ſe & ab intrinſeco & attenta conditione naturæ, & timorem inefficacem de quo num. 1177. Poterat ergo eſſe in Chriſto entitatiuus pœnitentiæ habitus, pro his actibus, imò etiam ſi obiectum formale pœnitentiæ ſit placare Deum offenſum, poterat habere iſtum habitum ad placandum Deum iratum & offenſum. Ad placandum autem tamquam fideiuſſor, quin obſtet impoſsibilitas faciendi actum præcipuum, nempè dolorem de peccato proprio,

quia talis impotentia eſt contingens & adventitia, vt dictum eſt.

1140 Negantes, in Chriſto pœnitentiam opponunt, quia hæc ordinatur ad ſatisfaciendum pro offenſa, ſatisfactione inæquali; atqui ſatisfactio Chriſti eſt æqualis: ergo. In primis nego maior. quia libere dicitur. Pœnitentia etenim intendit, ſi eſt ſeria & vera, ſatisfacere, quantum poteſt ſubiectum in quo eſt, ac per conſequens æqualitèr, ſi poſsit. Data maiori, reſpondeo ad minorem, potuiſſe Chriſtum elicere hos actus conditionatos. *Si mea humanitas ſeparata à Verbo peccaſſet, vellem ſatisfacere, quantum poſſem, ac per conſequens ſaltim inæqualitèr*: non ergo ex hoc capite tollenda Chriſto eſt pœnitentiæ virtus entitatiuè ſumpta.

1141 Infero 1. ex dictis, in aliquibus virtutibus denominationem ſumptam ab actu præcipuo eſſe diſtinctam & contingentem entitati eſſentiali ipſius. Vnde hæc admitti poteſt ad elicienda exercitia minùs præcipua: non autem ſortietur nomen illud, præcipuè quando non operatur exercitia propria in proprio ſubiecto; ſic denominatio virtuoſi, veracis, pœnitentis, caſti & ieiunantis & ſimilia ſolent conueniunt iuxtà antiquorum acceptionem, quæ non debet peruerti à nobis, elicienti actus abſolutos, non ſolum deſideratiuos; ſed etiam executiuos talium operum in proprio ſubiecto.

1142 Infero 2. quando talibus virtutibus eſt impoſſibile exercitium in ſubiecto proprio impoſsibilitate orta ex natura ſubiecti (imò ſi ſit impoſsibilis ſic actus primarius & præcipuus) tunc non ſolum eſt deneganda denominatio, ſed etiam ipſa entitas ſpecifica virtutis illius, licet alia ſubſtituenda ſit diuerſæ ſpeciei. Ratio eſt. Tùm, quia illa virtus cenſetur ſpecificari eſſentialitèr ab illa ratione formali, vt modificata. Tùm, quia talis virtus non ſolum cenſetur eſſe de ordine intentiuo, ſed de executiuo in ipſa voluntate, in qua virtutes pertinentes ſpecialitèr ad ordinem executionis, diſtinguntur à virtutibus intentionis.

1143 Vnde verius & ſecurius eſt, quod in Deo non admittatur virtus obedientiæ, nec in Angelo caſtitatis & abſtinentiæ, quoad entitatem (ſunt enim eſſentialitèr virtutes executiuæ, proximè, ſiue in proprio ſubiecto) etiam ad deſiderãdum nobis illa exercitia qua talia, ſed id præſtant per alias virtutes non executiuas de ſe, nec de ſe ſectificatiuas proprij ſubiecti ad talia exercitia Hoc teneo non quia iudicem oppoſitum improbabile, loquendo de his virtutibus quoad entitatem, cum à multis & grauibus doceatur, ſed quia noſtra ſententia videtur ſincerior & ſolidior, ponenſque ſufficientem diuerſitatem ſpecificam inter virtutes Dei & Angeli & noſtras. Et præcipuè, quia in proprio ſubiecto non poſſunt ſua exercitia ſortiri.

1144 Nec obeſt non repugnare, quod ponatur in aliquo ſubiecto virtus impotens exercere in illo operationẽ ſuam, actumque præcipuum, ſicut ponitur anima rationalis in embrione, in quo non elicit intellectionem vitam. Reſp. enim, quando impotentia exercendi, eſt de per accidens, vel pro tali ſtatu inchoato & viali, vt in puero, non repugnat adhuc connaturalitèr. Secùs ſi impotentia prouenit de per ſe à ſubiecto. Tunc enim non eſſet connaturale; ſicut ſi Deus in aliquo corpore organizato perfectè ad ſolas ſenſationes, poneret animam rationalem impotentem ibi ad intellectiones, cum ſufficeret anima brutalis diuerſę ſpeciei. Sufficit autem Angelo caſtitas alterius ſpeciei pro exercitio deſideratiuo noſtræ.

QVÆSTIO XXV.

DE DONIS ET GRATIIS, GRATIS DATIS.

ARTICVLVS I.

EXPLICANTVR DONA SPIRITVS SANCTI & fuiſſe in Chriſto.

1145 Donum eſt, *habitus quidam ſupernus, potentiam in qua eſt meliorans vt circa opera ſuperna magna & extraordinaria, quando adeſt ſpecialis impulſus Spiritus ſancti, illum promptè & perfectiſsimè ſequatur.* Vnde dici ſolet, quod tunc homo *magis agitur* à Spiritu ſancto, *quam agat*; non quia operatio non ſit libera, ſed quia etiam ſi ſit cum ſuauitate magna, libertati attemperata, efficaciſsimè impellitur & mouetur. Sic dixit Lucas, quod Chriſtus vt iret in deſertum ad ieiunandum, *agebatur à Spiritu* & Marcus, quod *impellebatur à Spiritu*, cum tamen Mathęus dixerit, quod *ductus eſt à Spiritu*, Mathęus indicat libertatem, alij vero motionis efficaciam.

1146 Dona etiam entitatiuè ſumpta differunt à virtutibus ſupernis, quia licet tàm dona, quàm virtutes inclinent ad opera ſuperna ex motiuo ſuperno, dona ſuperaddunt ſpecialiſsimam rationem ſubijciendi potentias impulſui & inſtinctui Spiritus ſancti ad promptiſsimè exequenda extraordinaria. Sequuntur autem dona, gratiã & charitatem ſemper, non minùs, quam virtutes, ita vt non ſint in peccatore iuxtà D. Thom. 1. 2. quæſt. 68. art. 5. ſemper tamen ſunt quoad habitum in iuſto; quoad actum vero, quando adeſt impulſus dictus.

1147 Dona ſunt ſeptem, quatuor pro intellectu, nempè donum ſapientiæ, intellectus conſilij & ſcietiæ. Tres pro voluntate, nẽpè fortitudinis, pietatis & timoris Dñi. Donũ ſapientiæ diſponit ad iudicandũ quaſi experimentalitèr per altiſsimas cauſas de Myſterijs & rebus æternis, vt aſſentiendis & amandis. Donum intellectus ſimilitèr quaſi experimentalitèr ad rectè & promptè, ex inſpirationis efficacia penetrãda myſteria propoſiti diuinitus, ſiue per ſcripturas, ſenſum earum penetrando. Donum ſcientiæ per cauſas non altas (vt differat à Sapientia) ſed potius inferiores & creatas, certiſsimè & promptè ex inſtinctu diſcurrit de myſterijs, ea per creatas ſimilitudines, rectè & promptè declarando.

1148 Diximus, *quaſi experimentalitèr.* Cum enim iuſtus habeat Deum intra ſe ſpecialitèr per charitatem vnitum & præſentem, ex impulſu Spiritus ſancti tam claram accipit quando adeſt inſtinctus, de myſterijs notitiam, vt ea quaſi experiatur, atque quaſi præſentia, iam guſtare illa incipiat. Tandem donum Conſilij diſponit, vt ex prædicto impulſu, promptiſsimè & rectiſsimè iudicet practicè, de rebus agendis. Hæc ſunt dona pro intellectu. Ex quibus donum intellectus idem eſt, ac ſi diceretur donum Intelligentiæ.

1149 Pro voluntate autem, donum fortitudinis impellit efficacitèr ad ſuperandas ob finem ſupernum difficultates occurrentes, etiam tormenta & mortem. Donum pietatis mouet ad eximiè, & ſpecialiſsimè colendum & reuerendum Deum, Parenteſque honorandos. Dè dono timoris dicemus articulis ſequentibus. Commune eſt omnibus donis operari, vt dictum eſt, ex ſpeciali Spiritus ſancti impulſu, & non ſufficit ex communi inſpiratione etiam congrua, licet ſufficiat pro virtutibus.

1150 Item eſt commune differre, non ſolum à virtutibus diſsimilibus, ſed etiam à ſimilibus, tàm intellectus, quàm voluntatis. Vnde ſapientia differt à dono ſapientiæ, ſiquidem illa conuenit Metaphyſicæ & Theologicæ, quæ ſunt ſapientiæ; non vero donum ſapientiæ. Conueniunt enim in iudicando ex altiſsimis, non vero in ſequendo impulſum cum promptitudine dicta. Idem dicendum de intelligentia, ſcientia & conſilio, quæ reperiri poſſunt in peccatore, vt virtutes, ſecùs vt dona.

1151 Aſſero tamquam de fide; hæc dona fuiſſe in Chriſto. Probatur. Tùm ex Iſaia cap. 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. Spiritus Sapientiæ & intellectus, Spiritus Conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & Pietatis, & replevit illum Spiritus timoris Domini.* Hæc Iſaias. Tùm, quia ſententia Abailardi, negantis donum timoris Chriſto, damnata eſt ab Innocentio II. de quo Bernal diſp. 41. Tùm, quia omnes iſti habitus ſunt perfectio moralis ſine imperfectione. Regi enim ſic à Spiritu ſancto ad opera tam extraordinaria, maximè Chriſtum decebat. Nec in Chriſto adferunt fidei obſcuritatem, ſicut in nobis.

AR-

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

EXPLICATVR DONVM TIMORIS

1152 Difficultas eſt, an fuerit in Chriſto. Ratio dubitandi prima eſt, quia timor debet eſſe de malo imminenti, vitabili; atqui Chriſto nullum malum erat imminens vitabile: ergo. Minor patet, quia malum culpæ non erat imminens Chriſto, malum pœnæ non erat vitabile. Confirmatur: donum timoris dicit rationem genericam timoris, addendo differentialem: illa autem generica non cadebat in Chriſtum; nam vel erat timor filialis, vel ſeruilis. Filialis eſt timor offendendi Deum. Et de hoc Chriſtus erat ſecurus. Seruilis & dedecebat Chriſtum, quia eſt timor offenſæ propter pœnam & non erat in Chriſto timor alicuius pœnæ vitabilis. Ariſtoteles autem & D. Thom. apud Bernal diſp. 41. num. 31. docent non dari timorem, ſed triſtitiam quando nulla eſt ſpes euadendi malum, eſtque omninò inevitabile, quales erant Chriſto pœnæ & tormenta ſua: ergo repugnat Chriſto ratio generica timoris.

1153 Secunda ratio eſt, quia licet timor reuerentialis reſpiciat Deum, quem reueretur vt Patrem; præcipuum timoris obiectum non eſt Deus, nec illius reuerentia reuerita, ſed malũ, quod fugit; atqui nullũ eſt malum, quod Chriſtus timeat, quia nec timet filialitèr offenſam, nec ſeruilitèr pœnam propter offenſam: ergo nec in Chriſto erit exercitium aliquod timoris, ac per conſequens nec timor. Maior eſt D. Thomæ 2. 2. quæſt. 19. art. 9. ad ſecundum, vbi expreſſè docet, donum timoris non eſſe habitum Theologicum, quia timor non habet pro principali obiecto, Deum, ſed malum ipſum. Minor iam eſt probata. Conſequentia autem patet, quia deficiente ſpecificatiuo primario deficit habitus. Licet ergo ſit in Chriſto reuerentia erga Deum, ſed non timor. Hæc argumenta reddit valdè difficilia ſuppoſitio multiplicis doctrinæ, quam nos non admiſimus quæſt. 23. art. 1.

1154 Nota 1. aliud eſſe timorem paſſionem (ideſt timorem communitèr dictum) & aliud timorem donum. Nota 2. timorem paſſionem, non eſſe idem omninò ac fugam mali, quia hæc poteſt eſſe, vel odium ſimplex de malo, vel triſtitia. Hæc autem differt à timore, quia triſtitia reſpicit malum iam præſens & vt extra cauſas. Timor autem communitèr dictus reſpicit malum imminens & adhuc exiſtens intra cauſas: fugit enim malum, *ne ſit*. Vndè etiam reſpicit cauſas, atque eas fugit, vt potentes infligere malum. Hinc Chriſtus benè poterat fugere odio ſimplici culpas poſſibiles humanitatis ſuæ, ſumptæ ſecundum ſe, imò & timere fugiendo, *ne ſint* iuxtà dicta quæſt. 23. art. 1. propè finem.

1155 Vndè aſſero 1. Non repugnare Chriſto timorem paſſionem. Sicut enim certum eſt habuiſſe in horto veram triſtitiam, ita & verum timorem, *nam cœpit pauere & tedere*. De quo Bernal diſp. 41. talis enim timor cum eſſet circa malum imminens & practicè euenturum erat de culpis noſtris, non de ſuis. Erat etiam de morte & tormentis, quæ portio inferior voluntatis, ineſficacitèr refugiebat, vt iam imminentes.

1156 Nec dicas 1. Si illa pœna non erat vitabilis probabilitèr: ergo de illa non eſt timor ex Ariſtotele. Nego conſequent. de ineſficaci. Solum enim efficax petit, quod malum ſit vitabile, vt conetur vitare quantum poſſit. Nec 2. timor in Chriſto eſſet operatio ſeruilis. Reſpond. potuiſſe eſſe timorem offenſarum noſtrarum & ſic erat filialis, propter Deum ſummè reuerendum. Reſpod. 2. etiam timorem pœnarum, fuiſſe in Chriſto filialem. Tùm, quia non erat timor offenſæ propter pœnam à ſe patiendam. Tùm, quia vt erat timor pœnarum non ſiſtebat in illis (etiam ſi ſint motiuum honeſtum pro attritione noſtra) ſed vltimatè propter Deum, ac per conſequens, in omnì ſenſu abſoluto vero, erat timor filialis.

1157 Nota 3. Timorem ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 19. art. 1. duo poſſe reſpicere, vt dictum eſt, nempè & malum imminens & etiam perſonam potentem infligere illud poſitiuè cauſando annihilationem, aut alia mala, vel permiſſiuè permittendo labi in culpam: licet ergo timor, vt paſſio vel communitèr dictus, principalius reſpiciat malum imminens, timor donum principalius reſpicit perſonam vt inflictiuam mali, & proptereà habitus timoris Domini inclinat ad reuerendam perſonam ſe illi filialitèr ſubiiciendo, ſeque in eius præſentia humiliando & coarctando, ſeque ad ſuam paruitatem in præſentia tantæ maieſtatis reducendo, præſumptuoſamque ſui cum illa æquiparantiam fugiendo præ reuerentia erga ipſam vt inflictiuam mali.

1158 Vndè obiectum formale doni timoris conſiſtit in honeſtate illa, quæ relucet in iſtis ſummiſſionis operationibus, nempè in coarctatione propria & humillima ſubiectione ad ſupremam illam Maieſtatem, vt inflictiuam mali. Hinc ſequitur 1. (& ſunt valdè notanda) quod timor iſte, ideò non eſt Theologicus, quia eius obiectum formale non eſt ipſa ſuprema eminentia increata, vt inflictiua mali, ſed potius eſt honeſtas creata relucens in ſummiſſione & reuerentia ad illam eminentiam increatam, vt inflictiuam mali: Vndè timor iſte differt à virtute Religionis, quia licet conueniant in reſpiciendo Deum indirectè & directè honeſtatem reuerentiæ creatam, religio reſpicit reuerentiam & cultum Dei propter honeſtatem reuerendi ſummam & infinitam excellentiam Dei præciſſè. Timor verò reuerentiam, propter honeſtatem reuerendi excellentiam Dei, vt inflictiuam mali, quia ſolum ſub hac conſideratione, eſt potens incutere timorem.

1159 Obijcies, quia Deus eſt inflictiuus mali, ideò timeo illum & reueror, & me illi ſubijcio: ergo eſt virtus Theologica ſicuidem ſpecificatur à Deo vt inflictiuo, &c. Sed inſto, quia Deus eſt infinitè excellens, ideò colo eum: ergo Religio eſt virtus Theologica. Conſequentia patet a paritate & confirmatur, quia Deus eſt ſummè bonus, ideò ei deſidero multa bona & deteſtor eius offenſas. Hæc autem virtus eſt Theologica, nempè charitas: ergo & timor & religio.

1160 Reſpondetur me duplicitèr poſſe velle Deo bona extrinſeca. Primò ea volendo immediatè propter eius bonitatem, vel aliquam eius intrinſecam excellentiam, quæ eſt ſpecialis bonitas. 2. propter honeſtatem, quæ eſt in ipſis bonis extrinſecis reſpectiuis, ad Deum & bonitatem generalem & ſpecialem eius ita vt hanc ſolum remotè præſuppoſitiuè mediatè & indirectè attingat. Primò modo ille amor eſt Theologicus, ſed eſt charitas & nec eſt timor donum, nec Religio ſecùs 2. modo.

1161 Aliud ergo eſt velle reuerentiam Deo ob eius magnitudinem, aliud eſt velle reuerentiam Deo, quia honeſtum eſt illum revereri. 1. modò reuerentia ſe habet materialitèr & ſicut ſi eſſet aliud quodcumque obiectum conducens Deo, volo enim Deo ob eius bonitatem, reuerentiam, ſicut poſſem velle ſalutem proximi propter Deum. Et hoc pacto non ſpecificat Religionem. 2. modò ſe habet per ſe & formalitèr, & ſpecificat ſpecialem Religionis virtutem.

1162 Sequitur 2. huius ſummiſſionis & propriæ coarctationis, oppoſitam operationem eſſe quamdam elationem & quaſi æquiparantiam in creatura ſui cum Deo; quia eo ipſo non vult eum, vt infinitè ſuperiorem revereri, ſed potius ſe ipſam eleuando, illum offendere & deſpicere, imò creaturam illi anteponere, dum in bono creato vltimum finem conſtituit. Hinc colligitur habitum timoris dari ad actus proſecutionis, nempè reuerentiam erga Deum & ad actus fugæ, nempè ad fugiendam elationem & æquiparantiam oppoſitam reuerentiæ & ſummiſſioni, Deo vt inflictiuo mali debitæ. His poſitis.

ARTICVLVS III.

DATVR IN CHRISTO EXERCITIVM Timoris.

1163 DE dono conſtat 1. ex dictis. 2. quia in Chriſto & beatis, licet ſint impeccabile datur exercitium timoris filialis: ergo & habitus, ſiue donum, vt connaturalitèr fiant. Antecedens patet ex Iob cap. 26. vbi dicit loquendo de Angelis beatis, iuxtà interpretationem D. Gregorij, apud Tapiam tom. 2. lib. 2. quæſt. 4. art. 5. ait, *quod ad præſentiam Dei, ſiue ad nutum eius columnæ Cœli contremiſcunt*, id eſt, Angeli beati.

1164 Quodnam autem ſit iſtud exercitium, eſt valdè difficile aſsignare. Plures DD. aſsignant pro exercitio reuerentiam proſecutiuam, ſiue ſummiſsionem ſolam. Alij addunt etiam timorem fugæ, de offenſa illi ſecundum ſe poſsibili. Alij tamen negantes talem timorem, ſolum admittunt timorem de noſtris offenſis contra Deum.

1165 Aſſero tamen 2. Cum D. Thom. citando fuiſſe in Chriſto exercitium timoris doni per actus proſecutionis & etiam per actus fugæ de proprijs offenſis. Prima pars patet, quia beati ſupernam Dei Maieſtatem formidabilem, quatenùs potentem infligere mala magna enixe reuerentur, exercendo circa illam profundam ſummiſsionem & ſubiectionem, propter honeſtatem ſe ita ſummittendi tanti Maieſtati, ſeque coram illa coarctandi & ad ſuam paruitatem ſe reducendi, infinitam diſtantiam ſui à Deo proteſtando. Vndè Chriſtus ſeipſum vt hominem, Patri proteſtabatur minorem; atque vt infinitè maiorem reuerebatur. Eliciebat ergo hos actus proſecutionis, timoris filialis & reuerentialis, qui reſpectu huius doni ſe habent, vt primarium & præcipuum exercitium.

1166 2. pars de actibus fugæ probatur 1. ex Diu. Thom. 2. 2. quæſt. 19. art. 11. vbi adſtruit in beatis exercitium doni timoris, reſpectu offenſæ poſsibilis illis ſecundum ſuam naturam, licet non prout in ſtatu beatifico. 2. probatur, quia in creatura comparatio & æquiparantia ſui cum Deo, eſt quid malum & offenſa Dei, quæ æquiparantia eſt poſsibilis in eſſe affectiuo intendi à creatura, attenta naturæ conditione licet ergo non ſit hìc & nunc intendibilis ab humanitate vnita verbo, nec à beatis pro ſtatu beatifico, ſecùs abſolutè & ſecundum ſe, eſt autem talis æquiparantia intenta malum quoddam abſens fugibile, tamquam abſolutè poſsibile euenire illis ex diuina permiſsione: ergo eſt fugibilis per verum timorem communitèr dictum, qui factus ex Spiritu ſancti inſtinctu & ex motione diuinæ reuerentię eſſet exercitium doni. Vide quæſt. 23. art. 1. in fine.

1167 Quod autem hęc fuga ſit verus timor de malo, probatur, quia eſt fuga; non autem eſt triſtitia, nec eſt deſperatio, cum non ſit de malo ineuitabili. Nec item eſt odium ſimplex. Iſtud enim eſt de malo præciſsè & ſecundum ſe, non vero eſt de malo abſenti vt poſsibile euenire: ergo eſt verus timor, ſecundum ſubſtantiam timoris de malo poſsibili euenire. Dixi ſecundum ſubſtantiam timoris, quia non affert anxietatem & alia accidentia, quæ timor afferre ſolet) vndè exercitium iſtud fugæ, non ſolum eſt fuga culparum noſtrarum nobis imminentium, ſed fuga propriæ culpæ poſsibilis naturæ creatæ ſecundum ſe ſumptæ. Patet, quia in Chriſto & beatis datur fuga culparum, quæ ſit timor & non cadat in ipſum Deum, vt talem; fuga autem culparum alienarum imminentium, in ipſum Deum cadit. Alia ergo fuga eſt timor, qui competit Chriſto & beatis de malo ſibi.

1168 Contra primam partem, obijcies 1. Maieſtas & eminentia Dei ſuprema, non eſt quid malum: ergo nec capax, vt timeatur. Dices: vt eſt inflectiua mali, licet non ſit mala in ſe, eſt nobis, & timeri poteſt. Contra, quia nec infligit, nec infliget beatis: ergo non eſt timenda, ſi nullum eſt periculum, vt infligat. Inſuper, quia ſub hac ratione eſt ſummè bona amabilis & proſequibilis: ergo nequit licitè fugi à beatis. Alias enim poſſet licitè odio haberi, cum ſit eadem ratio. Reſpondeo ergo alitèr: diſtinguo antecedens, non eſt quid malum formaliter, concedo: cauſalitèr, nego. Diſtinguo autem conſequens: non eſt capax, vt timeatur timore fugæ fugientis illam, concedo: timore reuerentiæ & ſummiſsionis proſecutiuo, nego. Iſta enim ſummiſsio non eſt fuga Dei, ſed potius reuerentialis proſecutio ſupremæ Maieſtatis. Non ergo conſideres donum timoris, vt virtutem principaliter natam ad fugas, ſed potius ad proſecutiones.

1169 Replicabis: Innocentius definiuit dari in Chriſto timorem, quem tollebat Abailardus; atqui iſte non tollebat reuerentiam: ergo iſta non eſt proprium exercitium timoris. Diſtinguo minorem: reuerentiam Religionis concedo: reuerentiam iſtam ſpecialiſsimam Dei, vt inflectiui mali inducentem ad coarctationem propriã & ſummiſsionem, nego. Iſtam enim tollebat & Innocentius iſtam definiuit.

1170 Replicabis 2. in hoc exercitio nihil datur timoris cum ſit proſecutio; timor autem eſt ſolum de malo. Reſpondeo multum habere timoris, cum ſit timor reuerentialis intendens ſummiſsionem, & ſubiectionem ad Deum potentiſsimum, quod bene compatitur cum proſecutione. Non autem eſt verum, quod ſolum detur timor de malis. Hæc enim inaduertentia exiſtimantium omnem timorem debere eſſe primario de malo & non aduertentium perſonam bonam inflictiuam mali eſſe etiam timendam, facit inculcare has inſtantias contra noſtram concluſionem. Solum ergo timor *Paſsio*, eſt primario de malo. Timor autem *donum*, eſt primario de perſona veneranda & reuerenda cũ ſummiſsione, propter honeſtatem ſe ſubijciendi Maieſtati potentiſsimę, mali inflectiuę; à quo timore reuerentiali perſonæ valet deriuari alius actus timoris paſsionis & fugę, de malo & offenſa, vt oppoſita reuerentiæ debitæ tali perſonæ.

ARTICVLVS IIII.

EXPLICATVR CONVENIENTIA vtriuſque Timoris.

1171 CONtra dicta inſtabis. Timor donum non eſt equiuocè timor, non enim conueniunt in ſolo nomine: ergo vel vniuocè vel analogicè; atqui non vniuoce, cum vnus ſit proſecutio boni & alter fuga mali: ergo ad ſummum analogicè, quæ tamen analogia non eſt facilis inueniri in quo ſtet.

1172 Reſpondetur, analogiam hic inveſtigandam non eſſe pro 2. parte cõcluſionis, in qua admiſsimus vniuocationem & verum timorem fugæ reſpectu offenſæ humanitati poſsibilis. Solum ergo eſt inveſtiganda in actu proſecutionis, ſiue timoris reuerentialis; poteſt autẽ ſtare in duobus. Primum eſt quod timor paſsio adfert ſecum in timente quamdam ſeparationem ab ipſo malo formidato & propterea eſt vera fuga intendens receſſum mali à ſe. Secundum eſt, quod timor paſsio regularitèr conſtringit cor, facitque in illo quamdam arctitudinem & compreſsionem intra ſeipſum. Hunc effectum (ſine anxietate tamen) etiam adfert reuerentia & ſummiſsio, quæ reducit cor ad quamdam paruitatem & quaſi nihilitatem, ad præſentiam diuinæ Maieſtatis.

1173 De primo autem, nempè de ſeparatione, locutus eſt Diuus Thomas 2. 2. quæſt. 19 art. 10. ſic: *Ad tertium dicendum eſt quod timor filialis non importat ſeparationem, ſed magis ſubiectionem ad ipſum Deum. Separationem autem fugit à ſubiectione ipſius. Sed quodammodò ſeparationem importat, per hoc, quod non præſumit, ſe ei adæquare, ſed ei ſe ſubijcit.* Ex quibus verbis, clarè conſtat, timorem reuerentialem eſſe actum proſecutionis, & volitionem efficacẽ reuerentiæ, & ſummiſsionis ergà Deum propter honeſtatem poſitiuam ſubiectionis.

1174 In qua tamẽ ſummiſsione quæ eſt obiectũ ſpe-

Digitized by Google

cificatiuũ timoris proſecutiui, datur quoddam mixtũ ex vnione & ſeparatione obiectiuis; imbibit enim ſummiſſio ſubiectionẽ ad Deum *per modum cuiuſdam vnionis intendibilis & proſequibilis*, quia tamen hæc vnio non eſt inter æquales, ſed valdè inæquales & inferioris ad ſuperiorem, admiſcetur ibi *remotio quædam æqualitatis & æquiparantiæ*, quæ quidem æquiparantia cum Deo, vt potè mala, omninò eſt fugibilis; Nequit autem quis poſsitiuè proſequi vnionem ſubiectionis & reuerentiæ erga perſonam, quin eo ipſo velit removere æquiparantiã, ſiue potius æquiparãtiam fugere, ſicut ſeruus volens proſecutiuè regem cõmittari reuerentèr, vult poſsitiuè ire cum illo, ſed à tergo & non incedendo æqualitèr ad latus. Quatenùs enim vult cõmittari reuerentèr, propter dignitatem perſonæ reueritam eſt proſecutio & vt eo ipſo formaliſsime fugit æqualitatem eſt fuga.

1175 Ex his fit 1. quod ipſe Timor reuerentialis, vt eſt actus proſecutionis ſui obiecti primarij, imbibit reſpectu obiecti ſecundarij formaliſsimam fugam, quatenùs enim eſt tendentia reuerentiæ erga Deum, ſe illi ſummittendo, formaliſsimè eſt fuga elationis præſumptuoſæ & æquiparantiæ cum ipſo. Solum autem eſt diuerſitas, quod reſpectu obiecti primarij eſt proſecutio; reſpectu vero ſecundarij non eſt proſecutio, ſed formalis fuga. Ab admixtione ergo cõnexa vtriuſque farmalitatis affectus iſte reuerentialis rigoroſſe ſortiri poteſt appellationem timoris, quia, quatenùs eſt reuerentia perſonæ, eſt formaliſsimè fuga & timor æquiparantiæ; non autem eſt timor paſsio abſolutè loquendo, quia iſte non dicitur talis niſi quando primarium tendentiæ ſpecificatiuum non eſt perſona, ſed ipſum malum.

1176 Sed dices, in hoc ſenſu omnem proſecutionem poſſe dici timorem, quia omnis amor boni eſt virtualis ſaltìm fuga mali: ergo ex hoc capite non datur ſpecialis ratio pro appellatione timoris. Nego antecedens, quia proſecutio reuerentialis Dei vt à nobis explicata eſt, à motiuo reuerendi non ſolum habet, quod ſit reuerentialis fuga æquiparantiæ oppoſitæ, ſed formalis & expreſſa fuga illius eſt. Inſuper, quia non omnis proſecutio habet effectum illũ comprimendi, & quaſi anihilandi cor, qui effectus eſt proprius timiditatis, ſicut illum habet reuerentialis proſecutio, & ſic ex duplici capite ſortitur nomen timoris.

1177 Inſuper ex his manet clariſsimè explicatus Diuus Thomas nuper citatus, nempè quod timor reuerentialis adfert ſubiectionem creaturæ ad ipſum Deum, ſiue vnionẽ ſummiſsionis, quod quidem intelligitur, tamquam primarium ſpecificatiuum. Præterea fugit ſeparationem; non quidem ſeparationem inmediate à Deo, ſed ſeparationem ſui à ſubiectione Dei, quatenùs fugit æquiparãtiam ſui cum Deo deſtructiuam ſubiectionis ad Deũ, eique oppoſitam. Ecce ſimùl proſecutionem ſubiectionis & formalem, atque expreſſam fugam ſeparationis à ſubiectione per præſuntuoſam elationem inducendæ.

1178 Contra 2. partem objicies 2. fuga æquiparantiæ humanitati ſecundum ſe poſsibilis non eſt timor, quando non imminet: ergo in Chriſto nec de obiecto ſecundario datur verus timor & fuga. Reſp. diſting. antec. non eſt timor ſecundum conditiones & imperfectiones timoris, concedo. Iſte enim eſt præcipuè anxietas, quæ ſolet ſequi ad timorem & requirit malum practicè probabilitèr eventurum, & in hoc ſenſu interpretandi ſunt patres, dum requirunt ad timorẽ malum imminens. Secundum eſſentialem rationis timoris, nego. Sicut enim ſe habet ſpes ad bonum poſsibile, ita timor ad malum. Poteſt autem aliquando ſpes eſſe de bono certiſsimè futuro, licet regularitèr ſit de contingenti, vt patet in ſpe gloriæ corporis certiſsimè futuræ Chriſto. Similitèr ergo timor de malo poſsibili evenire certiſsimè non futuro. Hic autem timor eſt timor ſecurus, ſicut timor de malo imminenti eſt timor anxius.

1179 Replicabis: diuina Maieſtas, licet ſit inflictiua mali, certum eſt beatis, quod non eſt inflictura illis: ergo non erit obiectum ſufficiens ſpecificare timorem. Diſtinguo conſequens, timorem anxium, concedo, reuerentialem, nego, quia ſpecificatiuum illius eſt poteſtas infligendi malum, quod creaturæ ſit poſsibile. Certitudo autem, quod inflictura non ſit, potius auget, quam minuit reuerentiam in animis gratis, cum ſit de per accidens & ex promiſsione tantæ Maieſtatis, quæ ceſsit iuri ſuo, tàm ordinario, quàm abſoluto.

1180 Ex his patet ad rationes dubitandi: Talis enim timor non eſt ſeruilis, ſed reuerentialis. Et potius eſt proſecutio, quam fuga. Vndè primario non eſt de malo, ſed potius de bono ſummè reuerendo. Eſt tamen de malo per ſe quaſi ſecundario, eſtque fuga de illo formalis & expreſſa. Quod meo videri eſt ſpeciale in exercitio proſecutiuo timoris reuerentialis, eſſe ſimùl formaliſsimè proſecutionem & fugam expreſſam mali. Quod autem deficiat ex parte illius mali eſſe proximè imminens, ſubſtantiam & eſſentiam timoris fugæ non impedit.

ARTICVLVS V.

DE GRATIIS GRATIS DATIS.

1181 FViſſe in Chriſto gratias gratis datas omnes, vel fere omnes, certũ eſt apud Theologos. De illis loquitur D. Paulus 1. ad Corinth. 12. vbi numerat nouem, ex quarum explicatione conſtabit, quænam ſint & quot debeantur Chriſto. Accipe explicationem: *Alij datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alij fides, &c.* Sermo ſapientiæ eſt facilitas explicandi proximis per altiſsimas cauſas myſteria fidei. Sermo autem ſcientiæ per cauſas & modos inferiores, accomodatos tamen captui paruulorum, ſiue parum intelligentium.

1182 Fides non eſt diuina fides per quam Deo reuelanti credimus Theologicé, ſumuſque Chriſtiani. Sed nomine fidei, vel intelligitur excellens quædam myſteriorum fidei intelligentia apud Thomiſtas (non quidem determinatio obſcura ſiquidem non eſſet in Chriſto, ſed poteſt eſſe clara) vel potius nomine fidei intelligitur hic fiducia magna ad patranda miracula requiſita, vel fiducia magna ad prædicandum Euangelium cum valore & fortitudine, confidens ex Deo fructum prædicationis & liberationis à periculis.

1183 *Alij datur gratia ſanitatum*, inquit Apoſtolus, & eſt ad curandos morbos corporis. *Alij operatio virtutum*, ideſt. aliorum miraculorum. *Alij diſcretio ſpirituum*, & eſt ad diſcernendum inter ſpiritus, quis nempè ſit Dei & quis Diaboli, ſe in Angelum lucis transfigurantis. *Alij genera linguarum* & eſt facilitas & peritia intelligendi varia linguarum idiomata, eaque loquendi. *Alij interpretatio Sermonum*, eſtque donum Sacras Scripturas interpretandi in vero ſenſu cum dexteritate. Tandem *Alij prophetia*; hæc autem eſt *futurorum cognitio & prædictio; eorum inquam futurorum, quæ ſunt communitèr ignorata ab illis, qui degunt in eodem ſtatu cum Propheta illa prædicante.*

1184 Has gratias fuiſſe in Chriſto Domino communis tenet Theologorum ſententia & certiſsima eſt fere de omnibus iſtis (dixi fere de omnibus, quia Abulenſis de Prophetia oppoſitum tenet). Probatur: Tùm ex Euangelio ſæpiſsimè Chriſtum introducente exercentem illas. Tùm, quia ſunt perfectio ſine imperfectione. Tùm, quia iſtæ gratiæ fuerunt in Apoſtolis & alijs Sanctis; decens ergo erat, vt perfectius eſſent in Chriſto capite, quam in membris. Sic enim melius intelligitur, quomodò de perfectione eius omnes accepimus. Tùm deniq; quia gratiæ iſtæ, cũ non ſint gratiæ gratũ facientes, quia hoc eſt proprium formæ ſanctificantis, non dantur pro habente illas, ſed pro bono fidelium & Eccleſiæ conceduntur à Deo Euangelij Miniſtris, vt populum verbis doceant, veritatemque doctrinæ ſignis & miraculis confirment. Potius ergo debebant concedi Chriſto, præcipuo & primario Euangelij Miniſtro, omniumque Miniſtrorum capiti.

1185 Eſt autem difficultas circa donum linguarum, an aliquando illud exercuerit, ſicut Apoſtoli. Non conſtat hoc ex Euangelio. Credibile tamen eſt, exercuiſſe aliquando, nempè in Egipto, dum puer inciperet loqui, imò etiam in Iudea, ſi aliquando ſe offerebat occaſio loquendi cum hominibus alterius nationis & idiomatis. Apoſtoli enim linguarum varietatem exercuerunt, non ſolum dum erant in alijs nationibus, ſed etiam Hieroſolymis, in Pentecoſte, eo quod ibi adeſſent, tunc diuerſarum nationum viri. Cum Chriſto autem aliquando loquti ſunt viri Gentiles, diuerſæque nationis. Credibile autem eſt in illorum idiomatè fuiſſe eis tunc loqutum.

ARTICVLVS VI.

DE PROPHETIA.

1186 DE hac ſeparatìm Sermonem facio, quià ſpecialem habet difficultatē contra Abulenſem in cap. 11. Numeror. quæſt. 64. aſſerentem; Chriſtum fuiſſe pluſquam Prophetam, non vero ſtrictè Prophetam. Sed contra. Etiam Lucæ 7. vocatur *Propheta magnus*. Et Lucæ 24. dicitur: *Verè Propheta potens in opere & ſermone.* Et licet reſponderi poſſet, hæc non eſſe dicta ab Euangeliſta, ſed eſſe relata ab ipſo, credibile tamen eſt, populum & Diſcipulos euntes in Emaus, ita dixiſſe ex Spiritus ſancti inſpiratione. Prætereà & vrgentius, Deuteronomij 18. dixit Moyſes ad populum: *Prophetam ſuſcitabit Dominus ſicut me*; qui textus de Chriſto accipitur in actibus Apoſtolorum, & in virtute huius textus dicebat Populus, quod Chriſtus erat verè Propheta ſperatus qui venturus erat in mundum. Scriptura autem interpretari debet vt ſonat regularitér loquendo.

1187 Ratione autem prob. vt art. præcedenti. Eſt enim perfectio ſine imperfectione Prophetia. Inſuper Prophetia omninò ſtat: *In prædictione illorum futurorum quæ Propheta ſcit; ignorentur tamen regularitèr ab alijs hominibus viuentibus in eodem ſtatu cum Propheta prædicente illa.* Vndé tria requiruntur. Primum, *quod obiectum ſic procul ab his quibus traditur.* Secundum, *quod communitèr ab his ignoretur.* Tertium, *quod Prophetans conuiuat cum illis in eodem ſtatu.* Chriſtus autem erat vt Viator in eodem ſtatu cum hominibus, quibus prædicebat aliqua myſteria futura, quæ erant procul & ignorabantur ab hominibus regularitèr: ergo erat verè Propheta.

1188 Obijcies 1. Prophetia eſt obſcura & ex parte, atque cum beatitudine incompatibilis: ergo eſt relegan da à Chriſto, ſicut fides. Anteced. probat. ex Paulo 1. ad Corinth. 13, dicente: *Ex parte cognoſcimus & ex parte Prophetamus, cum venerit quod perfectum eſt* (ideſt beatitudo) *euacuabitur, quod ex parte eſt.* Confirmatur, quia ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 174. art. 2. ad 3. *Prophetia eſt obſcura & enigmatica, eſtque lucerna ardens in caliginoſo loco, ſicut fides.* Reſp. poteſt ad locum Pauli (& non diſplicet Patri Lugo) nomine prophetiæ poſſe ibi intelligi fidem ipſam, cum aſſentitur obiecto futuro & procul diſtanti; non enim loquitur de Prophetia ſtricta.

1189 Reſp. 2. diſting. anteced. Prophetia de per ſe eſt obſcura, &c. nego anteced. quia abſque obſcuritate poteſt quis noſcere, quæ ab alijs ſui ſtatus ignorantur, regularitér (licet de per accidens) concedo antecedens; quia cum in hominibus infundatur cognitio prophetica dependentèr à phantaſmatibus & enigmatibus, atque ſimilitudinibus, neceſſe eſt, quod ſit obſcura regularitèr. De hac ergo loquitur Paulus, non de Prophetia Chriſti, quæ alitèr, & alitèr ſciebat. Ad confirmationem conſtat ex dictis.

1190 Obijcies 2. Reſpectu beati nullum obiectum eſt procul, ac per conſequens, nec reſpectu Chriſti, quia omnia videt in Deo præſentia; atqui cognitio Prophetica eſt de rebus, quæ ſunt procul: ergo in Chriſto non fuit cognitio Prophetica. D. Thom. quæſt. 7. art. 8. in ſolutione ad primum eſt præmittendus reſponſioni. Docuit enim cognitionem Propheticam fuiſſe in Chriſto ipſam viſionem beatam, non quod hæc ſit per ſe ipſam Prophetica (nec eſt Prophetica in alijs beatis, qui non ſunt Prophetæ) ſed Prophetica per accidens, ſumpta denominatione à ſtatu viatoris, viſioni beatæ contingenti. Non ergo dabatur in Chriſto lumen per ſe Propheticum, quia iſtud formalitèr per ſe, fortè eſt obſcurum & enigmaticum, ſicut fides, ſed ipſum lumen gloriæ, vel ſcientiæ infuſæ (vocatur lumen habitus ipſe) conſtituitur contingentèr Propheticum per denominationem contingentem à ſtatu viatoris & à prædictione ad viatores, prout erat cum ipſis in eodem ſtatu.

1191 Reſpondetur ergo Chriſtum fuiſſe Prophetam, licet videret in Deo quaſi præſentia illa quæ prædicebat. Obiectum enim Prophetiæ non debet eſſe procul reſpectu cognitionis Propheticæ, nec reſpectu prædicentis, ſed procul reſpectu aliorum, cum quibus Propheta conuiuit tale obiectū ignorantibus regularitèr. Vndè beatus noſcens aliqua in Deo à nobis ignotata, ſi reuelaret nobis, adhuc non eſſet Propheta, quia non conuiuit nobiſcum, quibus prædicebat, ſicut conuiuebat Chriſtus, vtrumque ergo ad Prophetam requiritur & quod conuiuat cum his, quibus Prophetat, & quod Prophetet de rebus communitèr ignoratis in illo ſtatu.

1192 Nec obeſt, quod prophetia reſpectu Prophetarum non ſit lumen permanens, ſed tranſiens. Prophetæ enim antiqui non habebant in ſua manu ſemper prophetare, ſed quando illis dabat Deus; atqui lumen gloriæ reſpectu Chriſti, etiam prout denominatum contingentér à ſtatu viatoris, erat quid permanens: ergo non poterat eſſe reſpectu Chriſti lumen Propheticum, nec viſio beata prophetica. Reſpondeo fuiſſe lumen tranſiens reſpectu aliorum Prophetarum, ſecùs reſpectu Chriſti, cui propter perfectionis infinitum exceſſum debebatur prophetia altiori modò, ac per conſequens permanentèr.

1193 An vero Chriſtus formaret aliquod iudicium per ſe Propheticum? dubium eſt. Regularitèr enim non formabat, ſed cognoſcebat res prophetatas per cognitionem omninò independentem à phantaſmatibus & enigmatibus, atque ſimilitudinibus. Non deſunt, qui concedant Chriſto aliquando tale iudicium enigmaticum, non tamen formatum à lumine per ſe prophetico, ſed à lumine ſcientiæ infuſæ. Addunt tamen, hoc iudicium per ſimilitudines, licet ſupponeret phantaſmata obſcura in imaginatione Chriſti, Chriſtus tamen operans illud cum aliquali præſuppoſitione phantaſmatis obſcuri, nihilominùs eliciebat clarum, ſupplentè ſcientia infuſa atque emmendante illam confuſionem per ſuam claritatem, ſed res eſt non magni momenti.

1194 Sequitur ex dictis, quod nullus beatus purus eſt Propheta, nec pro beatis, nec pro nobis. Non pro beatis, quia quæ vnus ſcit communitèr, non ignorantur ab alijs beatis, quibus conuiuit; non pro nobis, dum aliqua prædicit nobis, quia nobiſcum non conuiuit. An verò diuinitus, ſiue extraordinariè poſsit vnus beatus eſſe Propheta ex reuelatione Dei aliquid ſpeciale prædicens alijs beatis? Affirmat Arriaga, quia nulla apparet repugnantia. Videantur Lugo diſp. 16. à nu. 121. Bernal diſp. 31. Arriaga diſp. 33. à num. 11. Ioannes à S. Thom. quæſt. 12. diſp. 13. art. 2.

QVÆSTIO XXVI.

DE GRATIA CAPITIS.

ARTICVLVS I.

QVO PACTO CHRISTVS SIT CAPVT hominum.

1195 ESSE caput hominum & totius Eccleſiæ, certum eſt & de fide, quatenùs eſt homo Deus. Patet ex Paulo ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſuper*

Digitized by Google

per omnem Eccleſiam. Ad Coloſenſ. 2. *Eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis.* Declaratur. Eccleſia eſt vnum corpus morale, in quo ſunt varia membra inter ſe coniuncta exercentia diuerſa munera iuxta varios ſtatus, vniunturque inter ſe per vnionem fidei interius & per vnionem Sacramentorum & ceremoniarum exterius. Huius corporis Chriſtus merito eſt caput. Iſtud enim in humano corpore vnitur cum membris & tenet primum locum in illis. Reſident in illo ſenſus omnes, influit in membra vitam & motum, medijs ſpiritibus vitalibus, dirigitque & gubernat totum motus & operationes. Sic ſe habet Chriſtus reſpectu Eccleſiæ influens in totam eam, gubernáſque per ſuas leges & ſui Vicarij, vt per ſe patet.

1196 Obijcies: ergo Chriſtus erit membrum, quod eſt abſurdum, nam membrum pendet & indiget alijs. Probatur ſequela à paritate corporis humani, & confirmatur, quia Chriſtus eſt pars Eccleſiæ cum alijs vnita; hęc autem eſt membrum. Concedunt ſequelam aliqui apud Gaſparem Hurtado & probant ex Paulo 1. ad Corint. 12. *Vos eſtis corpus Chriſti & membra de membro,* id eſt, de Chriſto. Alij dicunt, Chriſtum vt Deum eſſe caput, & vt hominem, ſiue ſecundum humanitatem, dici membrum, non verò Chriſtus abſolutè.

1197 Reſpondeo. Nego ſequelam cum communi, quia metaphora capitis, non debet tenere in omnibus, ſed ſolum in aſsignatis, non verò independentia ab alijs. Paulus loquitur de ſe, quia Corinthij erant de ipſo Paulo Chriſti membro mediante prædicatione, vel fortè ly, *de membro* ſignificat alios ad quos tenebatur attendere & vnionem cum eis ſeruare, ſicut vnum membrum cum alio.

1198 Quæres 1. An Chriſtus vt homo ſit caput omnium hominum viatorum, ſaltim ad tempus? eſſe caput beatorum, certum eſt, quia perfectè vnitur illis Theologicè per charitatem, influitque perfectam vitam in illos. Secundò eſt certum, non eſſe caput damnatorum, quia iſti totalitèr ſunt Diaboli membra, nec vniuntur Chriſto Theologicè, cum careant gratia & fide. Vndè Chriſtus non influit adhuc quaſi vitalitèr in illos. Tertiò eſt certum, eſſe caput fidelium iuſtorum quia vniuntur illi per fidem & gratiam, influitque in illos. Quartò eſt certum, eſſe caput in potentia omnium viatorum. Tùm, quia iſti poſſunt conuerti & vniri Chriſto Theologicé, licet nunc infideles ſint, Chriſtuſque eſt in potentia, vt in illos influat. Tùm, quia ad membrum in potentia, nec requiritur actualis vnio, nec actualis influxus, ſed capacitas ex parte capitis & ex parte illius, vt poſsit fieri membrum.

1199 Difficultas eſt, an ſit actu caput ſaltìm ad tempus eorum qui de facto ſunt infideles? Suarez diſp. 23. ſect. 1. affirmat, eo quod iſti aliquem influxum accipiant ex meritis Chriſti, á Chriſto vt capite, nempè aliquas inſpirationes. Gaſpar Hurtadus diſp. 7. difficultate 22. & Bernal hic negant. Tùm, quia actu infideles, non vniuntur cum Chriſto, nec cum Eccleſia: *Vnione morali ſpeciali Eccleſiæ propria,* cuius Chriſtus eſt caput, talis enim vnio ſpecialis eſt donum ſupernum Theologicum, v. g. charitatis fidei, aut luminis gloriæ, vt declarat optimé Bernal diſp. 22. à num. 3. Propterea *Eccleſia* definitur: *Congregatio fidelium.* Membrum ergo Eccleſiæ eſt, *perſona creata Chriſto Theologicè coniuncta recipiens vitalitèr, vel quaſi vitalitèr influxum à Chriſto in ordine ad bonum ſupernum.* Hoc autem non competit infideli, vt per ſe patet. Nec ſufficit character in hæreticis, vt per illum Eccleſiæ vniantur. Cum enim vnio propria membri Eccleſiæ ſit fides, non ſufficit character, qui non eſt vnio, ſed indelebile ſignum, obligans habentem, vt procuret vniri Eccleſiæ.

1200 Tùm etiam probatur, quia nullam vitam accipiunt ſpecialitèr à Chriſto, vt capite Eccleſiæ modò proprio capitis, qui eſt modus quaſi vitalis ſupponens partes vnitas toti ſpeciali vnione totius, carent enim vita perfecta, motuque ſpeciali charitatis & gratiæ habitualis. Item carent vita imperfecta fidei, ſpecialique motu ipſius: ergo Chriſtus nihil ſpeciale capitis Eccleſiæ poteſt in illos actualiter influere proximè. Confirmatur, quia & ſi Chriſtus præparauerit infidelibus, etiam infantibus in vtero exiſtentibus, remedia ad ſalutem, in multoſq; infidelium actualitèr influat per inſpirationes ſupernas, hoc non præſtat, *vt caput ſpeciale, nec modò proprio capitis Eccleſiæ in membra, nec vitalitèr aut quaſi,* quia non ſupponit illa *vitalitèr vnita corpori,* ſed influit vt prouiſor & caput gubernatiuum procurans media, vt prius fiant membra. Non enim ad rationem capitis Eccleſiæ ſufficit ſuperioritas ſola, influxuſque ab ipſa, ſed vlterius requiritur vnio membri ſpecialis illius Reipublicę vt talis, vitalitér aut quaſi, recipientis influxum. Etenim influxus quem præſtat anima circa alimentum immutando illud, non eſt influxus vt in membrum, ſed potius conatus immutandi illud, vt ſecum illud vniat, faciatque membrum de non membro.

1201 Placet 2. ſententia propter ipſius fundamenta. Laté tamen poſſet Chriſtus dici caput ſumendo iſtud pro gubernatore & legislatore. Omnes enim obligare poteſt per ſuas leges, vt Eccleſiam ingrediantur & omnibus in ordine ſuperno prouidere curat ad hunc finem, ſaltìm vt generalis prouiſor ſupernus, præbens vocationes & auxilia. Et hoc ipſum exercet per ſummum Pontificem Vicarium ſuum. Eſt etiam caput minùs laté reſpectu hæreticorum, quos per Eccleſiam ſpecialitèr vnire poteſt vt ſubditos ratione characteris & obligare inſuper, vt Eccleſiam ingrediantur, eique vniantur. Talis tamen influxus, vt dictum eſt, non eſt propriè capitis in membra formalitèr, ſed ſolum cauſalitèr & vialitèr, nempè vt fiant membra influxus enim capitis alicuius Reipublicæ ſupponit membra vnita cum capite, *vnione illius Reipublicæ propria,* qualis eſt reſpectu Eccleſiæ, non externa communio, vt in alijs Reipublicis, ſed potius interna Theologica vnio.

1202 De fidelibus in mortali exiſtentibus datur ſpeciale diſsidium inter catholicos, & non deſunt negantes eſſe abſolutè Chriſti membra. Probari poteſt 1. quia Chriſtus peccatoribus fidelibus nec eſt vnitus vnione charitatis, ſicut iuſtis viatoribus. Nec item vnione fidei (quia ipſe caret illa: ergo non eſt Theologicé vnitus, nec ſpecialitèr caput. 2. Quia peccatores ſunt partes Eccleſiæ ſed mortuæ. Imò potius ſunt membra Diaboli per culpam mortalē vnita, in quæ influit per ſuggeſtiones multa mala: ergo Chriſtus non erit eorũ Caput. Conſequentia probatur, quia idem nequit eſſe Caput duplicis corporis oppoſiti, ſicut nec hominis, & bruti.

1203 Tertiò, quia capilli & vngues, etiàm ſecundũ partem in timiorem corpori, licet ſint partes animalis & hominis eius integrantes pulchritudinem, non tamen ſunt ipſius membra, eo quod non viuant, nec exerceant vitam ſenſitiuam, aut rationalem hominis propriam: ergo ſi peccatores non viuunt vita propria corporis Eccleſiæ, nempé charitate, non erunt membra Eccleſiæ; ſed partes quaſi mortuæ & infructiferæ: Antecedens, nempé, quod capilli non ſint membrum, patet, quia illorum raſſor & euulſor, non dicitur mutilare membrum, nec eſt irregularis. Tandem, quia Eccleſia eſt tota pulchra, Sancta, Immaculata, non habens maculam, neque rugam: ergo nequit componi ex peccatoribus fœdiſsimis & maculatis.

ARTICVLVS II.

CHRISTVS EST CAPVT FIDELIVM PECCATORUM. Vbi notabiles illationes & de Redemptione à pura creatura doctrina notanda.

1205 SEd mihi probabilius eſt cum communiſsima ſententia Diui thomæ & recentiorum, peccatores fideles eſſe membra Chriſti, licet imperfectè. Probatur. Tùm, quia Eccleſia eſt *congregatio fidelium,* ſic communitèr definita. Tùm, quia in Euãgelio ſępè introducitur conſtans ex iuſtis & peccatoribus, tamquam ſa-

Digitized by Google

ſagena congregans in ſe piſces bonos & malos, tamquã area habens triticum & paleas, tamquam vinea habens vites fructiferas & infructiferas,& tamquam decem virgines, quarum quinque ſunt prudentes & quinque fatuæ. Ratio autem àpriori eſt,quia eo ipſo vniuntur vnione Theologica fidei & in vno obiecto credito,ingreſsi per ianuam viſsibilem Baptiſmi,ſeparatique vt ciues huius Ciuitatis, ab illis qui ſunt extra Eccleſiam.

1206 Confirmatur, quia habitus fidei eſt quædam vita ſuperna ſpiritualis in actu primo, & intrinſeca ita vt ille homo habeat intra ſe principium vitæ ſpiritualis licet imperfecta operatiua vitalitèr & immanentèr ſuperne ad operandos actus fidei, per quos diverſificantur veri filij Eccleſiæ ab his qui tales non ſunt, ſed potius ſunt extra illam: ergo ſunt vera Eccleſiæ membra licet imperfecta. Vndè exiſtimo diſtinguendum triplex membrum Chriſti in via. Separatum, mortificatum & perfectè viuum. Separatum ſunt hæretici,quia receſſerunt ab vnione fidei ſuperna in baptiſmo recepta. Iſti nullum habent principium intrinſecum vitæ, quia carent fide ſuperna, quæ inhæreat intrinſecè vitalitèr.

1207 Mortificatum ſunt fideles peccatores, ſicut vites viuentes ad folia producenda & non ad fructus charitatis. Habent enim aliquid vitæ in actu primo,nempè habitum inhærentem fidei, ac per conſequens principium ſe movẽdi ab intrinſeco ad operationem ſupernam propriam filiorum Eccleſiæ, quia tamen carent charitate, nec poſſunt facere fructus vitæ æternæ meritorios, ſunt quaſi membra manca & mortificata,non tamen mortalitèr & omnimodè mortua, nec ſunt membra ſeparata, ſed Chriſto vnita, ac per conſequens Chriſtus in illa influens influit vt caput & quaſi vitalitèr & immanentèr intra proprium corpus morale, quia tales influxus manẽt in ſuó corpore & non extra illud.& ſic operatio non eſt tranſiens moralitèr, ſed immanens. Tertium membrum eſt viuũ perfectè & abſolutè, quia vnitur Chriſto, quoad ius vitæ æternæ.

1208 Nota autem,Chriſtum per duplex munus eſſe caput Eccleſiæ: 1. interius influendo in membra, 2. exterius gubernando. Dum eſſet viator, per ſe ipſum exercebat vtrumque munus, modò vero ſolum primum per ſe ipſum. Ipſe enim influit inviſibilitèr in Eccleſiam, vt corpus ſuum, omnes gratias & dona ſuperna influxu morali principali. Dico morali,quia cauſa principalis phyſica eſt Deus ipſe & ſolus Deus,nam Sacerdotes,etiam ſi phyſice influant vt inſtrumenta phyſica Dei & vt inſtrumenta moralia Chriſti;non autem influunt internè vt caput,etiam ſi Sacerdos ſit ipſe ſummus Pontifex. Secundũ munus commiſsit ſummo Pontifici vt Vicario ſuo,nempè externè & viſibilitèr Eccleſiam gubernare. Sic vir dicitur caput mulieris, quia dirigit illam quoad externam gubernationem. Vide Martinum Perez diſp.32.ſect. 1. ſed hoc muneris exercitium vt ſit proprium capitis Eccleſiæ vt Eccleſiæ,exerceri debet ſupra membra vnita.

1209 Nota. 3. non omne corpus morale requirere vnionem internam inter mẽbra ſiue ciues & caput. Quia quodlibet requirit vnionem proportionatam ſibi. Sed tamẽ Eccleſia habet partem eſſentialem internam,ideò ſpecialitèr requirit vnionem internam & abſque illa influxus non eſt Capitis Eccleſiaſtici vt talis. Vir reſpectu mulieris & Rex reſpectu Reipublicæ contentus eſt vnione externa ſola, ideò dixi, deficiente fide influxum non eſſe capitis Eccleſiæ.

1210 Nota 4. reſpectu corporis Eccleſiæ, vt modò congregata eſt ex hominibus, qui fuerunt peccatores & neceſſe habent accipere à ſuo capite,nonſolum gratiam, ſed remiſsionem peccati per ſatisfactionem condignam, ita Chriſtum eſſe caput, vt nulla pura creatura, quantumvis Sancta, potuerit hoc munus exercere. Potuiſſet autem reſpectu non habentium peccatum. Conſtat hæc doctrina ex diſp.de infinitudine offenſę.

1211 Ex hoc infero,nec potuiſſe de condigno mereri, & infundere in peccatorem gratiam ſanctificantem,ſi non eſſet Deus (vt dixi num.571.) alias cum gratia ſanctificans ſit remedium culpæ, potuiſſet pura creatura de condigno afferre remedium contra Patres adductos à num.508. Hanc rationem nota valde, quia multum confirmat dicta num. citato de Chriſti ad redimendum neceſsitate.

1212 Ad argumenta art.1. Reſp.& ad 1. inter Chriſtum ad fideles peccatores iam dari vnionem internam per donum Theologicum, quod ex parte noſtra, eſt fides; ex parte verò Chriſti lumen gloriæ. Vtrumque enim eſt principium vitæ intellectiuæ Theologicæ & ad intra vniens,in vno obiecto Theologicè cognito. Etiam conueniunt in aliquo externo & viſibili, nempè vno baptiſmatè, aliiſque Sacramentis & ceremonijs à Chriſto in via exercitis & receptis & modo à peccatoribus.

1213 Ad 2. reſp.peccatores dici mortuos, quatenùs carent vita perfecta, ſiue perfecta participatione Deitatis, ideſt, gratia operatiua fructuum vitæ æternæ, non tamen carent vita imperfecta fidei tamquam membra mortificata. Vndè non eſt inconueniens,quod diverſimodè fiant ſimul membra Chriſti & Diaboli:illius per fidem, iſtius vero per culpam, quæ ianuam apperit, vt Diabolus influat mille ſuggeſtiones & tẽtationes. Licet autem detur repugnantia, vt idem ſit membrum duplicis corporis oppoſiti; id verum habet in naturalibus, ſecùs in moralibus, vnus enim homo poteſt eſſe ciuis pertinens ad duas ciuitates oppoſitas ſub diuerſis rationibus.

1214 Ad 3. reſp. peccatores non ſolum eſſe partes ſicut capilli, ſed membra Eccleſiæ, quia licet non viuant vita perfecta,viuunt tamen vita imperfecta membrorum Eccleſiæ propria nempè vita fidei diſponente ad vitam perfectam gratiæ,quæ tamen non reperiuntur in capillis. Adde capillos & vngues, ſi ſecundum aliquam partem ſui viuunt,etiam eſſe membra animalis, quia & vniuntur & recipiunt influxum à capite modo vitali: licet enim non ſint mẽbra reſpectiuè ad irregularitatem,(ſicut nec quantum ad hoc eſt membrum pars carnis viuæ)ſunt tamen quoad rationẽ dictam vnionis & influxus vitalis.

1215 Ad 4. reſp. Eccleſiam eſſe ſanctam, non quidem ab omnibus ſuis membris, ſed ſanctam à Sacramentis, ceremonijs,puritate fidei, legibus,in quibus non eſt vlla macula. Quod ſi Patres aliquando excludunt à membris Eccleſiæ fideles peccatores, non ſumunt Eccleſiam pro toto,& integro corpore, ſed ſolum pro præcipua parte, nempè pro congregatione iuſtorum.

1216 Ex dictis Infero 1. Chriſtum reſpectu irrationalium non eſſe caput adhuc ciuile, vel externum, ſed Dominum. Patet, quia vnitur ei vnione adhuc externa ciuili & politica,vt poſsit in illa influere per leges & dirigere per conſilia vt Prælatus ſubditos per rationem obedientes, ſolum ergo eſt reſpectu eorum adminiſtrator & Dominus.

1217 Infero 2. hæreticum occultum non manere proprie membrum Eccleſiæ, niſi apparentèr & ſolum quoad externam vnionem ceremoniarum & quoad ſubiectionem ad leges Eccleſiæ,quæ non ſufficit ad eſſentialem rationem membri conſtitutiuam. Cum enim Eccleſia non ſit in ſuo conſtitutiuo purè externa (ſicut ſunt aliæ Reſpublicę & Ciuitates) ſed principalius interna, influxuſque Chriſti capitis, principaliùs ſit internus, non erit ſtrictè membrum,vbi deficiat interior vnio Theologica fidei.

1218 Vndè ſi fieret hæreticus ſummus Pontifex per impoſsibile (plures enim impoſsibile docent in materia de fide: Chriſtus enim rogauit pro Petro,ne deficeret fides eius & in eo pro ſucceſſoribus) non maneret ſtrictè membrum Chriſti & Eccleſiæ, licet maneret caput Eccleſiæ (ſecundum quod Eccleſia habet de Republica externa) quoad ſuperioritatem gubernationem, & iuriſdictionem, & quoad omne regimen externum Eccleſiæ & in hoc ſenſu lato etiam membrum. Licet enim inter Pontificem & Eccleſiam permaneret vnio ſubiectionis & ſuperioritatis, cum tamen deficeret interna vnio influxus Chriſti in ipſum quaſi vitalis,non permaneret ſtrictè membrum Chriſti & Eccleſiæ, nec haberet de capite,

Digitized by Google

te, niſi influxum externum prædictum,quem etiam modò habet.

1219 Infero 3.reſpectu hominis, qui eſſet in gratia ante receptionem baptiſmi,Chriſtum fore caput directè & influentem in illum quaſi vitaliter; non tamen eſſet membrum Eccleſiæ viſsibilis ſubſtantialitèr perfectè & integre,quia ad rationem membri Eccleſiæ ſic integram & perfectam requiritur vltra vnionem internam viſsibilis ingreſſus in ipſam per baptiſmi ianuam. Eſſet autem membrum imperfectum à proteſtatione externa fidei.

1220 Pro quo nota: Eccleſiam vt ſic,& vt præſcindit à viſsibili, ſiue vt eſt communis Angelicæ & humanæ, ſolum requirere Theologicam vnionem internam. Vt autem eſt contracta ad humanam & viſsibilem, poſtulat vlterius vnionem ſacram externam inſtar vnionis ciuilis. Pontifex Hæreticus eſſet caput & membrum Eccleſiæ,vt Ciuitas externa eſt;non vero vt Eccleſia eſſentialitèr eſt. Iuſtus vero non baptizatus eſſet membrum Eccleſiæ, vt eſſentialitèr Eccleſia eſt, non vero vt Ciuitas externa eſt.

1221 In veteri lege Chriſtus non ſolum erat caput Synagogæ, ſed etiam illorum iuſtorum,qui extra Synagogam erant fideles,v.g.Sanctus Iob. Vniebantur tamen in vnam ſubſtantialitèr Eccleſiam per internam fidem,& per externam poteſtatem fidei de mediatore,quæ tunc ſufficiebant.Differebant vero à membris ſpecialibus Synagogæ propter Sacramenta & ceremonias iſtius,ad quas non tenebantur venire,quia Synagoga vt talis erat Eccleſia particularis. Fideles autem nunc,qui ſunt fideles anteBaptiſmum,tenentur ad Eccleſiam per Baptiſmū venire, quia hæc eſt Eccleſia vniuerſalis, extra quam non eſt ſalus pro volentibus manere extra illam.

1222 Infero 4. quando influxus eſt ad tollendum peccatum in purè infideli, non eſſe influxum capitis in actu,ſed in potentia,& ad hoc vt fiat caput eius in actu; quod fiet ſuppoſita infidelis conuerſione. Quando vero iam ſunt vnita per donum Theologicum, iam eſt influxus capitis in actu. Nota autem, quod ſolus Chriſtus eſt caput ſupremum Eccleſiæ quoad influxum interiorem; Pontifex enim ſolum eſt caput Eccleſiæ influens quoad exteriorem gubernationē, & ſi aliquatenùs quoad interiorem, non per ſua merita, ſed quatenùs applicat merita Chriſti: per ſua enim ſi aliquid alijs membris communicat,non eſt per modum ſuperioris & capitis, ſed per modum commembri, ſicut & alij iuſti, impetrando.

1223 E contra verò Lucifer eſt caput malorum & ſupremum caput, tàm dæmonum, quàm infidelium, quia quoad malitiam vnitus cum illis tenet primum locum, influitque in homines inducendo ad peccatum,vel exēplo,vel ſuaſione & quoad mala omnes gubernat poteſtate tentandi ſibi à Deo permiſſa; Antichriſtus etiam erit caput,non omnium, ſed plurimorum hominum ſui temporis, accipiens à Domino poteſtatem,vt dicitur in Apocalipſi de illo ſignificato in beſtia; erit enim ſuperior malitiâ, eoſque ad malum inducet & gubernabit. Nec eſt inconueniens eidem Republicæ aſsignare duo capita, quando ſunt ſubordinata, vt Pontifex ſubordinatur Chriſto vt Vicarius eius,& Antichriſtus Lucifero.

1224 Quæres: quomodò Chriſtus ſit caput hominum, an ſolum ſecundum animam? Reſp.Chriſtum vt hominem ſumptum ſecundum animam & corpus in concreto eſſe caput hominum ſumptorum etiam ſecundum animam & corpus; ita ſententia communis cum D.Thoma art.2. Probatur, quia Chriſtus vt homo per merita illa,quæ elicuit in anima & conſumauit in corpore,v.g. per mortem & paſsionem,meruit hominibus non ſolum dona pertinentia ad animam hominis, ſed etiam pertinentia ad corpus, v.g. dotes corporis glorioſi,vt conformentur ipſi Chriſto glorioſo per ſimilitudinem dotum in Patria & etiam per ſimilitudinem in via in Baptiſmo, alijſque Sacramentis & ceremonijs viſsibilibus. Sic verificatur vnio Eccleſiæ cū Chriſto capite in inviſibilibus, & viſsibilibus. Reſpectu autem primorum parentum in ſtatu innocentiæ etiam Chriſtus fuit caput,quia cum fuerit decretus Redemptor ante omnes creaturas, quidquid illæ habuerunt, per meritum Chriſti habuerunt.

ARTICVLVS III.

AN CHRISTVS SIT CAPVT ANGELORVM?

1225 CErtum eſt apud omnes eſſe. Patet,quia ad Coloſenſ. 2. dicitur: *Ipſe eſt caput omnis Principatus & poteſtatis.* Per quos intelliguntur Angeli. Confirmatur ex Auguſtino Serm.3. in Pſalm.33.Vbi hæc habet verba: *Caput noſtrum Chriſtus eſt,corpus capitis illius nos ſumus, numquid ſoli nos? omnes,qui ab initio mundi fuerunt iuſti, adiunctis etiam legionibus Angelorum, vt illa vna Ciuitas fiat ſub vno Rege.* Hucuſque Auguſtinus. Ratio autem eſt, quia noſtra Eccleſia & Angeli ſunt idem corpus & vna Eccleſia,vnumque ouile iuxtà illud: *Alias oves habeo,quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere,& fiet vnum ovile & vnus Paſtor.*

1226. Atqui eàdem Eccleſia, idemque corpus debet habere vnum caput, vnumque ovile eundem Paſtorem: ergo Chriſtus eſt Angelorum & hominum caput. Propoſitio maior confirmatur vlterius. Cum enim Angeli ſint vniti Chriſto per vnionem Theologicam luminis gloriæ, influatque in ipſos plura dona ſuperna,ſaltim gloriæ accidentalis reuelationum & aliarum gratiarum, eo ipſo verificatur, quod illi ſint membra, Chriſtus autem ſit caput. Dum dixi facere Angelos cum Eccleſia noſtra idem corpus, eandemque Eccleſiam, intelligendum eſt quantum ad ſubſtantialem vnionem inviſsibilem. Non enim vniuntur nobiſcum quantum ad viſsibilem & exteriorem vnionem Sacramentorum & ceremoniarum.

1227 Certum eſt 2.Chriſtum quatenùs Deum reduplicatiuè eſſe caput Angelorum. Conſtat, quia Deus eſt caput Chriſti,vt inquit Apoſtolus: ergo Deus obtinet primum locum, ſiue locum capitis reſpectu Chriſti: ergo multò melius reſpectu Angelorum, in quos influit mediante Chriſto. Ratione autem probatur, quia Deus eſt infinitè ſuperior Angelis & vnitus cum ipſis per ſimilitudinem Theologicam in Sanctitate & viſione Dei, quam Deus habet per eſſentiam, & illi per participationem, influitque in eos influxu naturali & ſuperno: ergo eſt eorum caput.

1228 Maior difficultas eſt de Chriſto vt homine. Affirmo cum communi ſententia. Ita Suarez & alij contra Bonauenturam & paucos alios. Conſtat 1. ex 1. ad Epheſios, vbi Apoſtolus dicit de Deo reſpectu Chriſti: *Suſcitans illum à mortuis & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum poteſtatem, &c. Omnia ſubiecit ſub pedibus eius & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* Vbi Sermo eſt de Chriſto vt reſuſcitato & conſtituto ad dexteram & dato pro capite omnis Eccleſiæ. Hæc autem conueniunt Chriſto vt homini in concreto,ideſt, huic ſuppoſito Chriſti vt talis, & vt reduplicantis ſupra hominem Deum. De qua reduplicatione num. 54. Nomine autem omnis Eccleſiæ intelligitur vnum corpus mixtum,vt claudens Angelos & homines, quia ſine illis non eſt omnis Eccleſia.

1229 Eſt autē vnius corporis vnū morale caput,vt iā dictum eſt, præcipuè quando membra ſunt ita formalitèr in ratione conducente ad eſſe membri ſe habent eodem modò, nempè in ratione perſonæ intellectualis Theologicè vnitę in ordine ad idem obiectum cognitum & amatum,atque ad eundem finem ſupremum, nempè beatitudinem. Totum hoc confirmatur, quia vt omnes affirmant cum D.Dionyſio cap. 2. de Cœleſti Hyerarchia Chriſtus influit in Angelos eos illuminando ſpecialitèr. Inſuper imperat eis circa Eccleſiæ militantis adminiſtrationem & hominum cuſtodiam, eſtque Angelos iudicaturus ſecundum ea, quæ ad hoc munus ſpectant,vt docet D.Thom.queſt. 58. art. 3. quod intellige de iudicio

Digitized by Google

approbatiſio: ergo eſt caput eorum.

1230 Eſt tamen alia difficultas, nempè quid influat in Angelos Chriſtus vt caput? Sententia docens Chriſtum fuiſſe decretum poſt peccatum Adæ abſolutè præuiſſum, ac per conſequens poſt Angelos, conſtantèr tenet non potuiſſe illis mereri gratiam & gloriam ſubſtantialem, ſed ſolum accidentalem. Sufficit autem meruiſſe hanc, vt verificetur ſufficientiſsimè capitis influxus. Iuxtà noſtra autem principia de primo decreto Chriſti Redemptoris ante Angelos decreti, dicendum eſt, influxiſſe in Angelos, etiam gratiam & gloriam ſubſtantialem, eſſeque ſaluatos per Chriſtum & ex meritis ipſius.

1231 Licet enim non fuerint redempti, nec habuerint ab ipſo gratiam ſanatiuam, ſicut nos: Nec redemptionem præſeruatiuam, ſicut Beatiſsima Virgo (non enim erant obnoxij & obligati debito contrahendi peccatum adhuc remoto) habuerunt tamen gratiam ſaluatiuam, vt non peccarent cum poſſent. Vndè D. Bernardus Homilia de Circuncisione dixit ſuper illud Lucæ: *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, &c. Idem quippè & hominis Saluator & Angeli, ſed hominis ab Incarnatione, Angeli verò ab initio creaturæ.* In initio ergo Chriſtus vt Saluator & vt Iesvs influebat iam in Angelos ſubſtantialem gratiam & gloriam.

1232 Obijcies 1. Chriſtus non eſt eiuſdem naturæ cum Angelis: ergo nec caput. Nego conſequentiam. Tùm quia alias nec Deus eſſet caput. Tùm, quia Angeli inferiores non haberent caput, quia ille qui eſt ſupra ipſos diuerſæ eſt naturæ ſpecificæ. diuerſitas enim iſta naturarum ſe habet materialitèr ad rationem membri & capitis formalem, nempè ad vnionem Theologicam & influxum.

1233 Obijcies 2. Contra influxum gratiæ & gloriæ ſubſtantialis. Chriſtus non meruit alicui, niſi per Crucem, per quam fuit Redemptor. Angelorum autem non fuit Redemptor, nec pro illis mortuus eſt. Sed reſpondetur ex dictis (relicta aliorum ſolutione dicentium, meritum Chriſti pro Angelis non fuiſſe per mortem, ſed per amorem Dei, vel alios actus) Chriſtum duplicem gratiam meruiſſe creaturis rationalibus, vnam redemptiuam, alteram ſolum ſaluatiuam. Illa eſt ſanatiua; ſecùs iſta. Vtramque meruit Chriſtus per mortem vt ſaluator, ſed non vtramque vt Redemptor, & ideò non dicitur mortuus niſi pro redemptis, qui rei mortis erant. Meruit ergo Angelis gratiam ſaluatricem per Crucem, ſicut & nobis, licet abſque denominatione redimentis & morientis pro ipſis.

1234 Replicabis: Virgini Chriſtus eſt Redemptor & mortuus pro ipſa, licet ſolum meruerit gratiam ſaluatricem: ergo idem eſſet de Angelis, ſi ipſis iſtam meruiſſet. Nego antecedens, quia Virgini meruit gratiam etiam redemptricem; præſeruatiuam tamen à debito peccandi in Adam, ſaltìm remoto. Angeli autem non habebant debitum peccandi, licet haberent potentiam, ideò non dicitur Redemptor illorum præſeruatiuus, licet aliqui fortè non tenuerent rationem Redemptoris præſeruatiui reſpectu eorumdem.

1235 Obijcies 3. Angeli habuerunt gloriam ab initio: homines autem non ſunt glorificati, niſi per mortem Chriſti: ergo, quia homines habent gloriam eſſentialem per mortem Chriſti. Nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia homines erant debitores per peccatum carendi gloria. Ideò congruum fuit, vt pro ipſis glorificandis expectaretur perfecta & re ipſa exhibita ſolutio & ſatiſfactio pro debitis, vt haberent gratiam conſumatam. Sicut Sacramenta veteris legis non cauſabant ex opere operato gratiam ſanctificantem, ſed hæc perfectio cauſandi, reſeruata eſt Sacramentis nouæ legis, quando iam ſatisfactio Chriſti erat re ipſa exhibita, vel propè exhibita, quod non habet locum in Angelis, pro quibus Chriſtus licet meruerit; non tamen habuit debita, quæ pro eis ſatisfaceret. Sicut autem Patribus Antiquis meruit Chriſtus gratiam non conſumatam ante exhibitum meritum, ita & potuit mereri Angelis gratiam conſumatam.

1236 Ex dictis infero, gratiam & dona data primis parentibus in ſtatu innocentiæ fuiſſe ex meritis Chriſti, cum iam ante ipſa decreta in executione eſſet præuiſſus Redemptor.

ARTICVLVS IIII.

QVÆNAM GRATIA SIT IN CHRISTO gratia Capitis.

1237 DVplex eſt in Chriſto gratia, nempè gratia vnionis & habitualis. Difficultas eſt, quænam earum ſit ratio formalis, per quam Chriſtus conſtituitur in ratione capitis? Prima ſententia ait, eſſe gratiam habitualem. Tribuitur D. Thom. & alijs. 2. Vnionem hypoſtaticam. Ita Vazquez. 3. Aggregatum ex vtraque. Ita Suarez. 4. Aggregatum ex vnione & voluntate Dei decernente, vt Chriſtus ſit caput. Ita Bernal & alij Recentiores. Præmittendum tamen eſt, ſermonem poſſe eſſe, vel de ratione formali mouente Deum, vt Chriſtum conſtituat caput; vel de ratione formali, per quam in ratione capitis conſtituitur. His poſsitis.

1238 4. Sententia probari poteſt quoad vtramque partem. Quoad primam, nempè gratiam vnionis; non vero habitualem ſe habere vt rationem primam mouentem Deum vt Chriſtum faceret caput. Probatur. Tùm, quia ius Chriſti ad hanc dignitatem principaliſsimè fundatur in vnione, per quam erat homo Deus. Tùm, quia poteſtas influendi in membra requirebat merita infinita ex parte Chriſti. Et hoc fundatur in vnione. Tùm denique, quia antecedentèr ad gratiam habitualem & in priori ad illam, iam erat decretus Chriſtus caput: ergo propter gratiam vnionis. Antecedens probatur, quia decretus fuit propter redemptionem, vt reſtauraret homines & influeret in ipſos auxilia ad ſalutem. Si ergo gratia habitualis decreta eſt pro poſteriori, tamquam proprietas vnionis & intuitu vnionis, & vt faceret merita, quibus redemptionem perficeret, pro priori ante gratiam habitualem iam erat Redemptor & caput.

1239 Secunda pars, nempè quod ratio formalis, per quam Chriſtus conſtituitur caput hominum eſt voluntas Dei ita ſtatuens ex motiuo vnionis. Probatur, quia gratia vnionis & habitualis, ſe ſolis non determinant Chriſtum ad rationem capitis: ergo aliquid aliud, nempè voluntas Dei, quæ eſt forma tollens formalitèr illam indiferentiam. Antecedens probatur, nam ſi tres diuinæ perſonæ aſſumerent tres humanitates cum gratia habituali prædicta, nulla earum trium eſſet caput Eccleſiæ ſupremum (non enim poſſent omnes eſſe caput, quia vnū corpus cum triplici capite, & triplici voluntate, eſſet monſtruum) nec aliquis illorum hominum per ſe eſſet caput, quia non eſſet maior ratio vnius, quam alterius: ergo ſola vnio hypoſtatica cum gratia habituali non imbibit conſtitutiuum capitis: ergo ad hoc vt homo Deus ſit caput, præter has gratias requiritur aliqua alia forma determinans.

1240 Hæc ergo eſt voluntas Dei ſtatuens, vt Chriſtus influat & gubernet creaturas ſibi Theologicè vnitas. Vndè ſicut Sacramenta Eccleſiæ in ratione Sacramenti non dicunt ſolum ſpecies (v.g. in Eochariſtia) & Chriſtum, quia poterat vtrumque reperiri, quin eſſet ſignum conſtitutiuum gratiæ, nec Sacramentum; & proptereà præter vtrumque claudit formalitèr & eſſentialitèr in obliquo inſtitutionem, ſiue voluntatem Dei; ſic in Chriſto ratio capitis ob eandem rationem. Sed dices cum Vazquez, gratiam vnionis eſſe talis naturæ, vt ex vi & natura ſua conſtituat Chriſtum dignum, vt ſit caput & Redemptor. Sed contra ait Bernal, quia hoc ſolum probat, eam conſtituere Chriſtum in ratione capitis fundamentalitèr non vero formalitèr, niſi accedente volitione diuina auferente illam indifferentiam ſupra poſitam.

His

Digitized by Google

1241 His videtur addendum, gratiam habitualem eſſe de integritate capitis connaturalitèr ſumpti. Probatur, quia caput ſic ſumptum eſt potens connaturalitèr influere in membra; hoc habet Chriſtus ratione gratiæ habitualis tamquam influentis phyſicè in actiones meritorias, & ratione vnionis tamquam infinitè dignificantis illas. Vndè licet ſola vnio ſiue Chriſtus ſubſtantialitèr ob dignitatem vnionis ſit finis mouens Deum, vt det ipſi dignitatem capitis, tamen denominatio capitis, ſaltìm connaturalitèr potentis influere, non competit Chriſto præciſsè ratione vnionis, ſed quatenùs completur in ratione principij operatiui per gratiam habitualem. Vndè creditur, quod vtraque ſe habet quaſi fundamentalitèr ad denominationem capitis formalitèr reſultantem & conſtitutam ex volitione Dei.

1242 Aſſero 1. gratia habitualis non integralitèr, ſed formalitèr pertinet ad rationem capitis, licet requirat gratiam vnionis; tamen caput per gratiam habitualem ſummam Chriſti formalitèr conſtituitur. Ita docet D.Thom. art.5. hic. Probatur. Per illam gratiam conſtituitur formalitèr in ratione capitis, *quæ eſt formalitèr virtus influendi*, & per quam magis participat ſimilitudinem ſubſtantialem capitis naturalis humani reſpectu membrorum; ſed talis eſt gratia habitualis: ergo per illam conſtituitur formalitèr. Maior patet, quia caput myſticum ſolum eſt caput per ſimilitudinem & metaphoram & tanto erit perfectius, quanto magis aſsimilatur capiti naturali humano. Minor autem probatur, quia caput hominis eſt pars ipſius hominis vniuocè conueniēs cum reliquis partibus corporis, cum quibus conuenit homogeneè in ratione ſubſtantiali eſſendi: omnes enim partes ſunt ſubſtantialitèr eiuſdem naturæ ſpecificæ & caput ſolum ſuperaddit ſupra membra conditiones ſpeciales capitis. Hoc conſtat in corpore humano, vbi caput & membra non differunt in ratione formali ſpecifica, nempè anima rationali, ſed ſolum differunt quoad organa & accidentia; quæ omnia ſe habent quaſi accidentalitèr comparatiuè ad ſubſtantialem vnionem & homogeneam conſtitutionem ſpecificam talium partium.

1243 Vndè caput vniuocè conuenit cum membris ſpecificè & ſubſtantialitèr, licet ſuperaddat rationem influendi. Modò ſic, Chriſtus non ſecundum vnionem hypoſtaticam, ſed ſecundum gratiam habitualem conuenit ſubſtantialitèr & vniuocè (vniuocatione naturæ in ordine ſuperno, ſiue ſuper naturæ) cum hominibus & Angelis: ergo hæc præcipuè & formalitèr erit gratia capitis. Minor patet, quia, vt ſæpè dictum eſt, quod præſtat anima in ordine naturali, præſtat gratia habitualis in ordine ſuperno, & quia in ea conueniunt homines & Angeli ad ordinem ſupernum eleuati, ſumus eiuſdem naturæ in ordine ſuperno, non ſolum inter nos, ſed cum Chriſto.

1244 Confirmatur, quia Chriſto tribuenda eſt quanta ſit poſsibilis perfectio capitis: ergo tribuenda eſt ratio vniuoca cum membris. Sicut reperitur in corpore humano, & ſic eſt caput vniuocè. Dixi vniuocè, nam licet Deus ſit caput creaturarum rationalium, quia tamen non ſunt eiuſdem naturæ niſi participabilitèr & analogicè, non eſt caput vniuocum cum membris, nec poteſt eſſe, ſicut poteſt Chriſtus, quia habent conuenientiam vniuocam in natura.

1245 Requiritur autem præter conuenientiam ſubſtantialem cum membris ad rationem capitis, quod concurrant aliæ conditiones. Iſtæ ſunt ſuperioritas, eius perfectiones, & *virtus influendi in membra*; ſed hæ conditiones iam conueniunt gratiæ habituali Chriſti, ſi ſupponatur vnio hypoſtatica: ergo talis gratia poteſt eſſe formalitèr gratia capitis. Minor patet, quia gratia habitualis Chriſti inter omnes habituales eſt in primis tam perfecta & plena; quaſi Deus non eſſet daturus gratiam alijs, & proptereà dicitur, quaſi vnigeniti, plenitudo iſta gratiæ, Ioannis 1. Inſuper eſt *virtus influendi* in membra, quia eſt forma & principium, *quo* Chriſtus eliciebat operationes meritorias: & ideò dicitur quod de eius plenitudine omnes accepimus; etenim *Chriſtus non alitèr influit in membra, nec alitèr de eius plenitudine accepimus, niſi quatenùs fecit actus meritorios pro nobis, ſed tales actus fecit per gratiam habitualem, tamquam per virtutem & principium formale operatiuum*: ergo ipſa eſt virtus, ſiue principium influendi.

1246 Quia tamen, vt dixi, ad rationem capitis requiritur eminentia & ſuperioritas comparatiuè ad membra, hæc competit illi gratiæ ex eo quod ſit gratia Chriſti & proprietas vnionis, quam ſupponit, nam ex hoc capite gratia habitualis Chriſti reſpectu membrorum non ſolum habet exceſſum intenſiuum & entitatiuum ſupra gratias aliorum, qui non ſufficit pro ſuperioritate propria capitis, ſed vlterius habet ſuperioritatem quamdam ad alios tamquam Princeps & Rex, & propterea dictum eſt, gratiam vnionis prærequiri, vt gratia habitualis Chriſti ſit gratia capitis.

1247 Aſſero 2. gratiam vnionis etiam pertinere formalitèr proximè & immediatè ad rationem gratiæ capitis, ſed non tamquam ratio influendi, ſicut ipſa gratia habitualis in opera Chriſti, ſed tamquam ratio formalis & immediata dignificandi ipſa merita Chriſti. Declaratur hoc: nam in hoc ſenſu æquè primo & formalitèr ingreditur rationem influendi moralitèr (licet non efficientèr, ſicut gratia habitualis) formalitèr dignificatiuè. Patet, quia Chriſtus non alitèr influit in membra, niſi quatenùs eſt merens infinitus: non enim influit phyſicè & formalitèr in gratias membrorum, ſed mouendo Deum, vt illas nobis communicet; atqui merita Chriſti infinita in ratione meriti æquè primo indigent forma dignificante, ac principio phyſicè influente: ergo vtraque gratia, licet diuerſimodè & in diuerſo genere, ingreditur gratiam capitis, ſiue eſſentialia requiſita capitis. In hoc ſenſu diximus alibi principium ſatisfactionis in Chriſto in diuerſo genere coaleſcere ex humanitate & Verbo.

ARTICVLVS V.

ARGVMENTA.

1248 Dices: iuxtà hæc principia etiam gratiam Pauli poſſe eſſe gratiam capitis, quia eſt perfectio eminens & influens per ſua merita, & idem de gratia cuiuslibet iuſti eminentis. Reſp. negando, quia gratia Pauli, licet ſit eminens eminentia intenſionis & perfectionis; non tamen eminētia ſuperioritatis, quia nullum ius habet formale, aut radicale, vt ſit ſuperior alijs, ſicut habet illud gratia Chriſti, non propter intenſionem & plenitudinem entitatiuam, ſed propter modum habendi illam, nempè propter ius vnionis hypoſtaticæ, cui debetur ratione ſuæ dignitatis tamquam proprietas, & debetur ſuperioritas ſupra homines & Angelos. Vndè Paulus hodie dum influit per ſua merita, influit per modum rogantis & de congruo, non vero per modum præcipientis condigne & de iuſtitia merentis nobis, ſicut meretur nobis Chriſtus.

1249 Dices 2. gratia habitualis ſecūdum ſe eſt Chriſto ratio conueniendi cum membris: ergo non conſtituit caput, quod debet diuerſificari à membris. Reſpondetur diſtinguendo conſequens: Se ſola, concedo; ad iunctis alijs conditionibus, nego. Etenim in homine caput & membra eiuſdem ſubſtantiæ ſunt: quodlibet enim componitur ex eadem materia prima & anima rationali: diuerſitas autem ſumitur à quibuſdam requiſitis & diſpoſitionibus, v. g. ab organis vt conditione, per quæ poſsit munus capitis pars præcipua exercere, ſic in Chriſto gratia capitis in ratione ſubſtantiali gratiæ & virtutis merendi eſt eiuſdem ſubſtantiæ cum gratia membrorum, quin habeat aliam ſubſtantiam ad influendum; benè vero vnionem ad dignificandum, aliaſque capitis conditiones.

1250 Dices 3. poteſt Chriſtus vtramque habere gratiam, nempè habitualem & vnionem, quin eſſet caput &

ſic

ſatisfactor pro hominibus: ergo caput ſtat in alto. Reſp. concedendo antecedens de ratione proxima capitis (licet ſemper haberet ius in ſua dignitate fundatum, vt fieret caput, ſaltèm quando ipſe ſolus eſſet homo Deus & non alia perſona diuina) eget ergo aliquo alio, non quidem per modum nouæ gratiæ & virtutis ſubſtantialitèr, ſed per modum conditionis & requiſiti, v. g. voluntate diuina conſtituente Chriſtum fideiuſſorem & caput: & tunc poſsita hac conditione, gratia ipſa habitualis, iam ſupponens vnionem, ſine noua alia gratia eſt virtus ad exercenda munera capitis. Etenim eo ipſo haberet ſuperioritatem perfectionem, & virtutem, iuſque infinitè merendi & influendi pro nobis, imò & Patrē obligandi.

1251 Sic gratia habitualis apud plures, licet requirat vt conditionem voluntatem Dei adoptandi extraneū, tanquam proprium, eſt per ſe ipſam ratio formalis intrinſecè inhærens conſtitutiua filij adoptiui in nobis abſque noua forma. Dixi formalis non totalis reſpectu filij. Sic etiam ſcientia legum, quæ reperitur in aduocato eſt per ſe ipſam peritia iudicandi, quando iſte iam præſupponitur eleuatus voluntate Regia ad munus & officium Iudicis, etiam ſi non addatur alia peritia. Officium enim eſt quaſi fundamentum, vt peritia illa legum ſit ſcientia iudicandi. Similitèr igni per applicationem nihil additur de virtute comburendi, ſed ſolum de conditione ſine qua non poteſt proximè comburere. Qua tamen poſsita, per ſe ipſam eſt virtus exercens comburendi munus; ſic in gratia capitis, habitualis ſe habet, poſsita voluntate Dei faciente fideiuſſorem. Confirmatur, quia per gratiam habitualem, ſuppoſita vnione & voluntate Dei conſtituente Chriſtum fideiuſſorem, Chriſtus eſt principium vniuerſale libere & immanentèr operans ſua merita non vero per voluntatem, quæ quid extrinſecum eſt reſpectu Chriſti; non ergo voluntas Dei erit virtus, ſiue gratia propria capitis, cum per iſtam nequeat phyſicè libere exercere ſua merita per quæ, tamquam per media moralia, influat in membra.

1252 Vndè licet detur indifferentia in Chriſto, vt proximè ſit, vel non ſit caput, hæc indifferentia ſolum eſt penes conditiones ad gratiam capitis, non vero penes virtutem ſubſtantialem propriam capitis ſuppoſitis conditionibus. Quoties dico, hęc eſſe intelligenda poſsita vnione, gratiam habitualem eſſe capitis, ſemper intelligo debere etiam ingredi vt compartem & formam dignificantem merita & ſatisfactiones, vt euadant valoris ſimplicitèr infiniti.

1253 Inſuper nota valdè, me locutum fuiſſe de *gratia capitis*, non vero *de capite vt complctè. Caput eſt*, quia primò modo ſumitur pro principio & virtute dignificata ad meritum infinitum. Secundò ſumitur non ſolum pro gratia, ſed pro conſtitutiuo eſſentiali totali proximo capitis, vt dicentis ius proximum influendi & fundamentum illius muneris, ſiue officij, ſicut aliud eſt loqui de forma hominis, aliud de homine, vt eſſentialitèr completo totalitèr. Sicut autem caput humanum in hoc ſenſu formalitèr & eſſentialitèr organa capitis, & ignis ſumptus, non pro ſola virtute comburendi, ſed pro combuſtiuo, proximè imbibit etiam approximationem, ſic Chriſtus vt caput diuinam voluntatem, ſicut etiam vt fideiuſſor, & ſicut Iudex prout talis conſtituitur per voluntatem Regiam modo explicato.

1254 Dices tandem, potuit homo purus de potentia abſoluta eſſe caput hominum, ſicut & Adam in ſtatu innocentiæ: ergo non requiritur vnio hypoſtatica. Reſpondetur concedendo totum, ſi homines non eſſent in peccato, ſed vel in gratia, vel in pura natura. Secùs eſt rebus prout nunc, quando requiritur ſatisfactio valoris ſimplicitèr infiniti pro offenſa.

DISTINCTIO VI.

DE MVLTIPLICI SCIENTIA Chriſti.

MVLTIPLEX eſt ſcientia, de qua diſputatur, an & quomodo fuerit in Chriſto? nempè ſuperna in ſubſtantia per ſe infuſa. 2. Naturalis in ſubſtantia per ſe infuſa, quia licet ſit naturalis, habet ex ſe operari independentèr à phantaſmatibus inſtar Angeli, vel animę ſeparatæ. 3. Per ſe adquiſibilis, id eſt, nata ex ſe adquiri per proprios actus (ſiue de facto & de per accidens fuerit infuſa ſicut Adamo, ſiue non.) 4. eſt experimentalis quæ per ſenſuū experientiam adquiritur. Vltima eſt ſcientia beata, ſiue viſio beatifica.

QVÆSTIO XXVII.

DE SCIENTA CHRISTI BEATA.

ARTICVLVS I.

ALIQVIBVS PRÆMISSIS SCIENTIA BEATA aſſeritur.

1255 POno primò tamquā de fide, vel fere: fuiſſe in intellectu Chriſti cognitionem, ſiue operationem creatam diſtinctam à ſcientia increata Verbi. Patet; tùm, quia concilia contra Monotelitas ſæpè aſſerunt, manſiſſe in Chriſto non ſolum duas naturas, ſed etiam vtriuſque naturæ proprietates, & operationes. Tùm, quia ſicut conſtant ex Euangelio in Chriſto triſtitia & timor qui ſunt operationes ſolius voluntatis creatæ, ita conſtant oratio, admiratio, & alij actus ſolius intellectus creati.

1256 Statuo ſecundò, fuiſſe in Chriſto ſcientiam per ſe infuſam in ſubſtantia ſuperna. Patet, quia ſi datur in beatis ad ſupernas nouas operationes (ad quas requiritur noua ſuperna cognitio dirigens, quæ non poteſt eſſe viſio beata, cum iſta ſit inuariabilis) multo melius ad amorem Dei meritorium dabitur in Chriſto; & quia etiam fuerunt in illo nouæ operationes ſupernæ voluntatis & intellectus. Sed de hac ſcientia latè qua ſt. ſeq.

1257 Statuo tertiò, etiam fuiſſe in Chriſto ſcientiam naturalem per ſe infuſam. Probatur. Tùm, quia hæc ſcientia eſt magna perfectio intellectus naturalitèr ſumpti, ſiquidem per eam noſcuntur obiecta naturalia, modò multò perfectiori, & ad inſtar Angeli. Tùm, quia per nullam aliam ſcientiam naturalem poterat Chriſtus cognoſcere eſſentiam Angeli & intuitiuè in ſe ipſo. Inſuper quia hæc ſcientia non repugnat cum alijs.

1258 Aliqui tenent talem ſcientiam reſpectu Chriſti eſſe ſupernaturalem quoad modum, cum ſit propria animæ ſeparatæ, & non conueniat animæ vnitæ: huic enim debetur cognitio ſolum dependens à phantaſmatibus. Sed ſi ſermo ſit reſpectiuè ad humanitatem ſecundum ſe, benè dicūt, ſecùs reſpectiuè ad illam vt vnitam Verbo. Sic enim ei ratione vnionis omnis perfectio eſt debita.

1259 Statuo quartò, fuiſſe in Chriſto ſcientiam per ſe adquiſitam. Ratio eſt, quia talis ſcientia eſt perfectio intellectus vt naturalitèr operatiui dependentèr à phantaſmatibus. An autem eam habuerit per infuſionem à primò inſtanti vt Adamus, an vero per adquiſitionem & per propria exercitia, infrà dicemus. Solum aduerto, obiectum huius ſcientiæ eſſe aggregatum omnium veritatum naturalium ſpectantium ad omnes ſcientias na-

Digitized by Google

tutales v.g. Metaphyſicam, phyſicam, &c. & ad intellectum naturalem perfectiſsimum prout in carne, qualis erat intellectus Chriſti. Vndè erat ſummus phyſicus, ſummus Metaphyſicus, &c.

1260 Tandem ſtatuo, fuiſſe in Chriſto ſcientiam experimentalem ab ſpeciebus per ſenſuum miniſterium acceptis. Vndè dixit Paulus de Chriſto, quod didicit ex ijs, quæ paſſus eſt, obedientiam. An autem experimentalis diſtinguatur à ſcientia per ſe adquiſita? Infra de hoc aliquid.

Adde ad ea quæ num. 1258. conceſsimus, nempè ſcientiam infuſam naturalem ad cognoſcendum Angelum eſſe ſupernaturalem quoad modum reſpectiuè ad humanitatem Chriſti ſecundùm ſe; ſecùs reſpectiuè ad illam vt vnitam Verbo, quia ratione vnionis omnis perfectio ei debita eſt: Adde, inquam, etiam eſſe debitam attento ſtatu Beatifico eleuante animam ad operandum plura independentèr à corpore, vt per illam ſcientiam ſine dependentia à phantaſmatibus ſubſtantias ſpirituales in ſe ipſis cognoſcat.

1261 Difficultas autẽ huius articuli propria eſt de ſciẽtia beata. Sed certũ eſt habuiſſe illam, id eſt, claram Dei viſione. Eam habuiſſe ſaltim poſt mortem eſt de fide, quia eam habent omnes homines ſtatim poſt mortem, ſi nullo reatu culpæ aut pœnæ detineantur. Item habuiſſe eam ante paſsionem & mortem eſt ita certum, vt contrarium ſaltim ſit temerarium & errori proximum. Vt docet Suarez: imò eam habuiſſe à primò inſtanti ſuæ conceptionis, Patres & Theologi conſentiunt; quia cum eſſet ſubſtantialitèr filius Dei, ratione illius ipſi debebatur iſta perfectio, vt eius anima eſſet perfectè beata.

1262 Obijci poteſt 1. ex Scriptura, Chriſtum propter paſsionem intraſſe in gloriam ſuam. Reſp. ſermonem eſſe, non de gloria animæ, ſed corporis & exaltatione ſui nominis. 2. In eius voluntate fuiſſe maximam triſtitiã, & verum metum ante paſsionem. Ex veritate enim iſtorum actuum probauit ſexta Synodus dari in Chriſto veram voluntatem creatam. Hæc autem incompoſsibilia ſunt in eadẽ potentia voluntatis cum ſummo gaudio; atqui ſi ante paſsionem haberet viſionem beatam, non poſſet non habere ſummum gaudiũ, quia neceſſario ſequitur ex illa: ergo non habebat viſionem beatam. Reſpondetur ex ſententia D. Thom. quam optimè explicat & ſequitur noſter Cornejo, & etiam tenet Suarez, non eſſe incompoſsibilia diuinitus, quãdo ſunt de diuerſis obiectis (imò nec de eodem ſub diuerſis motiuis) ac per conſequens non habent eſſentialem oppoſitionem, ſed connaturalem: Ratione nempè effectuum, quos ſecundario cauſant naturalitèr, nempè quietis & anxietatis, quorum primus impediri potuit à Deo, vt triſtitia ſuos effectus ſortiretur comprimendo cor, quod gaudium laxare ſolet naturalitèr.

1263 Tertiò poteſt obijci: Eſſe beatum & viatorem opponitur, ſed Chriſtus vſque ad mortem fuit viator vt mereretur: ergo non beatus. Maior probatur, quia beatus in termino eſt, & viator in via; ſed repugnat idem nũ[?] introductum eſſe in via & termino ſimùl: ergo. Nego maior. Ad probat. nego minor. quia non repugnat per diuerſos actus intentionales, quia hoc non eſt eſſe in duplici loco phyſicè idem corpus, ſed intellectum repetire duplex obiectum habendo ſibi vnum, nempè Deum per viſionem & procurando nobis illum per actus alios meritorios. Sicut nec repugnat intellectum per vnum actũ immediatè aliquid videre & per alium diſcurrere, vt probet veritatem eius per aliam cognitionem. Explicatio declaratiua poteſt eſſe v.g in homine, qui ſecundum vnum pedem eſt in vno loco & ſecundum alium tendit ad illum, vt ſupra quæſt. de fide.

1264 Sed quas videt Chriſtus in Deo diuinas perfectiones? Reſpondeo vt certum videre eſſentiam Dei, videre etiam clarè & quidditatiuè omnia attributa neceſſaria & perſonalitates quaſi ſummariè ſaltìm, certum eſt, quia omnes illę perfectiones ſic ſumptæ pertinent ad beatitudinem obiectiuam eſſentialem & ad pulchritudinem quaſi ſpecie phyſica eſſentiali integrandam. Quod non habet eminentia quælibet in particulari. Ideo quamvis aliquæ eminentiæ in particulari non videantur, debent videri attributa.

ARTICVLVS II.

AN CHRISTVS VT HOMO COMPREhendat Deum.

1265 ASSero cum cõmuni ſententia nõ comprehendere. Ita Boneſpei diſp. 10. num. 36. Imò nec poſſe. 2. pars deducitur ex prima, quia ſi poſſet deberetur ei, cum ſit perfectio non repugnans cum fine Incarnationis. 1. pars probari poteſt. Tùm, quia ſcriptura ſæpè Deum clamat incomprehenſibilem & ſic intelligitur ſtrictè à Patribus. Tùm, quia in Concilio Baſilienſi ſeſſion. 22. damnatur hæc propoſitio: *Anima Chriſti videt Deum tàm clare, & intenſe, quàm clare, & intenſe Deus videat ſeipſum*: ergo non attingit Deum cum tota claritate excogitabili, ſiue quæ adæquet Deum, quod requiritur ad comprehenſionem.

1266 Tùm ratione, quia comprehenſio Dei eſt differentia proprijſsima ſcientiæ Dei, quæ diuina ſcientia ſpecialiſsimè & plenè differt ab alijs attributis; differentiam autem proprijſsimam vnius attributi abſurdiſſimum eſt tribuere creaturæ. Sicut abſurdiſsimum eſt tribuere omnipotentiam, ſiue virtutem operandi per influxum omninò adæquatum atque independentem ab omni alia concauſa.

1267 Dices 1. differentiam ſcientiæ Dei non eſſe quamlibet comprehenſionem, ſed comprehenſionem Dei *à ſe*, quod non competeret viſioni Chriſti, quia non eſſet *à ſe*: ergo noſtra ratio non vrget. Item nec concilij authoritas, quia interpretari poteſt, quod neget æqualitatem in claritate ſubſtantiali. Item nec authoritas ſcripturæ, quia ſicut vocatur incomprehenſibilis, etiam inuiſibilis, & vtrumque poteſt interpretari de inuiſibilitate per vires naturæ.

1268 Sed contra 1. quia falſum eſt rationem comprehenſiui *à ſe*, eſſe differentiam attributi, quia hoc dicit ſimùl differentiã & genus competens omni attributo. Sola enim ratio comprehendendi Deum eſt differentia ſpecialiſsima ſcientiæ reſpectu aliorum attributorum. Contra 2. quia eo ipſo quod ſit comprehenſio Dei eſt formaliſsimè infinita ſubſtantialitèr in ſuo genere, quia habet differentiam claritatis, per quam diuina ſcientia differt ab alijs attributis: quæ claritas eſt formaliſſimè immenſum pelagus ſine aliquo limitè; & ſic infinitum, & iam infinitum quoad claritatem, quàm ipſe Deus ſiquidem debet adæquare Deum, quantum per cognitionem adæquabilis eſt: ergo ſi iſta competeret Chriſto, competeret differentia ſpecialiſsima ſcientiæ Dei.

1269 Reſp. 2. non repugnare creaturæ hanc differentiam ſpecialem diuini attributi, ſi non ſit *à ſe* ſed contra. Tùm 1. quia iuxtà dicta quęſt. de Gratia habituali, loquendo de ſpecialibus incohationibus per legitimas conſequentias ſequitur Aſſeitas ex differentia propria attributi Dei. Tùm 2. quia ſi non eſt *à ſe*, ſed ab alio, eſſet monſtrum ex differentia propria Dei & genere creaturæ, vt ſæpè dictum eſt. Tùm 3. quia eodem pacto poſſes creaturæ concedere influxum cauſæ primæ, imò omnia attributa & perfectiones & infinitates Dei quoad proprias differentias adæquatas (dempto ly *à ſe* & addendo *ab alio*) ridiculum autem eſt, quod auis habeat ſpecialem virtutem volandi, quæ ſit alijs incommunicabilis, & quod Deus non habeat ſpeciales in ſuis attributis & proprietatibus differentias ita ſuas, vt nequeant creaturæ vlli conuenire.

1270 Confirm. quia ſic etiam poſſet concedi creaturæ attributum ſimplicitatis in vno genere. Nempè quod identicè eſſet & per ſe ipſam ſua cognitio (imò & comprehenſio hæc à vobis admiſſa) & ſua volitio, & quod

eſſet per ſe ipſam libere volens per nouam terminationem, ſicut Deus & ſine nouo actu. Si neges, quia ſequeretur, quod creatura illa eſſet immutabilis. Contra, quia ſolum eſſet immutabilis partialitèr & in aliquo genere; non verò eſſet *à ſe*, ſed ens ab alio ſimplex & immutabile in vno genere licet propriiſſimo Dei. Adde, quod etiam poſſet fingi creatura vna & Trina, habenſque per participationem adæquatam omnia propriiſſimè Dei, quo quid abſurdius?

Et tandem roboramus, quia creaturam ex ſe impeccabilem & ex ſe beatam in materia de viſione manuſcripta diſp.6.ſect.1. ideò cum communi ſententia negauimus, quia eſſe ex iure innato & per naturam fœlicem, beatum, & ſanctum eſt de prædicatis Dei in gradu incohato proprijs (creaturæ enim per gratiam & Dei fauorem cõpetere ſolum poſſunt) quæ prædicata licet immediatè non præſeferant quoad nos, quod illa creatura eſſet Deus & ens *à ſe*, ſequitur tamen mediatè per legitimas conſequentias, ſicut ex volatu per naturam infertur, quod ſit auis (quod non ſequitur ex volatu per fauorem & miraculum). Item ex valore ſimplicitèr infinito in genere ſolo meriti (non enim actus Chriſti eſt infinitus in omni genere cum ſit creatura & accidens in ſe) infertur infinitas ſimplicitèr in merente: ergo ex infinitate entitatiua in vno genere, v.g. in comprehendendo Deum, vel in poſſe ad infinitas creaturas, licet non inferatur clare & immediatè Deitas, benè mediatè & per conſequentias, ſicut ex apparatu Regio, vel aliqua ſpeciali Regis Regalia habita per ius (licet ſolum ſit Regalia in vno genere) infertur dignitas Regia.

1271 Ad oppoſita reſpondetur & ad 1. de authoritate Scripturæ, ly *incomprehenſibilem* ſecundum ſe fateor poſſe interpretari, ſicut *inuiſibile*, quia tamen intelligentia ſcripturæ non eſt ſumenda tantum ex corticè literæ, ſed adiungendus eſt ſenſus Sanctorum Patrum & Theologorum, ideò ly *incomprehenſibile* non poteſt niſi ſtrictè intelligi reſpectu quarumcumque virium, quia iſte eſt communis ſenſus PP. & Theologorum, vt probat Ruiz tom. de Scientia Dei diſp.6. ſect.2.

1272 Ad ſecundum de loco concilij. Supponendæ ſunt duæ ſententiæ de comprehenſione. Vna ponit comprehenſionem in adæquatione intentionali obiecti noſcente obiectum quantum cognoſcibile eſt. Altera præter hoc requirit perfectionem entitatiuam & ſubſtantialem æqualem in comprehenſione cum ipſo obiecto. Dico tamen, quod hæc æqualitas entitatiua, licet vera ſit in comprehenſione Dei, eo quod nulla poſsit dari cognitio habens tantum de penetratiua Dei, quantum Deus habet de penetrabili, niſi cognitio diuina ſubſtantialis, id tamen generalitèr non iudico verum. Sufficit enim ad comprehenſionem talis penetratio & æqualitas intentionalis cum obiecto, vt nihil de obiecto lateat cognoſcentem. His poſitis.

1273 Reſp. ad illud de concilio, quod iuxtà ſecundam ſententiam de æqualitate entitatiua, clarè conſtat, quod repugnet animæ Chriſti comprehenſio Dei. Addo quod debet repugnare etiam iuxtà primam & iuxtà illam loqui concilium. Negat enim æqualitatem claritatis & adæquationis intentionalis, vt indicant illa verba, *tàm clarè & intensè*. Claritas enim & intenſio non ſpectant ad lineam entitatiuam vt talem, nec ad ſubſtantialem vt talem, quia ſubſtantiæ non conuenit intenſio, ſed qualitati. Sumpſit enim concilium metaphoram, ſiue analogiam à claritate cognitionis creatæ, quę ab intenſione ſolet fieri clarior. Negat, ergo æqualitatem claritatis inter cognitionem Chriſti & diuinam de obiecto beatifico.

1274 Modò ergo arguo ſic: cognitio diuina eſt æqualiſſima obiecto cognito, ſiue Deo in ratione cognoſcibilis, quin ſuper excedat illum, ſed æqualitèr ſe habeat, ita vt Deus tantum habeat de cognoſcibili & non plus, quantum cognitio habet de cognoſcente. Tanta enim eſt cognoſcibilitas, quanta cognitio, & tanta eſt cognitio, quanta cognoſcibilitas: ergo ſi cognitio Chriſti non eſt tanta, quanta cognitio Dei, vt inquit concilium, nec erit tanta, quanta eſt cognoſcibilitas Dei. Si autem non adæquat cognoſcibilitatem Dei, non poterit eſſe comprehenſio ipſius. Hæc ratio magnam vim habet ſuppoſita omnimoda æqualitate inter diuinam cognitionem & cognoſcibilitatem.

1275 Sed dices: iuxtà hanc ſolutionem negandam eſſe Chriſto comprehenſionem vnius muſcæ, quia Chriſtus non noſcit muſcam tam clarè & intensè, quàm ipſe Deus noſcat. Reſpond. negando ſequelam, quia cognitio Chriſti de muſca licet non adęquet in claritate claritatem Dei de illa, adęquat tamen intrinſecam totam cognoſcibilitatem formalem & virtualem ipſius muſcæ. Claritas autem Dei de muſca eſt ſuper excedens muſcę cognoſcibilitatem. Vndè in Deo de muſca non eſt ſolum comprehenſio, ſed ſuper-comprehenſio. Cognoſcibilitatem autem diuinam cognitio Dei non excedit, ſed eſt omninò æqualis. Vndè ſi Chriſtus cognitionem nõ ęquat, nec æquat cognoſcibilitatem Dei, nec erit eius comprehenſio.

1276 Sed obijcies 1. non repugnat animæ Chriſti videre viſione increata, ſibi vitalitèr per intellectionem, ab ipſa productam vnita: ergo nec comprehendere Deũ. Nego conſequentiam, quia tunc viſio increata vt ſpecies expreſſa communicaretur ei non omnimodè, ſed iuxtà eius obedientialem capacitatem.

1277 Obijcies 2. teſtimonium illud D. Iſidori ſemper difficile: *Trinitas ſibi ſoli nota eſt, & humanitati aſſumptæ.* Non autem loquitur de notitia viſionis, quia ſic etiam eſt nota Angelis, ergo de notitia comprehenſionis. Quidam volunt teſtimonium hoc eſſe corruptum. Reſp. 1. fortè loqui de notitia fundata in iure ſubſtantiali filij proprij. Sic enim non competit Angelis, vtpotè filijs adoptiuis. Reſp. 2. fortè loqui de Trinitatę quoad ſecreta cordis. Sic enim ſolus Chriſtus noſcit plenè Deum, de quo art.4. Reſp. 3. & meliùs, loqui de notitia plenè penetratiua Dei, quantum penetrari poteſt, attenta cum proportione capacitate cognoſcentis. Deus enim ſe penetrat quantum poteſt, ac per conſequens comprehenſiuè: Chriſtus vero plenitudine iuxtà taxam, ad quã nulla creatura peruenire poteſt de lege ordinaria. Et earum viſio comparatiuè ad viſionem Chriſti eſt notitia tam exigua, vt lux candelæ comparatiuè ad ſolem, ideò Trinitas dicitur nota ſoli humanitati.

ARTICVLVS III.

QVÆNAM POSSIBILIA EX VI VISIONIS videat Chriſtus in Deo.

1278 NOta 1. ly, *ex vi viſionis*, ſumi poſſe duplicitèr. 1. Formalitèr. 2. Cauſalitèr. Formalitèr noſcitur ex vi viſionis, quod per ipſam attingitur attingentia repreſentatiua eius intentionalitèr, ſiue directè, ſiue indirectè. Sic ſi omnipotentia referatur tranſcendentalitèr ad creaturas videns illam in ſe ipſa beatus, attingit iſtas in illa, ſiue in cõnexione illius ad iſtas & attingit immediatè immediatione attingentiæ, licet non immediatione obiecti, nec excludendo medium ex parte obiecti. Vndè illa viſio eſt cognitio intuitiua omnipotentiæ & vt viſio omnipotentiæ directa eſt cognitio abſtractiua & indirecta creaturarum. Fortè tamen nõ eſt viſio earum, quia attingit illas in medio.

1279 Illud autem noſcitur ex vi viſionis cauſalitèr, quod non directè, nec indirectè per viſionem attingitur. Poſtulat tamen ipſa viſio, vt detur alia cognitio diuerſa ſcientiæ infuſæ, per quam tale obiectum attingitur. Quæſtio autem huius tractatus propria eſt, quid cognoſcat Chriſtus ex vi viſionis beatæ, ſiue formalitèr, ſiue cauſalitèr, quia hoc parum intereſt pro nunc, vt aduertit Lugo.

1280 Videre plures creaturas poſsibiles formalitèr ex vi viſionis in omnipotentia, certum eſt in communi ſententia, ſi hæc connectatur cum poſsibilibus & idem

eſt

Digitized by Google

eſt de ſcientia & volitione neceſſarijs Dei. Probatur: Cognitio neceſſaria (idem de eminentia) poſſibilitatis vnius mundi, diuerſa eſt omninò metaphyſicè à cognitione alterius, vt conſtat ex definitione vtriuſque: ergo Chriſtus videns in Deo tales tendentias & eminentias clarè vt diuerſas, noſcit in illis connexiones ad ſuos terminos, ac per conſequens poſſibilitatem eorum. Quod confirmatur à paritate decretorum: nequit enim Chriſtus videre in Deo prædeſtinationem Petri, & reprobationem Iudæ, vt efficaces & diuerſas, niſi videat in illis ſaluationem Petri & damnationem Iudæ, vt diuerſas & futuras.

1281 Maior eſt difficultas, àn Chriſtus in ſcientia, vel omnipotentia poſſibilia omnia videat? Communitèr negant Thomiſtæ, quia aſſerunt eo ipſo fore, vt comprehendat omnipotentiám Dei. Nequit enim omnia poſſibilia noſcere clare in omnipotentia, niſi in illa noſcat clare & quidditatiuè omnes eminētias omnium poſſibilium. Hoc autem eſt omnipotentiam comprehendere, quia ipſa nihil aliud eſt, quam omnes poſſibilium eminētiæ. Si autem omnes has noſcat quidditatiuè & iuxtà omnes earum terminos, noſcit omnipotentiam quantum ipſa cognoſcibilis eſt.

1282 Hoc autem repugnat. Tùm, quia ſemel comprehenſa omnipotentia, etiàm poſſet comprehendi ſciētia, cum non ſit maior ratio, & idem de quovis alio attributo, ac per conſequēns & ipſe Deus. Tùm, quia comprehenſio omnipotentiæ deberet eſſe omninò ens ſimplicitèr infinitum ſummū, æquè ac quodlibet Dei attributum: ergo repugnat reperiri in aliqua creatura. Antecedēs patet, quia deberet habere tantum de cognoſcenti, quantum omnipotentia de cognoſcibili: ergo ſicut iſta eſt tàm ſimplicitèr infinita in ſua cognoſcibilitate, quantum ipſe Deus, etiàm comprehenſio in ſua claritate deberet æquari claritati infinitæ & ſummæ Dei.

Reſpondent aduerſarij, negando fore comprehenſionē, quia adhuc non noſceret omnipotentiam adæquatè ad ſuam cognoſcibilitatem, ideſt, cum tota claritate, quā omnipotentia cognoſcibilis eſt; ſed ſi ratio omnipotentiæ vt talis ſtàt in omnibus eminentijs ſimùl ſumptis & iſtæ cognoſcuntur quidditatiuè, ac per conſequens vt connexiones cum omnibus formalitatibus omnium creaturarum vt talibus, talis cognitio videtur eſſe tanta in ſua claritate, vt nihil de omnipotentia ſecundum differentiam ſuam productiuæ ad extra lateat cognoſcentem: ergo eſt comprehenſio. Vel eſt tàlis claritas, vt ſit pelagus claritatis, tam proprium diuinæ cognitionis in illo gradu quaſi remiſſo & incohato comprehenſionis, vt ſuperexcedatur omninò limites creaturæ.

1283 Contraria ſententia admittitur à multis Recentioribus. Tùm, quia talis viſio cedit in magnam gloriam Chriſti, & non apparet ratio vrgens propter quam repugnet, cum non ſit comprehenſio totius Dei: poteſt enim apud ipſos cōprehendi vnū ſine alio, imò nec totius omnipotētiæ ſi non comprehendat aſſeitatem, ſed virtutem ad extra. Imò nec iſtius erit comprehenſio ſi noſcat omnes creaturas, quin eas omnes comprehendat. Vide art. 5. Hic.

1284 Tùm, quià licet afferri ſoleat cenſura Inquiſitorum contra Arnaldum de Villanoua dicentem, vt refertur in directorio Inquiſitorum 2. par. quæſt. 3. *Animam Chriſti ſcire omnia, quæ Deus ſcit.* Reſpondent aliqui, vt Lugo, eam cenſuram factam eſſe inconſulto Papa, vt ibi refertur & numquam fuiſſe approbatam ab aliquo concilio. Inſuper, quia non fuit damnata illa propoſitio nudè, ſed vt coniuncta cum ratione qua nitebatur, nempè, *animam Chriſti noſcere omnia quæ Deus, quia non poteſt alitèr vnio hypoſtatica conſiſtere, & cognitio non pertinet ad naturam, ſed ad ſuppoſitum.* Ratio autem iſta falſiſſima eſt ſapiens errorem Monotelitarum.

1285 Vtramque ſententiam propoſui; deciſſio autem potius pertinet ad materiam de viſione. Nunc ſolum dico, admittendam in Chriſto talem viſionem, ſi poſſibilis ſit. Quę tamen poſſibilitas difficilis mihi eſt licet pars negans poſſibilem non videatur ſufficientèr probari, niſi per rationem à nobis ſæpè inſinuatam, nempè quia eſſet ſpecialiſſima incohatio diuini attributi. Rationes autem, quæ alij afferunt, non videntur ſatis efficaces, vt videbimus Deo dante (contra adductas à Gonet) in tractātu de viſione.

1286 Quæritur 2. an noſcat infinita in omnipotentia: Affirmò, quia iſta cognitio, nec eſt comprehenſio Dei, nec eſt vndè repugnet, non loquor de infinitis ſpeciebus, quia intuitio earum fortè petit perfectionem eſſentialem infinitam. De quo & alibi diſſerendum eſt. Loquor ergo de infinitis ſaltèm indiuiduis, quod ſi obijcias, indè ſequi, etiam noſcere omnia poſſibilia & omnes eminentias, quia omnipotentia eſt vna indiuiſibilis formalitas. Nec videtur poſſe per propriam ſpeciem omnipotentiæ videri vna eminentia abſque alia, quia eſſet contradictio in eadem formalitate. Reſpondeo, poſſe noſci omnipotentiam vt ſic, quin expreſsè noſcātur ſecundarium omnipotentiæ in ordine ad omnia, ſiue id fiat per ſpeciem impreſſam, ſiue per ipſum Deum applicatum loco ſpeciei, ſicut modò clare oculus intuetur albedinem in ſe ipſa in ordine ad vnum connotatum & non in ordine ad omnia.

1287 Dices: beatus clare videt omnipotentiam: ergo vt eſt omnipotentia; ſed nequit videri, vt eſt omnipotentia, quin videatur clare ordo ad creaturas omnes in particulari: ergo nec quin iſtæ clarè noſcantur. Etenim ſi quia clarè noſcitur ordo, clarè aliquæ noſcuntur, ſi clarè noſcitur ordo ad omnes, clarè omnes noſcuntur. Minor autem probatur, quià omnipotentia, ſi clarè noſcatur, noſci debet, vt eſt ordo ad omnes in particulari, ſed clarè noſcitur vt omnipotentia: ergo. In intelligibile namque eſt, quo pacto videatur omnipotentia, quin videatur vt eſt ad omnes creaturas potentia.

1288 Reſp. Omnipotentiam (idem de alijs attributis) duplicitèr ſumi poſſe loquendo metaphyſicè. 1. eſſentialitèr & primariò. 2. quaſi integralitèr & ſecundariò, ſiue ſecundum rationes ſecundarias & ſolùm integrantes: primum ſtat in eò quòd omnipotentia ſit independens & potens ad quidquid non repugnát. Sicut principium metaphyſicum hominis eſt, quod ſit principium omnis diſcurſus ſibi poſſibilis vt ſic. Quod verò omnipotentia extendatur per varias potentias ad hanc, vel illam creaturam pertinet ad ſecundarium & quaſi ad integritatem omnipotentiæ, ſicut & quod homo poſſit diſcurrere determinatè circa hoc, vel illud obiectum non eſt de metaphyſico hominis primario conceptū, ſed de integrali. Benè ergo poteſt omnipotentia videri, quin in illa exprimantur clare omnes creaturæ, ſi nempè primarium videatur claré & intuitiuè, & ſecundarium confuſè.

ARTICVLVS IIII.

QVOS ACTVS LIBEROS DEI VIDEAT.

1289 Reſpondeo 1. Chriſtum viderè plurès actus liberos Dei. Probatur, quia videre illos eſt eſſe participem conſiliorum Dei & ſecretorum cordis, quod honorificentiſſimum eſt animę Chriſti & cùm ex hoc non ſequatur aliqua repugnantia, concedi debet Chriſto, ſicut multa dona conceduntur à Theologis ex hoc capite; àn vero comprehendat illos diſſidium eſt. Nego autem, quia cum actus liber Dei coaleſcat ex entitate neceſſaria Dei & ex determinatione ad extra, vel aliquo alio, nequit actus liber comprehendi, quin vtraque comprehendatur, ſicut nequit homo comprehendi, quin corpus & anima comprehendantur, entitas autem Dei nequit comprehendi.

1290 Præcipua difficultas eſt, quos actus videat? Reſpondent Recentiores aliqui, vt Bernal, ſolùm videre actus, qui decretum de viſione præcedunt, ſed ſolum quę ſubſequuntur. Vndè negant de decreto permittendi peccata, quæ ipſum Chriſtum beatum ſupponunt.

Du-

Digitized by Google

1291 Ducuntur 1. quia obiectum debet eſſe prius viſione, atqui iſtæ permiſsiones diuinæ de peccato infidelitatis, v. g. contra viſionem earum, quę decreta ſunt poſt viſionem: ergo nequeunt eſſe obiectum ipſius. Maior patet, quia cognitio intuitiua, ſiue viſio nequit eſſe niſi de obiecto vt exiſtenti: ergo obiectum debet præcedere viſionem. 2. quia obiectum influit in viſionem per ſe, vel ſpeciem ſui: ergo debet eſſe priùs viſione.

1292 Nota 1. duplicem eſſe præcedentiam, vnam ordine intentionis, & aliam ordine executionis & benè poteſt aliquid eſſe prius alio in exiſtere, quod tamen ſit poſterius in decerni. Sic merita Virginis & Patrum fuerunt reſpectu Chriſti priora in exiſtere ad producendum Chriſtum, poſteriora autem in decerni. Similitèr poteſt Deus decernere, vt Petrus videat lumen, ſiue vt Petrus ſtudeat cum lumine & propterea decernere exiſtentiam luminis. Vnde prius eſt à *quo*, decretum de viſione luminis quam de eius exiſtentia, ſiquidem ideò decreuit exiſtentiam luminis, quia decreuerat viſionem luminis cuius exiſtentia & influxus erat requiſita ad exiſtentiam viſionis.

1291 Nota 2. pro præcedentia obiecti in exiſtere reſpectu viſionis, obiectum dupliciter poſſe ſe habere reſpectu illius. 1. vt cauſa & vt ſpecies impreſſa mouens & influens. 2. vt purus terminus. Quando ſe habet primò modo, debet eſſe prius in exiſtendo, ſecùs quando ſecundò modò. Patet, quia Pater Æternus videt intuitiuè Spiritum ſanctum, qui tamen nullam habet præcedentiam in exiſtere reſpectu Patris, quia ſe habet vt purus terminus, & ob eandem rationem ens rationis non eſt prius cognitione eff ctricè in exiſtēdo, quia non ſe habet vt influens, ſed vt terminans. Vndè licet cognitio pendeat à tali obiecto, pendet ſolum tanquam ab aliquo poſteriori. His ſuppoſitis.

1294 Aſſero Chriſtum per viſionem beatam videre omnia Dei decreta, tàm præcedentia, quàm ſubſequentia. Ita D. Thom. dum aſſerit Chriſtum videre omnia futura in Verbo, id eſt, in actibus liberis Dei. Probatur, quia hoc maximè decet Chriſtum ſi non repugnet; atqui nulla eſt repugnantia, vt conſtabit: ergo. Minor probatur, quia nec obſtat incomprehenſibilitas Dei, cum ex hoc non ſequatur Dei comprehenſio. Nec obſtat poſterioritas decretorum: ergo nihil obſtat.

1295 Minor probatur. Quia vel iſta decreta debent influere per modum obiecti & ſpeciei impreſſæ phyſicè in viſionem beatam, vel non debent influere, ſed terminare? Si primum, ſufficit prioritas in exiſtere, quam iam habent, ſiquidem exiſtunt ab æterno. Vndè decreuit Deus talem viſionem beatam in Chriſto, quæ videret, vt cauſam ſuam decreta permiſsiua peccatorum contra ipſam, ſicut non repugnat decerni viſio, quæ videat ſuas cauſas, ſicut Angelus videt ſe & ſuum intellectum, & beatus omnipotentiam. Licet ergo illa decreta ſint poſteriora in decerni, ſiue ordine intentionis, adhuc potuerunt ob præcedentiam in exiſtere eſſe obiectum viſionis.

1296 Nec enim obſtat poſterioritas in decerni, vt conſtat ex prima notatione. Et confirmatur. Poteſt enim quis benè affectus ad videndum horti amenitatem & volens quotidie illam videre ex hoc affectu efficaci decernere hortum plantare: ergo & potuit Deus in gloriam Chriſti decernere, vt Chriſtus videat plura, & propterea vt videat decernere vt exiſtant.

1297 Quod ſi decreta non debent influere, ſed terminare viſionem, eo quod omnipotentia, vel eſſentia diuina, ſit quæ ſola influit in viſiones beatificas, multò minùs neceſſaria erit prioritas in obiecto reſpectu viſionis. Ad argumentum autem factum reſpondetur, obiectum debere eſſe prius viſione, quando influit in illam, ſecùs quando non. Inſuper debet eſſe prius quādo influit, diſtinguo, prius in decerni, nego: prius in exiſtere, concedo. Hanc autem exiſtentiæ prioritatem iam habent, vt declaratum eſt. Licet autem omnis viſio debeat eſſe de obiecto vt exiſtenti, quando obiectum eſt purus terminus, erit de obiecto, non vt præexiſtenti, ſed vt exiſtenti pro poſteriori, ſicut Pater videt Spiritum ſanctum vt exiſtentem pro poſteriori.

1298 Sed pro dictorum intelligentia nota, inter ea quæ Chriſtus videt in Deo poſteriora in decerni ipſa viſione, & dari creaturas, v. g. gratiarum actionē pro viſione ipſa, merita Chriſti & fidē, ſiue hæreſim de ipſa, & etiam dari decreta de iſtis, ſiue volitiua, ſiue permiſſiua. In Chriſti viſionem creaturæ non influunt per ſe, nec habent naturę prioritatem, ſed ſolum & ad ſummum decreta influunt. Etenim in viſionem beatam nihil niſi ipſe Deus influit per modum ſpeciei impreſſæ. Hæc ergo decreta, licet ſint poſteriora viſione ordine intētionis, ſunt in executione priora & ſic ſaluatur, quod obiectum influat in viſionem videntem decretum & creaturas ab ipſo 1. inſtanti viſionis. Licet enim creaturæ iſtæ, non haberent eſſe phyſicum tunc in ſe ipſis, iam habebant illud in decreto, quod ſolum, & non ipſe influxurum erat in viſionem. Sic viſio eſt poſterior decreto in executione, quæ tamen in intentione prior fuit illo & creaturis dictis.

1299 Objicies 2. Saltèm viſio nequit videre decretum ſuum, nec eſſe reflexa ſupra ſe immediatè. Reſp. negando de decreto, poteſt enim Deus decernere viſionem, quæ videat omnia libera Dei, & moueatur ab omnibus illis, & ſic non eſt reflexa ſtrictè & directè, ſed indirectè, nam habendo pro obiecto cumulum omnium, habet etiam expreſsè ſe ipſam, ſicut cognitio cognitionis vt ſic.

1300 Objicies tandem, Deus decernit res eo modò, quo eueniunt: ergo illud eſt prius in decerni, quod eſt prius in exiſtere. Diſtinguo antecedens, decernit obiectiuè, ſiue ex parte rei volitæ eo modò quo eueniunt, concedo; ex parte modi volendi, nego. Eueniunt enim res, ſicut Deus decernit, quod eueniant, nō tamen in eueniendo, ſeruant eamdem prioritatem, quam decreta ex parte ſua in decernendo.

ARTICVLVS V.

AN CHRISTVS EX VI VISIONIS VIDEAT omnia futura.

1301 AFfirmo cum D. Thom. & cōmmuni ſententia videre omnes creaturas, quæ fuerunt, ſunt, & erunt per totam æternitatem, ac per conſequens omne exiſtens creatum, quod Deus per ſcientiam viſionis. Prob. quia ex materia de viſione, quilibet beatus videt ex vi viſionis quidquid pertinet ad ſuum ſtatū. Tùm, ex Cōcilio Senonenſi dicente; beatos quidquid illorum interſit videre in Speculo Diuinitatis. Tùm, quia idem tenet D. Thom. & Scholaſtici communitèr cum ipſo. Tùm, quia omnis appetitus, ſiue deſiderium rationabile ſaciatur in beato, ex vi beatitudinis, quælibet autem rationabilitèr deſiderat, quæ ad ipſius ſtatum pertinent ſcire.

1302 Atqui prædictæ omnes creaturæ ad ſtatum Chriſti vt hominis pertinēt: ergo videt omnes illas. Min. patet, tùm quia in noſtra ſententia Chriſtus eſt finis omnium & propter ipſum omnia ſunt creata. Tùm, quia in Chriſto reperiuntur ratio capitis, ratio merentis, ratio Redemptoris, ratio Iudicis, & ratio Domini, quia data eſt ipſi à Patre omnis poteſtas in Cœlo, & in terra. Vndè omnia pertinent ad eius ſtatum ſub aliqua ex his rationibus, & ſic debet noſcere omnes ſubſtantias, & omnes rerum ſpecies, quæ quidem ſunt quid finitum, & ſimùl omnia accidentia & cognitiones & euentus, tàm beatorum, quàm damnatorum, quæ ſunt numero infinita per totam æternitatem. Iſta autem pertinent ad ſtatum Chriſti, non ſolum vt Domini, ſed etiam, vt Iudicis, quatenùs ſunt præmium, vel pœna accidentalis in beatis, vel damnatis.

1303 Objicies 1. de Chriſto ſicut de Angelis Marci 13. dicitur, quod ignorent diem Iudicij, qui tamen valdè

Digitized by Google

dè pertinet ad Iudicem, & iudicandos. Reſp. ex Patribus, de Chriſto dici, quod ignoret, quantum ad finem manifeſtandi alijs. Ad Angelos autem dies ille non pertinet ſpecialitèr, ſed generaliſsimè; vndè Angeli ignorant ſine interpretatione. Nec textus Marci intelligitur de ipſis ſicut de Chriſto, quia licet poſſet quātum ad corticem verborum, ſed Scriptura non ex cortice, ſed ex medula & iuxtà Patrum intelligentiam interpretanda eſt.

1304 Objicies 2. ergo Chriſtꝰ vt homo cōprehendit ſcientiā viſionis Dei. Conſequentia probatur, quia cognito termino adæquato alicuius potentiæ, comprehenditur illa, vt dici ſolet de Omnipotentia, ſi in ipſa omnes creaturæ poſsibiles cognoſcantur. Confirmatur, quia ſequeretur, viſionem Chriſti eſſe ęquè perfectam, ac ſcientia viſionis Dei; ſiquidem eſt ęqualis illi in clare & intuitiuè videndo omnia quæ ipſa videt. Reſp. 1. negando conſequentiam. Ad probationem reſpondeo non videri à Chriſto terminum adæquatum ſcientiæ viſionis quia iſte non ſolum eſt creaturæ quæ erunt, ſed etiam quæ nō erunt.

1305 Reſp. 2. negando potentiam comprehendi ſemper cognito termino adæquato, niſi ita penetrentur omnes ipſius potentiæ ſinus, vt nihil de illis lateat cognoſcentem, & noſcat illam quantum cognoſcibilis eſt. Quod hic non habet locum, cum ſcientia viſionis, præter terminationem ad extra, quæ penetratur, imbibat ſcientiam neceſſariam Dei, quæ non cognoſcitur, quantum cognoſcibilis eſt. Alij tandem reſpondent, tunc ſolum comprehendi potentiam cognito termino adæquato, quando iſte cognoſcitur ex vi penetrationis cauſæ; ſecùs quando ex vi reuelationis termini à cauſa. Chriſtus autem has creaturas videt, quia Deus eas ipſi in ſua viſione Chriſto propoſita (non in virtute) quaſi reuelat, tamquam notitiam ſuam illi communicans.

1306 Ad confirmat. nego ſequelam. Tùm, quia Chriſtus cum non noſcat omnes carentias creaturarum quæ non erunt, non cognoſcit terminum adæquatum. Tùm, quia licet cognoſcat terminum adæquatum & viſio Chriſti adæquet viſionem Dei in extenſione, & quantum ad numerum ſcibilium, ſecùs in intenſione, claritate & penetratione; quia non penetrat ipſam viſionem & ipſa ſcita, quantum penetrabilia ſunt, virtutem & claritatem Dei adæquando.

1307 Objicies 3. ſaltim ex hoc ſequitur, quod ſit cognitio infinitorum in Deo, quæ etiam repugnat; quia licet non ſit comprehenſio Dei, eſt tamen repræſentatio eſſentialitèr infinitæ perfectionis, vtpotè eſſentialitèr ſumpta & ſpecificata ab infinitis eminentijs diuerſis. Vndè eſt tamquam quædam comprehenſionis ſpecialiſsima incohatio, quas incohationes nos nu. 1042. rejcimus.

1308 Si reſpondeas 1. negando cognoſcere infinita. Tùm, quia D. Thom. hic quæſt. 10. art. 1. etiam negat. Tùm quia res ſe habent ad cognoſci, ſicut ad eſſe. Cum autem infinita numquam exiſtant ſimùl, non poterunt noſci ſimùl. Sed contra. Tùm, quia Deus viſione ſua noſcit ſimùl ſimultate viſionis infinitas hominum cogitationes quę diuiſim erunt: ergo & Chriſtus in illa poteſt. Tùm, quia cum illæ intellectiones ſint in beatis præmium & in damnatis pœna, debent à Chriſto, ſimùl omnes iudicante, noſci ſimùl, vtpotè pertinentes ad eius ſtatum.

1309 Nec obeſt D. Thom. qui ſolum negat infinitatem ſubſtantiarum quæ generentur, vel corrumpantur; non accidentium. Ideò enim negat, quia generationes ceſſabunt. Quod res ſe habeat ad cognoſci ſicut ad eſſe, eſt verum ex parte rei cognitæ, ſecùs ex modò cognoſcendi, ſimùl vel diuiſim. Vndè licet in actu exiſtere, non ſint ſimùl, ſecùs in actu cognoſci. De quo 1. parte tractat. de Attributis quęſt de Infinitate Dei.

1310 Si reſpondeas 2. cognitionem infinitarum ſpecierum quidditatiuam in Deo, non ideò eſſe perfectionis infinitæ, ſed ſolum ſuperioris ordinis. Tùm, quia noſcuntur prout adunantur in vno medio finitè cognito (ſicut dum infinitæ ſpecies noſcuntur per ſpeciem vnius generis finitè, apud D. Thom. in diſputatis quæſt. 20. de verit. art. 4. ad 1.) & non prout infinitæ in ſe ipſis. Tùm quia licet illa cognitio infinitarum ſpecierum æquiualeat infinitis cognitionibus de ſingulis, non æquiualet illis prout infinitis, & prout ſunt de ſpeciebus in ſe ipſis, ſed prout de ſpeciebus in medio limitate cognito. Videndus omnino circa hoc Cornejo hic ad quęſtionem 10 diſp. 2. dub. 3. à quo alij hanc doctrinam ſumpſerunt, ſed, ſi eam velliſ amplecti, bibe illam in fonte.

1311 Sed contra illam eſt: quod infinitæ ſpecies vt tales, non cognoſcuntur à Chriſto in ſcientia viſionis Dei, niſi prout in medio repræſentatiuo earum vt talium. Atqui prout ſic tale medium non cognoſcitur finitè, ſed omninò infinitè in ſuo genere: ergo hoc non eſt noſci ſpecies in medio infinito finitè cognito, ſed infinitè; nempè in eminentijs infinitis. Vndè talis Chriſti viſio ſi de infinitis eſſet ſpeciebus in Deo, non poſſet non eſſe infinita. Hāc doctrinam latius illuſtrauimus quęſt. ſeq. art. de cognitione omnium poſsibilium per ſcientiam infuſam.

1312 Reſp. ergo ad obiectionem alitèr, talem viſionem Chriſti ſolum eſſe de infinitis numero diuerſis, non vero ſpecie diuerſis, ac per conſequens non eſſe perfectionis infinitæ, quia ſolum ex diuerſa perfectione obiecti reſultat diuerſa perfectio in actu; multitudo autem numerica addit diſtinctas materialitates, non vero diuerſas perfectiones, ſicut ſpecifica. De quo 1. part. quæſt. de poſſibilitate viſionis.

1313 Objicies 4. Chriſtus per viſionem non videt ipſam viſionem, ergo non videt omnia. Nego antecedens, quia eadem viſio poteſt eſſe reflexa ſupra ſe ſaltìm indirectè. Nec enim obiectum debet eſſe diſtinctum nec priùs cognitione, quando non influit in eam, vt paret in cognitione entis rationis, quæ eſt cauſa & prior ipſo. Itā in Patre Æterno intuitiuè vidente Filium, & Spiritum ſanctum poſteriores origine ſe; cum ergo viſio Chriſti videat ſe ipſam in Deo, & in decreto, quod præcedit iam in executione viſionem ipſam, hinc eſt quod poſsit videre ſe ipſam ſaltìm in alio. Vide nu. 1299.

1314 Objicies tandem ex Lugo. Si videret ſubleuationem paralitici v. g. non exercuiſſet illam libere. Probatur, quia vt videbat miſeriam eius, videbat ſimùl & ſubleuationem: ergo non videbat illam vt indifferentem ad iſtam. Imò viſſa miſeria, ſubleuatio non poterat non eſſe, cum eſſet viſſa eadem viſione, quæ falli non poterat. Si dicas, ſubleuationem hanc fieri libere, quia dirigebatur à ſcientia infuſſa. Contra. Videbatur enim à viſione, quæ prior eſt ſcientia infuſſa. Et ſemèl poſsita viſione, ſubleuatio non poterat non eſſe.

1315 Reſpondetur, hanc impotentiam non tollere libertatem, quia eſt conſequens. Ex parte enim miſeriæ & comprincipiorum non videbatur determinatio, ſed concommitantia ſubleuationis: viſio enim eius infalſificabilis, non eſt comprincipium, licet aliqualitèr pręcedat poſsitionē comprincipiorum, ſicut diximus de prædifinitione n. 695. Miſeria autē & ſubleuatio licet videantur ſimùl ſimultate viſionis, ſed non ſimultate connexionis inter res viſas, ſed potius concomitantiæ liberæ.

1316 Infero, hæc omnia videri à Chriſto per viſionem ipſam formalitèr modò ſupra explicato. Vndè decretum Dei intentiuum eſt, vt Chriſtus videat Deum & ſe & futura, vt poſteà per aliud decretum executiuum iterum quoad executionem decernenda, per quod quælibet res in executione ponetur in prioritate, vel poſterioritate exiſtendi, ſibi debita.

ARTICVLVS VI.

AN HVMANITAS SIT, VEL POSSIT ESSE beata per viſionem increatam.

1317 DE facto eſt ſermo (vel ſaltìm de poſsibili vt colligetur) Res videtur potius phyloſophica quàm Theologica. Negatur communitèr ex duplici capite. Primò, quia cognoſcere vtpotè viuere, debet eſſe motus ab intrinſeco, vel per productionem imma-

Digitized by Google

manentem talis operationis vt in nobis, vel per identitatem intrinſecam vt in Deo: atqui vtroque modò datur repugnantia: ergo.

1318 Ex alio capite etiam negatur, quia cognitio denominans ſubiectum à ſe diſtinctum cognoſcens, debet eſſentialitèr induere rationem formæ & potentialitatis, vt patet in omni phyſicè actuante & denominante ſubiectum per vnionem phyſicam cum illo, faciendo ens per ſe, v. g. in albedine, calore, & præcipuè in omni actu vitali noſtro: & propterea Angelus nequit phyſicè vniri & denominare materiam primam adhuc diuinitus, quia non habet rationem formæ, requiſitam phyſicè, ad phyſicè actuandum. Ratio autem puri termini, ſolum eſt ſubſiſtentiæ propria, in nullo alio actuante cognito à Phyloſophis reperta. Atqui repugnat ſapientiæ Dei, ratio formæ & potentialitatis: ergo & quod denominet cognoſcentem humanitatem. Sicut autem Deitas nequit eam denominare phyſicè Deam, nec omnipotentia phyſicè omnipotentem; ita nec ſapientia phyſicè ſapientem.

1319 Quod ſi ratio puri termini ſufficeret, non dubitarem concedere, quod humanitas reddatur ſapiens, ſapientia Verbi increata, vt docuit noſter Boneſpei de omnibus beatis. Thomiſtæ enim docent, beatos non producere Verbum, ſeu ſpeciem expreſſam, ſed ipſam Dei ſapientiam eſſe illis loco Verbi. Ponunt enim ipſi intellectionem eſſe operationem vitalem, habentem Verbum mentis pro puro termino *in quo* obiectum vident. Iſte terminus eſt productus ab ipſa intellectione in nobis, ſecus in beatis, qui non egent producere, cum habeant ſapientiam Dei pro Verbo mentis, ſpecie expreſſa, ſiue termino *in quo*. Negant tamen nos fieri intelligentes formalitèr per noſtrũ Verbũ ſiue ſpeciẽ expreſſam, quia ſe habet vt purus terminus. In ipſorum enim ſententia non eſt ipſa ſpecies expreſſa per quam intellectus fit noſcens, ſed per intellectionem vitalitèr productam, terminatam ad ſpeciem expreſſam ſiue ad terminum *in quo*.

1320 Sed Pater Boneſpei admittens intellectionem creatam productam, & ſapientiam Dei ſe habere vt ſpeciem expreſſam & vt Verbum pro beatis, docet à tali ſpecie expreſſa increata denominari formalitèr videntes, & formalitèr exprimentes eſſentiam Dei. Licet enim forma phyſica non ſit, ſed purus terminus media intellectione vt vnione formalitèr communicatus; ſufficit tamen ita communicari, ad hoc vt per illam ſapientiam beatus formalitèr videat & exprimat obiectum beatificum, ſicut humanitas ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi formalitèr, licet & hæc ſit purus terminus. Vt enim illa expreſio ſit vitalis potentiæ, ſufficit quod fiat media intellectione vitalitèr producta tamquam vnione vitali.

1321 Contra hanc doctrinam objicio: denominatio videntis Deum, repræſentantis, ſiue exprimentis, eſt denominatio formalis: ergo à forma; atqui licet intellectio illa producta poſsit eſſe forma, ſecus Verbum & ſapientia increata, à qua ſumitur denominatio exprimentis, quia repugnat illi ratio formæ: ergo.

1322 Nota 1. Thomiſtas & Recentiores conuenire in eo quod beatus exprimit & repræſentat Deum, ad quod deſeruit Verbum mentis ſiue ſpecies expreſſa. Differunt, quia apud Recent. hæc ſpecies expreſſa in Beatis eſt creata & ſe tenet ex parte potentiæ, & ſe habet vt id *quo*. Apud Thomiſtas eſt increata & ſe tenet ex parte termini & obiecti intellectionis & ſe habet vt id *in quo*. Vnde apud Recent. reddit potentiam cognoſcentem, apud Thomiſtas, non ita, ſed reddit obiectum, cognoſcibile. Hanc diuerſitatem explico exemplo criſtali, quæ poſsita ad oculos in ſuperciliis ſe habet ex parte potentiæ ad confortandũ oculum, ſiue vt *quo*; poſsita autem ſuper librum recens impreſſum, quando attramenti fortitudo ſolet lędere oculos, lenit litteras, facitque eas ſuauitèr viſsibiles. Et tunc ſe habet ex parte obiecti & vt id *in quo* litteræ videntur. Similitèr Verbum mentis, apud Thomiſtas reddit obiectum paſsiuè viſsibile & ſe habet ex parte termini & vt id *in quo*.

1323 Nota 2. ſæpè quod reſpectu alicuius actionis ſe habet vt terminus, reſpectu alterius denominationis ſe poteſt habere vt forma intrinſeca. Sic florere in arbore, ſummitur à flore vt forma: qui tamen flos, reſpectu productionis eius, ſe habet vt terminus. Similitèr ſi natura creata producat ſuam ſubſiſtentiam, hæc reſpectu productionis eſt terminus, reſpectu ſubſiſtentis eſt forma intrinſeca. De hoc genere actionum ſupra num. 360.

1324 Reſp. ergo, denominationem videntis Deum & exprimentis, eſſe à ſpecie expreſſa vt forma, immanentèr & intrinſecè communicata; id eſt per vnionem in ſe, à vidente productam, quæ tamen non eſt forma phyſica ſed logica, reddens intellectum formalitèr videntem & exprimentem. Sicut ſubſiſtentia Verbi vt forma logica reddit humanitatem ſubſiſtentem. Nec obeſt quod ſit purus terminus reſpectu illius vnionis & operationis ab intellectu productæ, nam ad denominationem exprimentis & repræſentantis ſe poteſt habere vt *quo*, & vt forma logica intrinſeca.

1325 Replicabis: ad denominationem videntis & exprimentis, ſufficit quod ſapientia Dei ſit purus terminus? ergo humanitas ab Omnipotentia vt puro termino vnito, poterit diuinitus eſſe Omnipotens & ab æternitate & immenſitate, æterna & immenſa. Reſpond. negando conſeq. 1. quia creatura eſt incapax eſſentialitèr harum denominationum, de quo nu. 984. Vndè non repugnat vnio & terminatio ſed denominatio, ob incapacitatem ſubiecti, quam non habet humanitas ad videndum Deũ. 2. quia Phyloſophia nullam agnouit denominationem poſitiuam intrinſecè potentis, durantis & vbicati (immò nec volentis) quæ non ſit vel per identitatem vt in Deo, vel per intrinſecam receptionem formæ phyſicæ vt in nobis, de quo nu. 957. Agnouit autem denominationem ſubſiſtentis & exprimentis per Verbum mentis, quæ ſunt per puros terminos.

1326 Reſp. 3. Licet non detur de facto in humanitate denominatio Omnipotentis, quia vnio hypoſtatica iuxtà Concilia non eſt facta immediatè ad Omnipotentiam ſed ad hypoſtaſim, ſicut vnio intellectualis, apud Thomiſtas facta eſt immediatè ad Verbum mentis; immò licet repugnet etiam de poſsibili denominatio Omnipotentis, (quia humanitas per Omnipotentiam nequit eſſe potens ad productionem ſui) fortè non repugnat diuinitus vnio humanitatis immediatè ad aliquam eminentiam Omnipotentiæ & ad aliquam immenſitatis & durationis correſpondentes ſuo tempori & loco, tamquam ad puros terminos, à quibus denominetur. Difficile enim oſtendetur repugnantia. Si enim iuxtà dicta à num. 843. accidens probabilitèr poteſt vniri immediatè Verbo vt puro termino, ab illoque reddi intrinſecè exiſtens, cur non humanitas, potens ad muſcam ab eminentia muſcæ & durans atque locata ab eminentia æternitatis & immenſitatis, finitè & iuxtà ſuam capacitatem obedientialem?

1327 Adde 1. quod humanitas potuit creari ab æterno, & ſi ex tunc æternitati vniretur, non propterea eſſet æterna, quia non redderetur immutabilis, de quo num. 1036. licet eſſet æterne durans. Adde 2. quod ſi humanitas aſſeratur poſſe vniri infinitis eminentiis Omnipotentiæ, licet non omnibus, fieriq́ue infinitè potens (quod non eſſet contra Concilia: nam, quia illa loquuntur de facto tùm, quia non eſſet Omnipotens) fortè non eſſet contra noſtram de incohationibus doctrinam, allatam num. 1042. quia talis incohatio infinitatis eſſet per perfectionem increatam Dei, quod fortè non repugnat: ſicut nec humanitati fieri ſubſiſtens ſubſiſtentia afferente ſecum omnia Dei.

ARTICVLVS VII.

PARS NEGANS HVMANITATI VIDERE DE facto per viſionem increatam, non eſt dogma fidei.

1328 Est contra plures Recent. ita ægre ferentes ſententiam affirmantem P. Boneſpei tom. 1.

Digitized by Google

1. diſput.4.dub. 2. ſui curſus Theologici, vt conentur multis probare, oppoſitam eſſe de fide. Eorum argumenta ad triplicem reduco probationem. Primam ſumunt à ſequelis contra fidem. 2. à Concilijs negantibus humanitati operationes increatas. 3. ab abſurdo debilitatis in probationibus Conciliaribus.

1329 Prima ex ſequelis. Sequitur enim 1. quod cum ſcientia increata ſit comprehenſio Dei, humanitas Deū comprehenderet contra cap. *firmiter de ſumma Trinitate* & cap. *damnamus*. Vndè humanitas *aque clarè videret Deum, ac Deus videt ſe ipſum*, contrà Baſilienſe ſeſſ. 22. quod quantum ad hanc partem fuit confirmatum à Martino 5. vt docet Martinez 1.2.quæſt.3.art.1.dub.3.concl.2. Item eſſet verum quod humanitas à 1. inſtanti *ſciret omnia quæ Deus*, contra damnationem Arnoldi de Villanoua in directorio 2.p.cap.11. factam de hac propoſitione ab Inquiſitoribus.

1330 Sequeretur 2. quod vnio facta eſſet ad Verbum ſecundum commune nempè viſionem, contra Toletan. n.6.& 11. Nequit enim reddi videns, niſi vniatur immediatè viſioni. 3. contra cap. *Damnamus de ſumma Trinitate*; viſionē diuinā eſſe procedentē ab humanitate. Nemo enim poteſt videre viſione diſtincta, niſi viſio procedat vitaliter ab illo. 4. quia Chriſtus vt homo, nō eſſet per omnia ſimilis nobis, contra 6. Synodum actione.18.pag.84. Probatur, quia ipſe videret viſione increata, ſecùs nos.

1331 Sequitur 5. quod facta vnione ad commune, per Omnipotentiam communem humanitas ſit etiam omnipotens contra 6. Synodum actio 1. pag. 17. vbi dicitur, quod *omnipotens voluntas in Chriſto, non eſt ſecundum naturam humanam, ſed diuinam*.

1332 2. probatio à Concilijs ex inſtituto negantibus. Tùm 1. quia 6. Synodus actio. 4. pag. 10. & actio. 11. pag. 135. contra Monothelitas condemnat, *Sapientiam & cognitionem Chriſti ſecundum diuinitatem & humanitatem, eſſe vnam & eandem*. Tùm 2. quia Lateranenſe conſult. 5. pag. 466. condemnat, operationes diuinas intelligendi & volendi communicari humanitati: vbi etiam generalitèr negat quidquam de diuinis proprietatibus, poſſe ineſſe alicui, qui non ſit eiuſdem ſubſtantiæ. Communicata enim humanitati perfectione vna propria Dei, omnia poterunt communicari. Quod autem hæc ſint abſurda probat, *quia confuſa eſſent omnia nobis, & alta cadent in ima, ima autem aſcendent in alta*.

1333 Tùm 3. quia 6. Synodus actio.4.pag.40. damnauit hanc propoſitionem de Diuinitate incarnata, *propria ſibi faciens quæ carnis ſunt, faciens que in ea ſuæ naturæ operationem*. Viſio autem increata eſt operatio naturæ diuinæ propria. Tùm 4. quia 6. Synodus actio.4.pag.32.& actio. 18.pag.185. æque abhorret, diuinitatem exercere in Chriſto actiones humanas, ac humanitatem diuinas. Quæ omnia 5. confirmat aſſertum illud Synodi 6. actio.4. pag. 32. & 37. *Neque enim poterit Angelica natura, humanam habere voluntatem, neque humana natura voluntatem Dei, vel Angeli*. Voluntatem, id eſt volitionem.

1334 Vrgetur 6. Fides in 6. Synodo actio. 2. pag. 19. & actio.4. pag.26.& 27.& actio.18.pag. 204. In Chriſto non ſolum definit duas operationes correſpondentes duabus naturis, ſed definit eſſe *inconfuſas*, quæ in confuſione ſtat, in eo quod humanitas non ſe intromittat in operationes diuinas, neque è contra, ſed quælibet ſuæ ſit alligata operationi ex 6. Synodo actio.18. pag.185. Vndè in Lateranenſi conſ. 5. pag. 466. aſſeritur dictum illud Leonis Papæ: *Vt neque, quod creatum eſt, in diuinam educamus eſſentiam, neque quod eximium eſt diuinæ naturæ, ad competentem creaturis locum deijciamus*.

1335 Et tandem 7. fides in 5. Synodo Colatione 8. pag.115.can.4.& in Later.conſult. 4. pag. 453. anathematizat aſſerentes, *vnionem humanitatis ad Verbum factam eſſe ſecundum æqualitatem, vel operationem*: ergo non eſt facta ad ſcientiam increatam, quæ vitalis operatio eſt.

1336 3. probatio ex abſurdo debilitatis in Conciliaribus rationibus. Etenim argumenta Conciliorum debent eſſe bona & efficacia: atqui non eſſent, ſi vera eſt iſta ſententia. 1. quia fides in 6. Synodo actio.4. pag.21. probat contra Manicheos, conſeruari in Chriſto veram humanitatem; & probat ex veritate actionum humanarum. Si autem humanitas non eſt alligata ad ſolas operationes proprias, ſed cum illis eſt capax habendi diuinas, nō eſſet hæc ſpecie humanitas, ſed Deitas. 2. quia 6. Synodus actio.4.pag.21.& 39.& Lateran. Conſult.5. pag.473. probant diuinitatem ex operationibus diuinis. Nec eſſet vrgens probatio, ſi eas haberet humanitas.

1337 Tertiò. 6. Synodus actio. 4.pag.39. definit ex vna operatione vnitatem naturæ, & pag. 34. ex diuerſitate naturarum in Chriſto, probat diuerſitatem operationum. Atqui mala eſſet illatio, ſi operatio vna increata poſſet eſſe diuinæ ſimùl & humanæ naturæ: ergo. Item pag. 39. ideò negat vnitatem operationis in Chriſto, quia ſequeretur, quod operatio illa eſſet communis humanitati & diuinitati, *quod ait abſurdum eſt dici*. Atqui iam non eſſet abſurdum: ergo.

1338 Tandem, quia 6. Synodus actio. 4.pag.36. Lateran.Conſult.1.pag.413. probant in Trinitate vnitatem naturæ, ex identitate operationum, nempè intellectionis, volitionis & Omnipotentiæ. Item Lateranenſibus de tribus perſonis loquendo, inquit: *Communio voluntatis, vnitatem oſtendit ſubſtantiæ*. Non autem oſtenderet, ſi eadem volitio poſſet eſſe communis vtrique naturæ: ergo debilitantur per hanc ſententiam, Conciliorum rationes.

ARTICVLVS VIII.

ALIQVIBVS PRÆNOTATIS, ARGVMENTA ſoluuntur.

1339. Nota valdè 1. in Concilijs dari definitiones, & dari diſputationes pro veritate definienda. Solæ illæ ſunt de fide, & ſunt quæ continentur in Canonibus, profeſſione fidei, vel quæ iubentur credi ſub anathemate; reliqua ſæpè ſunt tantū probabilia, licet magnæ auctoritatis. Ita Valentia 2.2.diſp.1.quæſt.1.puncto 7. Quæſt.6.§.41. Staplethonius de doctrina fidei contr. 4. de iudicio Eccleſię in ſe. lib.8. cap.15.9. ſenſus huius aſſertionis. Granado 2.2. contr.1. de fide tract. 7. diſp.2. ſect.1.§. præter hæc. Cano lib.6. de locis cap.8.§. Et quidem in decretis. Vincentius relectione de gratia Chriſti quæſt.1.conclu.4.§.4. fol.mihi 138.

1340 Bernal autem de Incarnatione diſp.7. num.19. adducit duo exemplaria; vnum ex 7. Synodo *de Angelis pingendis, quia corporei ſunt* (quod tunc erat probabile). Si neges, corporeitatem fuiſſe motiuum (quia Concilio conſtat placuiſſe aſſertum, non vero approbaſſe motiuum iſtud) ſaltim conſtat quod fuit ibi corporeitas aſſerta in Angelis, quæ vera non eſt, licet tunc eſſet probabilis. Aliud ex Florentino probante, quod in diuinis *pater generat, quia actiones ſunt ſuppoſitorum*, cum apud Ariſtotilem, ſingularium ſint, non ſuppoſitorum, licet hoc ſit probabile. Nec inferas diffinitionem Pontificiam non fore ſir mam ſi probabili nitatur fundamēto. Nego enim, quia duplex interuenit motiuū, vnū diſputationis, aliud definitionis. 1. ſæpè eſt probabile. 2. infalibile. Præmiſſa enim conſultatione, Pontifex mouetur ab illa, ſed non definit propter illā, *ſed quia ſic viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*.

1341 Sequitur rationes Conciliorum in conferentijs, non omnes debere eſſe firmas. Sed cum firmis admiſcentur congruentiæ, ſimilitudines, &c. vt quia ſingula non proſunt, ſimul collecta iuuent. Si enim probabilitèr Valentia & Salmeron, apud Baſilium quæſt. variarum tertia expoſitiua, docuerunt, quod in Scriptura, quando aſſertum probatur ratione, illud eſt certum ſecùs iſta; quātò magis in Conciliaribus interlocutionibus?

1342 Exemplum Scripturæ ſit, Acto. 2. vbi Petrus dixit de Apoſtolis in Pentecoſte: *Non enim vt vos exiſtimatis, hi ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia*. Cum autem hora tertia non æ noſtræ correſpondeat, quid prohibebat, quod ante illam, multum potaſſent & ebrij eſſent? Sanè ra-

Digitized by Google

ratio non videtur ſolida. Quod ſi Petrus id dixit, quia conſuetudo erat in viris probis illius Populi in magnis feſtiuitatibus nihil ſummerè cibi & potus ante mortem, adhuc id ipſum in eo tūc potuiſſet alitèr fieri.& ſic puta videbatur congruentia, non infalibilis ratio.Idem à fortiori de Concilijs.

1343 Nota 2. Concilia contra Monothelitas ſolum definiſſe dari ob duas diuerſas naturas,duplicem in Chriſto operationem, ita vt diſtinctè & inconfusè humanitas ſuas eliceret, diuinitas ſuas: quin operatio quæ eſt propria vnius,queat ab alia procedere,ſicut nec ab arbore Malo,Pira. Vide n.91. Si ergo ſalua manſerit operationū inconfuſa diſtinctio, etiam ſi humanitas videat Deum viſione increata,nihil erit in hac aſſertione contra fidem.

1344 Nota 3.dum Concilia ex diuerſis operationibus probant diuerſitatem naturarum,ſicut arborum ex fructibus, operatio ſummenda eſt ſtrictè per modum operationis, non per modum paſsiuæ communicationis. Etenim magni caloris productio, probat ignem; at eius paſsiua receptio in aqua,nec probat hanc eſſe ignem,nec eiuſdem cum eo naturæ.Sic Pira appenſa arbori, tunc probant Pirum, quando ab ipſa producta ſunt; non ſi aliundè adducta ei paſsiuè adiungantur.

1345 Docentes ergo,humanitatem videre Deum viſione increata,intendunt ſolum, hanc aduenire illi per modum paſsiuæ communicationis vt loquitur Caietanus 3.p.q.9.art.1.non per modū productionis,ac per cōſequēs non erit operatio eius,vt arbitrabantur Monothelitæ intendentes teſte Valentia to.4.diſp.1.quæſt.2.punt.3.§. 10. quod operatio vnius naturæ ita ſimùl eſſet operatio alterius, quod ineffabilitèr proficiſceretur ab illa: Contra quam operationis identitatem,abſurda plura congeſsit Lateranenſe conſult.3.pag.440.His prænotatis.

1346 Ad Argumenta art.7. poteſt reſponderi 1. Fallitur arguens, dum toties fidei tribuit, quod non ipſa, ſed conciliaris diſſertatio proponit. Vnde qui cum reuerentia oppoſitum vt probabile tueretur, nulla eſſet dignus nota. Quia tamē & hæ venerandæ ſunt authoritatis,reſp.ad 1.probationis ſequelas ſigillatìm. Nego 1. de comprehenſione Dei & de æquali claritate,quia viſio increata non adæquatè,ſed iuxta humanitatis capacitatem communicaretur.Vide fol.519.num. 1276. & totum art. Et fol.522.Adde adhuc eſſe ſub lite,an & quomodò Deū comprehendere, repugnet creaturæ. De quo Vazquez tom.1.in 3.part. diſp.53. art.1 & videatur 1.part. diſp.53.cap. 1. illud Arnoldi de Villanoua ſup. fol. 522. reperies elucidatum.

1347 Ad 2. reſpond.ſequelam,non eſſe contra fidem, imò nec improbabile,vnionem factam eſſe etiam ad abſoluta,de quo n.796.Reſ.2.ex Curiele 1.2.de Beatit. Deū vniri beato,ſicut per modum ſpeciei impreſſæ,ita etiam expreſſæ,vnione quadam accidentali intentionali vitalitèr producta,& ad Verbum vt purum terminum terminata, quæ ab hypoſtatica diuerſa eſt,& per eam beatus reddi valet intelligens.Ad 3.nego viſionem increatam ineſſe humanitati per operationem ipſius. Vt enim intelligat & viuat intentionalitèr, ſufficit habere per paſsiuam acceptionem,de quo Arriaga in lib.de Anima diſp. 6. Adde ex Boneſpei,beatum iam phyſicè viuere producendo vnionem ad viſionem.

1348 Ad 4. adhuc Chriſtus vt homo eſt ſimilis per omnia nobis, per omnia ſcilicet debita & propria naturæ humanæ; non per indebita. Sanctificatur enim ipſe ſubſtantialitèr.impeccabilitèr, ſubſiſtit perſonalitèr diuine. Idem de videre, per viſionem increatam. Ad 5.nego fore omnipotentem de facto. Tùm, quia vnio non eſt de facto ad Omnipotentiam immediatè.Tùm,quia denominationis huius,humanitas eſt incapax.

ARTICVLVS IX.

RELIQVA SOLBVNTVR.

1349 Ad 2. prob.nego textus omnes,definitiones eſſe,& ſi aliquis eſt, non eſt de hoc aſſerto 2. Sigillatìm reſp.1.dum concilia negant in Chriſto, vnam & eandem ſapientiam & cognitionem vtriuſque naturæ, negant in ſenſu hæreticorum, quorum ſcopus erat ſine ſine etiam cognitionem, pro vna operatione,quia humanitas ita poſt vnionem ſuam deificata vt iam non ſua,ſed ſola eliceret opera diuinitatis,ſin ùl cum illa.In hoc ſenſu negat identitatem Concilium, non vero ... humanitas eliciendo operationes ſuas, ſimùl per paſsiuam communicationem potiatur operatione Dei.

1350 2. textus negat increatam poſſe eſſe opus humanitatis, non autem donum acceptum; fructus enim idem à duabus productus, confundit vnā arborē cū alia, ſecùs ab vna productus,& alteri paſsiuè vnitus,ex notabili 4.Vndè modo quo aliquid eſt proprium vnius naturæ, ipſiuſq;operatio,non eſt alterius, quia eſſet confundere naturas, quod non ſequitur ex eo quod operatio vnius ſit paſsiuè perfectio alterius, vt contingit in perſonalitate Verbi. Circa quem textum nota obitèr, probare optimè noſtram de incohationibus ſententiam.

1351 Ad 3.damnata eſt propoſitio aſſerens,quod diuinitas paſsiones carnis faciebat ſuas (id eſt patiebatur per eas) & quod in carne erat faciens ſuæ naturæ operationem. Non damnaretur,ſi diceret: Carni erat vniens: ſicut vnit illi perſonalitatem Verbi. Identitas ergo operationis, ſimùl à carne & diuinitate, damnata eſt in iſto textu.

1352 4. Textus,abhorret operationem diuinam proficiſcerem ab humanitate,& humanam à diuinitate.Quod probat ex impoſsibilitate,vt vna natura habeat volitionem alterius (quæ probatio eſt Phyloſophica & ſolū probabilis & intelligenda de facere,non de recipere,de productione intellectionis ſiue de motu, vt loquitur Concilium fol.38. non de qualitate recepta: imò & ſic, ſolum habet vim connaturalitatis & congruitatis). Negat ergo, quod proficiſcatur, non quod paſsiuè communicetur. Ex quo patet ad 5.& 6.intromiſsio enim vnius naturæ ad producendas vt proprias,actiones alterius,confundit naturas, ſecùs ad recipiendum.

1353 D. Leo contendit ſolùm, vtramque naturam quoad proprietates & operationes, continendam in ſuis. Si enim vna,alterius proprium aliquid haberet,haberet omnia,& ſic humanitas aſcenderet ad ſumma, & diuinitas deijceretur ad ima. Vtrumque autem eſt abſurdum. Non autem negat humanitati, diuinarum perfectionum receptionem: non propriam ſibi, nec debitam, ſed gratuitam.

1354 7. Textus,damnans vnionem ſecundum æqualitatem, vel operationem,damnat in ſenſu Neſtoriano negante vnitatem phyſicam & perſonalem Chriſti,& ſolum admittente vnionem moralem per communicationem æqualis authoritatis vel operationis, factam filio Virginis à Filio Dei,de quo num.82.Non autem negat vnionem ad operationem increatam Concilium.

1355 Ad 3. probat.reſp.1. ſat eſſe aliquibus rationibus Conciliaribus,quod ſint congruentiæ & vim habeāt, attenta connaturalitate,licet non attenta poſsibilitate. Nec definitio pericl tabitur, quia non innititur illis intrinſecè, ſed Spiritus ſancti aſsiſtentia. Reſp. 2. eas probationes non eſſe contra aſſertionem poſitam, quia loquuntur de operatione vt tali, non de paſsiua acceptione. Ad 1. ergo dico, quod humanitas in producendo alligata eſt ad ſolas operationes creatas, ſecùs in recipiendo. Solæ autem propriæ operationes probant naturā.Ex quo patet ad 2.Replicabis: vbiquitas & æternitas vbicumq; ſunt, probant diuinitatem etiam receptæ.Nego propter receptionem, vt dictum eſt num. 1326. ſed probant ob immutabilitatem, quam ſupponit in ſubiecto denominatio æterni.

1356 Ad 3. reſp. Si vna operatio eſſet diuinæ & humanæ naturæ, neutram vt talem probaret determinatè. Probat autem diuinam, ſi à diuina ſola oritur, etiam ſi humanę communicetur.Ad vltimum reſp.Concilia probare vnitatem naturæ in tribus perſonis per communica-

Digitized by Google

cationem eiuſdem volitionis,vel voluntatis:fateor, quia illa & eſt virtualis operatio & eſt communicatio ſpecialis & debita ſoli illi naturæ. Sed receptio gratuita alicuius in altero, v.g. caloris magni ignei in aqua, non probat in ea naturam ignis, quia neç eſt operatio aquæ nec debitus illi.

ARTICVLVS X.

ALIQVA NOTANTVR.

1357 EX his nota 1. PP.negaotes humanitati operationẽ diuinã,intelligi de identitate operationis,vel de operatione prout operatio, non prout paſsiua receptio. Cum enim mens ſit, quod naturæ permaneant inconfuſę & diſtinctæ, ſufficientèr ſaluatur hoc, ſi quod vni eſt operatio debita,alteri ſit paſsiuè taotu communicata. Licet enim homo volet diuitus, non propterea erit auis; nec aqua recipiens calorem magnum erit ignis;nec homo ſi diuinitus eleuetur ad ſuperna, non deperdit naturale eſſe hominis: ſic nec humanitas amittit eſſe ſuom, licet eleuetur paſsiuè ad noſcendum ſcieotia increata. Non enim natura noſcitur per gratuitas receptiones, ſed per proprias operationes.

Hæc ſolutio eſt ſatis cõmunis Cirillo noſtro lib. de S. Trinitate cap. 22. vbi hæc habet. Quamquam Dominus naturam ignorantem aſſumpſit, diuinas tamen ei prærogatiuas& dotes impertiuit;habebatq;anima Domini omnem ſapientiam diuinam iuxta & humanam,omnem notitiam eorum quæ fuerunt, quæ ſunt, quæ erunt, non naturâ, non gratiâ,ſed propter vnionem perſonalem cum eo qui ſolus eſt ſapiens,& omnia etiam prius quam oriantur aote ſæcula oouit.

1358 Dices, plures PP. omne ſublime in Chriſto tribuunt Deitati & omne humile humaoitati.Sic in Reſurrectione Lazari lacrymæ & oratio iſti:imperium verò reſucitandi, Diuinitati tribuunt; atqui videre viſione increata eſt valdè ſublime: ergo erit ſolius Deitatis. Reſp. plura ſublimia & Reſurrectionem ipſam Lazari tribui diuinitati, cum tamen fuerit opus phyſicè ellicitum apud D.Thom. ab humanitate. Tribuitur tamen Diuinitati ſolum fontalitèr;quia humanitas,non habebat de ſuo,ſed à Diuinitate,quod poſſet ſic operari. ipſa tamen operabatur ſimùl num Deitate.Sic humanitas videbat viſione increata, quia licet fieret videns ipſa, hoc non erat ab ipſa,ſed acceptum a Deo.Hic tamen ſenſus quaſi fontalis non eſt quem intendimus & de quo loquebantur PP. contra Monotelitas, ſed de operatione diuinitatis formali vitali & ad intra, quæ ſimùl eſſet operatio humanitatis, & de Paſsionibus humanitatis quæ ſimùl eſſent à diuinitate & per eas pateretur diuinitas vitalitèr formalitèr:& in hoc ſenſu humanitas non videt viſiooem iocreatam operando, ſed accipieodo.

1359 Nota 2. D. Thom. Bonauent. Cayet.& multos alios,licet tueantur oppoſitam ſententiam, probentque textibus Scripturę & Conciliorum, hanc tamen nulla inuſiſſe cenſura. Quod ſi plures Scolaſtici notant de hæreſi Hugonem & Ripam, hoc non eſt, quia humanitati Chriſti conceſſerunt ſcientiam increatam,ſed quia creatam negauerunt.

1360 Sed quomodò hæc ſeotentia,nec eſt digna cenſura,nec impingitur illi à plurimis Theologis(licet notetur ab aliquibus) ſi illam impugnaot ex plurimis ſequelis contra fidem & ex Concilijs,&c? Reſp.(& eſt notatu dignum) duplicitèr poſſe aliquam ſententiam vocari contra fidem,nempè per modum cenſuræ,vel per modum argumentationis. Sic ſæpè phyſica prædeterminatio arguitur,quod tollat libertatem, & quod propterea ſit contra fidem. Sed hoc dicitur per modum argumentationis,non per modum cenſuræ,cum hæc io hac materia à Pontificibus prohibita ſit.

1361 Idem dico de multis Theologis arguentibus, quod ſententia de viſione Chriſti per ſcientiam iocreatam ſit contra fidem. Vndè Cornejo, Nazarius, Cabrera, Cano Bañez, Soto, Albarez & aliqui alij non iudicant cenſurabilem. Imò Vazquez 1.2. diſp.7.cap.7. eam ſententiam etiam io omnibus beatis à cenſura immunem tuetur,ſicut & Fœlix Franciſcanus de Viſione Dei cap.5. difficul.1.nu.3.ſententiã quæ aſſerit iotellectum non cõcurrere actiuè ad viſionẽ de facto.Addo forte illos Theologos qui cenſuræ incumbunt, non ita laborioſè Conciliorum textus & has noſtras notationes in examen vocaſſe,ſicut nos. Maneat ergo, quod talis ſententia nulla eſt digna Theologica ceoſura.

QVÆSTIO XXVIII.

DE SCIENTIA PER SE INFVSSA.

1362 IN hac quæſt. & ſunt difficoltates de huius ſcientiæ natura;& an ſit in Chriſto, & quid in illo operetur?Examinauimus vtromque.Sed prius ex Cornejo nota,ſcientiam infuſam eſſe mediam inter beatam & adquiſitam, participareque de vtraque.Cum beata conuenit: ex parte principij, quia à Deo infunditur; ſubiecti,quia perficit potentiam obedientialem; obiecti, eo quod,ſit etiam de ſupernis; modi procedendi, quia non alligatur legibus naturæ & diſcurſus humani.Cum adquiſita conuenit aliqualitèr ex parte ſubiecti,quia perficit potentiam naturalem in ordine ad res ordinis naturalis. obiecti, quia etiam eſt de obiectis naturalibus, de quo infra:modi procedeodi, quia etiam poteſt diſcorrere ſicut adquiſita. Imò ex parte principij aliqualitèr, quia hæc licet de per accidens,fuit Chriſto infuſa à Deo. Plura de ſcientia infuſa diſputanda occorrunt,circa obiectum,habitum & ſpeciem impreſſam. Sit ergo.

ARTICVLVS I.

DE MVLTIPLICI EIVS OBIECTO generalitèr.

1363 NOta 1.duplux eſſe obiectum huius ſcientiæ,ſicut & aliarum. Materiale nempè & formale. Thomiſtæ communitèr & præcipuè noſter Cornejo hic tract.2.ad quæſt.11.D.Thom.diſp.1.ennumerant inter materialia,entia creata,ſuperna & naturalia,in communi & io particulari, futura contingentia & ſecreta cordium.Inſuper Deum vt vnum & trinum,non vt cognitum in ſe ſiue viſum, ſed abſtractiuè in medio connexo creato.

1364 Nota 2. aliud eſſe noſcere euidentèr etiam intuitiuè,& aliud noſcere quiditatiuè; oculus enim corporeus & intellectus noſter in via plura noſcit euidentèr, imò & intuitiuè v.g.colores, lucem, &c. non tamen quiditatiuè;nos enim in via nullam rem quiditatiuè noſcimus, quia eſſentiam rei numquam ita penetramus, vt differentiam proprijſsimam & ſpecialiſsimam ipſius eſſentialem, prout primariò diuerſam ab omni alia re actuali & poſsibili exprimere valeamus. Quod ſi *rationale* apud omnes eſt proprijſsima hominis differeotia primaria (com vere non repugnet aliud animal rationale diuerſum ab iſto)potius eſt ex deſignatione & pacto hominum (vt inutili diſputationi ſuper hoc via præcludatur) quam ex perfecta penetratione eſſentiæ; ſicut ob eandem rationem pro calore ſumo, calor vt octo eſt deſignatus à Phyloſophis, qui tamen à nullo eſt ſcientificè menſuratus.

1365 Hinc moltò minùs eſt cognoſcere intuitiuè,quã quiditatiuè,quia ad 1. ſufficit euidentia rei in ſe per accidentia;ad iſtud euidentia per quiditatem & eſſentiam, & minùs eſt quiditatiuè quam comprehenſiuè; quia ad iſtud neceſſaria eſt penetratio rei,non ſolùm quoad eſſentiam, ſed quoad omnes ipſius ſinus,penetrando eos adæquatè, & quantum penetrabiles ſunt. Vndè ad cognoſcendam quiditatem Dei per viſionem beatam,tanto maius lumen requiritur, quantò plures eminentiæ,ſiue ſinus penetrandi ſunt,& plus ſi creaturæ in emineotijs ſint cõprehendẽdæ,quam ſi ſolũ quiditatiuè cognoſcendę. Idem de lumine ſcientiæ infuſę reſpectu videndi,vel quiditatiuè cognoſcendi, vel comprehendendi veritates creatas in ſe ipſis.

plius,nec ad modum ſui, ſed ad modum medij. Cognitio ergo ſtrictè quidditatiua dicitur talis à quidditate vt immediato ſpecificatiuo,in ſe (vel in medio eminentiori) non vt mediato & in alio.

1375 Obijcies 6. nequit eſſe vna ſimilitudo creaturę & Trinitatis: ergo hæc nequit noſci per ſpeciem creaturæ. Diſtinguo antecedens,diſparate concedo,ſubordinatè,nego, quia benè poteſt vna ſimilitudo repræſentare creaturam vt connexam cum Trinitate,attingendo hanc mediatè inadæquate & indirectè,licet non poſsit immediatè vtramq; Quod ſi dicas ſpeciē hāc exemplari ex ſpecie impreſſa Dei, ſed hæc repræſentat Trinitatem immediatè & mediatè creaturam: ergo & illa. Nego conſeq. quia eſt exemplata ex inadæquato Dei & ſolum directa ab obiectum indirectum,idest creaturam.

1376 Obijcies vltimo: res ſuperioris ordinis nequit noſci quiditatiuè ab inferiori. Prob. quia propterea cognitio naturalis nequit eſſe quiditatiua de ſuperno. Scientia autem infuſſa eſt inferior viſione & gratia. Nego mai. generalitèr; viſio enim beata & lumen gloriæ inferioris ordinis,Deum & vnionem hypoſtaticam;& Angelus inferior ſuperiorem per lumen naturale inferius ipſo obiecto,quidditatiuè noſcunt. Ad illud de cognitione naturali reſpondet duo Pater Gonet. 1.eam reſpectu entis ſuperni habere inferioritatem,non ſolum ſpecificam,ſed genericam,quia ſunt diuerſi generis. 2. eſſe inferiorem, non ſolum in genere entis,ſed accomodationis,quod non habet infuſſa reſpectu ſuperiorum, etiam vnionis hypoſtaticæ. Sed contra, quia ſi ſcientia infuſſa & vnio hypoſtatica diſtant magis in entitate: ergo & genere;cur non & accomodatione? Dices idē poſſe loquiti de viſione reſpectu Dei & de Angelo inferiori ad ſuperiorē. Fateor. Ideo.

1377 Reſp. pro omnibus 1.ex materia de viſione q.1. art. 3. non eſſe paritatē de improportione entitatiua ad accommodatiuam,nec requiri in cognitione æqualitatem entitatiuam, ſed repræſentatiuam, vt probant exemplaria adducta. Reſp. 2. ideò cognitionem naturalem non poſſe ad ens ſupernum,quia deficit medium,vel ſpecies impreſſa proportionata,vel vt vult Ripald. quia tale ens eſſet & non eſſet ſupernum cum non ſuperaret connexionem illius cognitionis naturalis. Eſt ergo dicendum, quod ſicut intellectus per modum potentiæ fæcundatur à ſpecie ſuperna ad fœtus ſupernos,ita habitus ſcientiæ infuſſæ à ſpecie ſuperna viſionis,ad intuitionem eius in ſe ipſa fæcundatur. Vide infra artic. 5.

Sequitur ex dictis de ſupernis poſſe dari cognitionem ſcientiæ infuſſæ non ſolum quidditatiuam,ſed etiā comprehenſiuam, quia comprehenſibilitas eorum in ſeipſis etiam eſt finita, ac per conſequens adæquabilis cognitione finita. Nec obeſt,quod viſio beata altius cognoſcit illa quam infuſſa: ergo ſi hæc non attingit ad altitudinem beatæ,non erit cōprehenſiua vt illa. Nego conſ. quia comprehenſioni ſufficit adæquare omnes ſinus rei; beata autem non ſolum adęquat,ſed ſuperexcedit ens ſupernum & præſtat plus quam ſufficit.

ARTICVLVS III.

AN COGNOSCAT COGITATIONES CORDIVM & futura contingentia.

1378 CErtum eſt,Chriſtum vt hominem cognouiſſe cogitationes cordium, Math. 9. *Cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum* dixit: *vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Idem conſtat ex alijs Euangelij locis. De futuris etiam conſtat,nam Ioan. 6. *Fugit in deſertum,quia ſciebat,quod venturi eſſent, vt facerent eum Regem.* Lucę 19. plorans ſuper Ieruſalem dixit: *Quia venient dies in te,& circundabunt te inimici tui vallo,& ad terram proſternent te,& filios tuos & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Tandem Math. 26. dixit ad Petrum: *antequam gallus cantet,ter me negabis*, & alia ſępè alibi. Hæc autem dicebat vt homo, quia vt talis,humanę loquebatur vitalitèr,ac per conſequens ſi vt homo proferebat,etiam vt homo cognoſcebat.

1378 Difficultas eſt, an noſceret per ſolam ſcientiam beatam? (de qua non eſt dubium) an per infuſſam etiam, an per reuelationem claram, ſiue euidentiam in atteſtante? Affirmo per ſcientiam infuſſam; ita communior ſententia contra paucos. Prob. Tùm, quia D. Thom. art. 1. ait: *Chriſtum per ſcientiam infuſſam omnia cognouiſſe præter Dei eſſentiam* (viſam in ſeipſa). Ibi etiam docet, *omnia noviſſe, quæ homines per reuelationem.* Prophetæ autem & Sancti homines & corda & futura ſæpè per reuelationem nouerunt. Tùm, quia hæc omnia ſine vlla implicantia noſci poſſunt extra Verbum immediatè in ſeipſis, cum habeant determinatam veritatem finitè cognoſcibilem & repræſentabilem. Erat autem in Chriſto potētia obedientialis ad hæc cognoſcenda in ſeipſis.

1379 Debuit ergo hæc potentia non manere imperfecta & in potentia, ſed reduci ad actum. Ratio eſt. Et quia hæc eſt maior perfectio, noſcere nempè res omni modo,quo noſcibiles ſunt,ideoque debebatur Chriſto ratione vnionis hypoſtaticæ & ratione beatitudinis, ſicut debetur alijs beatis noſcere plura extra Verbum per ſciētiam infuſſam. Et ratione etiam vniuerſalis Magiſtri & Iudicis,vt repręhenderet ſæpè cogitationes hominum,& dirigeret eos per doctrinam(quam per futurorum prædictionem confirmare oportebat). Quæ munera,cum certum ſit, quod exercebat vt Viator, debebat etiam ea prænoſcere vt Viator.

1380 Nec obeſt 1. D. Thom. quæſt. 20. de veritate art. 6. docens: *Ea,ſolum noviſſe in Verbo*, quia Cayet. hic art. 1. & cum eo P. Gonet diſp. 17. art. 4. §. 1. docent,retractaſſe in hac 3. part. illam ſententiam. Nec obeſt 2. quod noſcere ſecreta cordis & annuntiare ventura ſit propriū Dei. Reſp. quando habetur per naturam, eſſe proprium Dei,ſecùs per gratiam; ſicut eſſe beatum per naturam eſt proprium Dei,non per gratiam. Ratio autem reſpectu ſecretorum cordis eſt, quia quælibet natura rationalis eſt Domina ſui actus liberi,& poteſt illum in ſecreto cuſtodire & cœlare omnibus præter Deum, qui eſt ſupremus Dominus: potuit autem aliqualem vſum huius dominij per gratiam humanitati Chriſti, alijſque communicare;cum quatenùs homo,eſſet Domin⁹, Iudexque omnium. Nec hæc cognitio extra Verbum eſt inutilis,cū perficiat humanitatem in alio ordine diuerſo à beatifico: Eſt autem debita Chriſto omnis perfectio omnium ordinum, dummodò non repugnent inter ſe,nec fini redemptionis.

Nec obeſt 3. quod plura futura & ſecreta cordis ſunt naturalia: ergo repræſentabilia per naturalem ſpeciem; atqui de futuris & ſecretis repugnat ſpecies actu quę ſit naturalis cum ſit propria ſolius Dei. Reſp. 1. poſſe ſpeciem eſſe entitatiuè ſupernam ſicut cognitio obiecti naturalis vt art. 4. Reſp. 2. nego min. quia ſufficit vt ſit ſuperna quoad modum, licet enim in ſe ſit naturalis fit à Deo ex gratia,cum à futuro ipſo nec poſsit produci, nec exigi.

1381 Ex hijs infertur,ſecreta & futura noſci à Chriſto per hanc ſcientiam,non in cauſis liberis,prout in actu 1. (benè in prædeterminatione applicatiua, ſi daretur) quia nullam dicunt ex ſe connexionem cum effectu; non in decreto Dei licet connexo, quia in iſto noſcuntur per ſcientiam beatam; non in claro teſtimonio Dei,ſiue in dicto *per modum dicti*, quia ſumptum præciſè per modum dicti,eſt medium extrinſecū. Licet enim apud plures euidentia in atteſtante & aſſenſus propter dictum clarè cognitum per modum dicti, non repugnet Chriſto (ſed vide ſupra num. 1140.) cum ſit euidens, propter quam euidentiam Prophetæ vocabantur videntes: Sed hic aſſenſus præciſè vt talis non eſt ſcientiæ ſtrictæ: (euidentia enim eius refunditur in ſolum dicentem,non vero in rem dictam) ſed fidei claræ, vel apud alios luminis Prophetici; per modum autem connexi fortè pertinet ad ſcientiam infuſſam. Sed ſi dictum diuinum eſt repræſentabile in ſeipſo immediatè, atque per ſe ipſum perceptibile ab humanitate, cur non & alia ſuperna? Aſſero ergo quod noſcūtur per ſpecies proprias & imme-

dia-

Digitized by Google

diatas & in ſeipſis, quia obiectum ſpecificatiuum ſcientiæ infuſſæ vt talis,eſt veritas creata vt in ſeipſa intuibilis,ſicut ſupra habitum eſt.

1382 Nec obeſt 4. quod intueri creaturas in ſeipſis eſt imperfectio,& propterea Deus ſolum noſcit eas in ſeipſo: ergo neganda Chriſto. Diſting. antec. eſt imperfectio reſpectu Dei, concedo; reſpectu ſcientiæ creatæ, nego, quia Deo repugnat ſpecificari immediatè à veritate creata,ſecùs ſcientiæ creatæ: ſicut nec repugnat iſti eſſe accidens & eos ab alio,licet repugnet Deo.

1383 Nec obeſt 5. ſi dicas: repugnare ſpeciem impreſſam de futuris contingentibus, quia non habent determinatam veritatem, ac per conſequens,nec determinatam repræſentabilitatem.Nego totum,quia habent veritatem in ſeipſis,vel ſaltim poſito decreto; & tunc poteſt Deus noſcens determinatum eſſe illorum producere imaginem & ſpeciem impreſſam quiditatiuè illud repræſentantem, prout exercite exiſtens in tali temporis differentia,& ſecundum illud eſſe extra cauſas,quod habebit in tali tempore.

1384 Si dicas: Veritas determinata futuri nequit noſci quidditatiuè,niſi noſcatur ratio determinans;atqui hæc eſt decretum: ergo nequit futurum noſci per hanc ſcientiam, niſi cognito imò & viſo decreto. Diſting. mai. niſi noſcatur ratio determinans intrinſeca & formalis permitto; efficiens vel radicalis, nego. Decretum autem determinat efficientèr, quatenùs efficit, vel eſt conditio vt elicitiua ſit voluntas hoc præ alio: determinatio autem formalis eſt veritas intrinſeca ipſius futuri, de qua vt pro ſuo tempore exercita, dabilis eſt ſpecies impreſſa.

1385 Infero,ſi fuit in Chriſto euidentia in atteſtante, non fuiſſe ſtrictè ſcientiam, quia hæc euidentia non reducitur in aliquam claritatem diſcurſus & principiorum de re teſtificata, ſed in teſtificantem, ſolum enim clarè noſcitur teſtificans,nó vero res teſtificata.Nec fuit ſola,quia Chriſtus extra Verbum debuit habere ſtrictâ & immediatam ſcientiam de rebus ſupernis,cum ſit perfectio, debeatque non denegari Chriſto perfectio aliqua vera.

ARTICVLVS IIII.

AN SCIENTIA INFVSSA POSSIT NOSCERE obiecta naturalia, vbi de ratione formali qua & ſub qua.

1386 NOn eſt difficultas de naturali per ſe infuſſa,quia certum: ſed de ſuperna, quia propter infimitatem ſuam obiectum nequit ſufficientèr ſpecificare cognitionem ſupernam. Affirmo cum communi ſentent. 1. quia proportionem in genere repræſentatiuo impedire ſolet inferioritas cognitionis ad obiectum,vt materialitas reſpectu rei ſpiritualis;ſecùs ſuperioritas. Vndè cognitio ſpiritualis noſcit materialia;infinita Dei,finita.Et ratio eſt,quia in mēſura coarctata nequit valdè extenſum contineri; benè verò in menſura multum extenſa & ſuper excedenti,res coarctata.

1387 2. Quia ſpecificatiuum actus, quoad eſſe huius vel illius potentiæ vel ordinis,non eſt ratio *qua* cognita & expreſſata, ſed *ſub qua*, ſiue attingibilitas: ſic viſionem lucis vt ocularem non ſpecificat ratio lucis,cum hæc etiam attingatur ab intellectu & voluntate, ſed viſibilitas. Similitèr actum ſupernum,non ratio obiecti,ſed attingibilitas ſuperna: obiectum enim idem attingunt Catholicus & hæreticus, dum dicunt: *Datur Trinitas, quia Deus reuelauit*, & ſolum eſt differentia obiectiua ex parte attingibilitatis ſupernæ vel naturalis. Vide me 1. par. in mat. de Viſione quæſt. de appetitu naturali.

1388 3. Non repugnat ex parte obiecti materialis, nam Creationem mundi, exiſtentiam Abrahę, fide ſuperna credimus. Nec formalis, quia plura naturalia ſunt obiectum formale ſupernæ virtutis,v.g. quando prudentia dictat agendum eſſe gratias Deo vt authori naturæ; miſeriam pauperis ſubleuandam propter honeſtatem ſubleuationis; talis enim prudentia in Chriſtianis eſt ſuperna. Plura exercet voluntas,ſuperna & meritoria de condigno nitentia motiuo naturali,v.g. miſericordiam in pauperes;iuſtitiam, reddendo vnicuique ſuum. Talia enim motiua, naturalia ſunt vtpotè quæ à Gentilibus attingi valent lumine naturæ.Nec dicas non eſſe condigna ex ſe, ſed ex relatione ad Deum.Contra,quia non requiritur alia relatio obiectiua præter honeſtatem inbibitam in motiuis ipſarum;de quo in materia de merito.

1389 Ratio à priori eſt, quia vt aliquis actus ſit ſupernus,ſufficit quod ſuperet vires& exigentiam naturæ; poteſt autem ſuperare ex parte attingibilitatis & ex parte principij à quo fit, licet non ſuperet ex parte obiecti; actio enim procedens á principio vt ſuperno, eſſe taliter procedit ab illo,nec poteſt ab alio in tota natura: ergo eo ipſo eſt ſuperna à modo oriendi à principio,ſicut influxus proprius cauſæ primæ non eſt infinitus à termino,ſed à modo procedendi à principio, & vnio hypoſtatica inter humanitatem & perſonalitatem Angeli, non eſſet ſuperna à terminis,ſed à principio.

1390 Obijcies 1. Scientia ſpecificatur ab obiecto: ergo de naturali eſt naturalis. Reſp. ſpecificari à ratione *ſub qua*,ſiue ab attingibilitate. Reſ. 2. ab obiecto cognito ſpecificari,ſpecificatione ſpeciei atomæ,non vero ſpecificatione ordinis vel potentiæ,quia hæc ſumitur à ratione *ſub qua*,quæ eſt intuibilitas ſuperna; ſicut viſio albedinis & intellectio nigredinis ſpecificatione ſpeciei atomæ differunt ſpecie à diuerſis coloribus; ſpecificatione ordinis & potentiæ, non ab illis ſed à viſibilitate & veritate.

1391 Vndè non placet Gonet dicens,quod obiectum debet eſſe eiuſdem ordinis cum ſcientia,id eſt non ſuperioris. Contra, quia obiectum ſupernum expreſsè vt ſupernum attingi poteſt naturali cognitione: dummodò proponatur modo naturali,& ſub naturali attingibilitate. De quo vide in mat. de Viſione,loco citato.

1392 Obijcies 2. Scientia naturalis nequit quidditatiuè noſcere obiectum ſupernum:ergo nec è contra ſuperna naturale. Inſto: cognitio materialis nequit cognoſcere ſpirituale: ergo nec è contra? Non valet. Concello ergo antecedenti,nego conſeq. quia quidditas ſuperna nequit proponi modo quidditatiuo,niſi propoſitione ſuperna,vtpote eſſentialiter connexa cum ſuperno;at è contra, quidditas naturalis poteſt per propoſitionem ſupernam.

1393 Obijcies 3. quia non poterit explicari quomodò cognitio de bono ſit naturalis,ſi poteſt dari ſuperna, ſiquidem nó eſt vndè colligatur differentia. Reſ. ſi in Chriſtiano & hęretico eſt aſſenſio Trinitatis propter reuelationem, vndè nobis fiet patens differentia ſupernæ & naturalis? Reſp. non patere ad ſenſum, ſed diſcurri à diuerſa attingibilitate & à diuerſo lumine:& hoc probabiliter, nam de ſupernaturalitate fidei ſuæ nemini conſtat certo. Quod ſi dicas,quod in nobis cognitio ſuperna non extenditur ad naturalia: ergo nec in Chriſto ſcientia ſuperna infuſſa. Nego antecedens vt conſtat ex noſtris argumentis.Dato antec. nego conſeq.quia dignitas Chriſti poſtulat vt cognoſcat obiecta omnia extra Verbū meliori modo quo poſsit, ac per conſequens ſcientificè ſupernè,& ſic non per ſolam euidentiam in atteſtante,quæ ſtrictè ſcientifica non eſt, nec per ſolam ſcientiam naturalem,quæ minùs digna eſt.

1394 Nec propterea ſcientia per ſe infuſſa naturalis de eodem obiecto erit ſuperflua, cum ſint ſcientiæ eterogeneæ perficientes in diuerſo ordine & ſub diuerſa attingibilitate. Quod ſi ſtante vna præſentia naturali omninò ſuperfluit alia ſuperna (quod alij negant) ideò eſt, quia ſi ſint ſimilares, vtraque redderet præſens & indiſtans à loco eodem omninò modo. Si ſint diſsimilares vt definitiua & circunſcriptiua,pugnant in eodem loco.Iſtę autem ſcientiæ perficiunt diuerſimodè, quia vna ſtatum naturalem, alia ſupernum; vna intuitiuè, alia comprehenſiuè.

DE

Digitized by Google

Doctrina huius artic. valide roboratur ex Trident. aſſerente: attritionem conceptam ex turpitudine peccati (qualis eſt de reſtario furti ob turpitudinem iniuſtitiæ) poſſe eſſe ex Spiritus ſancti impulſu & diſpoſitionem vltimam cum Sacramento ad iuſtificationem; motiuum autem talis actus naturale eſt & commune Chriſtianis & infidelibus. Similitèr hæc concluſio eſt de ſuperno expreſsè vt ſuperno: *Chriſtus eſt Deus. Filius Virginis eſt Chriſtus ergo Filius Virginis eſt Deus.* Et tamen eſt naturalis, apud plures. De quo num. 158.

DE RATIONE QVÆ, ET SVB QVA.

1395 NOta 1. Ex parte obiecti formalis & dari rationem, *qua* & *ſub qua*. Motiuum actus, eſt *qua*, attingibilitas eſt *ſub qua*, quia illa reddit obiectum attingibile à tali potentia. V.g. aſſenſus Trinitatis propter diuinam reuelationem habet in Chriſtiano & in hæretico eandem rationem *qua* & diuerſam *ſub qua*. Differunt *qua* & *ſub qua*: 1. quia illa exprimitur per actum, hæc non; nec enim viſitabilitas à viſione; nec regularitèr cognoſcibilitas aut veritas exprimitur ab intellectione, nec amabilitas aut bonitas ab amore. Dixi regularitèr, nam aliquando iam reflectunt ſupra veritatem; quando ſcilicet dicunt expreſſe. *Aſſentior, quia verum eſt.*

1396 Sed ratio *ſub qua*, ſi nõ attingitur non erit strictè obiectum. Quid ergo ibi præſtat & quomodò ſpecificat? Reſp. quod non eſt obiectum, ſed ſe tenet ex parte obiecti, quaſi protegens obiectum & reddens viſibile, quin ipſa videatur; ſicut Imaginem deuotionis plures cortinæ reddunt eam venerabiliorem, quin ipſæ venerentur; lumen gloriæ intellectum viſiuum Dei, quin ipſum videat Deum; & plumbum reddit ſpeculum reflexiuum ſpecierum, quin plumbum reflectat.

1397 Quomodò autem ſpecificat? Reſp. quod omnis actus potentiæ dicit duo: & connexionem intentionalem ad obiectum, quod exprimit ſiue cognoſcit; & præter illam dicit aliam eſſentialem connexionem phyſicam entitatiuam ad attingibilitatem vt talem in ſe & exercitè, propter quam attingit obiectum: & hoc. 2. modo attingibilitas reddendo attingibile, ſpecificat ſpecificatione ordinis vel potentiæ, quia viſio non eſt viſio, quia de colore, ſed quia de illo vt ſub vmbra viſibilitatis. Sic omnis actus ſupernus eſt de obiecto vt ſuperno, id eſt ſub ratione ſuperna, & omnis naturalis de obiecto vt naturali, id eſt, ſub ratione naturalis attingibilitatis.

1398 Hinc patet, in quo ſenſu intelligi poſsint DD. negantes cognitionem naturalem de obiecto ſuperno, expreſsè vt ſuperno, contra experientiam de aſſenſu hæretici: non enim negare poſſunt de attingentia intentionali expreſſa, ſed de connexione phyſica ſuperni ſub ratione. *ſub qua ſuperna*: exercitè vt talis: nam eo ipſo actus, iam non eſſet naturalis.

1399 Vndè actus phyſicè connexus & certus, & actus inconnexus incertus ſe habent, ſicut concionator & commedus, hiſtorias repræſentantes vt dixi loco citato de apetitu. Ille enim repræſentat eas curando vt ſint veræ: iſte autem, ſiue ſint veræ, ſiue fabuloſæ.

1400 Nota 2. ex Perez ab Vnanoa diſp. 23. de Incarnatione ſect. 1. num. 7. duplicem eſſe rationem *ſub qua* in obiecto. Vna eſt obiectiua, ſiue ex parte obiecti. Alia denominatiua à potentia. Prima ſtat in intrinſeca cognoſcibilitate obiecti. Secunda in denominatione extrinſeca ſumpta in obiecto à conditionibus ſe tenentibus ex parte principij. Obiectiua in eodem obiecto eſt diuerſa reſpectu actus superni, & reſpectu naturalis: habet enim diuerſa cõnotata, ac per conſequens ſunt diuerſę terminabilitates intrinſecæ. Similitèr ſecunda erit diuerſa, ſi præexigat ex parte principij diuerſas conditiones & comprincipia. Cum ergo obiectum naturale attingitur per ſcientiã ſupernã, attingitur ſub cognoſcibilitate ſuperna, ſicut dum ſupernum attingitur per ſcientiam naturalem ſub cognoſcibilitate naturali, & requirendo ex parte potentiæ, quod tale obiectum illi ſit propoſitum modo naturali.

1401 Sed dices: non datur ſuperna attingibilitas in obiecto naturali, quia omnis cognoſcibilitas vtpotè proprietas entis eſt naturalis, ſicut & ipſum ens. Reſp. eſſe ſupernam connotatiuè. Contra: ergo non per ſe ipſam: ergo non attingitur, tale ens ſub cognoſcibilitate, quæ verè ſuperna ſit: ergo nec ſufficiens præbere ſpecificationem eſſentialem ordinis ſuperni. Reſp. negando vltimam conſequentiã. Licet enim ſit naturalis in genere entis, eſt ſuperna in genere accõmodationis & terminandi. Sufficit autẽ ſupernaturalitas accõmodationis: ſi enim viſibilitas, non alitèr ſpecificat viſionem & veritas cognitionem & bonitas amorem, niſi quatenùs fundat non repugnantiam reſpectu potentiæ tactiuæ talium obiectorum, quamvis viſibilitas ipſa non ſit in ſe viſibilis, ſed ſit *quo* color redditur viſibilis à principijs viſiuis, ſufficientèr erit ſuperna cognoſcibilitas, ſi quamvis in ſe talis non ſit, ſit ſuperna terminatiuè, & ſit *quo* redditur obiectum naturale attingibile à talibus principijs, supernè. Hæc enim principia ſunt quæ vltimatè faciũt, quod cognitio ſit ſuperna; ſicut occulus eſt qui dat viſioni, quod ſit viſio & non ſit intellectio.

1402 Dices 2. ſi ſupernum eſt attingibile naturalitèr, vndè prouenit, quod aſſenſus Chriſtiani & attritio furti ob ſuam fœditatem naturalem ęgeat principio ſuperno? Reſp. quod ab altiſsima actus certitudine & natura, qua caret aſſenſus hæretici.

1403 Infero 1. contra P. Bernal, Chriſtum per ſcientiam ſupernã noſcere naturalia ſecundũ ſeipſa, & non ſolum vt connexa cum ſupernis, v.g. humanitatem vt capacem vnionis hypoſtaticæ. Tùm, quia in natura non datur connexio cum ſupernis. Tùm, quia ſecundum ſeipſa noſci poſſunt euidentèr per ſcientiam ſupernam. Obiecta enim inferioris ordinis, noſcuntur à ſcientia inæquali ſuperexcedenti, vt creata ab increata, materialia à ſpirituali: ergo & naturalia à ſuperna, dummodò noſcantur ſub terminabilitate intrinſeca ſuperna & à comprincipio ſiue lumine ſuperno.

ARTICVLVS V.

DE HABITV SCIENTIÆ INFVSSÆ.

1405 REquiri ad actus, certum eſt, cum iſti ſint ſuperni & natura ſit ex ſe imbecilis ad omne ſupernum. Quęritur 1. an ſit ſupernus in ſubſtantiã? Affirmo cum D. Thom. & communi contra aliquos. Prob. quia eſt certus & euidens de obiectis ſupernis quidditatiuè, ſuperna autem ſicut totam ſuperant in ſua entitate naturę affinitatem, ita in cognoſcibilitate connexam & euidentem cognitionem. Tùm, quia communitèr aſſeritur proprietas. 2. modo ſtatus beatifici vt talis. Tùm quia datur vt dirigat in beatis actiones ſupernas, & in Chriſto eas & meritorium amorem Dei, de quo ſupra quæſt. 23. art. 5. num. 1196.

1406 Nec dicas 1. per viſionem ſufficientèr eas dirigi poſſe, quia licet neceſsitèr ad Deum, eo quod repræſentet vt ſummè bonum, ſecùs ad alia obiecta, de quo num. citato. Reſp. 1. ſaltim non ſufficere ad amorem Dei in ſeipſo. 2. Nec ad alias actiones, quia directio à ſcientia infuſſa connaturalior eſt; præcipuè viatori operanti vt tali, quia magis omogenea cum operationibus liberis. Nec obeſt 2. ſuperna poſſe intuitiuè attingi per ſcientiam naturalem: ergo ex hoc capite hęc non eſt ſuperna. Antec. patet, quia beatus vt ſit ſecurus de ſua beatitudine non eget auxilio ſuperno. Nego anteced. Ad prob. reſp. illam cognitionem reflexam aſſecurantem, neceſſario eſſe ſupernam, vel quia eſt ipſa viſio cognoſcens ſe ipſam in Deo vt medio, & aliqualitèr reflectens ſupra ſe (dico aliqualitèr, quia reflexa ſtrictè eſt quæ ſe immediatè noſcit, vt ſcientia Dei de ſe ipſa) vel ſi eſt reflexa diſtincta, ad illam debetur intellectui comprincipium ſupernum, ſicut & voluntati ad amorem beatificum.

1418 Hinc ſoluitur argumentum primæ ſententiæ. In fide enim & alijs datur vnitas rationis formalis, *qua* & ſic vnitas habitus. A *ſub qua* enim ſummi nequit. Patet: obiecta enim omnis ſcientiæ naturalis conueniunt in vna attingibilitate euidenti per ſua principia. Obiecta omnis virtutis infuſæ in vna honeſtate attingibili iuxtà rationem. Obiecta fidei & luminis gloriæ, in vna attingibilitate diuina Theologica. Et tandem obiectum Charitatis & Spei conueniunt in vna ratione bonitatis diuinæ attingibilis Theologicè. Et tamen, quia ratio *qua* expreſſata per actus in omnibus illis eſt diuerſa, habitus ſunt diuerſi: ergo idem erit in ſcientia infuſa. Mirum (præterquam quod iam eſt probata) vrgetur amplius, quia cognitio de proprietatibus gratiæ, v.g. non eſſet ſtrictè ſcientia, niſi noſceret illas propter quidditatem gratiæ ſpecificè vt talem.

1419 Obijcies: Aſſenſus Trinitatis, quia Deus dicit eſſentialitèr eſt de Trinitate vt tali & tamē eſt idē habitꝰ pro omnibus: ergo. Antec. prob. quia eſt cognitio per ſe ipſam petens ſpeciem impreſſam Trinitatis vt talis, cum non poſsit fieri per ſpeciem Leonis, vel iudicij finalis. Reſp. nego antec. Ad probat. reſp. ad illum aſſenſum præcedere apprhenſionē Trinitatis vt talis, vt ei poſtea aſſentiatur; illa ergo eſt quæ petit ſpeciem, ſecùs aſſenſus propter dictum Dei, quia iſte idem eſſet de quacumque re dicta à Deo. Eſſetque idem formalitèr, licet non præſupoſitiuè. Reſp. 2. eſſe aſſenſum Trinitatis vt talis, ſed non quia talis. Scientia vero infuſa eſſet de quidditate creata vt tali, & quia tali; cum eſſet aſſenſus propter intrinſecam eius veritatem.

1420 Hinc etiam impugnatur ſolutio Raguſæ dicentis ſcientiam infuſam eſſe vnum habitum, licet Charitas & Spes ſint duo, quia inter obiecta voluntatis dabilis eſt oppoſitio, vt inter honeſtū & delectabile: & etiam noua difficultas in vno obiecto ac in alio, & ſic requiritur diſtinctus habitus: ſecùs in intellectu, quia vnum bonum non opponitur alteri. Cōtra enim, quia inter obiecta Charitatis & Spei, & inter obiecta aliquarum virtutum moralium non datur oppoſitio, ſed diſparitas & diuerſa ratio *qua*. In intellectu autē eſt diſparitas ſine oppoſitione inter obiecta luminis gloriæ & ſcientiæ infuſæ, fidei & propheſiæ euidētis in atteſtante, & prudentiæ infuſæ: ergo diuerſitas habituum non ſummitur ab oppoſitione, ſed à ratione *qua*.

1421 Nec vnitatem habitus facit inſeparabilitas ſcientiæ infuſæ vt contendit P. Vnanoa. Tùm, quia non conſtat de inſeparabilitate nam fortè aliquibus data eſt de ſolis ſecretis cordium; alijs de futuris; alijs ſpeculatiua de quidditatibus altiſsimis. Tùm, quia habitus gratiæ & Charitatis ſunt inſeparabiles, ſicut & virtutes morales infuſæ (excepta pia affectione) ſunt inſeparabiles de facto inter ſe & à gratia; & idem de donis Spiritus ſancti. Vndè licet ſeparabilitas diſtinctionem probet, ſecùs inſeparabilitas identitatem.

DE FACTO IN CHRISTO TOTA SCIENTIA infuſſa eſt vnicus habitus.

1422 NOtá 1. quod ſi veritas increata reſpectu luminis, & creata reſpectu infuſæ eſſent puræ rationes *ſub qua*, adhuc à *qua* diſtinguit habitus, 2. ſententia. Cenſeo tamen, quod multum habent de *qua* expreſſata. Viſio enim videt diuinā eſſentiam vt increatā & à ſe, cū hoc ſit de quidditate Dei: & propter illā vt principium demoſtrandi, alijs aſſentitur Attributis. Item ſciētia infuſa, cum ſit de quidditatibus vt talibus, in quibus imbibitur ratio creatę & ab alio, etiam exprimit hoc; & ideò licet reſpectu aliarum cognitionum poſsit ſe habere veritas creata, vt ratio *ſub qua*, reſpectu huius ſcientiæ vtpotè quidditatiuæ eſt ratio *qua*.

1423 Nihilominùs licet veritas creata ſit ratio *qua*, adhuc poteſt habitus eſſe multiplex: quia reſpectu ſcientiæ infuſæ vt talis non eſt ratio formalis *qua* totalis, ſed partialis, quod non habent myſteria reſpectu fidei, vel Theologiæ; nam reſpectu fidei totalis ratio aſſentiendi eſt, quia illa res quæcumque ſit, *creditur quia Deus dicit*, & eodem modo crederet quodcumque aliud; at ſcientia infuſa demonſtrans proprietates per eſſentiam, v.g. valorem operis ſuperni meritorij de condigno, quia eſt ab amico, non probat propter gratiam, vt præciſsè eſt quid ſupernum creatum in genere, ſed quia eſt talis quidditatis, faciens gratum & amicum Dei: ergo ad hanc ſciētiam demonſtratiuam proprietatum gratiæ, non ſe habet gratia vt quodcumque ens ſupernum verum, ſed determinatè vt tale. Sicut ad Charitatem vt diſponentem ad iuſtificationem, bonitas Dei non ſe habet præciſsè, quia bona, ſed quia bona in ſe; & ideò facit diuerſum habitum à Spe; ita etiam vna ſcientia reſpectu alterius in ſcientijs humanis, quæ conueniunt in ratione *qua* partiali & tamen ſunt diuerſæ, quia non conueniunt in totali: ergo ſimilitèr in ſcientia infuſa.

1424 Nota 2. vnicum habitum poſſe eſſe totam ſciētiam infuſam (imò ſcientiam infuſam & lumen gloriæ & fortè fidem). Ita plures moderni. Prob. tùm, quia nullā eſt repugnantia cum nulla ſit contradictio in exercitijs eorum. Tùm, quia adhuc maneret habitus & non tranſiret ad potentiam ſtrictam, cum haberet rationem formalem, ſiue *qua*, ſiue *ſub qua* coarctatam. Tùm, quia licet eſſet aliqua contradictio in actibus vt in viſione & fide, hoc non tolit identitatem virtutis in actu 1. ad exercendos illos diuiſiuè, vt in homine eſt virtus ad amorem & odium, aſſenſum & diſenſum.

1425 Nota 3. Regularitèr habitus exiſtentes ſpecie atoma diuerſificari ob rationem *qua* adæquatá coadunantem plura; non vero eſſe diuerſos iuxtá diuerſas ſpecies impreſſas. 1. pars conſtat ex dictis. 2. probat latè Godoi contra Ioannem à S. Thoma. Prob. quia non eſt diuerſus habitus Phyloſophiæ de homine & Leone, licet ſpecies impreſſæ de ipſis ſpecie differant. Ratio eſt, quia Phyloſophia attingit illos ſub eadem ratione *qua* corporis mobilis.

1425 An autē de facto in Chriſto & quolibet Beato, hæc ſcientia ſit vnus tantum habitus, vix poteſt decidi, niſi diuinando. Perfectio tamen ſtatus poſtulare videtur, quod ſicut vnum eſt lumen gloriæ, pro omnibus Dei, ita & vnum ſit pro omnibus veris intuibilibus creatis; & quod diuerſitas ſpecifica veritatum ſit penes actus, non penes habitum; qui poterit eſſe quantum ad hoc, inſtar potentiæ. Ita vt ſumat vnitatem à ratione vltimata *ſub qua*. Qui velit oppoſitum dicere, ex dictis facilè ſe tuebitur.

ARTICVLVS VI.

DE SPECIE IMPRESSA.

1426 SPeciem impreſſam requiri ad hanc ſcientiam eſt certum, quia ex obiecto & potentia paritur notitia. Obiectum autem ſæpè non præſtat per ſe tale munus, quia eſt improportionatum, & ideò ſpecies præſtat.

1427 Quæritur 1. an ſpecies iſtæ ſint ſupernæ? Aſſero 1. de obiectis ſupernis eſſe ſupernas. Tùm, quia debent connaturalitèr proportionari potentiæ eleuatæ per habitum & etiam actui. Tùm, quia ſunt vites ſe tenentes ex parte obiecti ſuperni repræſentatiuę quidditatis ſupernæ vt ſupernæ: ergo ſunt eſſentialitèr connexæ, ac ſupernæ. Nec obeſt ſufficere naturales eleuatas per habitum, ſicut per illum eleuatur intellectus & aqua in Baptiſmo per virtutem ſupernam. Reſp. ſi darentur naturales quidditatiuæ, fortè ſufficere vt eleuatas; ſicut ſemen muliebre in virgine, ſufficit vt eleuatum; eſt tamen impoſsibilis ſpecies quidditatiua non ſuperna, de obiecto ſuperno, vtpotè connexa cum illo & participata ſpecialiſsimè à diuina eſſentia vt ſpecie impreſſa ſupernæ quidditatis creatæ.

1428 Aſſero 2. etiam ſpecies de obiecto naturali poſſe & debere eſſe ſupernas, quia ſunt connaturaliores pro cognitione entitatiuè ſuperna de illo. Nec obeſt 1.

ſuſ-

Digitized by Google

ſufficere naturales ſi eleuentur per virtutem habitus, ſicut ſemen naturale viri concurrit cum matrice infecunda eleuata ad fœtum miraculoſum. Reſp. 1. pro cognitione quidditatiua, ſpeciem naturalem non quidditatiuam, non ſufficere; quidditatiua autem ſufficit, ſed non etiã æque connaturalis & proportionata habitui & cognitioni entitatiuè ſupernis.

1429 Nec obeſt 2. Pro actu fidei ſufficiunt ſpecies naturales etiam ſi ſit ſupernus: ergo & pro ſcientia infuſa. Nego paritatem. 1. quia influunt in apprehenſionem, non in actum fidei ad quem præcedit apprehenſio, v.g. de Trinitate vt exiſtenti; & poſteà aſſenſus fidei ait: *Ita eſt*. 2. quia non ſunt quidditatiuæ, nec connexæ cum veritate obiecti prout exercita, ſecus eſt de ſpeciebus ſcientiæ infuſæ.

1430 Nec 3. Infuſæ Angelis pro obiectis naturalibus, ſunt omninò naturales, etiam ſi vniuerſaliſsimæ & quidditatiuæ ſint: ergo etiam infuſæ beatis pro hac ſcientia. Diſtinguo conſeq. quæ dantur pro vſu ſcientiæ infuſæ naturalis ſicut Angelis, concedo; pro vſu ſupernæ nego. Nec tandem: ſicut ſemen mulieris infecundæ debeat ſupernaturalizari pro fœtu; ſecùs ſemen virile ex ſe ſufficiens & fœcundũ, ergo nec ſpecies impreſſa, ſemen obiecti naturalis; debet enim conformari cum obiecto. Nego conſeq. quia fœtus ſeminis virilis eſt entitatiuè naturalis, & ideò ſufficit ſemen virile naturale, ſecùs fœtus huius ſcientiæ infuſæ.

1431 Quæritur 2. an ſpecies impreſſæ pro hac ſcientia, ſint vna, vel plures? De poſsibili & poteſt eſſe vna, & poſſunt eſſe plures, quia in hoc nulla eſt repugnantia, nec in vna vniuerſali, quales ſunt Angelicæ, nec in pluribus ſpecialibus, quales ſunt humanæ. De facto D. Tho. tenet eſſe plures, vniuerſales tamen, licet minùs vniuerſales, quam Angelicæ: quem ſecuntur Thomiſtæ. Et ratio eſt 1. quia intellectui humano valdè diuerſo ab Angelico, connaturalius eſt, vt dentur plures, ſintque minùs vniuerſales, quam datæ Angelis.

1432 Marſilius & alij docent de factoChriſto datam vnicam tantum, quia ſi ex vno capite non repugnat vnica & eſt in ſe perfectior, potius eſt attendenda dignitas Chriſti & exceſſus ſupra Angelicam naturam, quam humani intellectus imperfectio; & ſic vnica eſt ei impertienda, ſicut & vnicus habitus. Nec D.Thomæ obeſt authoritas, quia apud ipſum eſt problema, cum docuerit oppoſitum in 3.diſt.14.art.3. apud Vnanoa diſp.24.ſec.3.

1433 Licet autem regulariter ſpecies impreſſa ſoleat eſſe minùs vniuerſalis quam habitus, in Chriſto non valet, quia præponderat dignitas eius. Si dicas: ergo illa ſpecies in Chriſto, cum ſit pro infinitis obiectis vt talibus, erit infinitæ perfectionis ſi eſt vna, quia in eſſe repræſentatiuo erit omnes illæ quidditates. Sed contra, quia etiam ſi non eſt vna, erunt de facto infinitæ ſpecies pro infinitis obiectis. Dices: nec eſſe vnam, nec infinitas ſed decem, vel centum vniuerſaliſsimas; vnam pro omnibus ſubſtantijs; aliam pro omnibus qualitatibus; aliam pro tota vna ſpecie; aliam pro alia. Sed contra, quia illa quæ eſſet pro omnibus ſubſtantijs ſpecialibus, etiam eſſet infinita in perfectione, cum ipſa eſſet omnes illæ quidditates vt tales in eſſe repræſentatiuo: ergo inconueniens non vitatur.

1434 Quare aſſero eſſe vnam & de ſolis naturis finitis (quia infinitas, fortè non noſcit) ſed de indiuiduis infinitis, quæ infinitudo non probat perfectionem infinitam; de quo artic. de collectione, prope finem huius quæſt.

1435 Quæritur.3. an ſpecies impreſſæ ſint ipſe habitus? Affirmant Vazq. Bernal & alij. Prob. 1. quia nulla eſt contradictio in vtriuſq; identificatione, cum nulla ſit in muneribus; imò congruentia, quia ſic fœtus ab eodem fonte ſupernoſpeciei, accipiet eſſe, ſupernaturalitatem, & determinationem ad tale obiectum. Dices: ſpecies debet ſupponere potentiam vt potentem concipere, atqui ſit potens à virtute habitus: ergo non eſt vna entitas: quia ſpecies eſſet prior & poſterior ſeipſa.

1436 Contra, quia ſpecies debet ſupponere potentiã eleuabilem, in qua recipitur; non habitum, in quo non recipitur. Item ſi intellectus eſt eleuandus ad poſſe ſuperne concipere, cognitionem determinatam de tali obiecto; vbi eſt contradictio, in eo quod virtus eleuans & confortet imbecillitatem potentiæ, & determinet eam ad tale obiectum? Nulla apparet. Hinc prob. 2. quia fruſtra ſiunt per plura quæ poſſunt per pauciora.

1437 Teneo oppoſitũ cũ ſententia comm. nõ quia repugnet identitas, ſed quia diſtinctio eſt connaturalior. Patet, quia habitus ſe tenet ex parte potentiæ concipientis; ſpecies ex parte obiecti fœcundantis. ergo connaturale eſt, vt diſtinguantur. Conſeq. prob. quia ex obiecto & potentia pariter notitia: iſte autem partus quando eſt ſupernus, eſt inſtar à Matricè imbecilli & ſterili, quæ prius eſt ſupernè & miraculosè confortanda ex parte ſua, & poſteà adueniens ſemen viri diſtinctum & robuſtum fœcundat illam, iam aliàs confortatam & habilem: ergo ſimiliter. Videatur Ripald. tom.2. diſp.118. ſect.1.

1438 Ex his patet, ad 1. Concedo non dari repugnantiam contradictionis metaphyſicæ aut phyſicæ, ſed connaturalitatis. Ad 2. reſp. fruſtra fieri per plura, quando æque connaturalitèr & commodè poſſunt fieri per pauciora; ſecùs aliter. Vbi nota 1. dũ adſtruimus non repugnare, quod ſpecies poſsit eſſe ipſe habitus, nos non intendere, quod ſit habitus ex ſe (nam ex ſe ſolum eſt fœcũdatiua ex parte obiecti inſtar ſeminis virilis) ſed quod non repugnet, vt virtus ſpeciei propria identificetur cum virtute habitus propria & confortatiua potentiæ, prout ex parte potentiæ: & quod ſic vtraque virtus in vnam coeat entitatem.

1439 Nota 2. has vnitates & diuerſitates, quas adſtruim⁹ in lumine gloriæ, in ſcientia infuſa, in ſpecie vna impreſſa creaturarum, licet non fundentur in repugnantia aliqua metaphyſica, vel phyſica maioris identitatis, vel multitudinis, ſed in ſola connaturalitate, eſſe veriſimiliores de facto, quia partus metaphora communitèr aſſerta petit diſtinctionem, inter vuluam concipientem, & virtutem fæcundantem; vulua etiam petere videtur diuerſas virtutes luminis & ſcientiæ infuſæ; cum partus ſint tam diuerſi vtpotè vnus totus beatificus, alter ex ſe ad ſtatum viæ dirigendum, magis omogeneus & cõformior. Pro imperfectione autem viatorum, multiplices ſpecies & habitus connaturaliores ſunt.

ARTICVLVS VII.

DE HAC SCIENTIA PROVT IN CHRISTO, vbi plura pro dictis.

1440 ASſero 1. cum communi contra paucos, fuiſſe in Chriſto. Tum ex dictis. Tùm, quia in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, & dona S. ſpiritus, ſapientiæ, ſcientiæ & conſilij. Tùm, quia in ipſo eſt potentia obedientialis ad creaturas extra Verbum, vtpotè intuibiles ex ſe per propriam ſpeciem, & in proprio genere (non ſolum mediatè in Deo; ſed immediatè in ſe). Hęc autem potentia obedientialis eſſet imperfecta, ſi non haberet vires per quas poſſet ad actum reduci. Tùm, quia ſi in Angelo eſt cognitio creaturarum matutina in Deo, & veſpertina immediata in ipſis, vt perficiantur in omni ordine, potiori iure in Chriſto ob ſuam dignitatem. Tùm quia licet omnia noſcat Chriſtus in Deo, quantum ad numerum ſcitorum, non quantum ad modum immediatum noſcẽdi; & ideò teſtabat noſcere in ſeipſis, quia eſt nouus modus noſcendi vtilis & perfectus, quod non habet fides. Tum deniq; ob maiorem connaturalitatem dirigendi omogeneè actiones liberas. Vide D.tho. opuſculo 2.cap.216.

1441 Nec obeſt 1. quod defectus illius ſcientiæ non eſſet imperfectio in Chriſto, cum non eſſet ignorantia priuatiua, ſed purã neſcientia (ſicut quam habet de alijs creaturis, cum non comprehendat Deum) quia nec erat debita humanitati vtpotè ſuperna, nec neceſſaria, cum ſufficeret viſio beata. Reſp. enim fore imperfectionem,

cum

Digitized by Google

cum ſit debita vnioni, & addat nouam perfectionem; nec eſt paritas de cognitione omnium, cum hęc ſit illi impoſſibilis.

1442 Nec 2. Chriſtus per hanc ſcientiam non eſt perfectior, quam per ſolam beatam; ſicut nec per gratiam habitualem ſanctior. Confirmatur: perſonalitas diuina impedit creatam: ergo & ſcientia beata infuſſam. Nego antec. quia hæc eſt diuerſa perfectio quoad ſe & viſus quo ad munus. Nec eſt paritas de gratia, quia non eſt ſapiens per ſapientiam increatam (nec modo, quo non poſſit fieri additio) ſicut eſt Sanctus per ſanctitatem increatam. Ad confirm. conceſſo antec. nego conſeq. quia ſimultas perſonalitatum repugnat vnitati perſonæ, in qua ſtat myſterium, ſecùs ſimultas beatæ & infuſæ.

1443 Nec 3. vſus huius ſcientiæ repugnat cum beata, quæ ſemper erat in Chriſto, quia repugnant in vna potentia duæ ſimùl operationes. Nego de ſubordinatis, matutina & veſpertina; & in voluntate de intentione & electione. Reſp. 2. duas operationes non repugnare vni potentiæ, quando ita diuinitus confortatur, vt ſit quaſi duplex, vt patet in gaudio & triſtitia Chriſti.

1444 Ex quibus ſequitur quod humanitati vt vnitæ etiam debetur ſcientia per ſe infuſſa naturalis propria Angelorum & animæ ſeparatæ, per quam circa obiecta naturalia per ſpecies naturales quidditatiuas operari poſſit independentèr à phantaſmatibus; debetur autem non ſolum ratione vnionis, ſed etiam ratione ſtatus beatifici operatiui independentèr à corpore, non minùs quam ſi eſſet in ſtatu ſeparationis.

1445 Aſſero 2. Chriſtum per hanc ſcientiam nouiſſe intuitiuè omnia ſuperna aliquando exiſtentia, imò & comprehendiſſe omnes ſinus & quantum noſcibilia ſunt. Prob. quia nec hoc pacto excedunt cognoſcibilitatem, Go- immediatam finitam, de qua num. 1368. Ita eruditè doy hic tom. 2. diſp. 35. Nec obeſt 1. quod quando res eſt connexa cum termino (vt viſio Beata, fides, & &c.) quantò magis noſcitur de termino, magis noſcitur de re, nec noſcitur iſta quoad omnes ſinus, niſi penetratio quidditatiuè illo; atqui infuſſa non penetrat quidditatiuè Deum: ergo nec comprehendit viſionem, &c.

1446 Nota dum res connexa comprehenditur, noſci debere terminũ, ſed ſecundum præciſſum termini & ſic ex vi penetrationis cauſæ noſci debet formalitas illa terminatiua ſola, quam connexio metaphyſicè attingit & repræſentat; ſecùs aliæ formalitates phyſicè concomitantes, quia iſtæ ſunt extra rationem præciſſam terminationis. Sic ex vi creaturæ comprehenſæ, noſcitur Deus vt vnus & vt creator, non vt Trinus. Similitèr in Speculo paruo repræſentante ſolam faciem hominis & non pedes, quantumcumque viſio occularis ſit præſpicax, ex vi penetrationis ſpeculi, ſolum repręſentat hominem inadæquatè, & ſecundum faciem, & non ſecundum pedes; imò falſa eſſet viſio, quæ tunc ex vi ſpeculi repræſentaret pedes, cum in illo ſpeculo non ſit talis vis.

1447 Reſp. ergo, rem connexam noſci perfectius, quãtò perfectius noſcitur terminus, ſed ſecundũ præciſſam & metaphyſicam rationem terminandi, & ex vi penetrationis rei connexæ. Non vero ſi aliundè adſit notitia de alijs formalitatibus. Nam hæc non auget claritatem comprehenſionis de re connexa, cum ille terminus qui eſt concomitans & non eſt præſciſſus, non pertineat ad intrinſecum rei connexæ vt talis, nec ſecundum formale, nec ſecundum virtuale. Quod autem addit notitiæ circa conuinationes talis rei connexæ reſpectu formalitatum concomitantèr ſe habentium in termino, cum ſit ſecundum extrinſecam denominationem, ad comprehenſionem non attinet, niſi ſola notitia termini præciſſi: & huius vt cogniti præciſè abſtractiuè & in alio, & inadequatè atque imperfectè, & prout in connexionis ſpeculo præciſè repræſentatur.

1448 Replicas: infuſſa non penetrat hæc entia, quantum petunt penetrari: ergo non eſt cognitio adęquata, nec comprehenſiua. Antec. patet, quia ſunt noſcibilia per viſionem beatam magis penetrantem illa & clarius repræſentantem terminum præciſſum & concomitantes. Nego antec. quia ex propria cognoſcibilitate immediata adęquantur per infuſſam, quoad capacitatem ipſorum. Quod ſi altius penetrantur per Beatam, id habent ex cognoſcibilitate aliena & ſuperexcedenti & per medium omnipotentiæ, in quo noſcuntur vltra id quod petunt, quia noſcuntur etiam ſecundum conuinationes extrinſecas.

1449 Obijcies 2. principium comprehendens & comprehenſum debent eſſe æqualis perfectionis entitatiuę; atqui nulla ſcientia infuſſa aut Beata, eſt ſic æqualis lumini gloriæ, &c. ergo nec comprehenſiua illius. Maior. prob. quia tanta debet eſſe actiua cognoſcitiuitas in cõprehendente, quanta cognoſcibilitas in comprehenſo, alias non poſſet dari adæquatio. Æqualitas autem illa requirit entitatiuæ perfectionis æqualitatem. Tùm, quia cum ſint proprietates cognoſcentis & cognoſcibilis, ſecuntur talium entium perfectiones: ergo perfectiones æquales, ſi ipſæ ſunt æquales. Tùm, quia Angelus inferior ſuperiorem non comprehendit, quia ſicut eſt inferior perfectione, ita & cognoſcitiuitate. Tùm, quia principium productiuum debet eſſe æquale entitatiuè producto: ergo & comprehenſiuum comprehenſo. Tùm deniquè à priori, quia quod vna potentia ſit magis cognoſcitiua quam alia, non eſt à quo proueniat, niſi ab immaterialitate & perfectione ſua entitatiua ſpecifica, & idem de maiori cognoſcibilitate in vno obiecto, quam in alio: ergo quod cognoſcitiuitas & cognoſcibilitas ſint omninò ęquales, prouenire debet à perfectione propria & ſpecifica entitatiua omninò æquali.

1450 Reſpondent Godoy, Gonet, & alij conceſſa maiori, negando minor. quia ęqualitas cum obiecto non eſt attendenda in principio proximo formali cognitionis (ſic enim nec Angelus ſuperior comprehenderet inferiorem, cum natura illius ſit ſuperior principio formali, nempè intellectu illius) ſed attendenda eſt in conflato ex principio radicali & formali: Radicale autem cognitionis infuſſæ eſt gratia habitualis; formale vero habitus tanquam principium proximum. Reſultat autem in entitatiua perfectione, æquale lumini & viſioni conflatum, ex gratia quę perfectior eſt & habitu. Quod conflatum, non conſtat ex illis vt ex cauſis partialibus, ſeu vt ex partibus cauſæ; habetque de perfectione & cognoſcitiuitate, quantum lumen & viſio de cognoſcibili.

1451 Contra hanc ſolutionem replico ſic: ergo ſaltèm vnionem hypoſtaticam, per infuſſam non comprehendet (imò nec per Beatam). Conſeq. prob. quia vnio excedit perfectione entitatiua (& non ſolum morali vt quidam volunt) gratiam & habitus ordinis gratię, nempè lumen & ſcientiam infuſſam. Prob. Tùm, quia ordinem hypoſtaticum in eſſe & produci excedere ordinem gratiæ, tota Theologia clamat. Tùm, quia eſt phyſica ſubſtantialis participatio Dei in vnitatem ſuppoſiti, & ſic altior toto ordine gratiæ, ſicut gratia toto ordine ſubſtantiali, & accidentali naturæ. Vndè humanitas eleuata per gratiam eſt conflatum multò inferius vnione in ſubſtantiali perfectione. Tùm, quia vnio per ſeipſam licet ſit nexus metaphyſicus ſolius perſonalitatis vt termini pręciſſi, eſt formalis adductio omnium perfectionum diuinarum, eo quod ſit nexus perſonalitatis vt diuinæ: ergo eſt nexus multò altior nexu gratiæ & amicitię, vtpote non phyſico nec ſubſtantiali, ſed affectiuo: ergo incomprehenſibilis ab humanitate quantumcumque per ſcientias creatas illuminata. Et ſi dicas vnionem ſaltem materiæ eſſe corpoream, & animæ, eſſe non vitalem. ergo eſt inferior gratia. Contra quia iſtum defectũ ſupplet ratio nexus cum Deo & arctitudo, & eleuat ad maiorem ordinem.

1452 Ideò reſpondent aliqui conflatum ex humanitate & gratia, prout ſupponente vnionem vt conditionem operandi, velut complementum humanitatis, iam eſſe æquale perfectioni vnionis. Sed contra, quia vnio non eſt conditio operandi, & licet ſit, non auget conflatum in ratione cognoſcitiui. ſola enim humanitas vt illuminata per ſcientias eſt principium cognoſcitiuum;

Digitized by Google

quam capacitatem aut virtutem vnio ex ſe non auget: ergo ſi conflatum eſt multò inferius, vnio erit incomprehenſibilis ab illo. Dices: ſi vnio hypoſtatica non conducit ad cognoſcendum, nec gratia habitualis; ſiquidem ſcientia infuſa in peccatore æque penetrabit obiectum, ac in iuſto. Negabunt antec. quia gratia eſt de linea intellectiua radicalitèr, & influit formalitèr per habitum fidei, vel luminis; ſicut anima per intellectum.

1453 P. Gonet de hac replica, nihil. Godoy eam latè propugnat, & ſolutione ſuperiori atque alijs impugnatis, reſpondet comprehendi per lumen inferius, quando repugnat æquale. Ratio eſt, quia apud ipſum comprehenditur obiectum, cum cognoſcitur tota penetratione quam petit, & hæc eſt lex comprehenſionis: vnio autem non petit lumen creatum æquale, quia repugnat, ſed inferius; & ſic cum hoc ſit totum quod petit, per hoc manebit comprehenſa. Et ſi dicas petere ſuperiorem iſta, nempè Beatam, & ſic non comprehendetur per infuſam. Reſpondet non petere beatam ex cognoſcibilitate propria ſua, & ſi illam terminat mediatè in Deo, eſt ex aliena. Solum ergo poſtulat infuſam inferiorem, quia ſolum hanc ſpecificare poteſt per ſe ipſam, non beatam quæ ſpecificari à Deo ſolo valet.

1454 Sed pace tanti viri, ſi repugnat principium æquale, potius neganda videbatur comprehenſio vnionis (ſicut ob eandem rationem repugnat comprehenſio creata Dei) quàm doctrina illa generalis, requirens æqualitatem entitatiuæ perfectionis deſerenda.

1455 Impugno ergo: vel ad comprehenſionem requiritur eſſentialitèr æqualitas perfectionis entitatiuæ, vel non; ita vt ſine illa cognoſcens penetret omnes ſinus & nihil rei lateat cognoſcentem? Si 1. non dabitur comprehenſio, ſiquidem deficit prædicatum eſſentiale. Si 2. ergo de conceptu eſſentiali comprehenſionis & totalis adæquationis, non eſt perfectionis æqualitas, & ſic licet deficiat iſta, ſaluabitur lex comprehenſionis contra vos.

1456 Confirm. vt vnio hypoſtatica & ſatisfactio condigna pro offenſa cadant ſub meritum condignum puræ creaturæ requirens æqualitatem, repugnantia meriti æqualis in creatura non ſupplet pro æqualitate, nec facit quod meritum creatum inferius adæquet præmium ſuperius: ergo nec repugnantia luminis æqualis ſupplebit in comprehenſione pro æquali, nec faciet quod lumen inferius adæquet vnionem ſuperiorem. Vndè potius vnio petet non æquari cognitione finita immediata in ratione ſcibilis, ſicut nec merito puræ creaturæ in ratione valoris.

ARTICVLVS VIII.

QVÆDAM DE COMPREHENSIONE ET ſolutio 2. Argumenti.

1457 QVouſque ſuo loco de comprehenſione agamus, indeciſſa ſequentia relinquemus, ſed admiſſa pro nunc. Nota 1. illud comprehendi ſtrictè intelligibilitèr, quod totum & totalitèr capitur expreſsè ſecundum intrinſecum formale & virtuale, & ſecundum omnes fines ſuos, intra capacitatem intelligentis, ita vt nihil eius lateat cognoſcentem; nihil ſit extra, ſed totum intra ita capiatur & finiatur finitione negatiua, vt in claritate penetrationis detur inter cognitum & cognoſcens, adæquatio intentionalis expreſſa totalis.

1458 Vndè non eſt neceſſe, quod cognitio ſit ſumma quæ de re haberi poteſt (aliàs ſolus Deus comprehenderet granum arenæ) cum illa ſit ſuperexcedens; ſed eſt neceſſe, quod ſit tam adæquata intentionalitèr, vt ipſa res ex meritis propriæ cognoſcibilitatis, & pro adæquanda ſua ſufficientia, nihil amplius petat. Quod ſi cognitio ab iſta adæquatione deficiat (etiam ſi ſit ex repugnantia aliqua aliundè proueniente) comprehenſio nullatenùs erit. Videatur Ioann. à S. Thom. de Incarnation. diſp. 12. artic. 1.

1459 Ex his ſequitur ad comprehenſionem potentiæ obedientialis ſufficere quod penetretur vt capax in genere, ad quidquid non repugnat. Quod enim non repugnet illi viſio beata vel gratia, non eſt de finibus intrinſecis talis entitatis, ſed de finibus alienis à natura ipſius, ſicut & aliæ couinationes contingentes & prædicamentales. Vndè apud plures comprehendetur intellectus humanus, ſi penetretur præciſsè vt cognoſcitiuus omnis veri in genere, quia ipſe ex ſuis, ſolum eſt cauſa cognoſcitiua inadæquata; quod vero ſit ſpecificè cognoſcitiuus lapidis, v. g. habet ex alienis, nempè ex ſpecie lapidis.

1460 Nota 2. inmaterialitatem eſſe requiſitū lineæ intelligibilis, quia cum materia impediat vim & expeditionem cognoſcendi, abſtractio à materia (non ſummitur hæc pro actu intellectus, ſed pro materiæ carentia in ipſa re) ſiue ſeparatio aut remotio materiæ, ita deſeruit cognitioni vt quantò minùs res habet de materia, tantò magis habeat de cognoſcitiua. Eſt autem triplex materia 1. ſingularis. 2. ſenſibilis. 3. intelligibilis, ideſt corporea, & quantitatiua. Iſta dicitur intelligibilis, quia non percipitur ſenſibus, ſicut illa. Vndè triplex eſt à materia remotio, ſiue eleuatio. 1. ſupra ſingularem. 2. ſupra ſenſibilem. 3. ſupra intelligibilem: quæ triplex eleuatio eſt triplex gradus inmaterialitatis. De his vide 1. par. quæſt. de Specie impreſſa pro viſione Beata.

1461 Nota 3. ex Salmenticenſibus de Angelis fol. 372. duplicem eſſe intelligibilitatem (ſicut etiam intellectiuitas eſt duplex) vnam materialem & in eſſe rei, aliam formalem puram, in eſſe ſcibili; illa prior dicitur materialis, quia per iſtam 2. formalizatur ad rationem ſcibilis. Iſta ergo pura, eſt intelligibilitas in genere accomodationis & muneris & adæquationis in ratione ſcientiæ & ſcibilis (quidquid ſit de æqualitate entitatiua vel nō). Licet autem detur vna inmaterialitas quoad gradum genericum & alia magis ſpecifica quoad modum, intelligibilitas tamen formalis pura aſſeritur ab iſtis authoribus, quod ſumatur à gradu, & non à modo ſpeciali & ſpecifico, quia apud ipſos modus ſe habet pure materialitèr & entitatiuè ad munus noſcitiui, vel noſcibilis. Sed quidquid ſit de hoc vltimo.

1462 Nota 4. intra eundum gradum inmaterialitatis eſſe omnes Angelos (in quo gradu non ſunt animæ rationales, ſed in inferiori propter alligationem ad materiam) quia omnes carent quantitate & ordine ad illam, tamen in vno eſſe maiorem vim cognoſcendi quam in alio, & ſuperior eſt magis beatus beatitudine naturali quam inferior, quod à pluribus tribuitur perfectiori modo inmaterialitatis ſpecificæ principij noſcitiui intra eundem gradum, licet alij prouenire teneant ex perfectioribus ſpeciebus impreſsis, vel ex alijs capitibus.

1463 Nota 5. non omnem exceſſum perfectionis prouenire à maiori inmaterialitate vt patet in vnione hypoſtatica corporea perfectiori quam viſio beata; & viſione ſuperna occulari vel imaginaria de luce ſuperna, perfectiori, quā intellectio lucis naturalis. Dato tamen quod perfectior cognoſcitiuitas & cognoſcibilitas proueniant à maiori perfectione inmaterialitatis in eodem gradu, tamen dico in rebus perfectis poſſe dari alias perfectiones entitatiuas, quæ non proueniant ex perfectiori inmaterialitate, ſicut in exemplis adductis.

1464 Dato igitur pro nunc, quod inmaterialitas maior adferat plus de intelligibilitate. Ego dicerem, quod bene poteſt hypoſtatica eſſe perfectior & non proptereà habens plus de intelligibili; fortè enim in ipſa formalitèr & intrinſecè ſumpta, non ſunt tot ſinus, quot ſunt in viſione Dei, quia in vnione, ſola eſt immediata connexio ad perſonalitatem diuinam vt ſubſtituentem pro humana, & hic ſolus eſt terminus præciſſus expreſſus; in viſione vero cum ſit expreſio immediata Trinitatis & omnium Dei, ſunt plures, & plures ſinus. His poſsitis.

1465 Reſp. ad argumentum: nego maior. nempè requiri ſemper tantam perfectionem entitatiuam in comprehendente, ac in obiecto comprehenſo. Solùm enim requiritur tanta intentionalis pura formalis expreſsiua, ſecus tanta entitatiua. Inſuper ſi requiritur tanta perfe-

Digitized by Google

ctio entitatiua, id eſt, quando perfectio maior cóprehenſi prouenit à perfectiori inmaterialitatis modo, quia ſicut tunc creſcunt ſinus & intelligibilitas & ſubtilitas in obiecto, debet creſcere capacitas in cognoſcente. Quando vero perfectio nó prouenit ex illo capite, ſed ex alio quod non augeat intelligibilitatem nec ſinus, non debet augeri vſque ad æqualitatem perfectio phyſica cognoſcentis, ſed ſufficit intentionalis.

1466 Hìnc ad probar. mai. reſpondetur ſine æqualitate entitatiua dari æqualitatem cognoſcitiui & cognoſcibilis in linea ſcibili. Ad ſecundam reſp. licet ſint proprietates, non propterea debere ęquari cum entitatibus, ſed eas proportionalitèr ſequi (ſicut riſibilitas rationalitatem non æquat) ac per conſequens nec inter ſe phyſicè, ſed ſolùm intelligibilitèr & in accomodatione. Adde non eſſe proprietates illorum entium vt taliú, ſed iuxtà gradum & perfectionem inmaterialitatis, non iuxtà exceſſum entitatiuæ perfectionis. Ad 3. Angelum inferiorem permiſſo, non comprehendere ſuperiorem (Salmanticenſes enim citati, acritèr oppoſitum tenent) ſed non ob exceſſum perfectionis entitatiuæ cuiuslibet, ſed vel quia principium radicale eſt minùs perfectum & minoris virtutis vt quidam volunt: vel ob exceſſum in ſuperiore perfectioris inmaterialitatis, quæ eo ipſo trahit maiores ſinus & quod habeat plus de cognoſcitiuo, ac per conſequens de cognoſcibili. Vnio autem non eſt perfectior perfectione afferente altiorem modum inmaterialitatis, nec per ſinus profundiores.

1467 Ad 4. reſp. producens vnionem producere Chriſtum & communicare producto totum, quod habet Chriſtus, vt homo homini animã rationalẽ & ſic cũ productio ſit partió actiua cómunicatio, neceſſe eſt, quod habeat totum illud vel tantum perfectionis, quantum communicatur producto: at comprehenſio non eſt realis communicatio partium ipſi obiecto, nec illi dat *eſſe*, ſed penetrat ſinus: & ſic ſufficit, quod habeat de penetrante, quátum obiectum habet de ſinibus. Sic reſpondet P. Vnanos diſp. 23. ſect. 4. num. 12. Ad vltimum reſp. quod res habeat plus de cognoſcibili prouenire à maiori inmaterialitate afferente plures, vel ſubtiliores ſinus & ſic petere cognoſcitiuum æquale in inmaterialitate; ſed non æquale in perfectione entitatiua obiecti, quando iſta, non adfert maiorem intelligibilitatem. De his latius DD. 1. par. D. Thom. ad quæſt. 56. art. 2.

1468 Replicabis: vnio eſt obiectum multò altius & perfectius alijs ſupernis: ergo non poteſt capi totalitèr captu comprehenſiuo ſcientię infuſſæ, vtpotè communi illis, quia non habet communem, ſed propriam cognoſcibilitatem. Idem argumentum eſt de viſione beata, quia cum vt cognoſcitiua habeat ab obiecto multò plures perfectiones, imò & ſinus, quam Infuſſa, etiam vt cognoſcibilis erit perfectior, nec erit de iſtius communi comprehenſione.

1469 Nota, quando inter capiens & captum non ſit comparatio entitatiua, ſed in ratione formali capientis & capti, parum refert, quod capiens ſit plumbeum & captum ſit aureum vel terreum, vt capiantur in menſura communi. Luce etiam meridiana cómuni videntur ęque clarè, ſi debita in proportione conſtituantur, pictura vná Imaginem continens, & pictura multas figuras & ſinus claudens. Tunc enim comparatio ſit in ratione illuminantis & illuminati: ſimilitèr fides obſcura & viſio beata multò ſubtilior & altior & plures continens ſinus, comprehenſione communi ſcientiæ infuſſę adæquantur.

1470 Ratio autem poteſt eſſe, quia exceſſus illi perfectionis ſunt quoad intelligibilitatem entitatiuam materialem (imò in vnione impertinentem vtpotè non prouenientem ex inmaterialitate) ſecùs quoad formalem & in genere ſcibilis puro. Vndè ad intentionalem adæquationem, attenduntur penes cognoſci & cognoſcere intelligibilitatem & intellectiuitatem; ad quas ſæpè nihil refert in obiecto entitatiuus exceſſus ſupra conſtatum ex principijs cognoſcendi (ſaltìm quando exceſſus ex modo inmaterialiori non prouenit) & ſic ſcientiæ infuſſæ captum, licet multis communem, vnio non excedit.

1471 Ad replicam ergo conceſſo antec. nego conſeq. quia licet vnio diuerſam habeat radicalem & entitatiuam comprehenſibilitatem, formalem tamen cum alijs communem habet. Idem de viſione beata, cuius cognoſcitiuitas perfectior eſt ſcientiæ infuſſæ cognoſcitiuitate, ſecùs formalis cognoſcibilitas, quia totus ille cognoſcitiuitatis exceſſus eſt entitatiuus & licet creſcat ex modo inmaterialiori in intelligibilitate formali, ſicut & materiali, ſcientiæ tamen infuſſæ principia in conſtato non excedit.

1472 Vndè nota apud Salmanticenſes citatos & alios, vt principium poſſit eſſe comprehenſiuum alicuius obiecti, ſufficere, quod non excedatur ab obiecto in gradu inmaterialitatis, quamvis excedatur in perfectione, imò & in modo inmaterialitatis, quia iſte modus ad cognoſci etiam ſe habet intelligibilitèr materialitèr; ſicut enim capiens & captum debēt eſſe eiuſdem quantitã tis, licet differant in alijs, ita & comprehendens & comprehenſum eiuſdem inmaterialitatis, quoad gradum. Quod ſi inferas: ergo Angelus inferior comprehendet ſuperiorem, cum ſint in eodem gradu inmaterialitatis. Concedunt Salmant. Ego non decido. Negari poteſt, quia maior perfectio in ſuperiori prouenit à perfectiori modo inmaterialitatis, qua caret conſtatum Angeli inferioris, ſecùs in vnione. Apud alios enim etiam requiritur, quod nec in modo inmaterialitatis, obiectum excedat ſaltim conſtatum ex principijs.

1473 Infero, non obſtare comprehenſioni vnionis hypoſtaticæ quoad entitatem, quod ſit donum non pure creatum, quia quod habet de increato, nempè Verbum adductum, ſolum debet noſci quantum per vnionem eſt repræſentabile ſcientiæ, ſecũdum rationem termini præciſſi, ac per conſequens finitè. Dixi ſecundum entitatem, nam ſecundum valorem non eſt comprehenſibilis, cum iſte ſit infinitus ſimplicitèr.

ARTICVLVS VIIII.

DE VSSV PER PHANTASMATA, ET SINE illis, ſcientiæ infuſſæ in Chriſto.

1474 QVæritur 1. an Chriſtus vſus fuerit illà conuertendo ſe ad phantaſmata? Negat commun. ſentent. contra Duran. in 3. diſtinct. 14. quæſt. 3. & benè. 1. quia vſus dependentèr à phantaſmate conſiſtit in eo quod intellectio fiat per ſpeciem dependentem à phantaſmatibus; nullam autem cognitionem ſcientię infuſſæ, nec de re ſpirituali, nec dę materiali fecit Chriſtus ſic, ſed per ſpecies à Deo infuſſas. 2. quia ſcientiá & ſpecies datæ Chriſto non fuerunt ſecundum potentiam naturalem, ſed obedentialem, & eędem potuerunt eſſe in Angelis; ſicut idem habitus fidei & luminis gloriæ. Ratio autem eſt, quia non dantur illis ad perficiendum intellectum ſecundum cuiuslibet ſpecificam rationẽ, ſed ſecundum rationem communem intellectus eleuabilis obedentialitèr: ergo ſi in Angelis ſunt independentes à phantaſmate ex ſe ipſis, etiam in Chriſto. Et licet reſponderi poſſet, id prouenire in Angelo ex conditione ſubiecti, argumentum 1. probat ex natura ſpecierum etiam prouenire. Quod ſi dicat quis, per ſpecies productas de re materiali à phantaſmate cum intellectu agente, poſſe habitum ſcientiæ infuſſæ (eas eleuando) elicere cognitionem ſicut habitus fidei de facto, id fieret valdè de per accidens & non connaturale tali ſcientię.

1475 Nec obeſt 1. ex Ariſt. D. Thom. & Dioniſio animam, dum eſt immerſa corpori operari dependentèr à corpore, quia modus operandi ſequitur modũ eſſendi. Itẽ D. Tho. quæſt. 11. art. 4. in fine ait: Hanc ſcientiam in Chriſto eſſe inferiorem Angelica, quantum ad modũ operandi dependentèr á phantaſmatibus. Reſp. enim animam in corpore operari dependentèr à corpore in his quæ accipit per ſenſus, ſiue in naturalibus, ſecùs in gratuitis & quæ

per

Digitized by Google

per ſe ſunt à Deo infuſſa, & habent ex ſe ſufficientiam ad operationem,ſine vllo phantaſmatis concurſu (qualem nõ habet fides in nobis)& præcipuè ſi ex ſtatus beatifici priuilegio habeat talia principia, & operari in corpore ſine corpore.

1476 D.Tho.autem ſolum vult,quod Chriſtus & beati operentur dependentèr à phantaſmatibus, ſed non per eandem ſcientiam,ſed per acquiſitas. Vel quod poſsita phantaſmatis excitatione, operetur Chriſtus per infuſſam,ſed non dependentèr,ſed concomitantèr.Lugo alitèr reſpondet, in Chriſto dari aliquam ſcientiam ſupernam per ſe dependentem à phantaſmate,& accomodatam modo proprio operandi prout in corpore, diſtinctam à per ſe infuſſa accomodata ſtatui Chriſti beatifico, & de 1. loqui D. Thom.Sed an detur talis ſcientia dubium eſt; & de ea diſputat Vnanoa diſp.24.ſect.7.Solutio prior tenenda eſt,quia non conſtat,apud D. Thom.de tali ſcientia ſuperna dependenti.

1477 Nec obeſt 2.quod ad hoc vt phantaſmata numquam ſe inmiſcerent in vſſum huius ſcientiæ, neceſſaria erat aliqua dos in corpore Chriſti,ſicut dantur aliæ quatuor dotes, vt in alijs operationibus corpus beati ſemper ſubdatur animæ;atqui nulla erat inChriſto talis dos, nec eſt cognita aliqua præter quatuor: ergo poterant phantaſmata ſe inmiſcere. Hoc argumentum vide apud Cornejo 10.2.fol.203. Nego maior.quia operationes illæ ad quas datur dos in corpore ſunt oparationes corporis; operatio autem ſcientiæ infuſſæ non eſt corporis ſed animæ, ad quam ſufficiunt ſtatus beatificus, habitus & ſpecies impreſſæ omninò independentes,in eſſe & operari à phantaſmatibus; iſta autem non ſe poſſunt inmiſcere in cognitionem ſcientiæ infuſſæ,quia hoc debebãt præſtare,producendo tales ſpecies & non purè concomitantèr,quod illis impoſsibile eſt.

1478 Cornejo fol. 204. docet Chriſtum potuiſſe vti hac ſcientia conuertendo ſe ad phantaſmata:non purè cõcomitantèr. Et probat multis ex D.Thom.& ratione,non tamen ſunt contra dicta,quia non intendit talem conuerſionẽ ad phãtaſmata,ita vt accipiat ſpecies à phantaſmatibus,ſed potius quod illa ſcientia per ſuas ſpecies materiales infuſſas,cognoſcendo obiecta, moueat imaginationem ad formanda phantaſmata. Vndè potius ponit ſpecies ad phantaſmata, quam accipiat ab illis: in quibus phantaſmatibus ſic formatis per motionem ſcientiæ infuſſæ,poteſt tanquam in obiecto materiali res imaginatas cognoſcere. Reliqua vide apud ipſum.

1479 Quæritur 2. an Chriſtus fuerit ſemper in actuali vſſu huius ſcientiæ circa aliquod obiectum? Affirm. 1. cum communi. Prob. tum. quia erat maior perfectio, tum quia in vita mortali meruit ſine interruptione; nec etiam habebat Chriſtus perquod impediretur à tali exercitio: nam non à corpore, quia ab iſto non pendebat, nec à ſomno qui ſicut non impediebat viſionem beatam ita nec exercitium huius ſcientiæ. Nec obeſt D. Thom. quæſt.11. art.5.dicens:non oportere, vt hæc ſcientia ſemper eſſet in actu 2. Reſp. loqui de actu 2.adæquato,ſicut eſt neceſsè in viſione beata.

Affir.2.Xp̄m habuiſſe in ſua manu cognoſcere hoc obiectũ præ alio per iſtã ſcientiã.Ratio eſt quia Chriſtus præcipuè in independẽtibus à corpore,nõ eſt minùs liber,quã Angelus,& anima ſeparata;quibus cõmunitèr conceditur libertas cogitandi de hoc obiecto præ alio, eſtque maior Chriſti perfectio.Sed cum libertas cogitandi de hoc obiecto præ alio,egeat cognitione excitante, à quo Chriſtus excitabatur? Suar. ait,quod à viſione beata. Alij, quod à cognitione omnium ſpecierum, in qua ſemper erat. Alij quod à Deo ad quem attinet Excitatio.

14480 An autem ſemper, vel ſaltìm aliquando omnia obiecta quorum ſpecies habebat, ſimùl cognouerit ſimultate cognoſcentis? & ſi omnia ſimùl, an vnica cognitione vel pluribus? diſputant DD. Omnia ſimùl & vnico actu cognouiſsè per ſcientiam beatam, ſupra probauimus,dum ſermo eſſet de illa.Per infuſſam autem etiam eſt ſatis probabile (quia erat dignitati Chriſti conueniens) à 1. inſtanti omnia vt viatorem nouiſſe, vt de omnibus gratias ageret Patri.Et quia perfectius eſt, res nouiſſe in actu 2. quam ſolum in 1. Alij probant, quia ſi Chriſtus differret noſcere omnia, pro tempore dilationis diceretur ignorans. Diſplicet hæc ratio,quia cum noſceret per Beatam, ignorans dici non poſſet; Dum autem omnia nouit ſimùl, id præſtitit vnica vel pluribus cognitionibus,iuxtà vnitatem vel pluralitatem ſpeciei impreſſę,de qua ſupra. Omnia tamen ſub eadem ratione creatæ veritatis intuibilis supernè.

ARTICVLVS X.

DE VSSV PER DISCVRSVM ET COMPOſitionem.

1481 QVæritur 3.an vſſus fuerit diſcurſiu? Nota 1.aliud eſſe, an ſcientia infuſſa egeat illo;& an poſsit vti? Nota 2. aliud eſſe loqui de habente ſpecies omnium creaturarum immediatas vt in Chriſto. Aliud de non habente. Nota 3. quæſtionem eſſe quoad vſſum, quia certum eſt, Chriſtum non diſcurriſſe quoad adquiſitionem huius ſcientiæ cum ſit infuſſa.Si dicas, actum non fuiſſe infuſſum ſed habitum,& ideò potuiſſe diſcurrere ad adquirendum actũ. Nego hoc vltimum. Tùm, quia id eſſet diſcurrere ex neceſsitate adquirendi ſcientiam. Tùm, quia à 1. inſtanti vt diximus,habuit actum de omnibus.

Aſſero 1. Chriſtum non eguiſſe, quia de omnibus habebat ſpecies, & ſimplici intuitu penetrabat quidditatem,& in illa terminos connexos, quantum repræſentabiles erant. Vndè noſcebat effectus in cauſa, ſed non ex cauſa. Nec obeſt 1. quod noſcebat effectum per cauſam & aſſentiebatur propter veritatem intuitam cauſæ; ſed hic eſt diſcurſus vt patet in nobis: ergo.Nego min. quia cum haberet vnam ſpeciem de veritate cauſæ vt connexę cum effectu, vna & abſque diſcurſu cognitione vtrumque noſcebat. Nos autem non vnam ſpeciem de vtroque habemus,ideò gradatìm & diſcurſiue per vnum obiectum aſcendimus in aliud.

1482 Aſſero 2. circa res connexas cum his, de quibus habebat ſpeciem,non eguit diſcurſu, v.g. circa Trinitatem,quia licet pro libito diſcurrere vellet circa illã vt aliqui volunt,non poſſet plura de Trinitate diſcurrere ſcientificè, quam quæ ex vi medij connexi cum illa repræſentabilia ſunt.Alia autem nõ diſcurreret ſcientificè; atqui de his non egebat, cum omnia illa clariſsimè, licet indirectè noſceret in ipſis medijs: ergo non eguit. Idem dico de poſsibilibus alijs, de quibus non habebat ſpeciem,& erant repæſentabilia ex vi eorum, de quibus habebat ſpeciem.

1483 Difficultas eſt, an potuerit diſcurrere? Affirmant plures ſecuti D. Thom.Probant Recentiores, quia circa Trinitatem de qua non habebat ſpeciem propriam non eſt inconueniens vt diſcurrat, ſiquidem eam non noſcit ſimplici intuitu. Idem docet Vnanoa diſp.23.ſect. 10.circa ea de quibus habebat ſpeciem propriam;pro libito tamem volebat non vti propria, ſed aliena indirecta & mediata.v.g. ſpecie cauſæ pro effectu:quia tunc ſe habebat,ac ſi non haberet ſpeciem propriam.Licet enim hæc ſcientia ex ſe habeat regularitèr tendere intuitu ſimplici, modo Angelico & animæ ſeparatæ.ſicque hæc maior perfectio:hoc non tollit,quominùs pro libito poſſit alium modũ procedendi amplecti, nempè diſcurrendo.

1484 Sed poſſet quis dicere,quod cum diſcurſus ex propria ratione ſit imperfectus (& ideò relegatur à Deo) quamvis poſsit aliquando in ſcienciam infuſſam cadere, in Chriſto non eſt admitendus;ſaltìm circa ea de quibus habebat ſpeciem immediatam. Tùm, quia de his non datur in Angelo.Tùm,quia conſultatio relegatur à Chriſto,quia videtur ſapere præſupoſitiuè dubitationem; diſcurſus autem etiam illam ſapit.Tùm præcipuè,quia hoc eſſet ſibi pro libito innutilitèr imperfectiones procurare. Ad ſaluandum autem exercitium diſcurrendi, ſufficit, ſi Chriſtus illum elliciat per ſcientiam per ſe adquiſitam,

&

Digitized by Google

& non per ſcientiã per ſe infuſſam. Tùm, quia illa ſcientia nata eſt ferri in ſua obiecta ſimplici intuitu, ergo repugnat ei ferri diſcurſu, quia ille eſt modus oppoſitus illi. Tum, quia vt diſcurrat, neceſſe eſt vti ſpecie impræſſa infuſſa inadæquatè modo pro vno obiecto, modo pro alio. At hoc non eſt diſcurrere, quia potius eſt noſcere vnum poſt aliud, quam vnum ex alio, & ideo Angelus vtendo inadæquatè, non diſcurrit, ſed modo vtitur ſpecie ſua pro vno obiecto modo pro alio diſparato. Tũ, quia ſequeretur quod Angelus, etiam poſſet diſcurrere per ſcientiam hanc, ſi non pugnat diſcurſus cum illa. Tandẽ, habitu primorum principiorum poſſet homo vti ad diſcurrendum, ſi habitui nato tendere ſimplici intuitu, non repugnat diſcurſus. Ex quibus videtur repugnare, quod ſcientia infuſſa diſcurrat, ita vt per idem lumen ipſa ponat principia, & ipſa eliciat concluſiones.

1485 Nec obſunt contra hanc ſententiam diſcurſus Chriſti diſputationes in Templo, & illatio illa in Euangelio: *Ergo liberi ſunt filij.* Tùm, quia vel erant diſcurſus ſcientiæ per ſe acquiſibilis: vel erant, non in intellectu ſed in vocibus: Ex quibus omninò reijciendi ſunt, qui diſcurſum ponunt etiam circa immediatè intuita in Beato ſic: *Omnis viſio Dei eſt beatifica: ſed hæc eſt viſio Dei: ergo beatifica.* Sicut enim habens intuitionem de re, probabilius eſt, quod non poſsit adduci ad aſſentiendum ex teſtimonio extrinſeco dicẽtis, quia rapitur totus à vi intuitionis, ita nec iſte ad diſcurrendum.

1486 Sequitur ex his, Chriſtum non fuiſſe vſum tali ſcientia de facto, modo compoſitiuo nec diuiſiuo, licet nec ei repugnet. Modus compoſitiuus eſt quando extrema cõcepta per apprehẽſiones, cõparantur, vt cõponãtur poſteà ſimplici iudicio. Diuiſiuus eſt, quando concipiuntur per apprehenſiones vt iudicio negatiuo ſeparentur. Attenta enim natura, & in Chriſto conditione naturæ, nõ apparet repugnantia in eo quod poſſit vti ſpeciebus ſuis inadæquatè, & ſic pro apprehenſionibus vt poſteà coniungat. Sed cum iſte modus procedendi (vtendo nempè ſpeciebus quidditatiuis clariſsimis, pro cognitione tam imperfecta) imperfectus ſit, de facto non videtur admittendus ab hac ſententia.

ARTICVLVS XI.

RESOLVITVR DIFFICVLTAS DE DISCVRSV.

1487 ASſero, Chriſtũ de facto, aliquando vſum fuiſſe hac ſcientia pro diſcurſu. Ita communiter Thomiſtæ, & præcipuè noſter Cornejo to. 2. tract. 2. circa quæſt. 11. diſp. vnic. dub. 3. & plures referent. Duplicem modum diſcurrendi ponit Cornejo. Primus eſt, vt ex Omnipotentia beatificè viſſa deducat per ſciẽtiam infuſſam, tanquam per diuerſum lumen poſsibilitatem Incarnationis, & Euchariſtiæ, v.g. & ex actibus liberis viſis in Deo, deducat veritatem futurorum contingentium, ita vt aliud ſit lumen ponens principia, aliud ponens concluſionem; & iſte modus probabilior videtur, nempè quod Chriſtus accipiendo principia à viſione beata per ſciẽtiam infuſſam deducat concluſionem. Idem eſt de Angelis (non obſtante D. Tho. negante illis diſcurſum, quia negat quando principia & concluſiones obiectiuæ eadem ſpecie & lumine eiuſdem ſcientiæ tanguntur, non quando diuerſis.) Quia iſta dona data ſunt Chriſto & Angelis, non iuxtà potentiam cuiuſque naturalem ſed obedientialem, & ſic quantum ad hoc ſunt æquales.

1488 Secundus modus eſt, quod Chriſtus per idem lumen ſcientiæ infuſſæ poſuerit principia, & concluſiones deduxerit. Licet enim hæc ſcientia ex parte ſcientiæ, nata ſit tendere vnico intuitu, nõ eſt inconueniens, quod accommodando ſe conditioni ſubiecti, deſeruiat in Chriſto pro diſcurſu. Prob. 1. quia eſt ſententia expreſſa D. Tho. q. 11. artic. 3. Secundò ex textu illo Matth. 17. *ergo liberi ſunt filij,* quo D. Tho. probat in Chriſto diſcurſum, & idem conuincit diſputatio Chriſti in Templo. Si reſpondeas 1. hos diſcurſus eſſe ſcientiæ per ſe acquiſitæ, non verò per ſe infuſſæ. Contra, quia erant conſiderationi de obiectis ſupernaturalibus vt talibus, nempè de immunitate à tributo in Chriſto, quia filio naturali Dei, & in filijs adoptiuis. Quæ obiecta non ſunt ſcientiæ per ſe acquiſitæ vtpotè eſtimatiuè naturalis, ſed ſupernæ. Si reſpondeas 2. Illos diſcurſus fuiſſe tantùm in vocibus, & non in mente; ſicut quando Deus loquitur homini, & Angelus in corpore aſſumpto diſputaret cum homine de rebus naturalibus, diſcurſus eſſet tantum in voce, & non in mente. Contra: Communiter admittitur, quod Chriſtus aliquando diſcurrerit in mente. Si hic, vbi conſtat de fide diſcurſus vocalis, iſte non probat mentalem ex conformitate locutionis ad intellectum, & modi cognoſcendi ad conditionem ſubiecti; ferè nunquam dabitur bona diſcurſus probatio.

1489 3. Quia licet iſta ſcientia ex parte ſua ſit omninò independens à phantaſmate, permittit tamen, quod Chriſtus ſe accõmodans conditioni ſubiecti, pro libito operetur aliquando, cum dependentia formali ab illo, de quo ſtatim: taliter quòd dependentia redundaret in actũ ipſius: ergo idem erit de vſu quoad diſcurſum. Tandem ex Ioanne à S. Tho. hic diſp. 14. art. 1. quia ſpecie per ſe infuſſa poteſt intellectus humanus vt diuerſus ab Angelico vti inadæquatè: ita vt, quia ipſa repræſentat veritates immediatè in ſe; & ſimul repræſentat connexionem vnius ad aliam, & illius vt illuminantis ad iſtam vt illuminabilem, poterit intellectus humanus (ſi velit, ſequi modum ſuum) vti ſpecie, non primo modo, ſed ſecundo: ergo & diſcurrere educendo vnum ex alio propter connexionem cum illo.

1490 Ex quib⁹ ſequitur, attẽta natura ſcientiæ infuſſæ nõ requiri diſcurſum, ſed nec ei repugnare. Quã 2. partem probant plura Patris Ripaldæ argumenta, to. 1. diſp. 55. à nu. 18. Quin obſit contra Ripaldam, quod fidei repugnet eſſe Theologia, ac per conſequens eſſe diſcurſiua. Concedo: quia fides & Theologia habent diuerſas rationes formales, nempè illa reuelationem; iſta illationem ex reuelatis. Infuſſa autem ſemper nititur eadẽ, nempè veritate creata intuibili ſupernè.

1491 Ad argumenta facta num. 1484. reſponderi poteſt notando prius, ſcientiam per ſe infuſſam datam Chriſto & Angelis, impertitam eſſe illis (quantum attinet ad prædicata eſſentialia ſcientiæ) iuxta potentiam obedientialem intellectus creati vt ſic, & non Angelici vt talis, nec humani vt talis. Item hanc ſcientiam in Chriſto ſumptam ex parte ſcientiæ, eſſe multo perfectiorem & clariorem quam in Angelis ob dignitatem perſonæ, & ſupremum magiſterium. Dixi *ex parte ſcientiæ*, quia aliud eſt loqui de ea ſic, & aliud de vſu ipſius, accommodando ſe Angelus vel Chriſtus conditioni ſubiecti. Sic enim Chriſtus poteſt vti illa diſcurrendo, ſi velit, ſecus Angelus. Chriſtus ergo dupliciter vti illa poteſt. Primò iuxta naturam ſcientiæ, & cum omnimoda independentia à corpore, à phantaſmate, & à diſcurſu. Et talis actus erit Angelico multo perfectior. 2. Si eliciat actum ſe iſtis accommodando, & iſte erit imperfectior. Sed ſumetur ex imperfectione ſubiecti. Hæc ergo ſcientia non datur tàm eleuatæ, vt impediat has imperfectiones. Reſp. ergo.

1492 Ad 1. quod licet diſcurſus ſit ex ſe imperfectus, Chriſto non repugnant imperfectiones phyſicæ, & admitti poſſunt propter operationis modum connaturaliorem, & vt intellectus in omni ſua potentialitate perficiatur. Ad 2. quod in Angelis non datur diſcurſus, quia in illis non eſſet conformis conditioni ſubiecti. Ad 3. reſpondetur non dari in Chriſto ad intra conſultationem, quia ſupponit hæc abſolutè, ignorantiam; at diſcurſus non ſupponit illam abſolutè, ſed ſolum ſupponit cum addito: Et non ignorantiam, ſed potius præciſionem in præmiſsis, à veritate illata; id eſt ex vi illius medij. Ad 4. nego Chriſtum diſcurrendo, ſibi inutiliter imperfectiones procurare. Tum, quia potius procuraret ſibi modũ connaturaliorem, licet in illo imbibantur. Tum, quia non eſſet inutiliter, ſed vtiliter pro hominibus conuincendis. Ad 5. reſp. iſtam ſcientiam eminentiori modo

Digitized by Google

continete virtutem & ad actus ſimplicis intuitus, & ad actus diſcurſiuos (quia ſpecies & repræſentat totum obiectum pro intuitu, & repræſentat cõnexionem vnius cũ alio pro diſcurſu; & ſi illud noſcatur per vſum inadæquatum ſpeciei, illuminat pro iſto deducendo) & in diuerſis actibus oppoſitio illa intuitionis & diſcurſus nihil obeſt.

1493 Ad 6. Fateor vſum inadæquatum ſpeciei, diuidendo conceptus, præciſè non probare illationem vnius ex alio. Eo tamẽ dato, poteſt intellectus ex vno noſcere, & concludere aliud, ſi cõditio ſubiecti ferat. In Angelis autem non fert. Ad 7. Non eſt paritas de habitu principiorum ad ſcientiam infuſam, quia iſta, licet ex parte ſua non dicat diſcurſum, permittit illum ex parte ſubiecti ſcientis, cum adhuc conſeruetur ſpecificatiuum eius. At habitus ille, nec ex parte ſua, nec ex parte ſcientis. Ratio eſt quia prima principia ſunt fons, vndè oritur diſcurſus. Si autem ex parte ſubiecti admitterẽt diſcurri per alia, non eſſent iam prima principia, & daretur in infinitum proceſſus, probando hæc per alia, & illa per alia.

1494 Ex quibus iuxta hæc principia ſequitur, quod licet hæc ſcientia ex parte ſuæ perfectionis non ſit compoſitiua, nec diuiſiua (ideſt nata cognoſcere faciendo cõparationem vel diuiſionem inter ipſa obiecta, antea ſeorſim cognita) ſed potius ſit nata conuenientiam prædicati cum ſubiecto ſimplici intuitu noſcere; poteſt tamen eſſe permitti compoſitio vel diuiſio, attenta ſubiecti conditione, vt de diſcurſu dictum eſt.

1495 Hæ ſunt doctrinæ communes Thomiſtarum, iuxta quas diſcurſus Chriſti fundari debet in vſu ſpeciei inadæquato. Sed ego licet capiã in ſpecie vniuerſali vſum inadæquatum modo pro vno obiecto, modo pro alio, quando ſunt diſparata; ſanè capere non poſſum, quomodò poſſit fieri partitio ſpeciei, pro obiectis omninò, & eſſentialiter connexis in ſpecie & cognitione quidditatiua (minùs in comprehenſiua, quæ ſit in Chriſto). Si enim Chriſtus in quidditate viſa Omnipotentię, vt productiuæ vnionis hypoſtaticę & Euchariſtiæ, neceſſario eodem intuitu apud vos comprehendit iſtas in Deo, & iudicat eodem intuitu illas eſſe poſsibiles: ergo inutilitèr, immò & impoſsibilitèr inferret: *ergo ſunt poſſibiles*, cum nulla, ex parte Omnipotentiæ vt veritatis illuminatiuæ, queat præciſio à veritate illuminabili, & diſcurrenda præcedere. Confirm. Quia de termino non poteſt plus per diſcurſum euidentem deduci ex vi connexionis cum medio, quam quod medium metaphyſicè repræſentat. De quo num. 1446. Omne autem quod repræſentabile eſt de tali termino, & deducibile ex vi connexionis per medium, iam eſt repræſentatum per intuitum quidditatiuum Diuinæ Omnipotentiæ vt medij, qualis erat in Chriſto: ergo vel impoſsibilis, vel ſaltem inutiliſsima eſt talis illatio: eſſet enim nõ minus identica, quam *Petrus eſt Petrus*. Diſplicet igitur mihi iſte modus probandi diſcurſum in Chriſto.

1496 Admittam ergo illum de facto, ſi media inferendi concluſionem talia poſsint diſponi, vt aliquid plùs, vel ſaltim idipſum clarius inferri poſsit in concluſione, quam erat in præmiſsis. Hoc autem admittã in cognitione illa dependente à phantaſmate, ex qua de rebus ſpiritualibus aliquid deduci poteſt, quod per talem cognitionem vt præmiſſam, non ſic attingebatur; v.g. *Serui tenentur tributum reddere ſuo Principi, quia ſerui ſunt.* Ex quo antecedenti phantaſmatico, deduci poteſt: *ergo Nos filij Dei, qui tales ſumus, per naturam ego, per gratiam vos liberi ſumus à tributo.* Quæ illatio in antec. quantumcumque comprehenſo, non ita clarè continebatur, quia ex vi illius præciſè, non conſtabat, dari tales filios Dei per naturam, vel gratiam.

ARTICVLVS XII.

ALIQVA NOTANTVR DE CONVERSIONE ad phantaſmata.

1497 CIrca dict. art. 9. à n. 1474. Nota 1. Aliud eſſe dependere à phantaſmate in adquiri, aliud verò poſt adquiſitionẽ ſpeciei, dependere in operari. Nota 2. Cognoſcere per conuerſionem ad phantaſmata ſumi latè, & ſumi ſtrictè. Latè, quando intellectu noſcente per ſpecies infuſas obiectum ſenſibile, phãtaſia ſimul, & per puram concommitantiam idem obiectum noſcit, cognitione ſua imaginatiua, & producendo in ſe phantaſma. Hoc eſt tàm impropriè conuerti ad phantaſma, vt ab hac concommitantia, nec viſio beata eximatur. Strictè eſt, quando intellectus in phantaſmate ipſo, cognoſcit obiectum ſenſibile, ita vt cognitio etiam ipſum phantaſma habeat pro obiecto. Hoc enim eſt formaliſsimè conuerti ad phantaſma, ideſt contẽplari phantaſma. Nota 3. Dum ſermo eſt de noſcendis obiectis per conuerſionem ad phantaſma, ſolum eſt de materialibus quidditatiuè noſcendis, non de ſpiritualibus huius ſcientię obiectis: quia ſolũ de illis datur phantaſma. Spiritualia enim nequeunt quidditatiuè & prout in ſe, per phantaſma repræſentari, ſed ad ſummum abſtractiuè, & ad modum alterius.

1498 Nota 4. Quod ſcientia per ſe infuſa in Chriſto, de per ſe eſt independens à corpore, à phantaſmate, & à conditionibus corporis, & eſt dealligata ab illis, & cognoſcit modo Angelico, in quo differt à ſcientia per accidens infuſa: Cum enim illa quaſi dimanet, & deriuetur in Chriſto vt à principio à ſcientia beata, debet ipſius independentiam à corpore imitari. Hoc tamen non tollit, quod per aliquem actum ſuum procedentem è ſpeciebus per ſe infuſis, poſsit ad phantaſma conuerti ex libito ipſius Chriſti. Sicut enim ille qui habet præ oculis Petrum, ſi mandat adduci ſpeculum, poteſt ſi velit, auertere oculos à facie Petri in ſeipſa, & conuertere ad ſpeculum in illoque faciem Petri intueri. Similitér poteſt Chriſtus nole vti ſpecie per ſe infuſa vt immediatè videat obiectum in ſeipſo, ſed mouere phantaſiam vt de tali obiecto phantaſma producat, vt in eo videat per actum ſcientiæ infuſæ tale obiectum. Quomodo autem phantaſma miniſtret ſcientiæ infuſæ, ad vſum prædictæ cognitionis, declarat Ioan. à S. Tho. tom. de Incarnat. ad quæſt. 11. diſp. 14. art. 1. Non enim concurrit tale phantaſma vt principium, à quo ſumatur, & producatur ſpecies, ſed vt obiectum contemplatum, & terminus formatus à phantaſia ex imperio ſcientiæ infuſæ, vt in illo iſta cognoſcat obiectum. Cognoſcat autem per ſpeciem per ſe infuſam, quàm iam habebat. Et Chriſtus vtitur iſta, non vt repræſentat abſolutè ſuum obiectum, ſed vt repræſentat illud cum aliqua comparatione ad phantaſma, in quo cognoſcatur, propter proportionem quàm habet obiectum prout in ſe cum tali phantaſmate.

1499 Nota 5. Actus ſcientiæ infuſæ eſſe valdè diuerſos ab obiecto imò & ſpecie, & præcipuè iſte qui in phantaſmate contemplatur quidditatem obiecti ſui. Nihilominus procedunt ab eadem ſcientia infuſa; atque ab eiſdem ſpeciebus per ſe infuſis, quia attingunt obiectum ſub eodem modo ſuperno ſub eademque attingibilitate, & ratione veritatis creatæ, intuibilis ſupernè. Ab obiecto ergo erunt diuerſi, diuerſitate ſpeciei atomę, non verò diuerſitate ordinis, ſiue habitus, quia in ratione formali mouendi, eodem modo & terminabilitate à potentia mouent, de qua ſæpè ſupra. Videatur Illuſtriſſimus Godoy, tom. 2. de Incarn. diſp. 37. n. 125.

1500 Redeo ergo iam ad dict. art. 9. Et 1. pro n. 1474. (vbi tribuebamus ſententiæ communi, quod Chriſtus nõ cognoſcat ex ſciẽtia infuſa per conuerſionẽ ad phantaſmata) aduerto ly *per conuerſionem* habere duplicem ſenſum. Vnus eſt *dependentèr à phantaſmate influente* (ſiue ſpeciem cum intellectu agente ſimul miniſtrante). Alius eſt, *per phantaſma vt medium obiectiuum in quo* reddens obiectum proximè attingibile, modo nuper explicato. In 1. ſenſu negaui cum communi ſent. Licet autem iſtam ſcientiam non pendere à corpore in ſuo operari, probent dicta num. 1475. hoc intelligitur ex parte ſuæ perfectionis, & generalitèr loquendo. Sed non probant vnum vel alterum actum ipſius non pendere à corporeo phantaſmate vt obiecto; volente Chriſto pro libito ſe ac-

Digitized by Google

accommodare conditioni ſui ſecli. Vnde dum num. 1476. non admiſi cum Lugo ſcientiam infuſſam per ſe dependentem à phantaſmate, mens fuit negare de habitu per ſe determinato ad pendendum à phantaſmate, non verò de aliquo actu ſpeciali procedente quaſi ex permiſsione, ab eodem habitu communiter admiſſo, vt nuper explicui.

1501 Quæ dixi num. 1478. De eo quod iſta ſcientia per ſuas ſpecies immateriales moueat phantaſiam ad phantaſma formandum, eſt mens expreſſa D. Thom. qui docet quod intellectus aliquando mouetur à phantaſmate, daturque motus à phantaſmate ad intellectum. Quod intellige, quando phantaſma cum intellectu agente miniſtrat ſpecies ſpirituales intellectui Paſsibili. Aliquando verò motus incipit ab intellectu, ipſeque mouet phātaſiam. Patet experientia. Si enim quis velit conſiderare figuram Regis abſentis excitat phantaſiam, & ipſa producit phantaſma de Rege, ſiue Imaginem de illo, in qua illum noſcit eodem modo, ac ſi eſſet præſens. Et tunc dicitur, quod intellectus potius ponit ſpecies ſuas in phantaſmate, quatenus vtitur ſpeciebus illis, vt dirigat phantaſiam, & imperet phantaſma, in quo velut ſpeculo cognoſcat obiectum, cognitione producta per ſpecies ſpirituales infuſſas, atque ad phantaſma contemplandum directas. Hæc latius reperies apud Authores.

1502 Circa huius ſcientiæ alias qualitates dico, quod licet ſit vnus habitus, continet rationem practici & ſpeculatiui, illam pro agendis; iſtam pro Dei perfectione & alijs altiſsimè contemplandis: hoc enim ei conuenit pro ſua eminentia, ſicut D. Thom. dixit de Theologia.

ARTICVLVS XIII.

AN CHRISTVS COGNOVERIT EXTRA *Verbum omnia poſſibilia.*

1503 VAldè difficilis eſt hæc quæſtio. Duplicē partē claudit. Vna eſt, an talis cognitio ſit poſſibilis. Altera an detur in Chriſto. Poſſibilem affirmant Recentiores qui admittunt poſſibile infinitum in actu; & ex Thomiſtis negantibus iſtud, defendunt illā Illuſtr. Godoi, & P. Gonet. Vterque hic. Poteſt probari 1. Quia pro tota collectione comprehendenda, licet infinita ſufficit cognitio, vel ſpecies impreſſa entitatiuè finita, gaudens exceſſu infiniti Ordinis. Sicut ſufficit iſte in viſione beata, pro intuenda quidditate Dei, quæ infinitior eſt collectione illa. 2. Quia talis cognitio licet attingat infinita, attingit finitè, ſub modo & ſpecificatiuo finito: ergo ſufficiet in illa, finita efficacia pro tali obiecto, ſicut ſufficit in viſione beata efficacia finita, eo quod Deitas infinita attingitur finitè, & ſub ratione finita. Antecē proba. Nam cū intellectus ſpecificetur à Vero quidditatiuo, & omnes quidditates illius collectionis ſint finitæ, cognitio ab illis, finitè ſpecificabitur.

1504 3. Quia licet cognitio ſiue ſpecies impreſſa ſit repræſentatiuè *ipſum obiectum*, id eſt, ſit *omnes illas quidditates repræſentans*, non tamen eſt *omnes illas vt ſunt in ſe multæ*, ſed vt adunantur in vno medio & ratione finita, à qua habeant quod ſint vnum obiectum & vnum repræſentabile. Vt v. g. ſi omnes herbæ comprehendantur ſub ratione ſalubrium, ſiue ſub conuenientia ad medicamentum tanquam ſub ratione finita, omnes ſunt vnum repræſentabile finitum: ergo & tota illa collectio adunata in aliqua ratione finita. V. g. quidditatis creatæ, erit in ratione repræſentabilis quid finitum, & à tali ſpecificatiuo finito finitabitur cognitio.

1505 In tribus ergo videtur niti hæc ſententia. 1. eſt, quod ſufficiat exceſſus Ordinis. 2. eſt, quod tangantur illa omnia ſub ratione aliqua finita. 3. eſt, quod finitudo illius rationis cognitæ in qua dicunt adunari, ſit ſufficiens finitare cognitionem illam, vel ſpeciem impreſſam.

1506 Nota 1. Quod cum tota illa multitudo nequeat per ſe ipſam vniri intellectui per modum ſpeciei impreſſæ, nec detur creatum medium cognitum, altius, à quo contineantur, & in quo videantur (quia illud eſt ſola Omnipotentia) neceſſario requiri pro illo ſpeciem aliquā impreſſam ita vniuerſalem, quod eſſet ſimilitudo illarū omnium quidditatum diſtinctè vt omnium: ſiue autem ſpecies impreſſa concurrat ad cognitionem in ſolo genere cauſæ formalis, vt ſimilitudo obiecti effigians & informans intellectum; ſiue etiam in genere cauſæ efficientis vt vis fœcundatiua & influxiua, neceſſario debet continere in ſe ipſa ſimilitudines, vel vires diſtinctas & graduales pro ſingulis obiectis vt talibus. Vndè omnis ſimilitudo, & omnis vis, quæ reperitur diſperſa in ſpecie impreſſa de ſolo leone, & in alia de ſolo equo, &c. debet eminentiori modo præcontineri in tali ſpecie, vt equiualeret pro omnibus. Sicut autem Angelus poteſt vti ſua ſpecie vniuerſali diuiſiuè, vel pro quidditate leonis, vel pro equi, ita poſſet intellectus vti illa, vel pro cognitione, quæ ſimul eſſet omniū vt omnium, vel diuiſiuè pro comprehenſione leonis ſub ratione quidditatis creatæ, vel equi, vel lapidis & ſic diuiſiuè in infinitum.

1507 Nota 2. Hic eſſe ſermonem non de cognitione ſuperficiali omnium, ſed de quidditatiua (vide ſupra nu. 1364) vel etiam de comprehenſiua. Et aduerte comprehenſionem illius collectionis cognitæ ſub vnica ratione quidditatis creatæ, non ſolum ſpecificari primario à ratione illa generica *creata*, ſed etiam à ſingulis quidditatibus vt ſpecificè & eſſentialiter diuerſis. Videatur noſter Lao de Angelis tom. 2. in 1. p. à n. 2784. & P. Gonet ibi diſp. 6. art. 5. §. 3. & ratio eſt. Tùm, quia comprehenſio differt v. g. à fide, quia iſta ſpecificatur à myſterijs, non vt ſunt (parum enim refert, quod reuelatum ſit Trinitas vel dies iudicij) ſed prout dictus à Deo & reuelatis. Et ſic fides habet pro vnico ſpecificatiuo formali ſolam reuelationem; At comprehenſio eſt de quidditatibus vt ſunt, & ſic diuerſiſsimā eſt à primario ſpecificatiuo comprehenſio Equi, & comprehenſio Angeli. Vide ſupra num. 1415. & amplius à num. 1423. Tùm, quia illā adunatio quidditatum in ratione generica quidditatis creatæ, ſicut & herbarum in ratione ſalubrium, non datur vt ſit adæquatum ſpecificatiuum primarium, ſed vt obiectum non ſit, & plura vt plura; vt pro vno actu fiant vnum obiectum. Tùm etiam, quia comprehenſio omnium vt omnium, vel debet eſſe in ipſis immediatè, & prout ipſis, vel debet eſſe in aliquo medio altiori, quod repræſentet ipſas vt ipſas, eo quod contineat adæquatè ipſas vt ipſas. Propterea enim in Omnipotētia poſſunt videri à beato, quia eſt medium altius repræſentans illas, quia continet illas vt illas. Atqui in ratione aliqua generica v. g. ſalubritatis in herbis, & veritatis creatæ in collectione, vt præciſsè generica, nequeunt contineri quidditates differentiales vt tales: ergo neque repræſentari per illā præciſsè vt talem. Nec illa ſola ſufficiet ſpecificare pro omnibus vt omnibus. Quod ſi vna Philoſophia ſupra nu. 1425. attingens hominem & leonem ſub ratione entis mobilis, non ſpecificetur ab illis vt illis, erit quia nec eſt comprehenſiua illorum, imò nec quidditatiua, ſed ſuperficialis eorum, & vt materialiter ſe habentium ad Philoſophiam.

1508 Aſſero impoſsibilem eſſe talem cognitionem (& idem de ſpecie impreſſa) Ita noſter Cornejo to. 2. de Incarn. tract. 2. q. 10. dub. 1. *& alibi*. Probo concluſionē 1. ex D. Th. in diſp. q. 20. de verit. art. 5. ad 1. docente quod in Chriſto nō datur talis cognitio. Atqui ſi eſſet poſſibilis deberet dari, cū ſit magna perfectio, & non excedens capacitatem obedientialē eius, nec repugnans fini redemptionis per mortem: vt enim conſtat ex nu. 1432. magis præponderat dignitas ipſius vt concedatur, quam ſtatus connaturalitas, vt negetur. Nec obeſt 1. Chriſto non fore connaturalem modum cognoſcendi vniuerſaliorem Angelico. Atqui talis eſſet iſte ergo. Reſpon. 1. negando conſeq. Quia potius erat attendenda dignitas, quam connaturalitas. Reſpondetur 2. diſtinguendo maio. In his quæ noſcebat per conuerſionem ad phantaſmata concedo. In independentibus ab illa, qualis eſt hæc cognitio, nego. Nec obeſſet 2. Chriſtum non debuiſſe cognoſce-

eſſe plura extra Verbum, quam in Verbo. Reſp. potius debuiſſe, ſi extra Verbum poſſet, vt ſuppleretur quod intra Verbum non poterat.

1509 Ratione autem probatur 2. Quia infinitudo entitatiua nequit creaturæ conuenire, vtpotè attributum propriiſsimum Dei, ſiue eius ſpecialiſsima inchoatio. De quo ſupra quæſt. 20. art. 3. num. 1029. & 1030. & 1032. & 1042. & in tract. de Viſione Beata, quæſt. 1. Atqui conueniret huic cognitioni vel ſpeciei: ergo. Minor probatur. 1. Quia licet eas infinitas quidditates noſceret vt adunatas in vna ratione formali, cum tamen eſſet comprehenſio earum vt earum, deberet etiã ab illis vt talibus primario ſpecificari. Ergo cum illæ quidditates vt diuerſæ, repræſententur primario per illam, tot erunt in illa actu & Cathegrematicè attingentiæ repræſentatiuæ & expreſiuæ diuerſæ, quot ſunt quidditates repræſentatę. Si enim in Deo attingentiæ creaturarum ita ſunt quaſi virtualiter diuerſæ, quod diuerſæ correſpondeãt pro diuerſis creaturis, & poſsit vna proponi Beato, quin alia; multo melius à diuerſis quidditatibus, diuerſæ erunt attingentiæ correſpondentes illis; ergo & infinitæ actu ab infinitis vt talibus.

1510 Confirmatur. Talis cognitio eſſet effigies intentionalis earum omnium vt omnium, licet adunatarũ in aliqua ratione, quæ tamen non facit non eſſe omnium vt omnium, & vt diuerſarum: ergo ſicut illæ quidditates habent ſuas repræſentabilitates ſpecificatiuas diuerſas primarias, quas omnes refundunt in cognitionem, (& cognitio ſuggit ab illis omnem ſuccum earum vt diuerſarum, & ſecum repræſentabiliter inviſcerat) ita & ipſa cognitio claudet infinitas repræſentationes graduales, & tot perfectiones in ſe, quot ſunt in obiectis: & ſicut in obiectis ſunt tot, quot nõ finientur per æternitatem, ita & in cognitione, attingentiæ: ergo erit entitatiuè actu infinita.

1511 Declaro amplius, quia homo & Leo licet conueniant in materia prima, deferunt eſſentialiter, & primario inadæquatè in eſſe naturali, & faciunt primario diuerſas ſpecies, quia ad eſſe hominis & Leonis vt diuerſorum, non ſe habent de per accidẽs, nec de per ſe ſecundario, ſed de per ſe primario, licet inadæquatè, forma rationalis & Leonina; Atqui ad comprehenſionem hominis & Leonis (quæ eo ipſo eſt de ipſis vt diuerſis) etiã ſe habent de per ſe primario quidditates hominis vt talis, & Leonis vt talis. Ergo vt diuerſæ in eſſe repræſentabili, etiam ſe habebunt per ſe primario, licet inadæquatè: ac per conſequens arguent attingentias repræſentatiuas per ſe diuerſas inadæquatè, & infinitas.

1512 Secundò probatur. Illa mi. Quia Omnipotentia (& idem de Scientia Dei) non ſolum, eſt infinita generaliter & quia ens à ſe, ſed ſpecialiſsimè in proprio genere, & vt diuerſa ab alijs attributis, & in ratione virtutis præciſſa, productiuæ omnium vt omnium. Infinitudo autem omnium creabilium vt omnium, licet ſolum attingantur vt entitas finita, ſaltim arguitiuè & à poſteriori probat illam eſſe eſſentialiter infinitam, eo quod arguit in illa actu & formaliter virtutes diuerſas ad creaturas vt diuerſas. Angelus enim vt talis petit ſuam virtutem diuerſam, & Leo vt talis ſuam, & ſic de cæteris in infinitum. (Nõ enim eſt infinita eſſentialiter formaliter, & ſpecificatiuè à termino entitatiuè infinito, ſiquidem collectio creaturarum non eſſentialiter, ſed in multitudine tantum eſt infinita). Atqui comprehenſibilitas omnium vt omnium, etiam arguit & probat à poſteriori in ſpecie impræſſa diuerſas virtutes fœcundatiuas ſimul infinitas, nam eſſet ſimilitudo huius, & illius vt diuerſorum, & eſſet vis pro comprehenſione huius quidditatis, & pro alia & alia, & ſic in infinitum. Et etiam arguit in cognitione diuerſas attingentias; vnam pro qualibet ſpecie actu ſimul incluſas ergo etiam iſta erit entitatiuè, & eſſentialiter infinita.

1513 Repeto toties *omnium vt omnium*, Quæ enim producuntur à potentia, non ſub ratione diuerſitatis ſed ſub ratione aliqua communi, licet infinita ſint, non probant virtutem infinitam, quia non eſt virtus ad illas vt omnes & vt diuerſas, v.g. infinitę cognitiones ab intellectu creato, quia procedunt ab illo, ſub ratione ſola vitalitatis communi. Idem de infinitate indiuiduorum. Vide hic num. 1186. & nu. 1307. & nu. 932. & in materia de Attributis num. 283. & de Viſione quæſt. de eius poſſibilitate, dum ſoluo argumentum de infinitate. Vbi declaratiuo exemplo Imaginum argentearum fuſilum explicui, quod ſicut vnum proplaſticę (Hiſpanę *Molde*) ſufficit pro infinitis Imaginibus Beatæ Virginis, aliud pro infinitis Sancti Ioſeph. At pro diuerſis infinitis, infinitæ diuerſæ requiruntur, ſimiliter pro infinitis Indiuiduis, vna ſufficit finita virtus: pro diuerſis autem diuerſæ etiã virtutes neceſſariæ ſunt, & pro infinitis, infinitæ.

ARTICVLVS XIIII.

ALIA PROBATIO, VBI DE IDEMTITATE ſtricta intentionali ſpeciei impreſſa cum obiecto.

1514 EX his probo 4. repugnantiam talis cognitionis, iuxta principia Thomiſtica. Impoſsibile eſt, quod cognitio vna creata ſit per ſtrictam idemtitatem, *omnes illæ perfectiones infinitæ diuerſæ & quidditates obiecti*, quæ ſunt in illa collectione; atqui cognitio illa deberet eſſe repræſentabiliter omnes iſtæ, per ſtrictiſsimam idemtitatem: ergo repugnat talis cognitio. Quia tamẽ Recent. dicent, inuoluit repugnantiam in minori, nempè eſſe idem *repræſentabiliter*, & eſſe *idem per ſtrictiſsimam idemtitatem*; declarare intendo, non inuolui repugnantiam. Quia tamen res eſt pro ſenſu, captu difficillima, aliqua pręmittam notabilia diſlocata ex tract. de Viſione, ad quem, cum non ſit ita proximus prælo, lectorem remittere non poſſum.

1515 Nota ergo 1. In rebus eſſe diſtinguendas diuerſas lineas, v.g. Entitatiuam Phyſicã, Intelligibilem, Moralem, &c. In qualibet autem illarum habitant Dominus domus, ideſt præcipuum analogatũ, & omnia alia ad illam domum pertinentia. In Entitatiua nempè, omnis entitas ſub modo phyſico & entitatiuo. In intelligibili, Intelligere actuale, vt Dominus domus, & quidquid ſpecialiter conducit ad illud, vt cauſa, effectus, vel proprietas ſpecialis eius. Sicut in domo ſculptoris, non ſolum adeſt imago ſculpta, ſed inſtrumenta ſpecialia, & materia artis, & artifex ipſe. In linea Morali, actus humanus, vt Dominus domus, & quidquid ſpecialiter conducit ad illum vt caput lineæ.

1516 Nota 2. Vnam & eandem rem poſſe pertinere, ſub diuerſa ratione, ad diuerſas lineas & domos, v.g. cognitio fidei diuinæ pertinet vt ens, ad entitatiuam, vbi habitat cum Deo, lapidibus, lignis, & omni ente, prout ſub modo naturali, & phyſico: vt intellectio, ad intelligibilem, vbi habitat cum Intellectu vt intellectiuo, & cum ſpeciebus impræſſis, &c. Vt meritoria ad Moralem, &c. ſicut ego vt Carmelita pertineo ad iſtud Cœnobiũ, ad Vniuerſitatem vt Cathedraticus, ad Tribunal S. Inquiſitionis vt Miniſter, licet minimus ipſius.

1517 Nota 3. Res poſſe comparari inter ſe, ita vt quatenùs ſunt de vna linea, & ſub modo illius, ſint diuerſæ; quatenùs autem ſunt de alia, ſint idem idemtitate propria, & ſpeciali illius lineæ. Sic Prior Carmelitanus comparatus cum Laico ſuo, eſt idem quoad inſtitutum, non quoad iuriſdictionem. E contra comparatus cum Priore Dominicano eſt diuerſi inſtituti, & idem in iuriſdictione. Quælibet enim linea habet ſuas ſpecialiſſimas rationes idemtitatis, & alias diuerſitatis propriſsimas in ſuo genere, ita vt quę ſunt idem identitate ſtricta in vna linea, v.g. in intelligibili, manere poſsint diuerſa, & diſtincta in entitatiua ſub modo phyſico, & naturali. Vndè diuerſitas in vna linea non ſufficit excludere in alia ſtrictam idemtitatem, (vt quidam imperfectè hæc concipientes, malè exiſtimant), & ideò multis hoc declarare, & perſuadere contendo. Etenim in omnium ſententia, in linea morali valor viginti dracmarum in pecunia, & in Veſte, eſt pro Theologo morali ita omninò

nò idem, vt in confeſsione ſufficienter exprimatur illud numero peccatum, dicendo: *Commiſi furtum viginti drachmarum.* Licet enim paſſum & pecunia realiter, & ſpecie differant ſub modo entitatiuo & naturali, ſunt tamen idē omninò identitate ſtrictiſsima propria lineæ Moralis. Similiter poſſunt eſſe aliqua idem in linea phyſica, in morali verò eſſe diuerſiſsima, v.g. Crux Chriſti antequā eſſet ſua erat valdè diuerſa, ac poſtquam fuit ſua; nam antea erat abominatio, poſtea ſuma gloria, licet phyſicè ſemper eadem. De actione meritoria ſumpta vt ens liberum, & ſumpta vt honeſtum ex motiuo, & principio ſuperno, idem patet: quod euidenter probat, cum identitate entitatiua componi poſſe magnam diuerſitatem in linea alia nempè morali.

1518 Item Imago lignea Chriſti in linea repræſentatiua, & ipſe Chriſtus, ſunt idem: & ita omninò, & ſtrictè idem, vt Imago illa ſit in Altari, ſitque pro cultu, & adoratione noſtra ipſiſsimus Chriſtus, talis ab omnibus fidelibus dictus & inuocatus, verè, & ſine fictione, & vt talis ab omnibus adoratus, cum tàm ſtricto rigore, quod ſi non ipſe Chriſtus verus, ſed alius haberetur, adoratio eius eſſet idolatria. Eſt ergo per ſtrictiſsimam identitatē in eſſe repræſentatiuo, idem omninò Chriſtus, & non aliud à Chriſto. In linea tamen entitatiua, & ſub modo phyſico, & naturali, tàm diuerſa ſunt, quod vnum eſt lignum; aliud homo Deus. Et in hoc fundatur, quod Ariſtoteles, & Diuus Thomas docuerunt, nempè, quod intellectus cognoſcens lapidem ſit lapideus: licet enim maneant diuerſiſsimi ſub eſſe phyſico, & naturali, fiunt ſtrictiſsimè idem, identitate propria lineæ intentionalis.

1519 Vt magis hæc clareſcant obſeruandum eſt, quod vna linea pro ſuis proprijs non curat de his, quæ in alia linea contingunt: ſicut ordo gubernatiuus vnius domus non probat, eundem ordinem in alia domo etiam pro eiſdem ſubiectis eſſe ſeruandum: Sicut enim poteſt Religioſus in ſua domo eſſe primus, quia eſt Prælatus, v.g. longè præcedens ſubditum, & ſi ſit Doctor Vniuerſitatis, in illa eſſe poſterior tali ſubdito, Doctore antiquiori: Similiter contingit vt res, quę in vna linea identificantur, in alia opponantur, & ſint valdè diſtantia. Prob. Tùm in Tribunali Epiſcopi, & Vicarij Generalis, quod in Authoritate Iudicandi eſt idem & ipſiſsimum ſine vlla, quoad hoc imaginabili diſtinctione; in perſonis autem, & ſedibus datur entitatiua & realis diuerſitas. Tùm, quia nil magis idem phyſicè, quam corpus mobile, & ens, ſiquidem phyſicè iſtud imbibitur in illo, tamen in linea ſcibili ſunt tàm diſtincta & diuerſa, quod vt ens ſpecificet Metaphyſicam, ſecùs vt corpus mobile, ſed ſpecificat realiter, & ſpecie ab illa diſtinctam Phyſicam. Imò ſingularitas identificata cum gradibus ſpecificantibus ſcientias, nullam ſcientiam ſpecificat; & iſti, plures. Vndè patet, quod quę in vna linea habent ſuas proprias identitates, proprias habent diuerſitates in alia, & quod poſſunt eſſe idem omninò in vna, & manere diuerſa omninò in alia. Et ſic non valet argumentum de identitate in vna, ad identitatem in alia.

1520 Quod ſi nos ſæpè non poſſumus capere hanc identitatem in linea repræſentabili eſſe identitatem ſtrictam, ideò eſt, quia cū ſimus aſuefacti identitati phyſicæ groſæ, ſtatim mens vadit ad illam & alias confundit cum iſta quærens in illis iſtam: & hoc ſanè eſt confundere lineas, & non benè: ſicut qui eſt aſuefactus videre Prælatū Epiſcopū gubernare & cōferre ordines, male faceret ſi Priorē Regularē conciperet nō eſſe Prçlatum, quia eos non confert, cum ſufficiat ei poteſtas ſuę lineæ.

1521 Dices 1. Hanc identitatem in linea repræſentabili, cum relinquat Imaginem in eſſe ligni, diuerſam à vero Chriſto, non eſſe ſtrictam. Contra. Quia licet non ſit phyſica, eſt ſtricta repræſentatiua, ita vt ſi non eſſet identitas, adoratio Imaginis eſſet idolatria: eſt ergo rigoroſa identitas pro illa linea, licet ſit diſtinctio realis pro alia. Dices 2. Imago adoratur, non quia repræſentatiue ſit Chriſtus, ſed quia ſimilis Chriſto: ſimilitudo autem eſt diſtinctio. Contra. Nam ſi non adoratur quia eſt Chriſtus, ſed quia ſimilis: ergo nō Chriſtus ſed aliquid diſtinctum à Chriſto adoratur, quod falſum eſt. Non ergo adoratur quia ſimilis, ſed quia Chriſtus. Aliud enim eſt, quod hæc identitas cum Chriſto fundetur in ſimilitudine phyſica & naturali, figuræ & colorum Imaginis, cum Chriſto, ſiue in reſpectiuo ad Chriſtum, & hoc eſt verum; & aliud quod adoretur lignum quia ſimile, & hoc eſt falſum. Chriſtus enim ipſe adoratur in Imagine, quæ ipſimtas, ſiue identitas fundatur in naturali ſimilitudine. Sicut ſpecies impræſſa, vel expræſſa eſt repræſentatiuè ipſiſsimum obiectum & magis intimè, quàm animal ſit rationale. Illa tamen identitas, non ſtat in eo, quod gradus immaterialitatis inter ſpeciem & obiectum ſit entitatiuè, & phyſicè idem, ſed idem repræſentatiuè: Fundatur tamen hæc identitas repræſentatiua in illa identitate eiuſdem gradus immaterialitatis, de quo in tract. de Viſ. Quæſt. de ſpecie impreſſa.

1522 Hinc manet probata repugnantia illius cognitionis, nam deberet eſſe per identitatem ſtrictam *omnes illæ quidditates diuerſæ infinita illius collectionis.* Sicut vt daretur in vno linteo pictura omnium quæ ſunt in vno horto vt omnium, deberent eſſe Imagines, & tendentiæ expræſſiuę omnium vt omnium, ita vt eſſet pictura in illo omnis arboris, herbæ, floris; ſiue eſſe omnia illa vt omnia illa in eſſe repræſentatiuo: ſic illa cognitio deberet eſſe omnes, quidditatiuæ illæ perfectiones vt omnes; & infinitæ per identitatem ſtrictam in linea repręſentatiua, & deberet claudere tot attingentias expræſſiuas, & comprehēſiuas infinitas perfectiſsimas, quot ſunt illa obiecta infinita. Hoc autem repugnat apud vos, ergo & talis cognitio.

ARTICVLVS XV.

SOLVTIONES IMPVGNANTVR.

1523 Reddeo ad art. 13. & reſolut. n. 1505. (de eo quod ſufficiat exceſſus ordinis) impugnatur, & probatur non ſufficere exceſſum ordinis. Tùm, quia ſi ſufficit pro viſione Beata, ideò eſt, quia iſta eſt vnica tendentia ſpecificata ab vnico obiecto primario altiori. Et ſi ſit aliqualiter multiplex a ſecundario, & à diuerſis creaturis; ſed non infinitæ tendentiæ diuerſę vt diuerſæ, ſicut cognitio de qua loquimur. Tùm, quia ſi pro omnibus vt diuerſis ſimùl vel ſucceſsiuè ſufficeret vnica tendentia vel virtus altior, non eſſet cur non ſufficeret in ſatisfactione Chriſti virtus altior finita, & etiam pro infinitis creaturis diuerſis, virtus altior creata, cum apud vos, producibilitas vel comprehenſibilitas infinitarum quidditatum non arguat in ſuo attingente virtutes etherogeneas actu infinitas. Tùm, quia portans pondus, quod nequit portari niſi à duobus, neceſſario debet præhabere vires duplicatas duorū, & quod à mille, milium, ergo & quod ab infinitis, infinitorum. Si ergo ſingulæ quidditates poſsibilium diuerſæ, vt diuiſim comprehendendæ, requirunt diuerſas attingentias, & in ſpeciebus impreſsis diuerſas virtutes plus & plus in Infinitum: ergo ſi illa cognitio vel ſpecies impræſſa vnica, pondus omnium portare debeat in repræſentando, vel influendo, debet præcontinere virtutes diuerſas omnium vt omnium, ſicut Omnipotentia & Scientia Deitac per conſequens, & eſſe entitatiuè infinita.

1524 Confirmatur notabiliter. Quia ſi ab illis infinitis quidditatibus repræſentabilibus auferretur diſtinctio realis: & contribuente qualibet cum ſua perfectione eſſentiali diuerſa, coeuntes in vnam realem entitatem, iſta eſſet perfecta entitatiuè per infinitas perfectiones vt tales virtualiter diuerſas, & non per vnam altiorem. Imò illę perfectiones vt virtualiter diuerſæ, ſi ſucceſsiuè numerarentur, non finirentur per æternitatem: ergo idem erit de iſta cognitione comprehenſiua illarum. Conſeq. probatur. Quia in ea clauduntur ſine reali diſtinctione perfectiones, & attingentiæ infinitarum comprehenſionum diuerſarum de ſingulis quidditatibus, depuratæ & defecatæ à limite finitatis ſine diſtinctione. Imò reperiun-

tur in illa, altiori & ſimpliciori modo adunatæ, ita vt illa comprehēſio ſit realiter perfectiones omnes illarum, valdè accedens in modo ad ſimplicitatem Dei: ergo eſſet entitatiuè & ſimpliciter infinita.

1525 Ex his præcluſa eſt via dicentibus, ſaltèm fore poſsibilem cognitionem quidditatiuã omniũ vt omniũ, quæ non eſſet cõprehenſiua, ſi nempè non cõprehenderet effectus in cauſa; ſed effectus in ſe & cauſas in ſe, ſicut de Angelo inferiori dicitur à Thomiſtis, quod intueatur omnia naturalia, & effectus Superioris omnes quin illũ comprehendat, quia non noſcit illos in illo. Cont. enim: quia talis cognitio, etiam eſſet entitatiuè infinita, cũ clauderet actu, & gradualiter infinitas attingentias quidditatiuas diuerſas vt diuerſas. Angelus autem inferior infinita ſuperioris vt ſpecie diuerſa non noſcit, quia non ſunt.

1526 Ideò ad hæc argumenta 2. reſponſio erat (ex Caietano in 3. par. quæſt. 10. art. 3.) Specificatiuum primarium illius cognitionis eſſe finitum, quia eſt quidditas creata, quæ licet reperiatur in infinitis ſubiectis, eſt finita entitatiuè, & ab illa finitatur cognitio. Contra 1. Quia verum eſt, quod ad hoc vt comprehenſio ſit infinita ab obiecto prout ſpecificante, iſtud debet eſſe quidditatiuè infinitum. Secus vt ſit infinita ab illo *arguitiuè*. & à poſteriori, quia ad hoc ſufficit, quod terminus ita petat in ſuo attingente infinitatem, vt nequeat tangi ſic ab illo, niſi vt in ſe, & ex parte ſua infinito, pro illo munere, & hoc iam datur.

1527 Contra 2. Quia ab obiecto contingenter albo, cognitio in ratione repræſentandi illud vt album, non contingenter, ſed eſſentialiter ſpecificatur in ratione repræſentationis. Ratio huius eſt, quia licet albedo ſit accidens parieti, tendentia ad albedinem non eſt accidens cognitioni ſimplici parietis vt albi: ergo licet in illa collectione terminatiua, vna creatura & numerus earum ſit accidens quidditati alterius, & propterea ſingulæ quidditates ſint finitæ, repræſentatio tamen iſtarum non eſt accidens, ſed de eſſentia reſpectu comprehenſionis omnium.

1528 Quod vrgentiſsimè, ita ex dictis probo: Ideò ſingulæ quidditates ſunt finitæ in illa collectione, quia vna dicit limitem, nempè carentiam identitatis cum alia, & ſic vna eſt perfecta *vt ipſa & non vt omnes*: Atqui in vi repræſentatiua vel productiua non datur talis limes, ſed potius limes manet excluſus, cum omnes identificentur in vna ſpecie & cognitione, & illa cognitio licet vna, ſit perfecta *vt omnes*: ergo licet collectio ſit quoad quidditatem finita (quia acceſſus vnius ad aliam eſt contingens, & perfectionis diſtinctæ ab alia) virtus ad eas erit infinita, *quia virtus illa depurata, & defæcata eſt ab omni limite & carentia perfectionis*, & potius eſt perfecta *vt omnes ſimul*, ſiquidem omnia, eiecto foras limite, confluunt in vnã entitatẽ & eſſentiã virtutis, claudẽtis infinitas virtutes, ſiue eminẽtias: ergo finitudo termini quoad quidditatem, non deprimit, ſed auget, & *arguitiuè* probat in illa virtute, infinitatem eſſentialem.

1529 Addo inſuper aliã viam. Fortè enim dici poſſet, quod collectio quidditatum, vt ſpecificat primario comprehenſionem ſit metaphyſicè quaſi entitatiuè & eſſentialiter infinita, quia depurata à limite, imò & vt ſpecificat Omnipotentiam. Pro quo nota 1. non eſſe idem diuerſitatem & diſtinctionem, quia iſta ſolum dicit, quod vnum à parte rei non ſit aliud. Illa verò, quod ſiue ſit aliud à parte rei, ſiue non, dicat tamen conceptum poſitiuè & virtualiter diuerſum ab alio. Limes ergo & finitudo quidditatum non ſtat in diuerſitate, ſed in diſtinctione. Nota 2. quod cum diſtinctio ſequatur differentias indiuiduantes; diuerſitas autem ſpecificas; illa ad eſſe ſpecificum quidditatum ſe habet materialiter; diuerſitas verò formaliter.

1530 Arguo nunc ſic: Et impugno ſolutionem datam: probando rationem primario ſpecificatiuam non eſſe finitam, ſed ſimpliciter infinitam, & probo ſic. Collectio quidditatum vt repræſentabilium ſpecificat primario attingentias comprehenſionis, non vt quidditates ſunt diſtinctæ (quia id eſt materiale) ſed potius vt ſunt diuerſæ, & præſcindendo à limite diſtinctionis; Atqui quod dicunt vt ſic, eſt ſola perfectio formaliter infinita, quia eſt perfectio ſecundum quod purè dicit de perfectione diuerſa eſſentiali, non verò ſecundum quod dicit de diſtinctione & de limite impertinenti: ergo in ratione termini ſpecificatiui comprehenſionis, & prout primario ſpecificatiui, metaphyſicè eſt infinitum ſimpliciter, ideſt perfectio ſine fine præſcindens à limite. Idem dici poteſt de termino Omnipotentiæ, eſſe ſimpliciter infinitum, prout primario ſpecificat Omnipotentiam. Vndè actus ſpecificatus ab obiecto infinito claudente perfectionem ſine fine, & aliàs præſcindente ab omni limite, & finitudine, benè poteſt haberi pro vno, vnitate formali, & pro entitatiuè infinito.

1531 Hæc doctrina fortè videbitur inſolita, non eſt tamen inſolida: aptiſsima enim eſt, pro ſoluendo hoc argumento difficili: Omnipotentia vt infinitè productiua ſpecificatur ab omni producibili. Atqui hoc nequit eſſe æquale virtuti entitatiuè infinitæ; cum hoc ſit entitatiuè finitum. Ergo non eſt neceſſe, quod ſpecificatiuum primarium ſit æquale ſpecificato. Hoc argumentum contra ſpecificationem actuum Dei à ſola eſſentia, vel bonitate diuina, quam tenet D. Thom. & communior ſententia, eſt ita difficile, vt P. Gonet dixerit: Omnipotentiam ſpecificari ab omni producibili ſimul, vt claudit creatum & increatum, nempè filiũ diuinum, quia aliter non eſſet æquale. Sed facere virtutem generatiuam Patris, partem Omnipotentiæ, difficile eſt; cum hæc ſit communis Tribus, & virtus ad extra; Imò de hac, vt tali conſtat eſſe infinitam; atqui ſpecificatiuum ipſius, nempè producibile ad extra eſt finitum: ergo. Ideò ego in Omnipotentia conſidero duas rationes infinitatis: vnam in ratione & intra limites virtutis productiuæ; aliam in ratione diuinæ; hæc ſecunda eſt aliena vtpotè à ſubiecto in quo eſt, & ab identitate cum diuina eſſentia. Producibile autem ad extra purè & intra lineam, ſpecificat illam in ratione virtutis: ſub hac autem ratione ſumptum, ſecundum rationem primariam ſpecificandi, dico, eſſe methaphiſicè ſimpliciter infinitum in perfectione entitatiua, quia ſpecificat iuxta diuerſitatem. & vt præſcindit à diſtinctione reali finitante: Et ſic, facta comparatione, inter producibile, & virtutem productiuam præciſsè, & ſecundum rationes metaphyſicas ſolius lineæ, producibile in ratione producibilis eſt æquale rationi productiuæ vt tali. Quod verò terminus ſit ens ab alio, & Virtus Dei, à ſe: ſunt differentiæ ſubiecti extra lineam producendi, non curandæ.

1532 Tertia ſolutio erat, quod illa cognitio eſt finita, quia tangit illas quidditates ſub attingibilitate finita. Pro impugnatione Nota 1. Obiecta in ordine ad ſumendam vnitatem in genere obiecti & ab vnitate rationis formalis, poſſe comparari cum duplici ratione formali. Vna eſt cognita ab actu, v. g. dum attinguntur omnes herbæ in ordine & vt vtiles ad ſalubritatem (& hanc nos vocamus, *qua*, & Thomiſtæ ſæpè vocant, *ſub qua*); alia eſt non cognita; eſt tamen, à qua habet obiectum, quod ſit formaliter tangibile à potẽtia, vel habitu: & de hac eſt ſermo nunc, v. g. Viſibilitas lucis ab oculo, & intelligibilitas eius ab intellectu. Hanc nos vocamus, rationem *ſub qua* strictè. Et eſt primaria ratio ſpecificandi habitus, vel potentias. Vide ſupra à num. 1395. Nota 2. Hanc rationem eſſe terminabilitatem obiecti à potentia, & denominationem ab illa, vt viſibile à viſu: obiectum autem eſſe vnum, quando vna eſt attingibilitas. Sic docet D. Tho. in 2. diſt. 3. quæſt. 2. art. 2. ad 1. quod tota varietas rerum, quæ eſt in vno ſigillato, ſit vna, ſumendo vnitatẽ ab vnitate ſigilli, & omnia repræſentabilia per vnam ſpeciem impreſſam, ab vnitate ſpeciei. Vide Gonet de Angelis diſp. 6. art. 5. quæſt. 3. His prænotatis.

1533 Impugnatur ſolutio: vt attingibilitas termini omninò finiti ſit ſimpliciter infinita, non requiritur, quod in termino tacto & expreſſato, vel in illa ratione expreſſata ipſius, imbibatur infinitudo, ſed quod illa attingibili-

li-

Digitized by Google

litas terminatiua quaſi extrinſeca, & ſumpta à virtute, vel potentia petat infinitatem talem in ſuo attingente, vt nequeat exerceri, niſi per virtutem, quæ vt talis ſit infinita. Eo enim ipſo, *negatiuè* probat virtutem infinitam. Atqui talis eſt terminabilitas illius collectionis: ergo eius attingibilitas eſt infinita, & nequit comprehendi niſi ſub ratione & attingibilitate infinita. Minor patet, quia illa collectio, licet ſecundum vnam, vel alteram quidditatem tangi poſsit per attingentiam expreſsiuam finitam, nequit tamen ſecundum omnes, niſi per tot attingentias diuerſas, quot ſunt quidditates.

1534 Maior autem probatur. Si à ſcientia infuſa ſuperna attingitur obiectum naturale, ſub ratione ſuperna, quia iſtius attingibilitas ab illo petit principium ſupernum, vt ſupernum, vt num. 1377. & 1396. Si ab omnipotentia attingitur omne producibile licet entitatiue finitum ſub attingibilitate infinita, quia omne vt omne, ſiue ſimùl, ſiue diuiſiue, non eſt producibile ad vlla cauſa creata, niſi ab Omnipotentia vt Omnipotentia. Si à virtute creatiua diuina attingitur per creationem, Angelus per vos ſub ratione infinita, & ſimiliter apud nos hic quæſt. 28. art. 4. num. 1389. per concurſum generalem primæ cauſæ, formica attingitur ſub ratione infinita, quia vt taliter producibiles, nequeunt produci niſi per primam cauſam infinitam vt talem: nec eorum producibilitas poteſt exerceri & redduci ad actum, niſi per eas vt infinitas, & non per virtutes alias finitas; atqui nec comprehẽſibilitas omniũ quidditatum vt omnium etiam ſub vna finita ratione expreſſata poteſt redduci ad actum per comprehenſionem illam, niſi vt claudentem actu & gradualiter attingentias infinitas: ergo etiam attinguntur ab illa infinitè; nec modo & attingibilitate finita, ſed ſub attingibilitate infinita. Ex quibus clare conſtat, non valere argumentum à finitate entitatiua termini expreſſati, v. g. ſalubritatis in herbis, ad finitatem entitatiuam virtutis vel attingentiæ, ad nec finitatem attingibilitatis.

1535 Dices non dari attingentias graduales, ſed vnã altiorem, & ideò docet D. Tho. quæſt. 20. de veritate art. 4. res in virtute Dei, non eſſe per modum multarum: ſicut ſunt Imagines diuerſæ in ſpeculo, ſed per modũ vnius virtutis. Sed contra. Quia licet ſint per modum vnius virtutis, ſed quæ ſit talis quoad virturem, vt poſsit eſſe virtua omnium vt omnium, & ſingulorum vt ſingulorum: Ex quo non ſequitur, quod non ſint in illa omnes virtutes ſimùl, quæ in omnibus ſpeciebus ſunt diſperſæ, ſed ſequitur, quod illa virtua ſit omnes, & ſit modo diuiniori & altiori & ſimpliciori, ac per conſequens, quoad perfectionem, infinitiori: ergo.

ALTERA PROBATIO CONCLVSIONIS.

1536 Probatur 3. Noſtra concluſio, quia ſequeretur non fore impoſsibilem (contra D. Thom. & vos) comprehenſionem, vel ſaltèm quidditatiuam cognitionem omnium poſsibilium in Deo. Probatur: hęc ſpecies & cognitio eſt exemplata ex ſpecie, vel cognitione Dei, vt eſt in Deo, omnium poſsibilium. Vel ergo Beatus quidditatiuè intueri poteſt illam rationem exemplabilem omnium, ex qua iſta eſt exemplata, vel non? Si non: ergo quia vt exemplar præcisè importat talem infinitatem, quæ non poteſt videri à Beato, vtpote finitè noſcente, ac per conſequens importat infinitudinem gradualem, ratio illa cognitionis omnium vt omnium. Si poteſt: Ergo & cognita ea ſub ratione exemplabilis, poterit in ea comprehendi tota poſsibilium collectio, quin ſcientia Dei comprehendatur. Si dicas, non poſſe rationem illam exẽplabilem noſci vt exemplabilem, niſi infinitè, quia vltra cognitionem omnium, addit, quod ſit cognitio omnium in ipſo Deo, & attributum Dei, quod nequit à Beato videri, niſi cõprehenſa eſſentia, ſiue ipſo Deo. Contra, vel nequit videri niſi in ipſo Deo finitè cognito: & ſic cognito ſine cõprehenſione, quod non repugnat: vel in ipſo Deo infinitè cognito, quod repugnat. Infinitè? Ergo, quia conceptus repræſentatiuus collectionem ſupperaddit infinitudinem ſimpliciter. Confirmatur: Beatus Viſione finita iam videt quidditatiuè ſcientiam Dei vt nitentem, & ſpecificatam ab eſſentia Diuina. Si autem addatur videre eam vt cognitionem omnium poſsibilium exemplabilem per creatam, & hæc ratio eſſet finita; totum noſceretur finitè; vtpotè coaleſcens ex duplici ratione finita: ergo, vel non poteſt eſſe finita, vel ſi poteſt, poterunt infinita videri in Deo ſine comprehenſione Dei.

ARTICVLVS XVI.
SOLVVNTVR ARGVMENTA.

1537 EA quæ facta ſunt in initio artic. 11. ex dictis ſoluta manent. Ad 1. enim reſpondetur, non ſufficere exceſſum ordinis. Vide numero 1523. artic. 15. Ad 2. Vel illas infinitas quidditates non tangi ſub ratione finita, adhuc loquendo de expreſſata, de quo num. 1528. Vel etiam, ſi ſub ratione expreſſata finita, eſſe arguitiuè infinitã, ab infinita attingibilitate. De quo num. 1531. Ad 3. Reſpond. data ratione finita obiectiua adhuc nõ attingi finitè ſed infinitè, quia ratio *ſub qua*, ſtricta, ſiue attingibilitas ſpecificatiua eſt infinita, de quo nu. 1539. & ſæpè alibi. Sed de his argumentis aliquid repetemus, quia fortè latiùs propoſita, nonam ingerunt difficultatem, vel ſaltèm erunt occaſio doctrinæ valde vtilis.

1538 Argumentum 4. D. Thom. quæſt. 20. de veritat. art. 5. ad 1. Ideò negat Chriſto cognitionem collectionis, *quia iſta non offertur ei*: Ergo non, quia impoſsibilis. Nota, ad negandum, non eſſe neceſsè acumulare omnes rationes, ſed ſufficere quamlibet, & ſic non valet: *negat propter hoc*: ergo deficiente hoc conceſsiſſet. Quia tunc negaſſet propter alias rationes. Reſpond. concedendo, non negaſſe, quia impoſsibilis ſit (licet ſit) quia ad negationem ſufficiebat illa alia ratio. Dices: ſemper negat talem cognitionem, quia à Chriſto comprehenderetur Omnipotentia, ſed noſcendo collectionem in ſeipſa, non ſequitur hoc: ergo. Diſtingũ mai. tanquàm per motiuum ſufficiens concedo; nam ſufficit ad negandum; tanquam propter vnicum nego, quia dari poſſent alia. Cornejo conceſſa mai. negat minor. quia à poſteriori tota virtus Omnipotentiæ exhauriretur.

1539 5. Argumentum. Cognitio ſpecificatur eſſentialitèr a ſuo obiecto primario; atqui iſtud in illa collectione eſt finitum; eſt enim omnes illæ quidditates, quæ ſunt eſſentialitèr entitatiuè finitæ: ergo & cognitio erit eſſentialitèr, & entitatiuè finita. Diſtingo mai. ſpecificatione ordinis, nego mai. quia finitas, vel infinitas non tam ſumitur ex hoc capite, quam ex alijs. Pro quo eſt notandum ex dictis hic quæſt. 28. art. 4. à nu. 1387. & 1396. duplex eſſe ſpecificatiuum. Vnum ſpecificat ſpecificatione ſpeciei atomę; aliud ſpecificatione ordinis, vel potentiæ. Vndè diximus ibi de obiecto naturali dari poſſe cognitionem ſupernam: quia licet iſte actus ſpecificetur ab obiecto, id ſolum eſt ſpecificatione ſpeciei atomæ, non ſpecificatione ordinis: quia iſta ſumitur, vel à principio, vel à modo, vel à ratione *ſub qua*; ſimiliter ergo dicimus nunc, ab obiecto quidditatiuè finito ſumi ſolam ſpeciei ſpecificationem; non vero finitatis, aut infinitatis, quia hoc eſt ſumendum ex alio capite, nempè ex eo quod in ſuo modo eſſendi graduali careat limite in entitatiua perfectione, quod (etiam ſi terminus ſpecificatiuus ſit finitus in ſe) poteſt adhuc verum ſubſiſtere, vt patet in exemplis adductis. Adde poſſe negari min. iuxta dicta num. 1529.

1540 6. Argumentum: Nec repugnat ſpecies impreſſa collectionis, ſicut repugnat Dei, quia Dei repugnat propter eũdem gradum immaterialitatis. Nec repugnat cognitio omnium, quia non poſſet noſcere, & ſpecificari à ſe ipſa. Tùm, quia poſſet noſci à ſe mediatè in ſua cauſa, ſicut cognitio Angeli noſcens ſuum intellectum, noſcit ſe reflexè in illo, reflexione mediata. Tùm, quia inter cognitionẽ & obiectũ ſufficit ſi diſtinctio ſit à toto obiecto complete ſumpto. Atqui, nec repugnat propter infi-

ni-

Digitized by Google

nitatem entitatiuam: ergo ex nullo capite. Nego hanc vltimam minor.

1541 Probas eam 1. Quidditas Dei vt comprehendatur, ideò petit cognitionem quidditatiuam infinitam per eſſentiam, quia petit æqualem quidditati Dei, quæ eſt quidditas infinita; ſed collectio eſt quidditatiuè finita: ergo cognitio quæ fit per eſſentiam, & efficatiam finita, erit æqualis, & comprehenſiua (de proportione autem quæ non datur, in ratione multitudinis inter cognitionem, & obiectum curandum non eſt). Confirm. quidquid Deus poteſt facere, ſiue tota illa collectio eſt infinitè minùs, quam ipſe; atqui poteſt ipſe quidditatiuè noſci cognitione finita: ergo illa. Reſpond. conceſſa mai. diſtinguendo min. illa collectio eſt finita entitatiuè, prout ſpecificat primario cognitionem nego, quia ſpecificat ſecundum quod dicit de diuerſitate, non ſecundum, quod dicit de diſtinctione & limite; ſecundum, quod dicit in eſſe rei, concedo minor. & nego conſequentiã. Reſp. 2. diſtingo min. eſt finita ſecundum quod dicit in ratione expreſſata & de formali concedo; ſecundum, quod dicit *argutiuè*, & de attingibilitate, nego min. & conſeq. Ad confir. Conced. eſſe minùs, quoad eſſe; ſed maius ſiue difficilius quoad attingi, quia collectio petit in Attingente, infinitas perfectiones. Deitas verò vnam, ſiue vnam attingentiam. De quo num. 1523. Reſp. 2. Non eſſe paritatem de Deitate modo finito ad collectionem comprehenſam infinitè.

1542 Probas, 2. illam min. Illa ſpecies impreſſa poterit eſſe ſynchategorimaticè infinita quoad vim productiuam, eo quod poſsit eſſe principium diuerſarum cognitionum ſine fine. Patet exemplo ſpeciei impreſſæ vniuerſalis, quæ eſt in Angelo de vno genere, quæ tamen non eſt gradualitèr infinita, ſed ſynchategorematicè. Confirm. ex D. Thom. quæſt. 20. de veritat. art. 5. dicente, quod per ſpeciem finitam hominis noſcuntur infinita indiuidua; per ſpeciem animalis, infinitæ ſpecies animalis (ſi ſpecies ſufficiat pro omnibus) ſed cognitione finita; quia ab obiecto proprio & immediato ſpecificatur illa cognitio, nempè à natura animalis: ergo cum collectio omnium noſcatur ſub ratione quidditatis illorum, & iſta ſit finita, erit finita talis cognitio. Vndè cognoſcet quidem infinita, ſed per efficatiam infinitam non entitatiuè, ſed ſecundum quid, quia ad infinitum ſecundum quid ſufficit efficatia infinita ſecundum quid; & ſic nec ſpecies impreſſa eſſet entitatiuè infinita, cum non eſſet niſi de quidditate finita.

1543 Reſp. negando antec. quia illa ſpecies (idem de ſpecie vniuerſali in Angelo) eſt potens ad indiuidua & cognitiones infinitas, ſed ſolo numero diuerſa, quia indiuidua, nec *arguitiuè* augent virtutem, vt probat exẽplum Proplaſtices, ſiue *del Moldè*. Item erit potens ad cognitiones ſpecie diuerſas de diuerſis naturis. (Vide Lao num. 2784.) ſed non ad infinitas. Ad confirmand. reſp. per ſpeciem animalis repræſentatiuam diuerſorum ſub vna ratione animalis, non poſſe infinitas animalium naturas quidditatiuè noſci, quia infinita varietas, vt in ſeipſa, & per ſe ipſam quidditatiuè repræſentabilis, nequit cadere, niſi in ſpeciem variæ & infinitæ virtutis atque repræſentationis, vel in vnam altiorem continentem modo eminentiori perfectiones eſſentiales infinitarum, vt ſæpè dictum eſt.

1544 Ad D. Thom. reſp. Eſſe intelligendum de infinitis naturis animalis cognitis ſolum cognitione quadam confuſa vel ſi clara, ſolum ſuperficiali; quia cum tunc ſolum attingantur per modum vnius cumuli, cum varietate materiali (non autem formali, eſſentiali, & quidditatiua), poterunt attingi efficacia ſolum finita, vt loquitur D. Tho. quia licet ſint infinitæ in eſſe rei, attinguntur inadæquatè tantum, & imperfectè, ſicut turris magna attingi poteſt vno digito, ſi non debeat adæquari ſed tangi inadæquatè, & imperfectè. Confirm. Exemplo ſub artificio finiclauis magiſtræ, quæ vt dixi num. 912. ſub artificio finitiſsimo duorum dentium, aperire poteſt diuerſiſsima artificia infinitarum ſerarum, ſi non debeat aperire adæquando illa, ſed ſolum inadæquatiſsimè, aliquid eorum attingendo.

1545 Prædictam explicationem D. Tho. confirmo ex verbis ipſius dicentis ibi: Per ſpeciem illam impreſſam animalis noſci animalium infinitas ſpecies, non verò *infinitam naturam*, eo quod præter naturam animalis datur alia natura, nempè lapidis. Quæ verba ſatis indicant, illas naturas non attingi quidditatiuè, & in eſſe rei, in quo eſſe ſunt infinitæ, ſed ſub ratione ſpecierum animalis, quæ ratio pro ipſis vt ipſis eſt ſuperficialis & non quidditatiua. Inſuper hinc meam ſententiam firmo. Tunc non noſcitur in infinitis illis ſpeciebus infinita natura, quia præter naturam animalis datur alia natura, nempè lapidis? Ergo in collectione omnium poſsibilium neceſſario noſceretur infinita natura, cum præter naturas illius collectionis non detur alia natura. Hanc ergo cognitionem, D. Tho. cenſet repugnare.

1546 Septimum argum. Qui poteſt maius poteſt minus; atqui viſio creata eſt potens ad maius, nempè ad quidditatem Dei: ergo etiam ad totam illam collectionem quidditatiuè, quæ eſt minus. Reſp. 1. quod maior nõ ſemper eſt vera. Homo enim poteſt gignere hominem, & non poteſt Muſcam. Data mai. diſting. min. quoad ſecundam partem: Poteſt ad quidditatem Dei quæ eſt maius quoad eſſe, concedo; eſt maius quoad attingi, nego. Deitas enim adhuc quidditatiuè cognita attingi poteſt attingentia virtualiter vnica, licet altiori; at collectio nequit quidditatiuè attingi, niſi attingentia virtualiter multiplici infinita. Vndè viſio licet attingat Deum maiorem, tangit finitè, quia non adęquat maioritatem; at cognitio deberet adæquare collectionis infinitatem, & ſic tangere illam infinitè.

1547 Replicas: Etiam illa collectio poſſet noſci finitè, ſicut Deus: ergo. Antec. prob. Sicut enim noſcuntur formalia Dei ſola, non cognito omni eminentiali, ita & poſſent noſci omnia formalia illius collectionis, v.g. omnis homo in ſe, & omnes diſcurſus poſsibiles in ſe, quin iſti noſcantur in homine, ac per conſequens, nec eminentiæ ad illos in homine: ergo tunc collectio noſceretur modo finito. Reſp. 1. Iam non forè comprehenſionem collectionis, vt aduerſarij contendunt. Reſp. 2. Adhuc repugnare, quia deberet talis cognitio eſſe infinita, & tendere efficacia infinita, quia non tenderet vnica tendentia altiori, nec ad vnicum obiectum finitè tactum, ſicut viſio Dei, ſed tendentijs gradualiter infinitis, vt correſponderet infinitis quidditatibus diuerſis vt diuerſis, & non aliter attingibilibus, niſi ab attingentia intuente quidditates, & omnem earum vt diuerſarum perfectionis ſuccum ſuggente, atq; intra ſe inuiſcerante.

1548 Vndè licet quidditas collectionis ſit finita entitatiuè, & ſpecificet intellectum ſub ratione quidditatis, & non ſub ratione materiali multitudinis, adhuc cognitio erit entitatiuè infinita; tùm, quia in ſua entitate claudit ſingulas perfectiones auſtas ab omnibus vt omnibus, addendo perfectionem ſimplicitatis, ſiquidem eſt depurata, & defæcata ab omni limite multitudinis. Tùm, quia obiectum ſpecificat cognitionem, non vt eſt ſub ratione entitatis, ſed ſub ratione attingibilitatis. Sub hac enim dat ſpecificationem ordinis, ſiue infinitatis, cum ſub illa det ſpecificationem ſpeciei atomę; Sed quidditates illius collectionis, licet ſint finitæ in eſſe, ſunt infinitę in attingi, quia non attinguntur, niſi ſub ratione quidditatum infinitarum; atque ſub depuratione, & defęcatione à limite materiali multitudinis. ergo talis cognitio erit entitatiuè infinita. Nec obeſt, idem lumen fidei finitum ſufficere pro infinitis reuelabilibus credendis: ergo & vna ſpecies, ſiue cognitio finita pro infinitis naturis attingendis. Nego conſeq. Quia cognitio quidditatiua ſpecificatur ab iſtis vt iſtis; fides à reuelabilibus, non vt ſunt, ſed vt reuelatis. Vide nu. 1507.

1549 Octauum argum. Facilior eſt cognitu collectio illa quam Deitas, cum hæc ſit infinita ſimpliciter in omni genere: ergo ſi hæc poteſt, & illa. Nego antec. Etenim ſi illa repræſentaretur ſecundum omnes quidditates vni-

218

vnicò medio,& ductu hareis ſicut Denas, facilior eſſet: Sed non datur tale medium. Vndè licet facta comparatione inter altitudinem Deitatis,& collectionis prçciſsè, collectio ſit minùs alta, & ex hoc capite facilior; ſecùs ex medijs, quia pro Deo quidditatiuè noſcendo, datur ſpecies impreſſa finitè concurrens, pro quidditatibus illis nec datur medium obiectiuum, nec ſpecies impreſſa finitè concurrens. Dices: multò altior eſt cognitio quidditatiua Dei ex obiecto ſpecificatiuo, quàm cognitio collectionis adhuc comprehenſiua; ergo ſi illa eſt poſsibilis intra limites finitatis,etiam iſta. Diſtinguo anteced. Eſt altior altitudine eſſentiali ſpecifica, & atoma & altitudine nobilitatis per exceſſum concedo; eſt altior altitudine graduali & cathegorematica, nego anteced. & conſeq. quia nobilitas ſpecifica, & infinitas ſumuntur ex capitibus valdè diuerſis,& illa poteſt eſſe facilis, atque hæc ſummè difficilis.

1550 Etenim nobilior eſt vnus Angelus, & facilior produci,quàm grana arenæ infinita actu. Item vnus homo, quàm hortus magnus plenus innumeris plantis: & tamen iſtæ quoad quidditates ſunt cognitu difficiliores illo: Item Aquila eſt ſubſtantia corporea nobilior toto elemento terræ,& tamen eſt facilior amplexu & circumdatione,quàm tota terra. Tandem multò nobilius & æſtimabilius eſt corpus Regis Infantis corpore Gigantis plebei:& tamen eſt faciliùs captu locali,quàm illud. Similiter licet viſio quidditatiua Dei ſit nobilior comprehenſione collectionis, iſta eſt multò difficilior: imò impoſsibilis,quia eſt infinita & amplectens, atq; adæquans infinitas quidditates diuerſas vt diuerſas. Nobilitas enim ſpecifica atoma ſummitur ab obiecto:infinitas verò nō ab eo,ſed ab infinita attingibilitate. Adde viſionē Deitatis eſſe quid maius ſecundum quod dicit;eſſe tamen minùs viſione quidditatiua collectionis,ſecundum quod infert. Cùm enim iſta ſit incohatio inferens infinitatem eſſentialem,quæ eſt proprium attributum Dei, repugnat iſta & non viſio Dei. Vide ſupra num. 1269.

1551 Ex his infero, non ſolum per vnam cognitionem,vel ſpeciem impreſſam,ſed nec per decem, vel viginti, vt intendit Godoy, poſſe totam collectionem comprehendi, aut quidditatiuè cognoſci, quia quælibet ex illis cognitionibus, deberet claudere graduaiter infinitas attingentias modo altiori,nempè cum vnitate,& ſimplicitate ex parte ſua. Quod ſi ex eo quod D. Tho. aſſerat, pro genere animalis eiuſque ſpeciebus ſufficere vnā ſpeciem,infertas,etiam ſufficere, pro quolibet genere ſupremo cuiuſvis prædicamenti, reſpondebo, ad ſummum ſufficere pro cognitione ſuperficiali ſpecierum prout in ordine ad vnam rationem,non autem pro quidditatiua.

1552 Maneat ergo,talem cognitionē eo ipſo fore entitatiuè & eſſentialiter infinitam in perfectione. Quia illud eſt tale entitatiuè infinitū,quod ſub vna reali entitate claudit perfectiones metaphyſicè & eſſentialiter diuerſas à diuerſis ſpecificatiuis, vnam, & aliam ſine fine per totam æternitatem, vt patet in ratione differentiali Omnipotentiæ,quæ propterea eſt entitatiuè infinita in proprio genere;atqui talis eſſet illa cognitio comprehenſio omnium poſsibilium vt omnium, vt probatum eſt: ergo eſſet entitatiuè & eſſentialiter infinita. Nota ex q.1 de Viſione B.pro nu.1519. quod finita nullam dicit proportionē in linea entis cum Deo infinito, & magna in linea acomodationis.

QVÆSTIO XXIX.

DE SCIENTIA PER SE ADQVISITA, & experimentali.

1553 VOcatur per ſe adquiſita (ſiue per ſe acquiſibilis) ſcientia illa, quæ ex propria natura nata eſt adquiri per proprios actus. Vndè ſi data eſt per infuſionem,vt Adamo & Salomoni, id contingit *per accidens*, & ſic non deſinit eſſe eiuſdem naturæ ex hoc prçciſsè capite,ſicut Abel productus ab Adamo, & Adamus productus *de per accidens* à Deo.Nec ex hoc ſequitur,quod iſta non differat eſſentialiter à per ſe infuſſa. Tùm ex ratione formali, nam per ſe infuſſa ex proprio & eſſentiali modo ſuo habet eſſe independens à phantaſmate in adquirendo,& tendere modo Angelico. Tùm ex parte cauſæ efficientis, quia *ex ſe* habet infundi à Deo, cum per ſe adquiſita *ex ſe* potiùs nata ſit habere oppoſitum. Obiectum autem ſcientiæ per ſe adquiſitæ eſt aggregatum omnium veritatum naturalium, eo modo quo ſunt tangibiles per ſcientias naturales, v.g. Metaphyſicam, Phyſicam,&c.

ARTICVLVS I.

AN PER SE ADQVISITA, FVERIT IN CHRISto, & an a primo inſtanti.

1554 QVoad prim. Aſſero 1. cum D.Thom.hic & communi Theologorum fuiſſe in Chriſto, hanc ſcientiam. Vide ſupra à num.1259. Prob. Tùm, quia Chriſtus dum anima erat in corpore debebat operari modo connaturali & proprio animæ vnitæ: ergo debebat perfici intellectus eius in ordine ad talem modum,quantum perfectio ſic operandi poſtulabat;perficitur autem quantum ad hoc per iſtas ſcientias operatiuas ex ſe dependenter à phantaſmatibus. Tùm, quia ratio ipſa poſtulat, quod in Chriſto omnis potentialitas animæ vt intellectiuæ,perfectè reduceretur ad actum, & non eſſet otioſa: ergo ſicut ob id dati ſunt potentialitati obedientiali (vt ad actum reduceretur) habitus per ſe infuſsi, ita naturali habitus per ſe adquiſiti. Tùm à paritate voluntatis, quæ vt tàm in ordine naturali quàm ſuperno, perficeretur,accepit à Deo virtutes per ſe adquiſitas,vltra per ſe infuſas.

1555 Nec obeſt. Quod cum Chriſtus per alias ſcientias omnia noſceret,ſuperflua eſt hæc. Nego. Requirebatur enim non pro veritatibus noſcendis, ſed vt noſcerentur tali modo proprio & connaturali hominis,reducente ad actum potentialitatem animæ vt vnitæ corpori,connaturaliter.

1556 Quoad ſecundum. Aſſero 2. hæc ſcientia fuit Chriſto per accidens infuſſa à primo inſtanti,tàm quoad habitus,quàm quoad ſpecies impreſſas. Ita plures Recentiores & noſter Boneſpei cum illis.Licet autem D.Tho. hic,oppoſitum tenere videatur eſt tamen pro nobis in 3. diſtinct. 11.quæſt.3.art.3. Vndè apud ipſum eſt problema. Prob.concluſio 1. Quia titulo vnionis fuit plenus gratiæ & veritatis; quæ autem hoc titulo data ei ſunt,à primo inſtanti debuit habere. 2. Quia ſi ad eas ſcientias habendas expectaretur adquiſitio ſpecierum per ſenſus,non eſſet in illo multum magna,imò minor quàm in Adamo, eo quod ipſi non ſe obtulerunt occaſiones tot ſpecierum, vt poſſet per eas tàm multa & diuerſa cognoſcere. De obiectis enim remotiſsimis, nullæ poſſent ad ipſum ſpecies peruenire.

1557 Quod ſi velles 1.ex ſuo ſummo ingenio poſſe,ex illis paucis intrantibus per ſenſus, indagare omnia alia per diſcurſum altiùs quàm Adamus, id eſt verum quoad intenſionem,non quoad extenſionem,quia ſpecies intrantes non poterant eſſe connexæ cum tàm multis & diuerſis & remotiſsimis obiectis. Si autem 2.ponas cum aliquibus miraculum illud, nempè *obiecta remotiſsima, vel ſpecies eorum adduci ab Angelo ad Chriſtum,vt ea noſceret*; meliùs eſt admittere (ſi neceſſe eſſet) vnum miraculum otioſitatis intellectus agentis,de quo ſtatim, quàm multa de ſtellis diſlocatis, & ad Chriſtum adductis. Vndè fortè etiam alij homines poſſent eſſe maiores Philoſophi,vel Metaphyſici naturales quàm Chriſtus,ſi adquiſitio ſpecierum eſſet expectanda, quia cum plura loca peragrarint,& plures annos vixerint, maior eis ſe poterat offerre occaſio ſcientias adquirendi. Quod licet de experimentali ſub ratione talis fortè ſit verum,de ſcientia naturali abſolutè,concedendum non eſt.3. Quia perfectiùs & digniùs videtur hanc ſciētiam per infuſionem à primo inſtanti habuiſſe, ſicut habuit eam Adamus, titulo magiſterij ad filios (Chriſtus autem communis omnium Magiſter à Deo datus eſt) & ſicut habuit in voluntate virtutes per ſe adquiſitas,à primo inſtanti per accidens infuſas.

Digitized by Google

1558 Plures Thomiſtæ oppoſitum tenent (licet alij pro nobis ſint) & probari poteſt 1. quia cum Chriſtus potuerit has ſcientias proprijs actibus adquirere, non eſt neceſſe vt infunderentur. Præcipuè, cum interim ſine illis iam per alias ſcientias omnia noſceret. Nec valet paritas Adami; tùm, quia cum eſſet perfectæ ætatis, Magiſter & Doctor inſtitutus, ſtatim incepturus Magiſterium exercere, non potuit expectari adquiſitio per ſenſus. Secùs fuit in Chriſto Infante, & in ventre incluſo. Tùm, quia Adamus fuit datus Doctor in naturalibus; Chriſtus verò ſolum in ſupernis. ergo Chriſto ſufficiebat ſupernorum infuſsio, licet Adamo eſſet neceſſaria infuſsio naturalium. Reſp. Chriſtum abſque infuſsione, non fore per adquiſitionem, ita plenum ſcientia naturali, vt decebat & probatum eſt; ideo debuiſſe infundi. Ad illud de Adamo reſp. ei non tàm infuſſas ſcientias à primo inſtanti, pro earum prompto vſu & doctione (nulli enim non erant tunc qui erudirentur, ſed poſt annos) quā pro dignitate Magiſtri communis à Deo inſtituit, & vt ex Dei ſcola plenè ſapiens egrederetur, vt ſcientias exerceret ſuo tempore; titulus autem Magiſterij dignioris, maior erat in Chriſto. Nec Chriſtus fuit Magiſter per ſuperna tantum, ſed etiam per naturalia, quibus in ſermonibus & parabolis vtebatur.

1559 Probare poſſunt 2. quia talis ſcientia infuſſa, & non adquiſita dependenter à phantaſmatibus, ex D. Tho. 1. p. quæſt. 89. art. 1. in corp. & art. 3. ad 4. imperfectior eſt quam iſta, eo quod ſit magis confuſſa: ergo non eſt danda Chriſto. Prob. conſeq. quia dum intendimus intellectum eius perficere, non debemus imperfectionibus replere. Reſp. 1. D. Thom. non loqui de hac ſcientia per ſe adquiſita, ſed de per ſe infuſſa naturali explicata num. 1257. Reſpon. 2. in fauorem vtriuſque in ſcientijs Chriſto concedendis attendendum eſſe, vt omnis animæ potentialitas reducatur ad actum, & cum ſit potentialitas in anima ſeparata ad ſpecies naturales per ſe infuſſas, & Chriſti anima ob ſtatum Beatificum poſsit operari quaſi ſeparata; danda illi eſt hęc ſcientia & omnis perfectio connaturalis, quæ cum vnionis ſtatu non pugnet. Nec obeſt imperfectio talis ſcientiæ, cum nec obſit in diſcurſu, de quo num. 1492. nec in omni alia Chriſti Scientia. omnes enim habent imbibitam imperfectionem *abſolutam* entis ab alio, & plures *comparatiuam*, quia naturalis eſt imperfectior, infuſſa; & hæc, Beata, nec denegantur Chriſto: ergo nec hæc eſt deneganda. Adde quod licet ſcientia animæ ſeparatæ dicatur à D. Thom. confuſſa, non eſt confuſſa de repræſentato primario per illam, nempè de rationibus vniuerſalioribus, quia de iſtis eſt clarior, ſed de ſpecialioribus & ſic ſemper pro illis eſt vtilis & admittenda.

1560 Probant 3. quia talis ſcientiæ habitus vel ſunt ſpecies impreſſæ, vel diſtinguuntur ab illis? Si ſint, intellectus agens, qui habet tales ſpecies producere ex phantaſmatibus, maneret perpetuò otioſus. Si diſtinguuntur, inutilitèr infunduntur habitus in 1. inſtanti, quia non poſſent vllum actum producere, cum deficerent ſpecies impreſſæ, quoad vſque iſtæ ad venirent ex ſenſuum miniſterio. Reſpond. 1. quod ſi habitus ſcientiæ eſt à ſpeciebus diſtinctus, potuit ſine illis infundi Chriſto à 1. inſtanti; ſicut in Baptiſmo infunditur pueris habitus fidei, vt vtantur illo, non tunc, ſed quando poſt vſum rationis ſe offerat occaſio. Si eſt indiſtinctus à ſpeciebus, potuit ille & iſtæ à 1. inſtanti, non obſtante inconuenienti otioſitatis intellectus agentis. Cum enim in Adamo, vel non ſequatur perpetua otioſitas vel non ſit inconueniens, nec in Chriſto ſequetur, vel inconueniens non erit (ſicut in Beatis datur potentia nutritiua ſine operatione). Et ſi concedamus, id debere eſſe in Chriſto per miraculum, ſatiùs eſſet hoc vnū admitere, quam illa multa de adductione ſtellarum, vel corporum remotorum ab Angelo ad Chriſtum. Adde, munus intellectus agentis, non ſolum eſſe ex phantaſmatibus producere ſpecies, ſed etiam illuminare principia, & cum adhuc intellectus agens eſſet potens ad id, perpetua otioſitas non ſequetur; imò & fortè poſſet præcipuum munus exercere circa ſpecies experimentales, de quo ſtatim.

1561 Probant 4. quia niſi aliud obſtet, concedendus eſt Chriſto proprijſsimus modus habendi has ſpecies, ſiue ſcientias, quia perfectior eſt, qui proprior; eſt autem proprior, qui eſt per adquiſitionem. Quod autem nihil obſtet perfectioni Chriſti expectare hunc modū adquirendi, prob. Quia non propterea Chriſtꝰ interim talia obiecta ignoraret, ſicut ignoraret Adamus, ſed ſciret illa perfectiſsimè, modo & perfectione naturali ſubſtantialitèr, nempè per ſcientiam illam naturalem, quaſi Angelicam ſup. num. 1257. explicatam: qua ſcientia carebat Adamus. Reſpond. cæteris paribus haberi pro perfectiori, modum illum qui eſt proprior, ſi cætera ſint paria, & niſi aliud obſtet. Licèt autem non obſtet ignorantia, obſtant alia, nempè quod Chriſti potentialitas naturalis non eſſet reducta ad actum, nec ita decentèr, nec ita plenè. Adde adhuc ſaluari modum propriorem, accipiente Chriſto nouas ſpecies per ſenſus; & intellectu agente iſtas ſpiritualizante. Vndè de rebus naturalibus, vnas ſpecies, per infuſionem habebat, vt illis vteretur quando vellet; alias experimentalitèr per adquiſitionem: vtrarumque autem ſimultas aliquid perfectius eſt.

1562 5. Probant: hęc ſcientia prout diſtincta à cęteris eſt dependens à phantaſia: ergo Chriſtus non potuit habere ab inſtanti Incarnationis. Antec. patet, quia de tribus ſcientijs, quæ ſunt in Chriſto, Beata eſt impotens pendere à phantaſmate, quia eſt propria animæ ſecundum rationem ſuperiorem. Per ſe infuſſa eſt potens pendere, ſed non egens. Per ſe adquiſita nata eſt pendere. Conſeq. verò prob. quia à primo inſtanti non habuit organa capitis diſpoſita ad operationes pendentes à phantaſia, ſicut nec alij pueri. Regularitèr enim Chriſtus non exercebat operationes humanas, niſi iuxta ſenſorum connaturales diſpoſitiones; neque enim ambulabat, donec habuit in cruribus organa & neruos benè diſpoſitos; nec loquebatur in infantia, nec commedebat antequam haberet dentes: ergo nec operationem iſtam humanam intelligendi exercebat, niſi dependentèr à cerebri diſpoſitione. Ita Lugo diſp. 71. nu. 5. cum alijs.

1563 Reſp. dato antec. nempè illam ſcientiam pro ſuo vſu dependere à phantaſmate, multò plus quam vſus ille ſcientię per ſe infuſſæ, (de quo num. 1498.) negando conſeq. & probat. Membra enim Chriſti à primo inſtanti vt tenet P. Bernal, fuerunt perfectè organizata. Vndè ſi non ambulabat recens natus, nec cōmedebat. &c. ideò erat, quia in his, quæ erant manifeſta hominibus, oportebat operari iuxta ætatem; ſecùs in actibus huius ſcientiæ purè internis, & hominibus ignotis. Reſp. 2. Patentem illam ſcientiæ purè experimentalis, vt augmentatiuę ſcientiæ naturalis, egere, & dependere in ſui acquiſitione ab organis roboratis & phantaſmate; ſecùs aliam partem, ideſt ſcientias illas, quas Deus infudit: nam ſine dependentia exercita à phantaſmate infudit, ſicut Adamo & Salomoni.

1564 Probant tandem, quia Chriſtus aſſeritur, Lucæ 2. *Quod proficiebat ſapientia & ætate, &c.* vndè D. Ambroſ. lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 7. inquit apud Gonet: *ergo ſi proficiebat ætate hominis, proficiebat ſapientia hominis*, & D. Tho. hic quęſt. 12. art. 2. ad 3. poſtquam dixit, Chriſtum non profeciſſe in ſcientia Beata, nec in per ſe infuſſa, quia fuit vtraque à Deo potente ſimùl totum operari, ait: *In ſcientia adquiſita, vtpotè cauſata ab intellectu agente, qui non poteſt totum ſimùl operari, profeciſſe paulatim, nec à principio omnia ſciuiſſe, iuxta Euangeliſtam.* Reſpond. Senſum eſſe, quod Chriſtus profecerit ſapientia hominis: non abſolutè, ſed cum addito, nempè apud Deum & homines, vt inquit Euangeliſta, ideſt in exercitijs ſcientię, in quibus placebat Deo, & celebratur ab hominibus. Vel dic, Chriſtum profeciſſe in ſcientia experimentali ſub ratione talis, de qua art. ſequenti & de hac loquitur D. Tho. Ad quem poteſt iterum reſponderi, apud ipſum fuiſſe problema, atque in libris ſententiarum ſtare pro nobis.

Ex

Digitized by Google

1565 Ex his ſequitur, Chriſtum fuiſſe ſummum Metaphyſicum, ſummũ Phyſicum, &c. Non autẽ fuit ſummus Theologus (imò nec formaliter Theologus) niſi actiuè, & eminentiori modo: quia cum non haberet fidem diuinã, non potuit habere Theologiam ſtrictam nitentem eſſentialiter in illa. Habuit tamen ſcientias de Deo altiores, ſcilicet Beatam, & per ſe infuſſam. Idem eſt dicendum de omnibus artibus naturalibus; licet enim non fuerint in Chriſto quoad exercitium exterius; fuerunt tamen quoad habitum, & quoad ſpecies, & etiam quoad actum interiorem dictantem modum faciendi. Imo & de arte Magica, quæ apud D.Tho. eſt vera ſcientia & laudabilis. Solùm enim quoad vſum malum & vitioſum, eſt mala, & propter periculum illius prohibita; notitia verò, etiam peccatorum, laudabilis eſt, cum reperiatur in Deo. 2. Licet in ſcientia per ſe adquiſita Chriſtus exceſſerit omnes homines perſpicatia, intenſione, & extenſione, in experimentali tamen vt tali, potuiſſe in extenſione excedi ab aliquo homine, ſaltim quoad numerum immediatè ſcitorum, quia potuit iſte habere occaſiones, ſenſibus percipiendi plura, quæ Chriſtus non percepit per illos.

ARTICVLVS II.

AN HÆC SCIENTIA DE CVRSV TEMPORIS creuerint, vbi aliæ difficultates.

1566 SVppono, habuiſſe Chriſtum ſcientiam experimentalem, experimento & ſenſuum exteriorum vſu, exercitè acquiſitam. Prob. Tùm ex Paulo ad Hebræ. 5. *Didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam.* Tùm ex D.Tho. hic quæſt. 12. art. 1. expreſsè ita tenente. Tum, quia Chriſtus multa cognouit hìc & nunc per ſpecies à ſenſu miniſtratas; imò propterea Euangeliſtæ aliqua opera Miſericordiæ, ſcribunt exercuiſſe ex motu compaſsionis, eo quod viderit miſeriam & afflictionem alicuius, v. g. illius Viduæ in Naim. Tùm denique, quia ſcientia experimentalis habet quendam modum tendendi ſpecialiſsimum alligatum ad obiectum, prout exercitè præſens hìc & nunc: qui modus ſaltèm quoad iſtam alligationem diuerſus eſt à ſcientijs per ſe adquiſitis, earumq; operationibus præcisè vt talibus.

1567 Ad quæſt. ergo, reſpondent affirmatiuè D. Tho. & Thomiſtæ, creuiſſe nempè ſcientia per ſe adquiſita, ex ſpeciebus intrantibus per ſenſus; cum autem à phantaſia plures & plures ſpecies, opere intellectus agẽtis acceperit, manifeſtè ſequitur, quod profecerit in his ſcientijs; accipiebat enim ſpecies iſtas vt ſcientificè operaretur, & connaturaliter diſcurreret per eas, dependenter à phantaſmate, tàm dependentia ab illo vt medio obiectiuo, quàm ab illo vt principio connaturali ſpecierum nouarum. Quod hanc ſententiam Thomiſtæ teneãt, nil mirum, cum infuſsionem à primo inſtanti negent. Nos etiam illam tenere, non obſtante infuſsione à primo inſtanti, magis conformè videtur ad nuper dicta. Et confirmatur ex Iſaiæ 7. *Antequam puer ſciat vocare Patrem & Matrem, &c.* (exercitè experimentaliter). Poſt, à autem vocare ſciuit & vocauit.

1568 Nec obeſt 1. authoritas Damaſc. apud D.Tho. dicentis: *Qui proficere dicunt Chriſtum ſapientia & gratia, non venerantur vnionem, quæ eſt ſecundum hypoſtaſim.* Reſ. enim, Damaſcenum loqui de illis qui ſimpliciter & abſolutè concedebant in Chriſto additamentum ſcientiæ, quaſi Chriſt⁹ ſciret aliquid de nouo quod non ſciebat per ſcientias ſupernas, vel quaſi hæc ſuperna ſcientia adderetur illi ex miniſterio ſenſuum, quod abſurdum valdè eſt.

1569 Nec obeſt 2. Chriſtum, vt ſupra diximus, non accepiſſe augmentum in gratia, nec in habitibus ſupernis: ergo nec in ſcientia adquiſita ſaltim quoad habitum (quidquid ſit quoad ſpecies, præcipuè ſi iſte non diſtinguatur ab habitu per ſe adquiſibili). Negatur conſeq. quia omnia ſuperna dabantur Chriſto, intuitu vnionis & iuxta potentiam obedientialem, non attendendo ad naturalem capacitatem & modum. Naturalia verò licet quantum ad excellentiam darentur intuitu vnionis, etiam attendebatur ad capacitatem & vſum naturalem, vtpotè quæ dabantur connaturaliter ad perficiendam naturam, & vt illa à ſuis operationibus non defraudaretur, ſed per illas in ſuo ordine perficeretur. Vndè poteſt quis dicere, hanc ſcientiam non eſſe auctam quoad habitum, ſed quoad ſpecies experimentales de nouo aduenientes, vt intellectus Agens exerceatur & Patibilis nouo modo experiatur; & hoc ſufficere vt ſcientia creſcat quoad vſum.

1570 Poſtulat autẽ natura vt habitus infuſſus, ita ponatur in intellectu, vt actiones naturales factæ ex aduentu nouarum ſpecierum non ſint ſuperfluæ, ſed connaturaliter fiant, & facultatem augeant, quæ augeri ſolet ex actuum repetitione. Vndè eſt diſparitas inter habitus ſupernos & naturales, quod cum in illis non attendatur propoſitio naturæ ſed obedientia, & fiant ab agente infinito, intuitu vnionis, fiunt ſimùl in intenſione ſumma, ſecùs eſt in donis naturalibus intellectus, in quibus etiam dum infunduntur attendi in eorum menſura debet ad non impediendum ingreſſum & vſum ſpecierum nouarum, & ea quæ natura petit, pro ſua connaturali perfectione in ſuo ordine.

1571 Nec obeſt 3. ſi quis dicat indè ſequi, vt Chriſtus aliquando fuerit imperfectus & inadæquatus in ſcientia naturali & experimentali, Reſp. id eſſe falſum cum perfectius ſit, vt ait D.Thom. vt talis ſcientia ſicut & aliæ operationes Chriſti, fiant ſecundum tempus & occaſionem; tempore autem infantiæ non poterat Chriſtus tantam experientiam habere, ac tempore ætatis virilis, cum ab obiectis non accepiſſet tantas ſpecies: ita autem fieri, ætas poſtulabat, & ſic non erat imperfectio.

1572 Nota 1. ex noſtro Cornejo hic tract. 2. ad q. 12. diſp. vnica dub. 2. experientiam propriè dictam, ſolùm eſſe reſpectu ſingularium vt talium (licet ex illa naſci ſoleat ſcientia naturalis vniuerſalium, quæ ab alijs vocari ſolet experimentalis à *radice*, ſed ſermo hic eſt de prima). Nota 2. eundem Cornejo ad exercitium ſcientiæ naturalis per ſe adquiſitæ multiplicem admittere ſpeciem diuerſam; quaſdã v.g. infuſſas vel ab infuſsis cauſatas; aliàs ab obiectis miniſterio Agelorũ repræſentatis; & aliàs à phantaſmatibus abſtractas. Vt autem à principio, Scientia Chriſti de naturalibus eſſet perfecta, non eguiſſe, omnes has ſpecies habere pro tunc, ſed ſufficere, quod reſpectu cuiuslibet obiecti, vnam ex his haberet. Si ergo aliæ de nouo, pro nouo modo aduenerunt, ſecundum has aucta eſt; has autem, ait, poſſe eſſe ſimùl in intellectu Chriſti, quia ſunt accidentia diuerſæ rationis & naturæ: His notatis.

1573 Dicerem ego 1. hanc ſcientiam naturalem, quoad veritates certo & euidentes ſcitas, non creuiſsè, licèt creuerit quoad modum attingendi, ſcilicet experimentalitèr. Dicerem 2. ſcientiam per ſe adquiſitam & experimentalem eſſe vnam & eandem ſcientiam ſubſtantialitèr ſpecificatã ab eadẽ obiectorũ attingibilitate: Quod enim vna ſit à Deo infuſſa & alia non, parum refert ad diuerſificandum, cum ſit per accidens infuſſa; ſicut Adamus contingenter productus à Deo non differt ſpecie à quolibet homine producto ab alio homine. Dicerem 3. aggregatum ex vtraque ſcientia habuiſſe de curſu temporis augmentum à nouis ſpeciebus; ponendo enim in Chriſto vtramque partem ſcientiæ, per infuſſam attenditur dignitati Chriſti; per experimentalem verò, ætati & connaturalitati maiori. Vndè Chriſto menſurata fuit pro tunc infuſsione, ſcientia magna naturalis, & quæ quoad res euidenter ſciendas per ſpecies illas infuſſas non creuerit; creuerit tamen pro modo *experimentali vt tali*, & prout oportebat ad maiorem connaturalitatem intellectus agentis & vſum illarum ſcientiarũ.

1574 Secunda difficultas, an in humanitate fuerit de facto aliquis aſſenſus probabilis? Negant communiter Theologi, quia ex ſe eſt ſubiectus falſitati. Reſpondent alij, hanc falſitatem ſufficienter vitari per alias cognitiones ſupernas. Vndè licèt de per ſe poſsit ille aſſenſus eſſe fal-

Digitized by Google

falſus, ſecùs dum adſunt aliæ cognitiones. Contra tamen, quia ſaltim quantum eſt ex ſe, eſt defectus ex parte luminis intellectualis, & ex parte obiecti, ſiquidem non nititur obiecto formali firmo. Propter eandem rationem negatur Deo & Beatis.

1575 An verò poſsit in Chriſto dari de facto cognitio ſolùm phyſicè euidens? Negant plures, quia poteſt eſſe falſa; vt ſi quis videret hoſtiam verè conſecratam in Sacriſtia inter alias non conſacratas; de illa non poſſet prudenter iudicare, eſſe conſecratam & tunc iudicaret, eſſe panem. Hoc iudicium eſt phyſicè euidens & falſum. Quidam tamen reſpondent, falſitatem illam ſufficienter vitari per alias cognitiones Chriſti. Tamen idem poſſent dicere de cognitione probabili. Ideò placent primi, & dicendum eſt, tunc Chriſtum iudicaturum, non quod ibi ſit panis, ſed quod accidentia illa conuincunt naturaliter, ibi eſſe exiſtentiam panis, quod non ſolùm phyſicè ſed methapyſicè eſt certum. Hæc de facto ſunt tenenda, quia magis decentia. De poſsibili autem, ſi non repugnat Chriſto natura ex ſe peccabilis, impedito peccato, cur repugnabit cognitio ex ſe falſificabilis, falſitate impedita?

ARTICVLVS III.

AN CHRISTVS ALIQVID DIDICERIT A Creatura rationali?

1576 PRima difficultas, an ab homine? Nego cum D.Thom. & comm. ſent. Tùm, quia Matth. 13. & Mar. 6. *Mirabantur in doctrina eius dicentes: Vndè huic Sapientia Et quæ eſt hæc Sapientia, quæ data eſt illi?* Item Ioan. 7. quomodò hic literas ſcit cum non didicerit? Vndè patet delirium dicentium, didiciſſè à Præceptoribus prima literarum rudimenta & à Parentibus didiciſſè loqui. Tùm, quia Chriſtus conſtitutus eſt à Deo caput Eccleſiæ, vt omnes homines ab eo doctrinam veritatis, acciperent, iuxta illud Iſaiæ 25. *Ecce teſtem populis dedi eum, Ducem & Præceptorem cunctis gentibus*; & Ioann. 18. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in Mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Magiſter autem omnium hominum, decens non erat, vt ab aliquo homine doceretur, ſicut Sol à nemine illuminatur. Tùm, quia vt Diſcipulus doceatur à Magiſtro, debet Magiſter ſcire, quæ Diſcipulus neſcit; quis autem hominum ſciret, quod Chriſtus ignoraret, qui eſt ſubſtantialiter ipſa Sapientia Dei, & in ipſo in quantum homo ſunt omnes theſauri Sapientiæ & Scientiæ Dei? Tùm denique, quia diſcere vel eſt adquirire ſcientiam de eo quod antea ignorabatur; Chriſtus autem à 1. inſtanti habuit, ignorare nihil, cum per alias ſcientias omnia ſciret. Vel eſt ſcire nouo modo aſſentiendi, propter teſtimonium & authoritatem Magiſtri. Et iſtud (præter quam quod non eſt propriè diſcere, ſi res aliàs iam ſciebatur) non habuit locum in Chriſto. Si enim ſupra negauimus ei fidem diuinam, multò magis neganda eſt humana.

1577 Obijc. Lucæ 2. Chriſtus interrogabat & reſpondebat Doctoribus in Téplo; hoc eſt propriũ diſcẽtis. Cõfir. Quia Chriſtus in miraculo panum interrogabat Diſcipulos *Vndè ememus panes*, Sorores Lazari *Vbi poſuiſtis eum?* Ergo vt diſceret. Nego ex D.Thom. & Origine, ſed potiùs, vt eos doceret. Patet experientia. Examinatores interrogant Examinatos, & Magiſtri diſcipulos vel vt interrogatus erudiatur, vel vt interrogãtis ſcientia ab alijs cognoſcatur. Ad confirm. reſp. Chriſtum non interrogaſſe, vt diſceret ab eis, ſed vt ipſi ſenſum ſuum imperfectum aperirent, & poſſet eos emendare. Item ſæpè, vt veritatem faterentur, ſicut Dominus interrogabat Cain de Abel fratre ſuo, vel interrogabat ob alia motiua, quæ tradunt Interpretes Sacri.

1578 Replicabis: Saltim Chriſtus ex illa reſponſione noſcebat, quod ipſi loquebantur, ſicut ex ſpeciebus ab obiectis viſsis cognoſcebat talia obiecta. Vnde iam Chriſtus accipiebat notitias ex dictis hominum: ergo diſcebat. Confir. Chriſtus per ſpecies diſcebat experimentalitèr obiecta ipſa, v.g. ex lapidibus; & in hac ſcientia pendebat ab illis nam de mundo materiali dicitur in Scriptura. *Et hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.* Et Iob mittitur ad aues & piſces, vt doceatur ab eis: ergo multo melius ex vocibus hominum. Conſeq. patet, Tùm, quia nobiliùs eſt pendere in ſcientia ex hominum notitia, quam ex rebus innanimatis & habere pro Magiſtro Angelum vel Prophætam, quàm lapidem vel lignum. Tùm, quia ſpecies, quę ſunt in intellectu hominis, ſunt ſpirituales & nobiliores, quàm ſpecies miſſæ ab obiectis materialibus: ergo ſicut non dedecebat Chriſtum diſcere experimentalitèr ab obiectis, ita nec ab hominibus.

1579 Reſp. 1. diſtingo antec. Noſcebat & accipiebat notitias ex dictis hominum, notitias inquam, ita vt per eas ſciret alio modo, quæ iam ſciebat: concedo antec. ita vt ſciret, quæ aliàs ignorabat, nego antec. & conſeq. quia ſolùm diſcit, qui à Magiſtro inſtruitur de his quæ ignorabat. Ex quo patet ad confir. Chriſtus enim à ſolo Deo didicit, qui ſpecies omnium dedit à primo inſtanti, non à lapidibus, nec ab hominibus; ſicut ab illis poſſunt diſcere homines, quia illi ſupponuntur ignorare; ſecùs Chriſtus.

1580 Reſp. 2. & aliter, notando, aliud eſſe rem intellectui ſe offerre, vel poni præſentem per modum obiecti cognoſcendi, & aliud per modum Magiſtri & inſtruẽtis. Hæc differentia non ſtat in eo quod lapis non producat ſpecies intellectuales niſi occaſionalitèr & intellectus agens Chriſti, eas ſibi producat, quia nec voces hominum producunt internas ſpecies: ſed ſtat in eo, quod homo ſpecies ſuas intellectuales quaſi exemplat & deriuat ad voces, vt ex eis Diſcipulus addiſcat. Chriſtus ergo videbat, quid homines loquerentur, quid voces ſignificarent, quid in mente haberent. Et omnia hæc præſentabantur ei attingenda, ſed purè per modum obiecti experiendi, ſicut & lapides; non per modum Magiſterij & inſtructionis, quia ex eis non inſtruebatur, nec accipiebat vt à docente (ſed vt à puro obiecto) & vt à ſignis Sapientiæ Dei. Ad confir. Reſp. melius eſſe, & dignius ſcire per lapides, quam per homines inſtruentes, aut per teſtimonium eorum, quia in lapidibus poſſuit Deus vt inquit D.Thom. art. 4. ad 2. ſigna Sapientiæ ſuæ. Ideò Eccleſ. 1. dicitur: *Quod Deus effudit Sapientiam ſuper omnia opera ſua.* Vox igitur lapidis in erudiendo nos ſubordinatur Sapientiæ Dei effuſæ in illo; & Deus eſt, qui per illum docet. At voces hominis docentis ſubordinãtur ſapientiæ ipſius. Dignius autem eſt, Chriſtum per inſtrumenta doceri, à Deo, quàm ab homine: licèt enim ſpecies hominis ſint nobiliores entitatiuè ſpeciebus lapidis, ſunt tamen inſtrumenta Magiſtri minùs nobilis, & quod non decebat Chriſtum. Si autem voces & ſpecies hominis ſumantur non per modum inſtructionis, ſed per modum obiecti; etiam in illis relucebit Sapientia Dei, & accipere notitiam ab illis, non eſt doceri ab homine, ſed à Deo.

1581 Secunda difficultas. An aliquid didicerit ab Angelis? Ratio dubitandi eſt, quia Lucæ 22. Chriſtus confortatus fuit ab Angelo in horto; hæc autem confortatio facta eſt proponendo illi motiua, quibus libentèr amplecteretur mortem in gloriam Dei, ſiue ſalutem hominum & exaltationem ſui nominis: ergo iàm Chriſtus aliquid didicit ab Angelo, è cuius notitia ſolatium accepit. 2. quia corpus Chriſti ſubiectum fuit impreſsionibus cœleſtium corporum, nam habebat calorem in æſtatè & frigus in hyeme: ergo etiam eius anima ſubiecta fuit Angelorum doctrinę. Conſeq. patet, quia ſicut corpus humanum ordine naturæ ſubijcitur corporibus cœleſtibus; ita etiam anima humana Angelis, qui à Deo nobis dati ſunt, tanquam Doctores. Confirm. Sicut illa perſona eſt Dei Sapientia, ita eſt ſuſtentator omnium: ergo ſicut in aliena natura potuit ſuſtentari ab homine, ergo etiam in illa potuit doceri ſaltèm ab Angelo.

1582 Tertia, Chriſtus habuit ſcientiam naturalem per ſe infuſam propriam animæ ſeparatæ; qui autem in-

infundit ſpecies proprias talis ſcientiæ, ille inſtruit atque illuminat intellectum ipſius; atqui iuxta D. Thom. quæſt. vnica de Anima art. 7. ad 4. & art. 18. ad 13. Angelus eſt per cuius miniſterium infundit Deus eas ſpecies animæ ſeparatæ: ergo Angelus eſt, qui immdiatè inſtruit & illuminat. Confirm. quia anima Chriſti non debuit aliter, nec ab alio eas ſpecies accipere, quam aliæ animæ. Tùm, quia ſi infunderentur à Deo, cum non eſſet à proprio & ſpeciali agente, deberent eſſe ſupernæ. Tùm, quia ſi experimentales immittuntur à proprio obiecto propter maiorem connaturalitatem, propter eandem iſtæ produci debent à proprio principio nempè Angelo.

1583 Aſſero oppoſitum cum D. Tho. & cômuni Sent. hic quæſt. 12. art. 4. Hanc concluſionem probant argumenta à nobis facta in prima difficultate. Item, quia Chriſtus iuxta D. Thom. non habuit Angelum Cuſtodem, eo quod miniſterium ſuum, quod eſt illuminare, non potuerit exercere cum Chriſto. Inſuper triplex fuit in Chriſto modus cognoſcendi, Diuinus, Angelicus & humanus. Diuinus per viſionem beatam noſcentem tanquam per ſpeciem impreſſam, per eſſentiam Diuinam. Angelicus per ſpecies à Deo per ſe infuſſas, ſicut Angeli. Humanus per ſpecies per ſe adquiſibiles & operatiuas dependenter à phantaſmatè. Hinc probat D. Thom. quod anima Chriſti nihil didicit ab Angelo; anima enim humana, media inter ſubſtantias ſpirituales & corporeas dupliciter per ſcientiam perficitur, nempè vel per adquiſitam ex rebus ſenſibilibus; & hanc non accipit ab Angelis, ſed vel ab ipſis rebus, vel à Deo per accidens infundente. Vel per infuſſam. & hanc accipit à ſolo Verbo, ſupra communem modum hominum: ſicut & ſupra communem modum creaturæ, vnitus eſt hypoſtaticè Verbo.

1584 Ad rationes dubitandi, reſp. & ad 1. Aliqui negant ab Angelo re ipſa Chriſtum accepiſſe conforrationem, ſed potius poſt aduentum eius agoniam creuiſſe vt iudicat D. Lucas. Sed Angelũ confortaſſe Chriſtum cômune eſt & id fecit dando ſolatium, ſed non ſcientiam, aut perfectionem aliquam intellectualem. Solatium: 1. Aſſociando ipſum à Diſcipulis ſeparatum. 2. Mundando ipſum à ſanguine & puluere, & alia externa miniſteria exhibendo, quibus Chriſtus cum poſſet ſibi ipſi ſuccurrere, adiuuari voluit ad magis veritatem carnis oſtendendam. 3. Ipſi quaſi compatiendo; compaſsio enim lenit laborem. Vndè ipſe dicebat: *Quæſiui qui ſimùl contriſtaretur, & non fuit. Conſolantem me quæſiui, & non inueni.* 4. Rogando Chriſtum (qui liberè excitauerat in ſe cogitationes triſtificas, atque excluſerat eas, quæ ipſum leuare poterant) vt mentem à contriſtantibus auerteret, atque lętificantibus aditum aperiret, v.g. gloriæ Dei, hominum ſaluti, ſui nominis exaltationi, ex Paſsione ſua prouenturis. Quod precibus potuit Angelus obtinere, ſine eo quod in aliquo Chriſtum inſtrueret. Tandem potuit ipſum confortare ei ſe gratum exhibendo per laudes ſui amoris & fortitudinis; hæc enim omnia triſtem animũ conſolari conſueuerunt, ſine inſtructione vlla. Sæpè enim patienti ſolatium eſt, quod alter cognoſcat & recognoſcat ea quæ ipſe inſeipſo benè noſcit. Videatur P. Bernal. D. Lucas autem poſuit confortationem ante Agoniam per anticipationem.

1585 Ad 2. reſp. Chriſtum in mundum veniſſe vt pateretur, & ideò debuiſſe corpus ipſius ſubijci frigori & calori, atque moleſtijs, & impreſsionibus cœleſtibus; at non venit vt doceretur, ſed potius vt doceret. Ad confirmat. reſp. debuiſſe ſuſtentari ab alio ob veritatem carnis probandam & paupertatem laborioſe exercendam, ſecùs doceri, quia venerat docere. Licet autem dixerit D. Dioniſ. 4. de Cœleſti Hierarchia circa finem; *Ieſum obedientèr ſubiectum fuiſſe Dei formationibus per Angelos*; non intelligitur, quod per eos informaret Chriſtum de aliqua re, ſed potiùs tales formationes erant pro ipſis Angelis, circa ea quæ ipſi agere debebant in ordine ad Chriſtũ.

1586 Ad 3. reſponderet quis, aliud eſſe accipere ſpecies ab Angelis effectiuè, & vt influentibus; aliud doctrinalitèr, & vt inſtruentibus; fortè admitti poteſt primum; ſecùs ſecundum. Sed contra. Tùm, quia videtur inſeparabile imbui intellectum ſpeciebus ab Angelo, à doceri, ſiue illuminari ab illo. Vt enim docet D. Tho. 1. p. quæſt. 106. art. 1. *In tantum vnus intellectus alium illuminat, in quantum tradit ei aliquod medium cognoſcendi ea, quæ antea non cognoſcebat.* Illuminant ergo animas ſeparatas deriuando in illas ſpecies iſtas: ergo influendo, & producendo eas in Chriſto, illuminarent ipſum. Tùm etiam, quia D. Tho. hic art. 4. non ſolũ negat, quod Chriſtus didicerit ab Angelo, ſicut negat ab homine, ſed vlteriùs negat accepiſſe ab illis aliquam perfectionem intellectualem. Ideò reſp. alitèr, conceſſa mai. nego min., quia ſpecies iſtæ non producuntur in Chriſto ab Angelo, ſed à Deo, eſſeque ſupernaturales, non in ſubſtantia, ſed in modo infuſsionis, quia ſicut ſupra omnem modum eſt vnitus Verbo, ita etiam ſupra omnem modum, eius anima accipit illas ſpecies à Verbo. Nec in hoc ſeruatur connaturalitas productionis, ſicut in ſpeciebus experimentalibus, quia ex illo non ſequitur inconueniens perpetuæ otioſitatis alicuius potentiæ, ſicut ſequeretur ex iſto.

1587 Vel reſp. poteſt 2. diſtinguendo ſecundam partem maioris. ille illuminat intellectum, qui producit ſpecies, quando aliàs intellectus accipiens eas ſciebat obiecta nego; quando non ſciebat concedo mai. & iſte eſt ſenſus D. Thom. in loco nuper adducto. Vndè ſi inſtes, quod Angeli Prophetas illuminabant, & inſtruebant, præcisè ponendo obiecta ſenſibilia ante ipſos; atqui Angeli ſæpè miniſtrarunt Chriſto obiecta ſenſibilia (vt Dæmon in deſerto omnia Regna Mundi) vt ex illis ſumeret naturalem cognitionem: ergo illuminabãt & inſtruebant Chriſtum. Reſp. enim, propoſitionem obiectorum ab Angelis animo vt intelligantur eſſe inſtructionem pro Prophetis illa ignorantibus. Pro Chriſto vero ſolum fuiſſe obiectiuam præſentationem difficultate præterita explicatam, vt ipſe ex eis nouo modo noſceret, quæ iã ſciebat. Diſcipulus enim qui interrogando Magiſtrum excitat in ipſo cognitionem eorum ad quæ cognoſcenda ipſe erat proximè potens, proponit obiectiuè, ſed Magiſtrum non inſtruit. Sic nec Angeli Chriſtum. Videatur Cornejo fol. 221.

1588 Replicabis: Si Chriſtus ſecundum animam fuit ſubditus legi antiquæ (factus fuit enim ſub lege) ordinatæ per Angelos Actor. 7. ergo meliùs ipſis Angelis. Nego conſeq. quoad doceri, quia ſubdi legi, eſt ſubdi Deo præcipienti. Angeli enim ſolum fuerunt quaſi intimatores, & præcones: ſubdi in doctrina eis, non tàm eſſet ſubdi Deo, quàm ipſis vt Doctoribus principalibus, & iſtud dedecebat Chriſtum, cum ſummè eos in ſapientia excederet, & licet ſit minoratus ab Angelis, ideſt in natura, ſed non in ſcientia.

ARTICVLVS IIII.

AN POTVERIT ESSE IN CHRSITO error Iudicij?

1589 DE culpabili negant omnes Catholici. De inculpabili affirmat Lugo diſp. 21. nu. 26. aſſerens eſſe ſententiam communem. Prob. quia error actualis non eſt malum culpæ, ſed pœnę, non repugnans Chriſto; ſicut nec mors. Confirm. quia Deus potuit aſſumere Brutum, v.g. Aſinum, Talpam, & ſibi hypoſtaticè vnire, vt in 1. par. de Incarnat. Si autem non repugnat Deo in vnico ſuppoſito ſtoliditas Aſini, nec cæcitas Talpæ, ergo nec error, qui eſt defectus Phyſicus.

1590 Si obijcias 1. Sequi vt ſuppoſitum illud non haberet infallibilitatem in doctrina, cum poſſent homines formidare, an erraret: quod nequit concedi in natura, quę eſt organum Dei ad loquendum. Reſp. negando ſequelam, quia adhuc poſſet habere infallibilitatem in docendo. Poſſet ergo humanitas illa loqui nomine proprio, & tunc errare, ſecùs cum in nomine Dei, & vt organum ipſius ſicut Pontifex,

1591 Si obijcias 2. Inde ſequi, quod Verbum deciperet homines, ſi etiam nomine proprio humanitas loqueretur falſum. Reſp. Verbum decepturum materialiter, & per communicationem hydiomatum ſecùs formaliter; nam ad hoc requiritur mendacium, idest, quod eadem natura quæ decipit, ſciat rem aliter ſe habere: natura autem ſola Verbi eſſet, quæ ſciret, & humana quæ diceret. Deceptio autem materialis non repugnat Verbo, nã ſicut Chriſtus ſine iniuria Verbi poſſet eſſe offendiculum, vt aliquis homo caderet, & moreretur, etiam poſſet eſſe inculpabiliter offendiculum, vt intellectus alterius erraret.

1592 Si 3. Licet error non ſit peccatum, eſt obiectiuè malus, ita vt non poſſet quis illum voluntariè admittere ſine peccato, ſicut licet hominem occidi a Tauro non ſit peccatum, eſt ita obiectiuè malum, vt ſi quis voluntariè mortem illam admitteret, peccaret: ergo cum ad Verbum ratione vnionis pertineat humanitatem ſpecialiſsimè gubernare & illi attendere, non poteſt in ea errorem admittere licitè, ſicut nec permittere, vt peccet. Reſp. Lugo (permiſſo, quod error habeat malitiam obiectiuam, quando eſt voluntarius) negat quod hic eſſet voluntarius, quia ad hoc non ſufficit voluntas eiuſdem ſuppoſiti, ſed eiuſdem naturæ.

1593 Sic quia mors, & amentia, licet non ſint formaliter peccatum, ſunt tamen malum obiectiuè, ideò non poteſt homo licitè, & pro libito eas committere propria voluntate; poſſet tamen Verbum vtramque inducere in ſuam humanitatem, quia tunc non eſſent voluntariæ humanitati, cum non inducerentur à voluntate naturæ humanæ, ſed ab alia voluntate ſui ſuppoſiti. Nec plus vrget, ſi quis dicat, Verbum eſt incompatibile cum peccato, quod eſt defectus voluntatis, non ſolum in eadem natura, ſed in diuerſa natura eiuſdem ſuppoſiti: ergo etiam cum errore, qui eſt defectus intellectus. Negatur enim poteſt conſeq. quia Verbum cum per ſe formaliter, vel per vnionem ſanctificet humanitatem, reddit illam formaliter mundam, non verò formaliter omnia ſcientem per ſapientiam Verbi, vt ſupra diximus, & ideò non eſt neceſſè, vt ſit incompatibile cum errore in alia natura. Hæc ſententia ſatis fauet Scotiſtis docentibus Chriſtum poſſe peccare in aliena natura, ſi à Deo non manuteneretur.

1594 Sententia contraria videtur decentior, vt tenet Bernal, & alij Prob. quia in eo caſu, Deus eſſet cauſa ſpecialiſsima erroris in intellectu Chriſti, & in proprio ſuppoſito: ergo non poteſt humanitas aſſumpta errare. Antec. prob. quia vnio hypoſtatica exigit quantum eſt ex ſe, & habet ius vt nil indecens, & naturæ rationali diſſonum & oppoſitum (quale non eſſet ſtoliditas reſpectu Aſini aſſumpti; eſſet autem error reſpectu cuiaſvis hominis) reperiatur in ſuo ſuppoſito; nec poteſt Verbum errorem admittere connaturaliter, ſed diuinitus, & contra ius ſuum: ergo eo ipſo Verbum eſſet cauſa ſpecialis moralis talis erroris, vtpotè qui eſſet contra exigentiam vnionis. Inſuper, quia ideò nequit permitti diuinitus culpa venialis in humanitate, quia cum hæc ſpecialiſsimè gubernetur à Verbo, tanquam aliquid ſui ſuppoſiti, quilibet defectus tribueretur incuriæ gubernantis: ergo ob eandem rationem nequit errorem permittere, qui eſt valdè diſſonus naturæ rationali vt tali, gubernatæ à tali ſuppoſito.

1595 Conſeq. autem 1. prob. quia vt docui in materia de Fide, eſt Deo valdè indecens eſſe cauſam ſpecialem erroris, & modo confirmo, quia error, & deceptio præſefert magnam diſſonantiam cum ratione: ergo ſi De^9 nequit in humanitate permittere culpam, ob diſſonantiam huius cum ratione, nec errorem poterit. Quid enim magis diſſonum ſummæ veritati, quam eſſe cauſam ſpecialem deceptionis? Vlteriùs, nequit Verbum permittere, vt humanitas mentiatur, ſine quod eat contra mentem (& hoc etiam ſi eſſet ſine libera volitione humanitatis): ergo nec vt decipiat ſe, vel alios etiam inculpabiliter. Prob conſ. quia eã decipere inculpabiliter, eſt obiectiuè malum reſpectu Verbi. Patet, quia ideò mentiri eſt malum, quia mendacium deſtruit communicationem humanam, & quia qui mentitur, dat ſigna, vt alij decipiantur; ſed qui eſt cauſa ſpecialis erroris, cauſat, vt alij decipiantur: ergo in deceptione ſemper reperitur malitia obiectiua moralis: ergo ſicut Verbum nequit permittere vt humanitas, quæ tota eſt ſuæ cuſtodiæ commendata, mentiatur, ita nec vt erret, & hoc eſt verum etiam de mendacio neceſſario prolato ab humanitate, & ſic clarior eſt paritas.

1596 Ad argument. contrarium reſp. Licet error ſit malum pœnæ, eſſe tamen valdè indecentem, & contrariũ naturæ rationali, vt tali. Et ideò cum ſit obiectiuè malus, nequit De^9 eſſe cauſa ſpecialis, ſicut nec actus 1. primi inhoneſtiſsimi, licet etiam ſit malum pœnæ. Si autem iſtius non poteſt eſſe, quia quãtum eſt ex ſe, inducit ad aliquid naturæ rationali diſſonum, nempè ad culpam, nec illius poterit; quia etiam valdè diſſonus eſt. Ad illud, quod inter reſpondendum ad argumenta dixit Lugo, nempè Verbum poſſe admittere in humanitate amentiam, & mortem nego de amentia, ex qua reſultaret defectus in intellectu, quia etiam eſſet maximum dedecus, Chriſtum eſſe amentem. De amentia verò, quæ ſtaret in ſola organorum mala diſpoſitione, dummodo corrigeretur per intellectum, permitto; de morte autem fateor, quia eſt diſpar ratio, nam hæc non eſt diſſona nec obiectiuè mala de per ſe, & induci poteſt à Deo. Quænam ex his ſententijs tenenda? Reſp. Quod quæ fuerit conformior his quæ dicemus de Impeccabilitate Chriſti.

1597 Vſuſque de cognitionibus intellectualibus Chriſti. De ſenſitiuis verò docuit Suarez, numquam Chriſtum in illis paſſum fuiſſe deceptionem, quia Chriſtus obiecta valdè diſtantia, videbat tam magna, & tam extenſa, ac re ipſa erant, eo quod ſenſus Chriſti diuinitus confortarentur. Sed benè ait Bernal diſp. 52. num. 12. hoc eſſe addere miracula inutilia & ſine neceſsitate, ideòque nullum eſt inconueniens, in eo, quod Chriſtus videret obiecta, ſicut ſpecies miſſæ petebant, nam deceptio in ſenſibus corporalibus naturaliſsima eſt, & Chriſtus *quoad corpus* (non quoad ſcientiam animæ) ſubijci voluit cauſis naturalibus, vt ſupra dixi; Chriſtus tamen non ideò decipiebatur abſolutè, quia ſcientia interna hæc omnia corrigebat: Sicut qui audit dicentem: *Petrus non eſt animal*: Licet de hoc obiecto formet apprehenſionem, non decipitur, ſi diſſentiat.

ARTICVLVS V.

AN FVERIT IN CHRISTO IGNORANTIA aliqua?

1598 RAtio dubitandi eſt, quia non cognouit omnes creaturas poſsibiles: ergo aliquid ignorabat. 2. Quia Chriſtus non ſemper omnia cognoſcebat: ergo quæ non cognoſcebat pro illo tunc, ignorabat. Patebit ſolutio ex dicendis.

1599 Reſpond. negatiuè cum D. Thom. quæſt. 15. art. 3. Et eſt commune apud Chatolicos. Ad cuius intelligentiam noto, non quamlibet carentiam ſcientiæ, eſſe ignorantiam, ſed quando quis habet neſcientiam rerum pertinentium ad ſuum ſtatum, vel earum quas ſcire tenetur; & hæc neſcientia, dici ſolet ignorantia; neſcientia verò rerum non pertinentium ad proprium ſtatum, appellari ſolet ignorantia negationis, quæ non eſt propriè ignorantia; illa verò priuationis, quia eſt in ſubiecto potente & debente ſcire.

1600 Prob. autem concluſio; quia Chriſtus, Ioannis 1. dicitur plenũ gratiæ & veritatis: ergo ſicut plenitudo gratiæ & virtutis excludit, non ſolùm peccatum ſed radicem eius, nempè fomitem peccati; ita plenitudo ſcientiæ, non ſolùm excludit errorem, ſed omnem ignorantiã. Vndè ſi alicubi PP. vocant naturam humanam Chriſti, ſeruilem & ignorantem, vt Damaſc. apud D. Thom. locuntur de natura ſecundum quod habitura erat de ſuo, non ſecundum, quod habet vnita Verbo: Et ſi alicubi negatur

tur

221

tur de Chriſto in Scriptura aliqua notitia, ſcientia experimentali, vt in illo Iſaiæ *Antequam ſciat puer vocare Patrem & Matrem, auferetur fortitudo Damaſci*, id eſt antequam Chriſtus experimentaliter & per voces humanas, Mariam & Ioſephum vocaret Patres ſuos.

1601 Obijcies: Cumulus cognitionum omnium Chriſti pertinet ad ſui ſtatum; ſed iſtum non cognouit: ergo habuit ignorantiam. Minor prob. quia non nouit omnes illas cognitiones per ſeipſas, nam non omnes ſunt reflexæ; nec per alias, quia iſtæ noſcerentur per alias & ſic in infinitum. 1. Diſtingui poteſt maior: pertinet in actu exercito concedo; pertinet in ſignato nego, quia licet pertineret eas elicere, non tamen erat neceſſe omnes illas cognoſcere. Data maiori nego minorem, quia nouit illas per viſionem beatam reflexam ſupra ſe & ſupra omnes. Reſp. 2. quod licet non omnes noſceret, poterat tamen ſupra quamlibet reflectere, licet de facto non reflecteret. Non autem dicitur propriè ignorare quis, illud quod non noſcit, ſi habet habitum, ſpeciem & alia requiſita in promptu, vt quandocumque oporteat vel velit noſcat.

1602 An vero in Chriſto fuerit aliqua neſcientia per modum negationis? iuxtà illa quæ communiora ſunt in materia de Viſione, probabile eſt fuiſſe: imò probabilius, Chriſtum non cognouiſſe nec cognoſcere omnes creaturas poſsibiles ſecundum omne, quod in eis & in Deo de ipſis cognoſcibile eſt, nec omnia quæ Deus ſcit.

1603 Obijcies. Aliqua poſsibilia Chriſtus non cognoſcit? ergo aliqua poſsibilia neſcit & ignorat, quia non habet ſpecies illorum & ſic non eſt in promptu illa ſcire. Vndè ſequeī, quod hæc propoſitio ſit vera abſolutè: *Chriſtus ignorat aliqua*: ergo & hæc alia: *Deus ignorat aliqua*. Prob. quia ſicut propter mortem humanitatis, Deus eſt abſolutè mortuus per communicationem hydiomatum, ita etiam propter ignorantiam humanitatis, circa illas res, Deus abſolutè illas ignorat. Reſp. Bernal poſſe abſolutè totum concedi, dummodò conſtet, locutionem eſſe per ſolam communicationem hydiomatum; non aliter, quià talis conceſsio male audiretur. Reſpond. tamen pro nunc, licet verum ſit de Chriſto, tamen non eſt abſolutè concedendum de Deo. Ratio diſparitatis eſt. Tùm, quia eſt locutio valdè inuſitata, & ideò in tanto miſterio vitanda. Tùm, quia ignorare, ſe habet inſtar negationis, & ideò videtur negare ſcientiam ipſi Deo, eo quod negatio ſit malignantis naturæ & totum neget. Sicut autem licet humanitas non ſit æterna, non eſt concedenda abſolutè hęc propoſitio: *Deus non eſt æternus*; ita nec *Deus eſt ignorans*. Denominatio autē mortui vel non eſt negatiua, ſi detur forma cadauerica, vel non ſonat ex communi vſu loquendi mortem ipſius Dei, ſed humanitatis adiunctæ.

1604 Aliter reſpondebunt alij ex doctrina Illuſtriſ. Godoi tom. 2. de Incarnat. diſtinct. 34. à num. 181. Omnia poſsibilia noſci á Chriſto euidenter quoad *an eſt*, quia noſcit in actu libero Dei, non ſolùm res futuras, ſed etiam non futuras; in decreto nempè decernente, vt non exiſtant; negationes autem omnium purè poſsibilium non poſſunt clarè noſci, niſi noſcantur ſingula poſsibilia negata. Quod prob. 1. ex D. Thom. dicente: Chriſtum noſcere in Deo, quidquid Deus noſcit ſcientia libera, ſiue viſionis: Deus autem cum libere decreuerit negationes illorum, per ſcientiam liberam eas noſcit. 2. Quia talis cognitio eſt poſsibilis, nam non eſt comprehenſio Dei, cum non noſcantur ipſa poſsibilia quidditatiuè, nec ex vi Omnipotentię vt 1. cauſę, ſed ſolum quoad *an eſt*, ſiue ratione negationum cognitarum, quæ negationes non continent res negatas continentia eminentiali. Et potius ſunt negationes exiſtentiæ & reſpectiuæ iſtius, quam eſſentiæ. Vide omninò ſupra à num. 1304.

1605 Sed quod hæc doctrina admitti iuxta noſtra principia poſsit, non eſt ita facile. 1. quia noſceret Chriſtus omnia quæ Deus noſcit per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ contra D. Thom. negantem quæſt. 20. de veritat. art. 4. ad 9. & 3. par. quæſt. de ſcientia B. art. 3. ad 3. Dices D. Thom. ſolùm velle, quod non noſcat omnia quidditatiuè ſicut Deus. Sed contra, quia expreſſè negat de obiectis illis & non ſolùm de modo. 2. Hęc cognitio repugnare videtur, quia licet non eſſet comprehenſio Dei, videtur debere eſſe infinita & continere modo altiori infinitas attingentias diuerſas vt tales. Etenim videre in decreto Leones exiſtentes, non eſt eo ipſo videre Lapides exiſtentes, ſed ſunt diuerſæ attingentiæ vel vna ſimpliciſsimè complectens duas: ergo videre carentiam animalium poſsibilium, non eſt eo ipſo videre carentiam aliorum Lapidum poſsibilium: ergo cognitio quoad *an eſt* nouæ ſpeciei & alterius nouæ in infinitum, claudit diuerſas infinitas attingentias vel vnam, quæ modò altiori ſimpliciori & infinitiori contineat eas vt eas.

1606 Nec impedit diuerſitatem hanc quaſi ſpecificam, quod attingentiæ ſint ſolùm quoad *an eſt*, ſiquidem euidentia abſtractiua de homine poſsibili diuerſa eſt ab abſtractiua de Leone, præcipuè ſi ſit in medijs ſpecie diuerſis; qualia ſunt iſtæ negationes vt tales & vt diuerſæ.

1607 Ad 1. reſponderi poſſet, Deum ſolùm decreuiſſe creaturas futuras: de alijs fortè nihil decreuiſſe, ſed purè omiſiſſe, vt plures tenent. Dato, quod decreuerit, ſolùm decreuiſſe vnam negationem omnium, id eſt: decerno ſola hæc producere & nihil amplius. Et hoc pacto aptiùs ſententia D. Thom. defenditur, dum dicit, Chriſtum nouiſſè (quoad numerum ſcitorum licet minùs clarè) tot obiecta, quot Deus per ſcientiam Viſionis; ſecùs tot quot Deus per ſimplicem intelligentiam. Ad 2. nego eſſe poſsibilem talem cognitionem, quia eſſet infinita & infinitatis Dei ſpecialiſsima incohatio. Etenim collectio poſſibilium noſci quoad *an eſt* in medio creato, cum tota illa ſpecifica varietate quam habet, ſatis difficilis eſt ſine infinitate, & dari tale medium videtur difficilius, iuxta dicta à num. 1506. & num. 1269. ergo etiam in Deo.

1608 Si tamen ſententiā Magiſt. Godoi velis tenere, (quia facilius ſoluitur argumentum ſumptum ab inconuenienti de ignorantia Chriſti.) Tunc poteris reſpondere ad argumenta contraria. Et ad 1. D. Thom. velle, inæqualitatem inter ſcientiam Chriſti & Dei reſpectu poſsibiliū, non eſſe quoad numerū ſcitorū, ſed quia in Chriſto eſt ſolùm quoad *an eſt*. Ad 2. non fore infinitam talem cognitionem, niſi per exceſſum, quia eſſet per vnam tendentiam ad actum liberum Dei altiùs penetratum: & cum aliàs non eſſet in medio continenti, ſed in medio reuelante finitè cognito, & ab eo ſic ſumpto ſpecificaretur, viſio eſſet finita ab obiecto immediato adunante illas creaturas modò finito, quia nō adunat eas, quoad quidditates vt tales, in quibus differunt, ſed quoad non exiſtere, in quo non differunt. Vide num. 1304.

Reliquas quæſtiones ad Chriſti Domini perfectiones ſpectantes in altera parte ſequenti diſputabimus.

FINIS.

RE-

Bibliotheca S.tae M.ae Transpontinae.

Digitized by Google

RERVM, ET VERBORVM INDEX.

NVMERVS, MARGINALEM INDICAT: VBI ADDITVR LITERA D. *ipſum indicat duplicatum, ob incuriam Typographi, numerum* 1100. *vſq; ad* 1200. *iterùm repetentis.*

A.

ACCIDENS per inhærentiam ad ſubſtantiam completur 841. Accidentia ſolum mediate aſſumpta fuerunt à Verbo, ibidem & 844. poſſunt immediatè aſſumi 844.

ACTIO Chriſti generatiua aliquid diſtinctum ab Humanitate producit 728. Terminus per ipſam productus vnio hypoſtatica, ibidem. Actio productiua Humanitatis non ipſamet vnio hypoſtatica? à nu. 742. Præfertur Sententia negans, à nu. 748. Oppoſita ſatis probabilis 754. Actio Chriſti generatiua ſuperna 753. Cur nihilominùs Beatiſsima Virgo Chriſti Mater naturalis? ibidem.

Actiones auferentes rem non habent pro termino immediato, & directo rem quam auferunt, ſed carentiam quam inducunt 355. 361. 362.

ACTVS puriſsimus omnem ſuam perfectionẽ cogitabilem habet 1013. Ideòq; expers omni potentialitate, qua ipſe compleatur, non qua ipſe cõpleat aliud ibid.

Actus Chriſti Domini condignè ſatisfactorij ex ſe in actu 1. 554. In actu 2. non niſi audito pacto 555. Inſtituto voluntate Dei, Chriſtum Caput & Fideiuſſorem conſtituente 558. Eo excluſo non teneretur Deus remittere offenſam 560. Vide *Meritum*.

ACCEPTATIO diuina neceſſaria ad ſatisfactionem in actu 2. 555. 557.

ADAMI peccatum minus efficax ad maculandum, quam meritum Chriſti ad redimendum 554. Nos omnes non maculaſſet, niſi ſuppoſito pacto 560.

Adamus innocentiam habuit ex meritis Chriſti 625. 627. Ipſo non peccante Chriſtus non veniret ex vi præſentis decreti formaliter 709. Secùs arguitiuè 710. Vide *Chriſtus*.

ADVERTENTIA ſinita infinitatem offenſæ non impedit, à num. 465. ad 470. Conditio eſt, non forma offenſæ 471. Vide *Offenſa*.

AMOR beatificus num liber quatenùs tendit in diuinam bonitatem prout eſt ratio amandi creata? 1197. Non quoad individuationem? 1198.

Amor ſui & proximi an ſint eiuſdem ſpeciei? 1134. D. Amor minoris boni æqui honeſtus in ipſo Deo ac amor maioris boni 271. & 257. Vndè non eſt melior diuina volitio Incarnationis quã ipſius carentiæ 274.

Amor peccati perperàm infertur ex amore termini eſſentialiter cum illo connexi 651. 652. Amor efficax, & odium inefficax reſpectu eiuſdem ex diuerſo motiuo, non pugnant. 680. 681.

ANGELVS Incarnationis poſsibilitatem naturaliter demoſtrare non poteſt 121. Eſto repugnantias ſibi occurrentes, vel quæ proponerentur ſolueret 123. Non omnia naturalia noſcit euidenter 122. Neque carentiam Incarnationis in ſpecie 126. Ea cognita perpetùm Incarnationem poſsibilem aſſereret 129. Etſi eſſet relatio tranſcendentalis ad ipſam, ibidem. Hanc non dicit ad Incarnationis poſsibilitatem aſſenſus probabilis de illa 131. Iſtius veritatem non agnoſceret naturaliter Angelus 131. 132. Nequit naturaliter participare Viſionem diuinam, qua Deus ſe vt authorem naturæ intuetur 136. 137.

Poteſt Angelus probabiliter coniectari poſsibilitatem Incarnationis in genere à num. 140. Imò & Incarnationem actu executam probabilitate valdè remiſſa 142. 14 . Quomodò vtatur ſcientia infuſa? Vide *Incarnatio*.

Angeli propter Chriſtum creati 624. Gratiam habuerunt per Chriſtum 625. An ad aliquos actus conditionatos habeant, Abſtinentiæ & Caſtitatis habitus? à num. 1124. D. An eiuſdem ſpeciei cum noſtris? à nu. 1127. D. & nu. 1130. D.

De Scientia per ſe infuſa in Angelo quoad vſum per diſcurſum, num 1484. 1487. 1491. 1492. De vſu ſpeciei impreſſæ inadæquato, num. 1493. & 1495. Angelus inferior noſcit omnes effectus ſuperioris, quin illum comprehendat, num 1525. Angelus confortauit Chriſtum, ſed non inſtruxit à num. 1581.

Appetitus ad ſuperna non datur in natura, adhuc conditionatus 207. Vide *Humanitas*.

ASSVMPTIBILIS eſt à Verbo natura Angelica 917. Natura irrationalis 911. Humanitas propriam retinens ſubſiſtentiam a num. 920. Vide *Verbum, Vnio, Humanitas*.

Aſſumptio Humanitatis non eſt ipſius productio 833. 834. Priùs in intentione, aſſumpta eſt humanitas, quam illius partes 855. 856. 857. Aſſumptio materiæ organiſatæ natura pręcedit Animæ aſſumptionem in executione? Eſt problema, à num. 859. ad 863.

ATTRIBVTA diuina æqualem à diuinitate perfectionem aſſumunt 546. Terminare poſſunt vnionem ad humanitatem 870. Quænam & quomodò participabilia? à num. 1029. Vide *Participatio*.

Auxilia ad ſatisfactiones Chriſti quomodò ſub ipſius dominio 573. Collata ad vitanda peccata, exiſtentiam Chriſti ſupponentia, ex meritis ipſius Chriſti 649. Ea promeruit ſe crucifigentibus, per patientiam & mortem in Cruce 704.

B.

Beati quomodò in Omnipotentia clarè viſa omnes creaturas in particulari clarè non videant? 1287. 1288. An, ſi omnia poſsibilia in Omnipotentia viderent, eam comprehenderent? à num. 1281. Cur creatura ex ſe Beata repugnet? 1270. verſu *Et tandem*.

Beneficium æſtimationem à circunſtantijs quoque deſumit 493. Quodnam maius beneficium, præſeruati à peccato, an ipſius peccati Remiſsio? 403. Beneficium eſt Decretum Redemptionis ante exiſtentiam abſolutam peccati pręuiſſam, à num. 689. Non tamen eligibile, & deſiderabile à Beneficiato 691.

C.

CAPTIVITAS à qua redemit nos Chriſtus, à num. 304.

CAPVT Angelorum, & Hominum Chriſtus 1225. 1195. D. Vide, *Chriſtus, Eccleſia*.

CARENTIÆ per ſpeciem formæ negatæ cognoſcuntur, 129. In carẽtia vnionis hypoſtaticę huius poſsibilitas ignota maneret 128. Potiùs ſunt affirmabiles ſecundum dici, quam ſecundum eſſe 155.

Chriſtus verus Deus & homo, à num. 91. Veram habuit diuinitatem à num. 64. ad 67. Ea non eſt conuerſa in carnem à nu. 68. Veram quoque, & non apparentem habuit Humanitatem à num. 71. ad 78. Nudam propria ſubſiſtentia, & vnitam ſubſtantialiter cum diuina 79. Chriſtus non duplex, ſed vna Perſona 83. 84. Neſtorij

ar-

Digitized by Google

argumenta repulſa, à num. 86. Catholicæ hæ veritates magis ſtabilitæ, à num 91. ad 97.

Chriſtus non eſt melior Patre adhuc extenſiuè 287. Redemit nos ſtricta redemptione 302. 303. 409. Eius opera non ſolum valoris, ſed & meriti ſimpliciter infiniti, à num. 542. Inæqualia tamen ratione materiæ 545. verſu *Quia ſi meritum.*

Chriſti Domini ſatisfactio ex toto rigore iuſtitiæ 590. Et ex motiuo iuſtitiæ 592. Fuit ad alterum iure 572. Ex bonis proprijs ipſius Chriſti, qua hominis 573. Ea libere poſſuit ſub dominio Dei 575. 591. Quin obſtet ex alijs titulis debita fuiſſe, à num. 580. Non potuerunt à Deo non acceptari, à num. 586. Exceſſus ſatisfactionis non obeſt iuſtitiæ 599. Principium *Quod* ſatisfactionis Chriſtus Dominus 565. *Quo* 568. Vide *Iuſtitia, Satisfactio.*

Chriſtus Dominus initium viarum Domini 621. Non ſola dignitate 622. Primogenitus ante omnem creaturam 623. Omnia propter ipſum 624. Omnis benedictio ſpiritualis, & gratia per ipſum 625. Primò igitur, & ante omnia decretus 621. Hic modus decernendi Deo magis conueniens 627. Vide *Decretum.*

Chriſtus non veniret Adamo non peccante ex vi præſentis decreti formaliter, 709. Neque deficiente aliquo peccato, ibidem. *Arguitiuè* tamen veniret, etiam ſi deficerent omnia peccata, 710. Item ſi ſolum adeſſet originale, & è contra, 711. Non verò vno vel altero peccante mortaliter, 712.

Chriſtus quomodo vera Perſona Diuina, & vera Perſona humana? 790. Quomodo ſubſiſtens in vtraque natura? 937. Vide *Gratia Chriſti, Meritum, Scientia.* Chriſtus Eccleſiæ caput a num. 1195. D. Peccatorum quoque fidelium 1198. D. Non vero infidelium, neque damnatorum ibidem, & num. 1199. Vide *Eccleſia.*

Caput quoque Angelorum à num. 1225. Vt Homo à nu. 1228. influxu gratiæ Saluatricis 1231. Nulla pura creatura poteſt eſſe Eccleſiæ caput prout nunc 1210.

Circunſtantias Incarnationis Patres antiqui meruerunt de congruo, 715. Vide *Meritum.*

COGNITIO vera eſſentialiter quomodo terminum includit? 437. Superna relationem tranſcendentalem, & prædicamentalem dicit ad obiectum, ibid. Cognitio euidens de ente ſuperno ſuperna, à nu. 188. Ad eam eliciendam ſuppoſitis præmiſsis ſupernis debetur intellectui principium ſupernum, 190. 191. Abſque eo eliceret intellectus cognitiones claras & diſtinctivas aliquorum ſupernorum exiſtentium, 193. Non tamen eſſent demonſtrationes, nec connexæ eſſentialiter cum ſupernis, ibid. Vide *Demonſtratio.*

Cognitio creata comprehendens infinitas ſpecies per tendentias etherogeneas cur repugnet? 1046. An vnica cognitione poſsit Chriſtus omnia poſsibilia extra Verbum cognoſcere? à nu. 1503. Perperam à nonnullis aſſeritur poſsibilis, & negatur exiſtens in Chriſto 1508. poſſet & in Verbo 1536. talis cognitio ideò repugnans quia eſſet entitatiuè infinita a num. 1509. & iterum à nu. 1523. & nu. 1552. Argumentis pro finitate talis cognitionis occurritur a nu. 1537.

Communicatio Idiomatum in Chriſto Domino certa, 825. Quid ſit? ibid. Non datur inter terminos abſtractos, ſed concretos, 826. 827. Sitnè verum dicere: Hic homo eſt æternus, immenſus, &c? 828. Quomodo partes dici poſsint de ſuppoſito? 831. 832. 833. Quid de hac prædicatione: *Deus eſt anima?* 833. In triduo mortis quænam Idiomatum communicatio? 934.

Compoſitum per modum naturæ formam phyſicam exigit, ſecùs per modum ſuppoſiti, 39. Iſtius cauſa formalis in Chriſto vnio hypoſtatica, non Verbum, ibid. Aliud illius forma denominans, aliud forma phyſica, 41. 42.

Comprehenſio Dei Chriſto vt homini repugnans, 1265. Eſt differentia propriiſsima ſcientiæ Dei, prout hæc diſtinguitur ab alijs perfectionibus diuinis, 1266. Ideoque inparticipabilis à creatura, ibidem, & 1269. 1270.

Comprehenſio Dei cũ ſit à ſe non differentiam ſolùm ſed & genus omni Attributo diuino conueniens includit 1268. Si creatura comprehenderet Deũ, eſſet tam ſapiens ac Deus; tamque habens de cognoſcitiuo, quã Deus de cognoſcibili, 59.

Comprehenſio rei naturalis non omnia naturalia, quæ ei poſſunt contingere, ſed quæ debita ſunt, debet agnoſcere, 127. Vide *Participatio.* Quam æqualitatem debeant habere comprehendens, & comprehenſum? à nu. 1449. Si requireretur entitatiua, à Sciẽtia infuſſa non comprehenderetur vnio Hypoſtatica 1451. Impugnatur Godoy contendens comprehendi poſſe per lumen inferius à nu. 1453.

Comprehendere & comprehendi quid? 1457. Cognitio comprehenſiua non debet eſſe ſumma, quæ circa rem verſari poteſt, 1458. Datur æqualitas cognoſcitiui, & cognoſcibilis in linea ſcibili abſque entitatiua 1465. 1466. Comprehenſio creata omnium poſsibilium in ſe repugnat 1503.

Concretum adiectiuum ſubiectum dicit in recto, 821. Subſtantiuum vtramque partem, vnam tamen formalius, 822. Ad huius multiplicationem multiplicatur, ibidem. Aliquando ſumitur adiectiuè, 823.

Condonare peccatum abſque vlla peccatoris ſatisfactione Deum non dedecet, 301. Sit ne poſsibilis naturalis codonatio peccati? 324.

Confuſio & claritas an pugnent? 1152. 1153.

Contradictoria in qua affirmatione, & negatione conſiſtant? à nu. 1154.

Contrariorum pugna acurate explicata, à num. 354. Vide *Contritio, Expulſio.*

Contritio non eſt condigna ſatisfactio pro lethali, à nu. 332. ad 345. Quomodò poſsit dici opus amici, & iuſtificati? 341. Reddit honorem Deo, quẽ peccatum abſtulerat, non tamen æqualem 343.

An ſit ſatisfactio de congruo pro lethali proprio? à numero 344.

Quæ eſt ſupernaturalis tollit dipoſsitiuè peccatum in inſtanti in quo hoc non exiſtit, à num. 354. Exiſtit pro priori ad carentiam peccati, à num. 357. ad 361. Pro priori in quo intelligitur contritio, neque intelligitur peccatum, nec eius carentia, 360. Hæ propoſitiones: *Vel peccatum pro priori eſt ablatum, vel pro priori non eſt ablatum*, ambæ falſæ 364. Pro priori præſcinditur ab ablato, & non ablatò; ab exiſtere, vel non exiſtere, 359. Hæ propoſitiones: peccatum pro priori, vel permanet, vel non permanet: in quo ſenſu pugnent contradictoriè? 364.

Conuerſio naturalis ad Deum quam proportionem dicat cum auerſione ab ipſo? 325. 326.

Conerſio ſtricta ad phantaſmata quid? 1491. An ea pro libito ſuo vſus fuerit Chriſtus per aliquos actus ſcientiæ infuſſæ? 1492.

Creatio ex ſe ponit rem abſque ſubiecto, 745. Quæ eſt productiua Humanitatis Chriſti eam non ponit in alieno ſuppoſito, ibidem & 746. 747. Neque eſt vnio illius ad Verbum à num. 748. Ab hoc à poſteriori dependet, 747. Eſto non repugnet, de facto non eſt concedenda identitas productionis Humanitatis, & Vnionis cum Verbo 750.

Creatura pura an poſsit de condigno pro lethali ſatisfacere? à n. 489. & 571. Poſſet, ſi gratiã ſanctificantem peccatori de condigno poſſet mereri, à num. 495. & num. 571. verſu *In fine quæſtionis.* Vide *Iuſtus, Meritum.*

Creatura perfectionis eſſentialis gradualis infinitæ impoſsibilis, 1046. & 1508. Item & ex ſe in peccabilis 1260.

D.

Debitor ex iuſtitia an poſsit eſſe Deus? 592. Vide *Deus, Iuſtitia.* Debet peccator ex iuſtitia reddere Deo quantum poteſt, 596. Læſsit enim ius diuinum in bonis extrinſecis honoris & famæ 595.

Deceptio an fuerit in Chriſto? 1597.

Digitized by Google

ſtel. Eius obſcuritas non ſimpliciter talis, ſed ſolum ſecundum quid 1152. Non eſt imperfecta in ſe,ſed comparatiue ad viſionem 1128. Idem habent virtutes morales ibidem.

Habuit Chriſtus totum meritum fidei 1134. Non vero ſidem à num.1126. Et quia inutilis in Chriſto 1133. Et præſertim quia ita Deus diſpoſuit 1145. Aliorum fundamenta inefficacia oſtenduntur 1141.1147. Quæ militant pro ſententia affirmante, vrgentur à num. 1116. ad 1125. Eis fit ſatis à nu.1137, Probabile eſt fidem de facto exiſtentem incompatibilem eſſe cum euidentia phyſica eiuſdem obiecti 1165.

Filiatio diuina cur non denominet Humanitatem aſſumptam filiam Dei naturalem? 50.53. Cur non naturam Diuinam? 53.

Finis tantum intentionaliter cauſat 674. Amari poteſt efficaciter à Deo, & ſimùl ſerio velle impedimentum illius 680 681. Amor efficax finis,nolitio eſt efficax finis contrarij 685. Non vero medij finem contrarium inferentes ibidem.

Intentio efficax finis non obligat ad amanda ad ipſum neceſſaria, quæ præſcit intendens,ab alio eſſe ponenda 654. 687.

Finitorum numerus maximus impoſsibilis à num. 1052. Finiti ad infinitú datur proportio accomodationis 56.

Formæ contrariæ expulſio à num. 354. Expellitur hæc in inſtanti in quo non eſt,per ipſius carentiam inductam ab expellente 355. Pro ſigno priori,in quo introducitur forma,non eſt carentia contrariæ, ſed pro poſteriori 357.358. Pro ſigno priori ſolum verificatur formam contrariam non eſſe ablatam *Præciſiuè* 359.360. Valdè diuerſum eſt,formam exiſtere pro toto inſtanti reali, & exiſtere pro vtroque ſigno naturæ 363. *Forma contraria pro priori permanet, vel pro priori eſt excluſa*, vtrumque falſum 364. Quid de his propoſitionibus: *pro priori, vel permanet, vel non permanet forma contraria?* ibidem. Vide *Contritio*.

G.

Generatio Chriſti aliquid ſubſtantiale ab Humanitate diſtinctum producit 728. Vnionem nempè hypoſtaticam 729. Vide *Vnio Hypoſtatica*.

Gloria vt Corona prædefinitur à Deo ante merita abſolute præuiſa 702.

Gratiam habitualem Chriſto denegare ad minùs temerarium 1000. Eſto negetur fides 1002. Per illam Chriſtus non eſt Filius Dei adoptiuus 1003. Nec ſanctior ſimpliciter adhuc extenſiuè 1004. Benè vero ſecundum quid 1007.

Data eſt Chriſto vt eſſet per eam Sanctus 1008. Et vt principium vniuerſale actuum ſupernorum 1006. in primo inſtanti ſuæ Conceptionis 1011.

Num in Chriſto fuerit infinita à num. 1012. Fuit ſumma, & in quo ſenſu? ibidem,& 1019. Potuit diuinitus augeri 1017.1070.

Diuina natura per eam ſemper eſt magis,ac magis participabilis 1029. 1030. 1031. Non poteſt ſimùl produci omnis gratia poſsibilis à num.1048. Data Chriſto excedit ſimùl gratiam Angelorum, & Hominum 1110. An decerет eſſe finita, ſi poſsibilis ſit infinita 1112. An Chriſtus potuerit creſcere in ratione grati 1033. 1034.

Gratia Capitis à num.1195.D.Non ſolum eſt habitualis, qua influit in membra, ſed & ſubſtantialis, qua dignificantur eius merita 1242. 1247. Gratia cuiuſque alterius iuſti cur non ſit Gratia capitis à numero 1248.

Gratiæ gratis datæ omnes in Chriſto 1181.1184.D.Etiam Prophetia 1186. D. Hæc non eſt de per ſe obſcura 1189.D. Chriſtus verè Propheta, licet quæ prædicebat,videret quaſi præſentia 1191.D.

Gratiæ plenitudo Chriſti à num. 1068. Non potuit eſſe maior de potentia ordinaria 1070.Non repleuit totam Chriſti capacitatē 1082.Data eſt ex diuinæ Sapientiæ taxa 1086.Non ſeruatum eſt ius adæquatum vnionis, 1078. Attentum eſt ad fines vniuerſalis principij, & conformitatis capitis cum membris 1079.Ad eos haberet aliquid de ſuperfluitate ſi eſſet infinita, ibidem.

Gratia pleni in quo ſenſu aliqui in ſcriptura dicantur,à num.1088,In quo Chriſtus,Beata Virgo,& alij Sancti? 1089. Chriſtus plenus gratia, quia incapax augmenti ex diuinæ Sapientiæ taxa 1100.

Gratiæ plenitudo quid in ſcriptura ſignificet à nu. 1103. Chriſtus in quo ſenſu ipſamet gratiæ plenitudo 1105.

Gratia ſubſtantialis Chriſti Domini à num.939. Sententia eam negans vindicatur à cenſura,ibidem. Sanctificatur Humanitas à Verbo 953. Non vero redditur intelligens Scientia increata 956.Nec omnipotens Omnipotentia 657. Sanctificatur quoque à Deitate 958. Num finitè 968. Num infinitè 970. Vnio Hypoſtatica non eſt forma ſanctificans 948. Sicut neque vnio gratiæ cum Anima 949. Patres ſolum volunt eſſe donum gratuitum,non gratiam 951.Poteſt dici Sanctitas vitalis 952.Naturæ irrationali tribueret Sanctitatem conſecrationis 947. Eandem tribuebat Corpori Chriſti in triduo mortis,ibidem. Vide *Humanitas*

Gratia Adamo, Angeliſque collata per Chriſtum 615. Quomodo expellat peccatum? Vide *Contritio, forma*.

H.

Habitus Scientiæ infuſſę ſupernus in ſubſtantia 1405. Vnicus in Chriſto 1424.Non identificatur cum lumine gloriæ 1409. Habituum ſupernorum diuerſitas non in repugnantia,ſed in connaturalitate fundatur 1419.

Hominem poſſe fruſtrare diuina decreta, prædeterminantium ſententia euincit 239. 240. 241. Ex eo quod Homo omnia venialia vitaret, perperàm infertur, quod deſineret eſſe hominem 237.Non homo, ſed Humanitas propriè aſſumpta à Verbo 837.

Honeſtas in actibus Chriſti finita 547. Æqualia ſunt divina decreta in honeſtate morali 269. 270. 271. Æque honeſtè vult Deus obiectum minùs honeſtum 271.

Humanitas,nec conditionatè appetit ſubſiſtentiam Verbi 207. Nullam patitur violentiam ob priuationem ſubſiſtentiæ propriæ 209.Mutatur intrinſecè per vnionem hypoſtaticam 728. 732. Non vnitur Verbo per ſe ipſam poſsita diuina volitione, tanquam conditione 729.730. Non pendet à Verbo per productionem 746. Nec conſtituit vnum per accidens cum illo 789. Propriam habet exiſtentiam 812.

Non ſolùm moraliter, ſed & phyſicè infinitè ſanctificatur 980.982. Ab omnibus perfectionibus diuinis 983.Quin denominationes cuiuſque perfectionis proprias accipiat 984. Non niſi finitè ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi à num 985. Sanctitati infinitæ Humanitatis non obeſt, quod media vnione finita communicatur à 989. Cur Deus viſus non niſi finitè beatificet? 991. Humanitas non adeo Sancta,acVerbum à num.975. Aliter eſt ſancta Humanitas,ac eſt Sanctus Chriſtus 994.

I.

Identitas intentionalis ſtricta ſpeciei cum obiecto accuratè explicata à num.1514. Vide *Linea*.

Idiomatum communicatio. Vide *Communicat. Idiomatum*.

Ignorantia an fuerit in Chriſto? 1598. Quænam neſcientia dicatur ignorantia? ibidem.

Immaterialitas,lineæ intelligibilis eſt requiſitum 1460. Omnes Angeli ſunt intra eundem gradum immaterialitatis 1462. Vndè maior vis cognoſcendi in vno quà in alio? ibidem. Non omnis exceſſus perfectionis prouenit à maiori immaterialitate 1463.

Incarnatio quid? à num.1. Per eam Verbum non mutatur à nu.4. Vide *Verbum*.

Digitized by Google

Incarnationis poſsibilitas ſupernaturaliſsima in genere ſcibilis 118. Ideòque naturaliter indemonſtrabilis à num.117. Vide *Angelus.*

Nec ſuppoſita notitia de reuelatione Incarnationis poterit eam naturaliter intellectus creatus demõſtrare à n. 147. Ex defectu medij cum illa connexi à num. 149. Eam non inferret Angelus ex carentia omnis ſubſiſtentiæ creatæ euidenter in humanitate præuiſa 154. neque inferret carentiam ſubſiſtentiæ propriæ, ex eo quod hanc in Humanitate non videret 152. Vide Dæmon miracula.

Incarnatio euidenter credibilis 176. Vndè? ibidem. Quid de hac illatione, *ergo eſt euidenter poſsibilis* à nu.177.

Sententia contendens obiecti-ſupernaturalitatem non obeſſe demonſtrationi naturali à num.178. Ea non probat poſſe demonſtrari Incarnationis exiſtentiam naturaliter 181. An & quænam exigentia daretur in intellectu huiuſmodi demonſtrationis? 185. Vide *Demonſtratio.*

Incarnatio Deo conueniens 195. In ipſius Ordinatione ad remedium peccati nulla deordinatio 202. Conueniens quoque fuit humanitati aſſumptæ 204. Num huic violentia? à num. 206. Conueniens quoque fuit vniuerſo à num. 210. An & qua ratione, ſubſiſtentiæ propriæ Humanitatis, peccatis, & Dæmoni? à num. 211. Cur conuenientior, quam fuiſſet alterius perſonæ Incarnatio? à num. 216. Solum fuit neceſſaria ex ſuppoſitione decreti reparandi hominem per condignam ſatisfactionem 314. Vide *Creatura pura.*

An Deus fuerit moraliter neceſsitatus ad Incarnationem. Vide *Deus, Neceſsitas moralis.* Incarnationis cauſæ. Vide *Maria Virgo, vnio Hypoſtatica.* Incarnationis motiuum. Vide *Decretum Motiuum.* Incarnationis Cauſæ meritoriæ. Vide *Meritum.*

Inclinatio vehemens, niſi rationem perturbet, libertati non nocet 292.

Infinitum ſimpliciter quid? 400. Vnum eſt maius alio 401. 459.545. Verſu *Quia ſi meritum.*

Infinitum ſimpliciter non in ſummitate, ſed in pelago ſubſtantiali interminabili 977. Illegitima ergo illatio: *Quod ſummum non eſt, finitum eſt,* ibidem.

Iniuſtitiam ſtrictam in Deum inducunt aliqua peccata, 587. Inducerent omnia, ſi noſtra opera titulo Dominij Deus exigeret. 589.

Intellectus creatus non omnium cognitionum naturalium habet abſolutam exigentiam 186. 187. Num valeat ſuperna naturaliter demonſtrare? à num.117. Vide *Demonſtratio.*

Intentio efficax Redemptoris ante præuiſam abſolutam futuritionem peccati, ad ſolam iſtius permiſſionem obligat à nu.656. Vide *Decretum, finis, Prædefinitio.*

Ius diuinum an lædatur à peccatore? 595. 600.

Iuſtitia commutatiua quid? 591. Stricta iuſtitia reperitur abſque vlla imperfectione in Deo ibi, & num.593. Conditiones ad eam requiſitæ à num. 572. Vide *Chriſtus.*

Per actus iuſtitiæ formalis ſuas ſatisfactiones Chriſtus obtulit, & Pater acceptauit 592.

Iuſtus poteſt mereri de condigno primam gratiam peccatum non habenti 490. Non vero remiſsionem peccati 498.571. Verſu, *In fine quæſtionis.* Poteſt pro veniali de condigno ſatisfacere 519. Non autem mereri auxilia efficacia gratiæ 559. Vide *Creatura pura.*

L.

Libertas diuina non læditur per neceſsitatem moralem conſequentem 267. Secùs per antecedentem 222.249. Nec Chriſti libertas ad redimendum, nec hominum ad peccandum læditur per decretum Chriſti Redemptoris ante præuiſam futuritionem abſolutam peccati, à num.694. Vide *Prædefinitio, Prædeterminatio.*

Lineæ diuerſæ in rebus diſtinguendæ, ad quas ſub diuerſa ratione pertineant 1515.1516. Quomodò quatenùs de vna diuerſæ, & quatenùs de alia ſint idem? 1517. Identitas ſtricta in linea intelligibili-repræſentationis & rei repræſentatæ à num. 1517. Vndè difficultas eam capiendi 1520.

Lumen gloriæ diſtinctum eſt actu ab Habitu Scientiæ infuſæ 1409. Quid de poſsibili? 1410. Quid de lumine Prophetico in Chriſto? 1190.1411.

M.

Maria V. num potuiſſet de condigno ſatisfacere pro peccato, ex ſuppoſitione quod Maternitas eſſet ſanctitas, & dignitas infinita? à num.505. Meruit Maternitatem 716. An de condigno? 717. Qua ratione ex gratia per Chriſtum? à num. 718. Decretum intentiuum Maternitatis non ex meritis, ſed per merita Chriſti; Secùs executiuum, 723.724.

Maria Virgo cauſa inſtrumentalis efficiens vnionis hypoſtaticæ 756.769. Participatam habuit vim generatiuam æterni Patris 756. Non eſſet ita propriè Dei Hominis Mater, ſi in Vnionem hypoſtaticam efficienter non influxiſſet 758. Actio qua influxit ſuperna 653. Cur nihilominùs Chriſti Mater naturalis? ibi. Vera eſt Dei Mater 83.

Maternitas Deiparæ Virg. dependens à Chriſti Domini meritis 645.646.

Medicus permittens infirmitatem ex fine ſanandi cur impius; Deus vero permittens peccatum ex fine redimendi non niſi Miſecors? 693.

Media non oppoſita ad oppoſitos fines conducunt 684. Non omnis vtilitas medij ad finem neceſſaria tranſit in obiectum volitionis efficacis illius, à nu.658. Quænam vtilitas permiſsionis peccati ametur à Deo ad finem Redemptionis? 657. 660. Verſu *Vtilitas permiſsionis.* Num ad finem ſufficiat electio materialis medij? 660. Verſu *Sequitur.* Sufficit quandòque quod medium ametur pure aduertendo ad vtilitatem, 658. Num ex eo quod vtilitas permiſsionis imbibat peccatum neceſſe ſit, quod ſi ametur illa, ametur & iſtud, 660. Vide *Finis.*

Merita Chriſti D. ſimpliciter infinita, 545. Meritum de condigno ſubſtantiæ Incarnationis puræ creaturæ impoſsibilis 715. Eam de facto, nec meruit de congruo 714. Benè verò circunſtantias illius 715. Quomodò ex gratia per Chriſtum? à num. 718. Num per Chriſtum ſimùl duplici actione totali productum? ibidem. Num decretum produci productione vaga? 719. Num per actus meritorios independentes à corpore? 720. Res componitur duplici decreto, intentiuo vno, executiuo alio, à num.721.

Per quemcumque actum meritorium potuit Chriſtus nos redimere à peccatis 336. Meritorum Chriſti infinita bonitas non neceſsitat Deum ad eorum amorem, 339. Non eſt tanta, & ſi ſimpliciter infinita, quanta eſt bonitas actuum diuinæ voluntatis 548.549.

Meritorius valor non tantum à perſona merente, ſed & ab honeſtate operum, & circunſtantijs 545. Omnis omninò valor continetur eminenter in quocumque opere Chriſti, ibidem.

Miracula à Chriſto Domino facta moralem euidentiam exiſtentiæ Incarnationis faciebãt 172. An ex eo quod fierent à Chriſto Domino ex intentione confirmandi Incarnationem, conſtaret, quod ex eadem intentione fierent quoque à Deo? à num. 168.

Modus diuinitus poteſt vniri rei, cuius modus non eſt, 928.

Moralis neceſsitas. Vide *Neceſsitas moralis.*

Mors Chriſti decreta ante præuiſum futuram abſolutè peccatum rationem pœnæ non habet 692.

Motiua Decreti Chriſti Redemptoris 700. Omnia vnico decreto prædefinita 701. Et peccata permiſſa 703. Motiuum Decreti Chriſti Redemptoris intentiui aliud à motiuo decreti eiuſdem executiui 649. Verſu *Vnde licet.*

Na-

Digitized by Google

N.

Natura diuina, & humana integræ in Chriſto 91. Suas quæque habet operationes, & proprietates, ibidem, & in ſequent. Errores contra has veritates, à nu. 79.

Natura irrationalis aſſumptibilis eſt à Verbo 911. An & qua ratione redderetur Sancta? 912.

Neceſsitas moralis impotentiam ad oppoſitum involuit 223. Quæ eſt antecedens, & aſſerta à Granado, contraria eſt diuinæ libertati, à num. 233. Et iterùm) à num. 249. Neceſsitas ex ſuppoſitione poſsibilis in Deo 258. Vide *Deus*.

Neceſsitas moralis ad venialia eſt à iudicio prudentũ de rei euentu, fallibili tamen phyſicè 237. Homo & ſi omnia venialia vitaret, non deſineret eſſe Homo, ibidem. Nec Deus deſineret eſſe Deus, ſi Incarnationem, aut alia optima non eligeret 222. Vide *Deus*.

Numerus finitorum maximus cur repugnet? à num. 1052.

O.

Obiectum quando priùs ipſius Viſione? 129.

Obſequia eſſe Deo alijs titulis debita num obſit condignæ ſatisfactioni? 395. Puræ creaturæ poſsibilibus offenſa compenſaretur, ſi hæc eſſet finita 386. 394. Decreſcit obſequium ex eiſdem capitibus ex quibus creſcit offenſa 448.

Offenſæ grauitas ſimpliciter infinita, à nu. 398. Ex infinita dignitate Dei offenſi 442. Eſto ſit relatio tranſcendentalis in Deum 444. 445. Non modificatur ſimpliciter à limitata offenſoris aduertentia 454. Sed ſolũ ſecundum quid 465. Offenſa vna maior alia materialiter 431. Addit ſupra peccatum aduertentiam ad Deum grauiter prohibentem 398. Num offenſa ſit etiã phyſicè ſimpliciter infinita? 461. Cur ſit à pura creatura incompenſabilis, à num. 357. Si finita eſſet, ab ea de condigno poſſet compenſari 482. 483. Obſequijs etiam finitis 394. Offenſæ grauitas etiam creſcere poteſt ex dignitate perſonæ offendentis 483.

Ordo tranſcendentalis ad terminum non obeſt operum condignificationi ab eo tamquam à forma 452.

Ordo intentionis, & executionis diſtincti à num. 640.

Opera Chriſti Domini. Vide *Actus*, *Meritum*.

P.

Pactum conditio fuit ſine qua Originale nos omnes non macularet 360.

Participatio adæquata diuinæ naturæ impoſsibilis à nu. 1029. De nullo attributo poteſt participari niſi infinitè minùs quam habet ipſe Deus 1032. Quid de æternitate? 1036. An Chriſtus poſsit participare magis de diuina natura? 1035. Creatura participans tantum de cognoſcente, quantum Deus habet de cognoſcibili, chymærica 1040. 1031. Infinitas ſimpliciter ita propria Dei, vt nec incohata ſpecialis participatio ipſius poſsibilis ſit à num. 1042.

Patres, Vide *Meritum*.

Peccatum mortale in quo differat à veniali? 432. Peccatum mortale dignum eſt omni pœna poſsibili 427. 428. Quæ eſt æterna inferior eſt condignitate demeriti lethalis 428. Eam non meretur peccatũ purè philoſophicum 427. Nec mereretur Theologicum de condigno, niſi eſſet grauitatis ſimpliciter infinitæ 430.

Peccati ſeruitus, à qua Chriſtus nos redemit, à num. 303. Poſsitne dari illius naturalis condonatio? 324. Quomodo per hanc tollatur peccatum? ibidem.

Peccatum veniale non eſt Dei contemptus, nec induit rationem offenſæ 372. 373.

Pro eo poteſt iuſtus de condigno ſatisfacere 519. Vide *Offenſa*.

Perfectio moralis in diuinis decretis ab identitate cum Deitate 278. Creata à conformitate cum diuina voluntate. ibidem.

Perfectiones diuinæ quænam, & quomodò participabiles? à num. 1029. ad 1047. Vide *Participatio*. Non omnis exceſſus perfectionis à maiori immaterialitate deſumitur 1463.

Permiſio vnius peccati in pœnam alterius nondum abſolutè futuri præuiſi dedecet diuinam bonitatem 702. Vide medium.

Pœna æterna tantum ſecundum quid infinita 403. Eſſentialiter culpam præſupponit 692. Eam decernere ante demerita abſoluta præuiſa, crudelitas 702.

Pœnitentia an fuerit in Chriſto Domino 1138. D. Ad quos actus? 1139. D. Vide *Prædefinitio*.

Potentia obedientialis eſt ad quidquid non repugnat in genere, quin aliquem terminum reſpiciat in ſpecie, 130. Naturalem & entitatiuam potentialitatem ſupponit ad vnum, & addit non repugnantiam ad aliud 12.

Prædefinitio Redemptoris præuia ad abſolutæ futuritionis peccati præuiſionem, nec pugnat cum libertate Chriſti ad redimendum, nec cum libertate hominum ad peccandum, à num. 694. Applicatio eſt extrinſeca comprincipiorum, non vero comprincipium 696. Solam neceſsitatem conſequentem inducit 699. Prædefinitio Pœnitentiæ ante futuritionem abſolutam peccati præuiſam, nec eſt amor ipſius peccati, nec odium innocentiæ vitæ 685. 686. Vide *Finis*.

Prædeſtinatio decreta eſt ante merita abſolutè futura, non tamen independenter à meritis 229.

Prædeterminatio phyſica actum primum libertatis intrinſecè immutat 698. Decretum prædeterminatiuum ad peccatum amor eſt ipſius peccati à num. 672.

Principium *Quod* morale ſatisfactionis in Chriſto, non eſt Verbum vt complens humanitatem 569. Sed complexum ex Verbo, & humanitate à num. 565. Axioma illud. *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, quomodò intelligendum? 570.

Priora in intentione, poſteriora in executione, à nu. 642.

Prioritas *à Quo* & *in Quo* diuinorum decretorum 640. 641.

Prophetia, vide *Gratia gratis data*.

Q.

Ratio *Qua* & *Sub qua*, à num. 1395. Illa exprimitur, hæc non, ibi. Se tamen tenet ex parte obiecti, illudque ſcibile reddit 1396. Quomodò ratio *Sub qua* actum ſpecificet? 1397. Qua ratione in obiecto naturali detur attingibilitas ſupernaturalis? 1401.

R.

Redemptionis efficacia cur potius in morte Chriſti, quã in alijs ipſius meritis? 534. Pro aliquibus, à voluntate Chriſti manauit 562. Vide *Decretum*, *Finis*.

S.

Sanctitas creata adæquans diuinæ naturæ participabilitatem repugnat 1030. 1031. Non omnis Sanctitas debet eſſe forma inhærens 966. Nec principium immediatum rectè vniuerſaliter operandi 967. Vide *Gratia*, *Humanitas*.

Sanguis aſſumptus eſt à Verbo 846. Totus qui fuit in corpore Chriſti 851. Non omnis qui in paſsione fuit effuſus, Chriſto Domino eſt reſtitutus 848. Quid de his propoſitionib⁹. *Chriſtus eſt Sanguis. Deus effuſſus eſt?* 850.

Satisfactio diuerſa à merito 3·3. Imbibit voluntariam Compenſationem 3·6. Satisfactionis condignæ, & congruæ diſcrimen 317.

Satisfactio Chriſti pro toto debito fuit condigna 370. Talis non eſt, quæ æqualitatem cum debito non dicit 497. 498. Fuit quoque ex toto rigore iuſtitiæ 590. Vide *Chriſtus*.

Poſſetne Chriſtus de condigno ſatisfacere pro peccato ab humanitate commiſſo? 550. Pro omnibus peccatis ſatisfecit quoad ſufficientiam 562. Vide, *Creatura pura*, *Iuſtus*.

Scientiæ creatæ Chriſti Domini, à num. 1255. ad 1265. Quas diuinas perfectiones videat in Verbo per ſcientiam beatam? 1264. Comprehenſio Dei imparticipa-

bilis ab ipſo 1267. Vide, *Comprehenſio*. Videt per ſcientiam beatam in Omnipotentia creaturas poſsibiles 1280. Num omnes? à num. 1281. Num infinitas 1286. Videt omnia Dei decreta 1294. Omnes quoque creaturas præſentes, præteritas, & futuras, à num. 1301. Videt infinitas numero, non vero ſpecie 1312.

Scientia infuſſa animæ Chriſti, à num. 1362. Duplex huius ſcientiæ obiectum 1363. Formale quodnam? 1366. Omnia, & ſingula creata ſuperna per eam poſſunt agnoſci 1368. Deum vt Trinum per ipſam in viſione agnoſcit 1368. 1373. Noſcit etiam cordium ſecreta, & futura contingentia 1378. per ſpecies proprias, & immediatas 1381. Item & entia naturalia 1386. An ſit vnicus Habitus. Vide *Habitus*. Congruentię exiſtentiæ huius ſcientiæ in Chriſto, à num. 1440. Per eam nouit Chriſtus omnia ſuperna creata intuitiuè ſimulque comprehendit 1445. Vide *Comprehenſio*. An Chriſtus vſus fuerit ſcientia infuſſa per conuerſionem ad phantaſmata, à nu. 1474. & 1500. An per diſcurſum 1483. & à num. 1487. Vnica cognitione ſemper, vel ſaltem aliquando, omnia obiecta, quarum ſpecies habebat, Chriſtum agnouiſſe, ſatis probabile 1480. Vide *Cognitio*.

Scientia per ſe adquiſita etiam in Chriſto 1554. Per accidens infuſſa à primo ſuæ Conceptionis inſtanti 1556. Eius & ſcientiæ per ſe infuſſæ diſcrimen 1598.

Habuit quoque Chriſtus & ſcientiam experimentalem 1566. An hæc decurſu temporis creuerit? 1567. An Chriſtus didicerit ab homine? 1576. ab Angelo? 1581.

SIMILITVDINES ET EXEMPLA.

Quibus ob oculos, quę ſubiiciuntur, difficultates ponútur.

Quomodò in Chriſto natura diuina & humana impermixta & inconfuſſa ſubſiſtant? 93.

Quomodò intendens finem non teneatur diligere mediũ, quod præſcit aliunde futurum? 654.

Quomodò explicari poſſet ſententia Thomiſta de vnione indiſtincta ab extremis? 736. verſu *Poſt hæc ſcripta*.

Quomodò forma eleuata intrinſecè cauſet ſuum effectum formalem? 928. 929.

Quomodò ſubſiſtentia ſuſtentet naturam, & ſuſtentetur ab ipſa natura? 930.

Quomodò ſubſiſtentia finita terminare poſsit infinitas naturas ſine infinita perfectione? 932. 933.

Aſſertum Thomiſticum de eo quod Verbum ſit vnibile, vnitum, & communicatum, ſine nexu intermedio 971.

Quomodò perſonalitas Verbi ſuſtentet Humanitatem, vt perſonalitas præciſsè, reliquis ipſius ad munus ſuſtentandi de per accidens ſe habentibus? 992.

Quomodò Chriſtus habens plures ſanctitates, non ſit abſolutè ſanctior Patre? 1007.

Quomodò quis poſsit eſſe in termino, & in via? 1151.

Quomodò exercitium timoris doni ſit ſimùl proſecutio Dei, & fuga æquiparantiæ cum Deo? 1174. D. in fine.

Quomodò ex affectu vt Chriſtus videat plura, decreuerit Deus vt exiſtant? 1296.

Quomodò Verbum mentis poſsit ſe habere ex parte potentiæ vt id *Quo*, & ex parte obiecti vt id *in quo*? 1322.

Quomodò ratio ſub *Qua* reddat viſsibile obiectum, quin ipſum videatur? 1396.

Quomodò in Viſione cognoſcatur Deus abſtractiuè vt eſt, ipſo antea non viſo? 1373. verſu *Replicabis*.

Quomodò obiectum altius comprehendi poſsit per ſcientiam entitatiuè inferiorem? 1469.

Quomodò poſsit Chriſtus ſcientia per ſe infuſſa cognoſcere dependenter à Phantaſia? 1498.

Quomodò infinita obiecta ſint in ratione repræſentabilis quid finitum? 1504.

Quomodò res quatenùs de vna linea ſint diuerſę, & quatenùs de alia, idem? 1517.

Quomodò intellectus & obiectum ſiant idem ſtrictiſsima identitate propria lineæ intentionalis 1518. 1519.

Species impreſſa ad ſcientiam infuſſam requiſita 1426. Superna eſt etiam de non ſupernis 1428. Vnica in Chriſto pro infinitis indiuiduis, quin ſit perfectionis infinitæ 1434. diſtinguitur ab Habitu ſcientiæ infuſſæ 1437.

Speciei identitas intentionalis ſtricta cum obiecto, à nu. 1514.

Spes an obiecti incertitudinem requirat? 1167. An futuritionem ſtrictam? 1169. An arduitatem? 1170. Chriſtus habuit ſtrictum actum ſpei de ſui corporis gloria 1181. Item & habitum à num. 1183. Ad quos actus? 1184.

Subſiſtentia abſoluta diuina terminare poſſet Humanitatem 867. Hanc non redderet incommunicabilem ſuppoſito alieno 865. 868. Neque perſonam cum ea conſtitueret 871.

Subſiſtentia creata alienam naturam poteſt diuinitus terminare 926. Eſto ſit modus 928.

T.

Terminus totalis aſſumptionis Chriſtus 776. Formalis *Quo* vnio Hypoſtatica 779. Formalis *Qui* Verbum 780.

D. Thomas non negauit medium *Quo*, & per modum nexus inter Verbũ, & Humanitatem 736. Ex quo capite negetChriſto cognitionem omnium poſsibilium 1538.

Timor. Vide *Donum*.

Trinitas tota denominaretur Incarnata, ſi vnio Hypoſtatica immediatè ad naturam diuinam terminaretur 807. 836. Vnam Humanitatem aſſumere poteſt 877. 887. An triplex, an vnicus eſſet homo? 904. 905.

V.

Valor meritorius, & ſatisfactorius operum Chriſti. Vide *Meritum*.

Verbum diuinum cur per Incarnationem non mutetur? à nu. 4. fusè. Cur non perficiatur adhuc extenſiuè? 24. 25. Aſſumpſit vnionem humanam 840. Sanguinem 846. Alios humores 852. Priùs in intentione aſſumpſit humanitatem, quam eius partes 456. Aſſumere potuit naturam irrationalem 911. Vide *Aſſumptibilis*, *Natura*. Reddit humanitatem completam in eſſe ſuppoſitiuo non vero formaliter ſubſiſtentem 817.

Veniale non eſt Dei offenſa, niſi valdè analogicè 472. Pro eo poteſt iuſtus de condigno ſatisfacere 119.

Virtus Charitatis certiſsimè in Chriſto 1195. Ad duplicem amorem continuò exercendum 1196. Quinam illorum, & qua ratione meritorius? ibidem, & à num. 1197.

Virtutes morales non pugnantes cum ſtatu Beatifico etiam in Chriſto 1105. D. In quo differant à Theologicis? 1102. D. Quænam earum per ſe, quænam per accidens infuſſæ? 1103. D. Quando ſubiecto neganda eſt virtus etiam quoad entitatem? 1142. D.

Viſio diuina, qua Deus ſe vt authorem naturæ cognoſcit, ſupernaturalis eſt, à num. 135. Viſio Beatifica vndè limitetur? 531. 533. Quid eligibilius, viſio Beatifica, an vnio hypoſtatica? 995.

Voluntas diuina an ex neceſsitate eligat meliora? Vide *Deus*, *Neceſsitas moralis*.

Vnio hypoſtatica realiter ab extremis diſtinguitur 726. Terminus eſt generationis Chriſti Domini 728. Non eſt entitas, ſed modus 738. Valoris moralis infiniti 740. Poſsibilis eſt alia melior entitatiuè, ibid. Diſtincta eſt à productione Humanitatis 748. Reiicitur ſent. contendens, quod etiam ſi materia, & forma vniantur vnione diſtincta, ſecùs Verbum & Humanitas 733.

Vnionis hypoſtaticæ cauſa efficiens principalis nequit eſſe creatura 755. Inſtrumentalis fuit Beatiſ. Virgo 756. Ideòque Mater Dei 758. Vide *Maria Virg*.

Vnionis hypoſtaticæ terminus non eſt Deitas, à nu. 796. Nec eſt natura modificata Perſonalitate 810. Sed Verbum ſecundum quod habet de proprio 803. 805. 834. Cauſa materialis vnionis hypoſtaticæ Humanitas à qua educitur 774. Diſtincta eſt ab vnione humana 768.

Vnitas & diuerſitas habituum ſupernorum in quo fundetur? 1439.

FINIS.

Digitized by Google

TRACTATVS SECVNDI DE INCARNATIONE ALTERA, PARS. ET DISTINCTIO. 6.

QVÆSTIO XXX.

DE POTENTIA ANIMÆ CHRISTI.

ARTIC. I.

ALIQVI ERRORES CONFVTANTVR.

1609 POSTQVAM egimus cum D. Thoma de Scientia Chriſti, oportet agere cum ipſo de potentia phyſicè operativa, de qua tractat quæſt. 13. circa quam Hæretici plures, nempè Euthichiani vtramq; naturam in Chriſto confundebant, vt diximus q. 1. Poſt hos ſecuti ſunt Hæretici Vbiquetarij Luteraniſmum ſapientes, qui quidem licèt naturas diſtinguant, multas tamen Divinæ naturæ proprietates in humanitatem ratione vnionis, phyſicè & ſtrictè transfundebant, ita vt ipſam facerent phyſicè & verè Omnipotentē, non minùs quam Deus, Omniſcientem, immenſam, atquè vbiquè exiſtentem, & propterea dicti ſunt Vbiquetarij, & ab alijs Semieutichiani. Docent enim cum Euthyche proprietatum transfuſionem; diſsident vero ab illo, quia non docent ortam à confuſione naturarum, ſed ab vnione hypoſtatica, ſalva naturarum diſtinctione.

1610 Quod is ſit manifeſtus error, docent communitèr Catholici. Sufficiat pro omnibus Bellarminus in iudicio concordiæ ab errore 4. dicens. Quartus error eſt, quod Chriſti Humanitati ſint collata verè, & realitèr multa attributa Divina, vt Omnipotentia, Omniſcientia, Omnipræſentia, atquè à Deo ipſa divina maieſtas. Qui error deſtruit veritatem humanitatis Chriſti, renovat hæreſim Eutichetis, & pugnat cum ſymbolo fidei. Idem docuit lib. 3. de Chriſto à cap. 8. & etiam à cap. 15. Confirmatur ex ſymbolo fidei: *Æqualis Patri ſecundum Divinitatem, minor Patre ſecundum Humanitatem*: ergo quantum ad totum eſſe hominis eſt minor Patre, ac per conſequens non eſt Omnipotens, nec Omniſciens æquè ac Pater, nec Immenſus, nec Æternus.

1611 Non obeſt 1. quod in Scriptura ſæpè dicatur: habere omnem poteſtatem in Cœlo & in terra, & omnia ei dediſſe Pater in manus. Reſpondetur; hæc non dici quia ſit Omnipotens, ſed quia Pater poſuit in ſua poteſtate vt pro libito faceret quidquid vellet, vt cauſa tamen inſtrumentalis & à virtute creata ſibi data, vel ab aſsiſtentia Omnipotentiæ ſibi promiſſa, ſicut poteſtas conſecrandi data eſt cuilibet Sacerdoti vt conſecret pro libito ſuo, ſed inſtrumentalitèr.

1612 Nec obeſt 2. quod ſi vt homo eſt ſubſiſtens per Verbum: ergo & omnipotens & immenſus, atquè vbiquè, &c. Si neges conſequentiam, quia ad ſubſiſtere ſufficit quod ſit terminus, ad poſſe autem debet eſſe forma. Contra 1. in ſententia Thomiſtarum humanitas non ſolum ſubſiſtit, ſed etiam exiſtit per exiſtentiam Verbi: ergo ſi ad hoc ſufficit ratio termini, cur non & ad eſſe præſens in loco, ſufficiet immenſitas vt purus terminus: Item in q. 27. de Incarnar. à num. 1347. non fuit iudicatum improbabile quod ſufficiat in videre beatifico ratio termini ad exprimere obiecta, & vt homo ſit videns per viſionem increatam: ergo multo melius ad denominationem immmenſæ, &c. Confirmatur 2. ad fieri potens videre Deum, ſufficit vice luminis gloriæ Omnipotentia extrinſecè tantum aſsiſtens: ergo & multo meliùs vt humanitas fiat potens ſufficiet Omnipotentia per modum termini intrinſecè aſsiſtens, & ſolum vt forma Logica ei comunicata.

1613 Reſp. denominationes immenſæ ſicut & æternæ licet poſſent ab attributis vt puris terminis provenire adhuc repugnare humanitati ob eſſentialem ſubiecti incapacitatem, quia humanitas ex proprio conceptu eſt determinata ad locum finitum & ad tempus finitum, & ſic nequit denominari exiſtens & præſens vbiquè, nequè exiſtens ſemper. An autem repugnet denominari præſens loco finito per vnam ſolam eminentiam immēſitatis ſibi communicatam. Vide dicta à num. . de Incarnat. vbi etiam fuit ſermo: an poſsit fieri potens ad vnum effectum per vnam Omnipotentiæ eminentiam.

1614 Quod enim omnipotens fiat, repugnat omnino, non vt probavit Gonet ad quæſt. 13. quia eſt proprietas naturæ divinæ vt talis, nam vt ſæpè diximus, quod eſt proprium vnius naturæ, repugnat quod per naturam conveniat alteri, ſecùs per gratiam & miraculum vt nobis ratio volandi. Repugnat ergo: tum quia ſi eſſet omnipotens, deberet eſſe potens ad ſe ipſam primo

producendam, & ex nihilo educendam. Tum quia conceptus Omnipotentis vtpotè primæ cauſæ, eſt operari ſine vlla dependentia & ſubordinatione ad alium in operando; atqui quidquid humanitas operaretur adhuc per Omnipotentiam, importabat ſubordinationem humanitatis ſimul cum ea operantis, in operando ad ipſum Deum vt Omnipotentem: ergo.

1615 Ex his colligitur quod Chriſtus Dominus quidquid operabatur, non operabatur de facto per virtutem increatam, quia hoc (licèt eſſet poſsibile reſpectu ſaltim aliquarum operationum) non eſt æquè connaturale Chriſto vt homini, cum ſit proprium ſolius Dei, ſed operabatur per virtutem creatam, naturalem quidem reſpectu operum naturalium, & ſupernam reſpectu ſupernaturalium. Quænam autem hæc fuerit error, fuit Iudæorum, & Ethnicorum reſpectu miraculorum quæ patrabat, fuiſſe, Artem Magicam, ſive virtutem Dæmonis ei per talem Artem communicatam. Alij verò Apoſtatæ apud Michaelem de Medina de recta in Deum fide lib. 2. cap. 7. fuiſſe temperamentum ad pondus ipſius Corporis Chriſti taliter temperati, vt poſſet ſuper aquas ambulare, & ſua ſaliva cæcos illuminare, imò & omnibus rebus imperare. Sed hæc potiùs deliria ſunt quam opiniones erroneæ, quia nec ars Magica, nec virtus Dæmonis poteſt mortuos verè ſuſcitare repente, nec vera miracula vires naturæ ſuperantia efficere. Nec vis temperamenti corporei, vt benè arguit Gonet poterat Dæmones purè ſpiritus reprimere, nec infirmos abſentes ſanare, nec corpus grave ſuper aquas minus graves & fluidas ſuſtinere.

ARTIC. II.

AN CHRISTVS VT HOMO AD OPERA ſuperna phyſicè, vel ſolum moralitèr concurrat.

1616 Duplex datur oppinio. Prima & communis (licèt contra communem) docet quod phyſicè, & eſt communis inter Thomiſtas, phyſicè inquam inſtrumentalitèr. Secunda quod ſolum moralitèr, & eſt communis apud Recentiores. Nota de gratia & miraculis factis ex Chriſti meritis antequam Chriſtus exiſteret, nec communem ſententiam Thomiſtarum (vno vel altero dempto) voluiſſe quod Chriſtus fuerit cauſa phyſica, ſed ſolum moralis & meritoria, quia quod nullum habebat eſſe formale, nec virtuale, non poterat dare eſſe. Chriſtus autem vt homo talis erat antequam eſſet pro luctus. Ex quo patet quod iam poteſt dare eſſe, quod non exiſtit; dummodo extiterit & permaneat in aliqua virtute phyſica verè ab ipſo relicta, ſicut Pater mortuus dat eſſe Filio in matrice per ſemen quod vivens emiſit; ſic Paſsio Chriſti tranſacta, perſeverans autem in ſtigmatibus vt virtute relicta, poteſt producere phyſicè aliquid; quia licet non habeat eſſe formale, habet virtuale.

1617 De operibus autem à Chriſto vt homine ſpecialitèr factis poſt ſuam exiſtentiam in terris, ſive poſt Aſcenſionem in Cælis, probant Thomiſtæ concurſum inſtrumentalem phyſicum, & præcipuè Gonet 1. auctoritatibus Sacræ Scripturæ: Sanavit enim aliquos contactu phyſico carnis ſuæ, v.g. cæcum per lutum, & ſurdum per digitos, Lazarum ſuſcitavit per clamorem & vocem, iuxta illud Pſalmi 67. dabit voci ſuæ vocem virtutis. Item Lucæ 6. virtus de illo exibat & ſanabat omnes. Et Lucæ 8. novi virtutem de me exiſſe. Quod ſatis innuit non loqui de virtute morali, ſed de phyſica cui ſoli propriè competit exire.

1618 Secundo probat ex Concilio Epheſino 1. Canone 11. vbi de Carne Chriſti definitur quod ſit vivificatrix. Et propterea docuit noſter Cyrillus lib. 4. in Ioannem cap. 14. Chriſtum adhibuiſſe ad reſuſcitandum filium Viduæ contactum ſuæ carnis, quia vivifica erat ex coniunctione cum Verbo. Euthymius etiam cap. 7. Lucæ; quod caro Chriſti Divinitati vnita operabatur quæ Divinitatis erant, ſicut ferrum facit ignis operationes, quando in igne aliquo tempore permanſit. Carni autem nequit tribui vivificatio per moralem cauſalitatem & meritum, vtpotè quia tota meriti ratio ad animam pertinet & tota cauſalitas moralis.

1619 Tertio. Probat ſpecialitèr de Humanitate Chriſti, quod etiam vt exiſtens in Cœlis cauſet in terris gratiam & miracula, tanquam organum & inſtrumentum phyſicum Divinitatis. Et probat ex D. Thoma hic q. 8. art. 1. ad primum, vbi docet actiones Chriſti cauſare in nobis gratiam & per meritum & efficientiam. Quod magis declarat hic q. 48. art. 5. in corpore. Et ad tertium docens, quod Paſsio Chriſti, ſecundum quod comparatur ad Divinitatem eius, agit per modum efficientiæ, in quantum ad voluntatem animæ, agit per modum meriti. Q. autem 64. art. 3. de Chriſto vt homine ait operari interiores Sacramentorum effectus & meritoriè, & efficienter ſed inſtrumentalitèr. Tandem in hac quæſt. 13. art. 2. in Corpore, aſſerit de Humanitate vt inſtrumento Verbi ſibi vniti, quod habeat virtutem inſtrumentalem ad faciendas omnes miraculoſas immutationes, non tamen reſpectu creationis. Ex quo Patet affirmare de inſtrumento phyſico, non de morali & meritorio. Nam à merito ipſius & impetratione non eſt excluſa creatio animæ rationalis (fortè in illis Sanctis per orationes à parentibus impetratis) & creatio accidentium in Euchariſtia, admiſſa à multis ex adverſarijs.

1620 Ratione autem probatur hæc ſententia. Tum quia ex Epheſino Canone 9. & 11. & ex Lateranenſi ſub Martino 5. Conſulta. 3. & 5. & communitèr ex Patribus. Humanitas Chriſti in Cœlo ad gratiam, miracula & effectus ſupernos eſt organum & inſtrumentum Divinitatis. Non morale: ergo phyſicum. Minor patet, nam ſi ſolum eſt inſtrumentum morale, & non eſt cauſa principalis in linea morali ſive meritoria, aſſigna aliam cauſam meritoriam principalem, cuius, humanitas ipſa ſit inſtrumentum. Tum quia ſi ſolum moralitèr cauſaret illos effectus, non deberet dici inſtrumentum Deitatis, ſed Filij, nec brachium aut manus Dei ſed Filij, ſiquidem ſolus Filius eſt ſuppoſitum merens, non autem Pater nec Spiritus Sanctus, nec Deus vt communis tribus. Tum denique, quia Chriſto concedenda eſt omnis Dignitas & altitudo Redemptoris & Capitis Eccleſiæ, quæ contradictionem non importet. Atqui maior altitudo cauſandi & influendi eſt phyſica ſimul & moralis, quàm ſolù moralis. Et aliàs nulla ſequitur cõtradictio, vt patebit ex ſolutione argumentorum. Vnde ſicut Sacramenta apud Thomiſtas cauſant phyſicè gratiam; ita humanitas poteſt eam & alios effectus ſupernos, cum hac differentia quod illa cauſant vt inſtrumentum ſeparatum, iſta vero vt inſtrumentum vnitum.

ART. III. *ARGVMENTA.*

1621 NEC obeſt primo contra dicta Div. Thomas in 3. diſt. 16. q. 1. art. 3. docens nullam fuiſſe in Anima Chriſti virtutem ad miracula niſi per modum orationis. Reſpondet Caietanus hic ad quæſtionem 13. art. 2. quod doctior factus mutavit ſententiam hic. Gonet reſpondet, ſolum negaſſe virtutem principalem phyſicam & admiſiſſe moralem. Vel ſolum negaſſe virtutem phyſicam immutativam ordinis naturæ, quæ competat ei ex propria natura, ſecus quæ competat ei vt inſtrumento vnito Verbi. Videatur S.D. art. 3. in Corpore.

1622 Nec obeſt 2. quod Chriſto vt homini non compe-

226

petebat creare nec ſuſpendere concurſum primæ cauſæ, niſi ſolum meritoriè. Plura autem miracula via illa facta ſunt. Columba enim in Iordane fuit creata. Non gravitatio autem aquarum & non deſcenſus, dum Chriſtus ſuper eas ambulavit, item non illuminatio, ſive obſcuritas ſolis in paſsione fuerunt factę à Chriſto per ſolam ſuſpenſionem converſus. Reſpondet Gonet conceſſa maiori negando minorem, quia columba facta fuit per ęductionem ex materia præexiſtenti, vt colligitur ex D. Thoma cum Auguſtino hic q. 39. art. 7. in Corpore. Ambulatio autem ſuper aquas, fuit facta, non ex negatione concurſus divini, ſed ex dono tranſeunti agilitatis. Item nec obſcuratio Solis, ſed fuit facta per interpoſitionem miraculoſam inter Solem & terram iuxta D. Thomam hic q. 44. art. 2. ad ſecundum.

1623 Nec 3. inſtrumentum phyſicum requirit contactum phyſicum ſubiecti in quo effectus eius debet recipi vt patet in Serra, in calamo & in penicillo. Atqui Humanitati exiſtenti in Cœlo non convenit iſte contactus phyſicus cum ſubiectis exiſtentibus in terra. Imò, nec dum ſanabat in terra. Mathæi 8. ſervum Centurionis, & Ioannis 4. Filium Reguli, tangebat eos phyſicè, ſed abſens erat, ergo non operabatur vt inſtrumentum phyſicum.

1624 Reſpondent duplex dari inſtrumentum. Vnum naturale aut artificiale. Aliud ſupernum operans per divinam virtutem. Illud requirit phyſicum contactum, quia virtus aut motio cauſæ principalis debet tangere phyſicè ſubiectum vt in eo producatur effectus, ac per conſequẽs virtus agentis debet deferri & approximari ad ſubiectum medio inſtrumento. Secus eſt quando inſtrumentum operatur ſuperne & virtute divina. Quia virtus Omnipotẽtię cũ propter immenſitatem ſit vbiq; non indiget approximari paſſo per inſtrumentum.

1625 Explicant exemplo aliquali Æſtimativæ, quæ licèt ſit tantum in Capite, tamen vt inſtrumentum animę ſenſitivæ operatur in pede, movendo illum ad motum localem. Cuius ratio eſt, quia anima cui coniungitur in capite, quæquè eſt principalis cauſa talis motus in pede, non indiget trahi ad pedem, ſed iam eſt in pede. Quod amplius declarat Gonet ex doctrina illa de immediatione ſuppoſiti vel immediatione virtutis, applicata ad contactum phyſicum. Inſtrumentum ergo ſupernum debet phyſicè tangere ſubiectum in quo operatur: ſed non contactu inſtrumenti operantis vt quod, ſed contactu virtutis & cauſalitatis.

1626 Nec 4. Chriſtus vt homo operatur hos effectus per mortem & Reſurrectionem quę iam non ſunt; atqui cauſa phyſica requirit exiſtentiam in propria menſura, & benè impugnat Gonet aliter ſentientes (licèt enim exiſtentia apud plures ſolum ſit conditio, eſt tamen ex illis quæ eſſentialitèr requiruntur vt in Divinis Paternitas ad generandum, & in creatis in bono ratio appræhenſi ad volitionem. Debet enim effectus contineri in cauſa, vel tanquam in actu formali, vel tanquam in virtuali, quod abſquè exiſtentia non verificatur) ergo nequeunt eſſe inſtrumẽtum phyſicum. Reſpondent Paſſionem & Reſurrectionem permanere hodie in Humanitate virtualitèr in cicatricibus & in dotibus gloriæ. Vndè humanitas ſolum vt immutata, & modificata per illas, aſſumitur à Deo vt inſtrumentum phyſicum ad tales effectus.

1627 Tandem non obeſt quod illa virtus per quam humanitas operatur, nequit eſſe corporea cum ſit ad effectus ſpirituales. Nec item ſpiritualis cum recipiatur in Humanitate Corporea. Reſpondet Gonet eſſe ſpiritualem, & hanc quando eſt tráſiens & incompleta benè poſſe recipi in ſubiecto Corporeo, licèt non quando eſt completa qualis eſt virtus agentis principalis.

1628 In fine notat Gonet hanc virtutem in Chriſto vt homine, eſſe ex natura ſua tranſeuntem, cum ſit inſtrumentalis. Et licèt perfectior fuiſſet permanens, ſed non æquè accomodata legi & potentię ordinariæ de inſtrumentis. Nec character permanens & inſtrumentalitèr operativum, ſe habet ex ſe vt virtus inſtrumentaria ſed vt forma permanentèr conſecrans fideles tali miniſterio ad inſtrumentalitèr operandum per qualitatem ſuperadditam tranſeuntem. Sed hoc non tollit quo minus talis qualitas de ſe tranſiens data ſit Chriſto ob eius Dignitatem per modum habitus, quod alijs exemplis explicat prædictus Doctor.

ART. IV. *NOSTRA SENTENTIA.*

1629 MIHI ſemper viſum fuit concurſum phyſicum inſtrumentalem digniorẽ eſſe, & quod magis deceat Chriſtum vt hominem, ſi ſuperaddatur concurſus moralis ipſius Chriſti, & non reperiatur aperta repugnantia, & ideò. Aſſero 1. cum D. Thoma & Thomiſtis, quod humanitas Chriſti operatur vt inſtrumentum phyſicum omnia illa miracula & opera ſuperna, quę operatur non in diſtans, ſed intra ſpheram activitatis. Hanc aſſertionẽ probant argumenta ſupra facta, & præcipuè ille textus Lucæ: *Virtus de illa exibat & ſanabat.* Nota quod exibat & quod ipſa, quæ exibat extra Chriſtum per aerem, ipſa ſanabat omnes.

1630 Aſſero 2. idem poteſt dici de Humanitate exiſtente in Cœlo reſpectu operum ſupernorum quæ fiunt in terra. Et probatur, quia talis concurſus eſt perfectior & magis exaltans Dignitatem Humanitatis, ſed aliàs nullam importat repugnantiam. Ergo concedendus illi. Min. in qua eſt tota difficultas probatur. Quia ſi aliqua eſſet, ſtaret in eo quod operaretur in ſubiectum diſtans, nihil operando per medium (nam ſi è Cœlo cauſat in ęgroto miraculosè ſalutem, in toto aëre intermedio nec operatur ſalutem nec apparet quid poſsit operari.) Apud multos autem Recentiores non habetur pro inconvenienti, quod operetur in diſtans, nil per medium operando, vt probant in libris phyſicorum.

1631 Dato autem, quod hoc ſit inconveniens vt verè eſt (ſiquidem iuxta dicta à nobis in tomo de Attributis in quæſtione de præſentia Dei in rebus, agens & actum debent eſſe ſimul per phyſicũ contactum) Chriſtus è Cœlo operans in terra, ſufficientèr eſt præſens ſubiectio miraculi exiſtẽti in terra; apud Thomiſtas quidem, quia eſt præſens immediatè immediatione ſuppoſiti, quod eſt Verbum; & immediatione virtutis, quæ eſt Omnipotentia. Sed multò melius apud nos, quia vt Humanitas operatur per modum inſtrumenti phyſici, requiritur & ſufficit, quod operetur virtute quadam inſtrumentali (qualis non poteſt eſſe Omnipotentia) impreſſa ipſi, ac per conſequens virtute creata ei communicata, qua mediante producat in ſpatio ſibi immediato aliam, & hæc aliam, & hæc ſimilitèr aliam vſquè ad locum ſubiecti, in quo talis virtus ſanitatem eſt producturae ad eum modum quo Sol è loco ſuo producit radiũ & iſte aliũ radiũ diffundẽdo eos tanquã virtutem Solis vſq; ad terrã. Similitèr videmus evenire in menſa ænea, quæ percuſſa in vno latere, producit Tinitum, quẽ experimur progredi, & ſe diffundere per mẽſam ab vno latere ad aliud tranſeundo per medium. Imò ſi virtus illa quæ exibat à Chriſto ad ſanandum, vtiquè per aërem ſe diffundebat vſquè ad ſubiectum quod ſanabatur, cur non poterit Chriſtus è Cœlo virtutem ſuam inſtrumentalem vſquè ad terram diffundere? Vndè, ſi repugnaret Humanitati iſte modus è Cœlo influendi phyſicè, potius ſtarem pro influxu tantum morali, quàm pro phyſico eius, procedente à ſola Omnipotentia

1632 Confirmatur: quia non minus Sacerdos purus homo, eſt inſtrumentum phyſicum conſecrãdi & abſolven-

vendi & gratiam producendi, quàm Chriſti humanitas ſit inſtrumentum phyſicum miracula cauſandi: atqui ille dum cauſat in diſtans non influit virtute Omnipotentiæ vbiquè diffuſæ, ſed alia virtute creata ipſi inhærenti tranſeuntèr, & ſe diffundente vſquè ad ſubiectum aliquantulum diſtans, in quo phyſicè operetur gratiam: ergo idem erit in Chriſto, qui quidem non virtute Omnipotentiæ, ſed alia virtute creata ſibi inhærenti, ſequè diffundenti, modo dicto miraculum cauſabit.

1633 Si dicas: ſæpè virtutem illam eſſe pro effectu ſpirituali & ſic debere eſſe ſpiritualem: eſt autem inintelligibile quod virtus ſpiritualis feratur, & diffundatur per ſubiectum materiale, nam quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur. Sed contra 1. quia ſi anima rationalis recipi poteſt in ſubiecto corporali, cur non accidens ſpirituale? Contra 2. quia nil ſolemnius apud Recentiores, quàm quod Deus poſsit ponere intellectionem in Lapide, licèt non propterea iſte fiat intelligens. Contra 3. quia ſatis probabile, & nobis multo probabilius eſt, quod Sacramenta, quæ ſunt quoddam artefactum materiale cauſant phyſicè gratiam in ſubiecto (ſicut & verba Conſecrationis Corpus Chriſti ſub ſpeciebus) quæ gratia produci debet virtute ſpirituali.

1634 Quæro ergo quomodo vadit illa virtus; v.g. virtus abſolutionis Sacramentalis ad penitentem diſtantem, aut qua via pergit? Quidquid ibi dicas, dicemus & nos de virtute ſpirituali ab Humanitate miſſa ad terras & diffuſa verſus ſubiectum in quo fit opus ſupernum ſpirituale. Vndè licèt humanitas non ſit præſens ſubiecto immediatione ſuppoſiti, (nomine immediationis ſuppoſiti, intelligitur hic immediatio humanitatis vt inſtrumẽti agentis) eſt tamẽ præſens illi immediatione virtutis, ſicut Sol eſt præſens media ſua virtute intra terram pro productione Mineralium.

1635 Ad illud de *quidquid recipitur admodum recipientis recipitur*: Reſpondetur intelligi *ad modum* ideſt iuxta capacitatem recipientis, non vero ad lineam recipientis, ideſt quod recipiens & receptum induantur eiſdem rationibus & conditionibus, niſi ſola accomodatione. Nec dicas 1. ſuperfluè poni virtutem ſupernam, ſive ſpiritualem ſive corporalem in aëre, vel in Cœlis per quos tranſit, ſiquidem nil in eis productura eſt. Reſpondetur negando ſuperfluè poni, quia ponitur vt in ſpatio immediato producat aliam. Et tandem opus prætenſum in ſubiecto, habeat per quid produci poſsit. Sicut enim ſpecies viſuales coloris pro viſione vitali oculari veniunt receptæ in aëre & per aërem non vitalem, ſimilitèr & virtus ſpiritualis pro opere miraculoſo ſpirituali etiam vitali, per medium nõ vitale etiam corporeum.

1636 Nec dicas 2. ſi Æſtimativa ſufficientèr movet pedem media anima diffuſa vſquè ad pedem: ergo & humanitas media Omnipotentia diffuſa vſquè ad ſubiectum. Reſpondeo 1. æſtimativam non movere pedem inſtrumentalitèr, ſed directivè aliciendo appetititum, cui competit movere potentiam loco motivam, vel quia appetitus diffuſus eſt per totum Corpus, vt quidam docent in libris de Anima, vel per innatam ſimpatiam. At humanitas operatura eſt phyſicè inſtrumentalitèr, & ſic per virtutem in ſe receptam & poſtea communicatam.

1637 Nec dicas 3. quod talis virtus miraculorum in Chriſto deberet eſſe tranſiens, quia virtus inſtrumentalis accipitur per modum impulſus à principali agente: Atqui hoc non poteſt dici, quia in Chriſto pro tanta miraculorũm frequẽtia deberet eſſe permanens, ergo non datur talis virtus. Minor probatur, quia debebat dari perfectior virtus excogitabilis, & perfectior eſt permanens. Reſpondet Gonet in ſubſtantia eſſe tranſeuntem, quia hoc eſt de conceptu inſtrumenti, elevari nẽpè per aliquid ex ſe tranſiens: in Chriſto autẽ ob eius Dignitatem fuiſſe modo quoddam permanenti vt dicitur de lumine prophetico, quod ex ſe eſt tranſiens; in Chriſto autem datus fuit modo permanenti & per modum habitus. Nec debet dari Chriſto perfectior virtus poſsibilis de potentia abſoluta, ſed ſufficit perfectior de potentia ordinaria.

1638 Sed poteſt alitèr reſponderi, quod in Chriſto fuit permanens ex ſe. Nec eſt verum quod omnis virtus inſtrumentalis debeat eſſe ex ſe tranſiens, ſed ſolum illa quæ datur per modum impulſus. Datur tamen alia per modum virtutis impreſſæ permanens ex ſe, vt v.g. caracter, qui quidem apud multos eſt virtus ſuperna permanens & ſupernorum phyſicè operativa; non autem eſt purum ſignum, conditio & requiſitum aut virtus incompleta aptitudinalis & quaſi remota medij, vt poſsito illo, Deus det virtutem tranſeuntem pro operatione ſuperna: quidquid alij vellint. Sed quod talis virtus ſit ex ſe traſiens & data per modum permanentis, ſive quod ſit permanens ex ſe? Vtramquè probabile.

1639 Ex dictis ſequitur Sacramenta novæ legis cauſare gratiam inſtrumentalitèr phyſicè vt docet D. Thomas, Thomiſtæ, & iam multi ex Recentioribus, & nos in tom. 1. morali de Fragmentis à num. 1321. & in tomo de ſcientia Dei à num. 880. Ratio autem eſt. Tum quia difficultèr alia via oſtendi poteſt differentia, & maior Dignitas Sacramentorum novæ legis à Circuncisſione aut alijs antiquis, quæ etiam cauſabant gratiam moralitèr, movendo ſcilicèt Deum ex meritis Chriſti, vt ad poſsitionem eorum daret gratiam. Tum quia concurſus ſimul phyſicus & moralis dignior eſt morali tantum, & propterea debitus noſtris Sacramentis.

1640 Tum quia quod de Sacramento ſolum exiſtat vltima ſilaba alijs iam tranſactis, ſufficit vt ipſa per virtutẽ tranſeuntẽ inhærentẽ ſibi phyſicè cauſet. Vt enim homo phyſicè videat colorem, non requiritur quod videat toto ſui, ſed ſufficit parte ſui, nempè oculo. Et quod annus præſens producat flores phyſicè, non requiritur quod producat toto ſui, ſed parte ſui, nempè tempore veris, licèt præceſsio aliorum temporum ſit phyſicè neceſſaria, vel vt conditio ſine qua non, vel vt alio modo requiſitum. Imò vt iudex phyſicè proferat ſententiam mortis contra reum vt iudex, non requiritur quod toto eſſe iudicis (coaleſcente eſſentialitèr, ex homine, & voluntate Regia dante auctoritatem iudicãdi;) proferat, cum talis voluntas iam phyſicè non exiſtat ſed moralitèr, & ſufficit quod pars nempè homo phyſicè proferat: ergo in Sacramento ſufficiet quod vltima ſilaba exiſtens phyſicè producat, alijs iam tranſactis, & ſolum moralitèr (nempè pro ſigno practico gratiæ) perſeverantibus, & quod phyſicè præceſſerint, requiſitis: cum aliqua ſint cauſantia, quæ quidem cauſant non vt totum permanens, ſed ſe habentia ſaltim quoad conſtitui (licèt non quoad ſucceſsivè influere) vt totum phyſicè ſucceſsivum.

QVÆSTIO XXXI.

QVOS DEFFECTVS CORPORIS ASSVMPSERIT Chriſtus.

1641 EGIT D. Thoma hic quæſt. 14. art. 4. de Corporis defectibus à Chriſto aſſumptis. Nos obiter, quia maiora nos vocant.

1642 Aſſumpſit ergo defectus Corporis toti naturæ communes, v.g. ſitim, famem, mortem (excepta Corporis corruptione, ne tranſiret ad alias formas, v.g. vermium, &c. quia hoc erat præter intentum, licèt enim de-

Digitized by Google

decreviſſet Deus, quod verbum fieret homo vivus & mortuus, ſed non aliud animal ab homine) nec aliud ſimile. Ens, vt conſtat ex Scriptura. Tum quia illi apti erãt ad probandam veritatem naturæ humanæ. Tum quiã in natura, prout de facto condita, ſecuti ſunt hi defectus ex peccato Adami, tanquam pœna, pro quo Chriſtus vt fideiuſſor erat ſatisfacturus. Tum quia tales defectus prodeſſe poterant ad meritum, nec habebant repugnantiam cum ſcientia, aut gratia, datis ad mærendum; ſicut repugnant alij defectus communes: v.g. ignorantia, & pronitas ſivè fomes ad malum, quas non aſſumpſit: eos autem defectus, quos aſſumpſit, non eſt dicendus, contraxiſſe, quia contrahere ſignificat aſſumere, non ſolum eos, ſed etiam proximam cauſam eorum, iſta autem in natura, prout de facto condita eſt, fuit peccatum. Licèt enim in alio ordine rerum, defectus iſti haberent pro cauſa, ipſius naturæ complexionem, ſecus modo, quia ſtatus innocentiæ, in quo natura creata eſt, abſtulit iſtam imperfectionem, & ſic peccatum eſt, quod illam adduxit.

1643 Defectus particulares ſingulorum hominum Chriſtus non aſſumpſit: v.g. ægritudines, cæcitatem, & alia ſimilia, quia iſti defectus non oriuntur in natura noſtra ex pecato prout geneneraliter, ſed peccato præſuppoſito oriuntur, vel ex defectu virium in agente, vel ex culpa ipſius hominis geniti: v.g. ex victu, aut exercitio inordinato. Neutrum autem fuit in Chriſto, qui productus fuit ab Spiritu Sancto perfectiſsimè, ipſum organizante, & temperante, & ex Matre materiam perfectam adminiſtrante. Chriſtus etiam ordinatiſsimè vivebat, & ſe exercebat, & cum non eſſent defectus iſti neceſſarij ad fines ſupra poſitos, non fuit congruum eos aſſumere, ſed ſolum illos, qui ex communi hominum maſſa, quam aſſumſit, ſequuntur.

1644 Circa paſsiones animæ, ſivè affectus appetitus, conſtat ex ſcriptura fuiſſe in Chriſto; & prob. D. Tho. *quæſt.15.art.4.* ex Auguſt. quia in Chriſto erat verus corporis animus, & paſsibilis: ergo non poterat eſſe fictus humanus affectus. Aſsignat tamen triplex diſcrimen inter paſsiones Chriſti, & noſtras. Primo, quod noſtræ plerumque feruntur ad illicita. Secundo, quod ſæpè perturbant rationem, ſivè intellectum, impelluntque ad proponenda inordinata. Tertio, quod præveniunt ſæpiſsimè rationem, ideſt, inſurgunt ante advertentiam rationis. Neutrum fuit in Chriſto, qui illos affectus habebat ſemper circa licita, & in ſolo appetitu continebantur, quin vllo pacto rationem turbarent, & illos habebat libere, & ſolum quando ipſe volebat, vt inſurgerent, praeunte prius directione rationis. Vndè Hyeronimus, apud Div. Tho. vocat eos non paſsiones, quia hæc vox indicat affectum inordinatum, prædominantem rationi, ſed vocat propaſsiones.

1645 Fuerunt etiam in Chriſto timor de malo: v.g. de morte, licèt nulla eſſet ſpes evitandi illam, quia hęc ſpes ſolum requiritur quando timor eſt efficax. Item, fuit triſtitia, vt in horto, etiam ira, quæ eſt affectus, vindictæ ortus ex triſtitia de malo. Chriſtus enim habebat triſtitiam de divinis offenſis, eaſque vt iudex vindicare volebat: Quod ſi aliquando ſcriptura, vel PP. innuunt oppoſitum de ijs affectibus, intelligendi ſunt de ijs, prout in hominibus, ſecus de ijs vt habentibus triplex datum diſcrimen.

1646 Nec obeſt, quod timor opponatur magnanimitati, & triſtitia ſummo gaudio, nam id eſt verum de timore inordinato, & involuntario, ſecus de voluntario, quẽ quis poteſt libere expellere. Triſtitia autem, & gaudium cum ſint de diverſis obiectis, non opponuntur eſſentialiter. Et licet qui triſtis eſt, non habeat omnem omninò fœlicitatem, ideoque videatur, non poſſe eſſe beatus, habenſque aggregationem omnium bonorum. Reſp. eſſe beatum, & fœlicem ſubſtantialiter & ſimpliciter, licet non ſecundum quid, & cum omni integritate: beatitudo autem non affert omnia bona eſſentialiter, ſed connaturaliter, ideòque hoc eſt diſpenſabile.

1647 Affectum admirationis indicat Scriptura fuiſſe in Chriſto circa fidem Centurionis. Dicit autem D. Tho. *art.8.* admirationem non fuiſſe in Chriſto, qua parte hęc petit ignorantiam cauſæ circa effectum illum novum, & inſolitum, inducentem ad admirationem, ſed ſolum fuit admiratio in Chriſto circa talem effectum vt novum Chriſto; non quidem vt novum abſolutè, ſed ſolum reſpectivè ad ſcientiam experimentalem ipſius Chriſti. Vndè benè docent aliqui non fuiſſe in Chriſto admirationem ſtrictam, ſed latam.

QVÆST. XXXII.

DE CHRISTI IMPECCABILITATE, ET ARTIculus primus, an peccaverit de facto.

1648 CErtum eſt primo, & de fide Chriſtum de facto nullum habuiſſe peccatum: non originale, quia Lucæ 1. *Quod ex te naſcetur Sanctum.* Item Matth. 1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Originale autem peccatum, contrahitur per ſeminalem propagationem à viro, vt eſt certum de fide. Nec obeſt quod Chriſtus ſuſceperit Circunciſsionem, & Baptiſmum, quę ſunt remedia peccati originalis. Reſpondetur enim Circunciſsionem accepiſſe, non in remedium, ſed in exemplum obſervandi, & honorandi legem Dei: Baptiſmum verò, vt aquas ſanctificaret, & Baptiſmum pro nobis inſtitueret.

1649 Nec item commiſsit peccatum mortale, aut veniale. Conſtat ex Scriptura, ſic ab omnibus Catholicis intellecta. Ad Hebr. 7. *Talis enim decebat, vt nobis eſſet Pontifex, Sanctus, impolutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior Cœlis factus.* Eadem veritas definita eſt in Concilio Effeſino Canon. 10.

1650 Conſtat etiam ratione D. Thomæ hic *quæſt.* 15. *arti.1.* quia Chriſtus aſſumpſit alios defectus naturæ humanæ, quia conducebant ad ſatisfaciendum pro nobis: v.g. *Fames, ſitis, &c.* At peccata non ſolum non deſervirent, ſed potius impedirent minuendo dignitatem ſatisfacientis. 2. quia prædictos defectus aſſumpſit, vt per eos probaret veritatem humanæ naturæ, atqui iſta in ſua veritate, nec prout in ſe nec prout producta à Deo pendet à peccato ergo. 3. quia vt Chriſtus nobis præberet exemplum operandi virtuosè (ad quod quidem venerat) & vtendi rectè affectibus humanis, peccatum non proderat, imò valdè eſſet damnoſum.

1651 Nec obeſt 1. contra dicta, quod 2. ad Chorintios dicitur: *Qui peccatum non fecerat, pro nobis factum fuiſſe peccatum & maledictum.* Reſpondetur ex D. Thoma hic, dici factum peccatum, ideſt hoſtiam pro peccato ex illo Oſeæ 4. *Peccata populi mei comedent*; ideſt hoſtias pro peccato. Vel dicitur fuiſſe peccatum & maledictum, quia fuit ad Crucem quaſi Onuſtus omnibus noſtris peccatis & maledictionibus. Nam Pater *poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum.*

1652 Nec obeſt 2. illud Pſalmi 21. *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum*, & Pſalmi 37. *A facie peccatorum meorum.* Reſpondetur enim vocare ſua, peccata generis humani, tanquam corporis ſui, cuius ipſe eſt caput: ſunt tamen talia peccata quaſi debita ſua, ratione fideiuſsionis. Nec ex hoc inferas, quod ſi peccata noſtra ſunt Chriſti, Chriſtum in nobis quotidiè peccare, quæ propoſitio erat Auguſtini de Roma, & fuit damnata in Concilio Baſilienſi. Reſpõdetur enim negando ſequelam, quia aliud eſt fieri peccatorum, & aliud eſt factum eſſe, ſumptum quoad debitum, & obligationem ſatisfaciendi. Peccare eſt fieri, & hoc eſt noſtri tantum, & non Chriſti;

factum autem eſſe iam tranſit quoad debitum in Chriſti fideiuſsionem, & ex hoc capite peccatum iam eſt ipſius. Ex quibus patet hæreticè dictum fuiſſe Chriſtum commiſiſſe peccatum deſperationis, dum Matth. 27. conqueſtus eſt ſe à Patre derelictum, & propter tale peccatum fuiſſe in æternum damnatum. Tum quia talia verba, non fuerunt deſperantis,ſed ſummè dolentis,& patientis cum receſſu omnis conſolationis. Tum quia ſi deſperaſſet de Patre, in eius manus ſpiritum ſuum non commendaſſet.

1653 Obijcies 3. à ratione. Fuga mortis præceptæ à Patre erat peccatum, atqui Chriſtus elicuit in horto affectum fugæ circa mortem: ergo peccatum.Maior patet, quia mors erat obiectum obligatorium reſpectu Chriſti. Tum ratione virtutis obedientiæ, tum charitatis, quia erat medium vnicum pro hominum redemptione,ad quam Chriſtus lege charitatis tenebatur. Tum ratione iuſtitiæ, quia inter Patrem, & Chriſtum præceſſerat pactum de fideiuſsione, & redemptione. Atqui fugere adimpletionem eſt affectus peccaminoſus: ergo in Chriſto verè fuit affectus peccaminoſus.

1654 Si reſpondeas, talem affectum non eſſe peccaminoſum, quia erat affectus inefficax,& ſolum conditionatus,& quantum erat ex parte ipſius Chriſti.Simul autem erat coniunctus cum alio affectu efficaci obediendi, & moriendi, & faciendi quod iuſtum erat iuxtà Patris voluntatem. Sed contra:quia illi affectus, ſcilicèt inefficax de non morte, & efficax de morte iuxta voluntatem Paternã, licèt eſſent coniuncti, erant tamen valdè diſtincti,& quod affectus efficax eſſet bonus,non tollebat quod affectus inefficax de non morte eſſet affectus malus: ergo. Antecedens quoad vltimam partem, in qua ſola eſt difficultas, probatur, quia ille affectus eſt de malo obiecto, nempè de adimpletione obligationis fugienda, & eſt affectus in Chriſto non primo primus, ſed deliberatus, ideſt conſurgens in Chriſto ex deliberatione ſuæ voluntatis: ergo non poteſt non eſſe malus.

1655 Conſequentia probatur, quia in nobis motus primi de obiecto malo, etiam inefficazes,& qui ſunt purè per modum complacentiæ,vel diſplicentiæ, ideò præciſsè excuſantur à peccato, quia inſurgunt in nobis ſine deliberatione. Si enim deliberate ſemel admitterentur, licèt cum illa limitatione *de quantum eſt ex parte noſtra*, non eſſent excuſabiles à peccato, etiamſi coniungerentur ex alio motivo cum actu efficaci contrario:ergo in Chriſto cum ex deliberatione proveniat quod inſurgant, non poſſunt excuſari à peccato.Confirmatur quia inDeo, vterque illi actus eſt honeſtus,& deliberatus: *Vellem ex parte mea omnes eligere ad gloriam: ſed quia rationes providentiæ meæ, ſcilicèt manifeſtatio Attributorum, aliud poſtulant, eligo ad gloriam efficaciter hos & hos quin eligam alios.* Si ergo vterque iſtè affectus deliberatus, tàm inefficax,quàm efficax, ab obiectis ſummunt ſuas moralitates, idem erit de duplici illo actu Chriſti, qui ſũmet bonam à bono,& malam à malo.

1656 Reſp.tamẽ negãdo, quod ille actus Chriſti inefficax habeat malũ obiectũ,& quod affectivè fugiat adimpletionẽ obligationis.Etenim morsChriſti cõſiderãda eſt, vel ſecundũ ſe, vel, vt ſub præcepto, vel pacto fideiuſsionis. Chriſtus fugiebat mortem ſecundum ſe,& non vt obligatoriam, nec vt adimpletivam præcepti, ſed provt in ſenſu diviſo ab his omnibus, & petendo, atque prætendendo inefficaciter à Patre, vt faceret ſenſum diviſum, ſi poſsibile erat, inter redimere homines, & mori. Mortem enim fugiebat, ſed non redemptionem. Affectus ergo ille in Chriſto erat,vt Pater ſuſpenderet omnem obligationem moriendi,& ſic alia via redemptio fieret. Hoc autem pacto fugere mortem, non eſt fugere adimpletionem obligationis,adhuc per actum inefficacem, ſed procurare inefficaciter, quod ceſſaret obligatio.

§. II. *AN POTVERIT DE FACTO, ET QVARE NON?*

1657 NOta 1. Hæc duo eſſe valdè compatibilia, nempè poſſe peccare, & eſſe impoſsibile, quod peccet. Nam primum indicat potentiam ex parte potentiæ, quæ dari poteſt, exercicio penitus impedito, & repugnante. Non quidem repugnantia ſumpta à potentia,ſed ex alijs capitibus effectui extrinſecis. Sic dum Ariſtoteles negat infinitum in actu,& admittit in potẽtia, ſenſus eſt, quod non repugnet ex parte potentiæ,repugnet tamen ex parte actus, & exercicij. Quia ſimultas infinitorum vt talis repugnat, licet non diviſsive. Similiter dum D. Thomas docet, quod prædeſtinatus poteſt damnari, repugnat tamen quod damnetur; intelligitur de repugnãtia ex parte effectus,& ex alijs capitibus,vel in ſenſu compoſito, ſecus ex parte potentiæ repertę in ipſo prædeſtinato. Certum eſt 1. Chriſto fuiſſe impoſsibile peccatum in ſenſu compoſito peccati,cum Donis de facto habitis ab ipſo.Difficultas eſt ex parte potẽtię proximæ.

1658 Certum eſt 2. Chriſtum de lege ordinaria, non fuiſſe potentem, ſivè expeditũ in actu 1.proximo ad peccandum. Loquimur de Chriſto provt de facto conſtitutus eſt cum omnibus donis,& poſitus in rerum natura. Et ratio eſt, quia facere peccatum omninò eſt imcompatibile cum viſione beata; nemo enim clarè videns Deum poteſt facere peccatum adhuc veniale, quia ita rapitur ab amore,vt diligat Deum intenſiſsimè ſuper omnia grabia, & lebia. Conſtat ergo apud omnes, non aſſumpſiſſe peccabilitatem proximam,& plene expeditam, Chriſtum provt de facto:licèt acceperit remotam imbibitam in ipſis prædicatis naturæ humanæ.

1659 Contra hoc obijcies difficulter. In Chriſto fuit Donum timoris: ergo timebat offendere Deum. In hoc enim differt timor filialis à ſervili, quia ille primus eſt de offenſa,ſivè de culpa, ſecundus verò eſt de pœna; atqui timor non eſt ſolum de malo ſecundum ſe poſsibili ipſi, ſed de malo hic & nunc poſsibili, & imminenti, vt per ſe patet: quamvis enim D. Petro ſecundum ſe ſit poſsibilis æterna damnatio, eam tamen in Cœlo non timet, quia nec eſt ei imminens, nec poſsibilis pro tali ſtatu: ergo ſi Chriſtus verè timebat offendere Deum. Ergo in hoc ſtatu erat illi poſsibile. Difficile ſane argumentum. Reſpondetur tamen,quod aliud eſt timor Donum, & aliud eſt timor paſsio. Iſtè concedo quod ſit de malo poſsibili pro tali ſtatu, & imminenti; ſecus ille: ſolum enim fugit ille æquiparantiam ſui, cum Divina Maieſtate ſecundum ſe ſumptam, vt diximus latè quæſtione de Dono timoris hic.

1660 Quare non fuerit de facto proximè potens peccare eſt altera quæſtio. Sententia Thomiſtarum cum D.Thoma, & cum Magiſtro ſententiarum in 3.diſtinctione 12.& cum communi,reducit primariò,& à priori, ad incompatibilitatem eſſentialem quam vnio hypoſtatica importat cum peccato, eo quod humanitas ſanctificetur per verbum, multo perfectius,quam per gratiam habitualem. Ita vt ſecluſo quovis alio Dono, eſſet ab vnione ſufficientiſsimè impeccabilis. Hinc reſultat alia ratio impeditiva peccati ſecundario. Nam ex titulo Filij Dei reſultat in Chriſto viſio beata, cum qua omninò eſt incompatibilis expeditio ad peccandum.At Scotus quem ſequuntur communitèr Scotiſtæ, Durandus, Marſilius, & alij, relati à Patre Bazquez hic diſputatione 61. cap.3. impoſsibilitatem peccandi de facto, reducunt ad ſolam exiſtentiam viſionis beatæ, & ad ſpecialiſsimam Dei manutentionem, & curam, de eo quod humanitati impediatur labi in peccatum, quæ quidem manutentio ſolum eſt debita vnioni hypoſtaticæ, titulo quodam ſtri-

ctæ

Digitized by Google

ctæ congruentiæ; non autem titulo obligatorio iuſtitiæ, aut incópatibilitatis cum peccato, quia ex ſe nó eſt incompatibilis cum eo, cum non ſit ex ſe apud ipſos forma ſanctificans.

1661 Nec obeſt 1. contra iſtam rationem, ſequi ex illa Chriſtum non plus habere ex parte ſua de impeccabili proximè, quam habent homines beati, aut homines in gratia confirmati. Reſpondet Fælix Franciſcanus, habere aliquid plus ex parte ſua, nempè titulum illum congruentiæ fundatum in eo quod per vnionem ſit Filius Dei: non tamen habere titulum alium ſtrictiorem. Nec obeſt 2. hinc ſequi, quod ablata viſione, aut manutentione illa ſpeciali, Chriſtus fieri poſſit expeditus ad peccandum. Concedunt ſequelam Scotiſtæ de potentia abſoluta: negant tamen de facto, quia de potentia ordinaria neutra potuit Chriſto deeſſe. Nec obeſt 3. quod maior laus ſit potuiſſe tranſgredi, & non eſſe tranſgreſſum ex illo Eccleſiaſtici 31. Reſpondetur ex D.Thoma in 3. *diſt.* 12 *quæſt.* 2. *ar.* 1. *ad.* 2. quod nó omne quod eſt laus in interiori naturâ vè in puro homine, erit laus in ſuperiori nempè Chriſto, ſicut eſt laus in cane, quod ſit furibundus, ſecus in homine. Redimus nos rationem, quia quod homo non poſſet tranſgredi, non proveniret ex perfectione ſanctitatis ſicut in Chriſto, ſed ex imperfectione, ideſt ex defectu prærequiſitorum ad voluntarium, & liberum; & propterea in iſto pertinet ad laudem non tranſgredientis, quod potuerit tranſgredi. Quid in hoc à nobis tenendum, conſtabit ex dicendis.

ARTIC. II. ET §. I.

PROPONVNTVR SENTENTIÆ, ET EXAMInatur Scotiſtica, de eo quod attenta ſola vi vnionis, Chriſto non repugnet peccatum.

1662 QVATVOR ſunt ſententiæ de Chriſti impeccabilitate de poſſibili. 1. Durandi, & Scoti, quod humanitas vnita, adhuc ex ſe ſi alia dona deſint divinitus, ſit peccabilis peccato cóponibili cum ipſa vnione. 2. quod maneat peccabilis peccato deſtruente vnionem. Ita Hurtado à *diſp.* 59. Arriag. *diſp.* 35. Alij addunt vnionem componi poſſe cum poteſtate peccandi evirativa vnionis. 3. quod per vnionem ſit impeccabilis ſolum moraliter. Ita Conich. *diſp.* 17. *dub.* 2. *nu.* 34. 4. verò & communis, quod maneat omnino impeccabilis etiam phyſicè, ex vi præciſſa vnionis.

1663 Probant erga Scoticæ ſuam aſſertionem. 1. quia cum nulla creatura poſſit eſſe ex ſe impeccabilis, humanitati ratione ſui non poteſt competere impeccabilitas. Atqui nec ratione vnionis ad verbum: ergo ex meritis humanitatis vnitæ verbo, non ſit impeccabilis. Minor probatur, quia humanitas poſt vnionem, ad operandum rectè, & non peccandum, adhuc indiget gratia efficaci Dei, & cóprincipijs ſupernis diſtinctis à verbo, quia verbum cum non influat eliciitivè in opera humanitatis non fecit illam potentiorem: ergo adhuc poſt vnionem indiget comprincipijs gratiæ ad bene operandum: ergo & ad non peccandum. Conſequentia patet, quia vnio non dedit ei quod in ſe ſit valentior, & potentior, licèt dederit aliquod ius ad cóprincipia quibus fiat potentior. Nec itẽ ei ademit aliquod de prædicatis intrinſecis, qualis eſt peccativitas. Atqui talia comprincipia poſſunt divinitus ei denegari: ergo in eo caſu poſſet peccare: Sicut enim intellectus, & ſenſus Xpi, ſi nullã aliã haberent cófortationem à principijs ſupernis præter eſſe vnitos verbo, poſſent deficere, & errare in ſuis operibus: ergo & voluntas peccare. Quod autem gratia illa efficax potuerit denegari humanitati à Deo, probatur, quia licèt valdè congruum ſit quod ei detur, obligatorium tamen eſſe ex nullo capite probari poteſt. Siquidem potuit Deus aſſumere humanitatem in puris naturalibus, imò, & naturam bruti, ac perconſequens, denegare ei omnem gratiam.

1664 Secundo probant, quia ex eo quod Chriſtus, vt homo peccaret, ſolum ſequeretur, quod verbum denominativè, & per puram communicationem idiomatum peccaret. Atqui hoc non repugnat, cum ſolum ſit eſſe peccans in aliena natura, ſicut eſt paſſus, & mortuus in aliena natura; Adde quod repugnat minus denominatio peccantis, quã mortui, cũ n iſta ſit denominatio phyſica reſpectu Dei, & oppoſita primarioribus Dei, qui eſt vita per eſſentiam. Denominatio verò peccantis eſt moralis, quæ ex ſe eſt Deo minus intrinſeca. Et licet in nobis ſint peioris códitionis imperfectiones morales quam phyſicę, id procedit quia nos ſumus innate imperfecti phyſicè imò, & eſſentialitèr. Deus autem eſſentialitèr, & primarius eſt phyſicè perfectius quam moralitèr, quia illud ab eſſentia, iſtud à proprietate provenit.

1665 Confirmatur 1. quia Deo non eſt minus eſſentiale eſſe viventem, immortalem, & immutabilem quam eſſe ſanctum, immutabilem, & rectum in volendo, imò magis, quia voluntas ex ſe eſt ſecundaria, & ex ſe capax indifferentiæ, & diverſæ terminationis in volendo. Item, quia tam vita ſubſtantialis habet reddere vivens ſubiectum in quo eſt, vt v. g. anima rationalis reddit corpus animatum, & vivens, & actus vitalis intellectum viventem in actu ſecundo, quam ſanctitas habeat reddere ſanctum, ſubiectum cui coniungitur. Atqui his non obſtantibus, verbo nec repugnat ſecundum quid mori, mutari, & eſſe temporalem. Nec verbum facit immortale in aliena natura: ergo nec repugnabit ſecundũ quid deviare à recto, nec quod ſanctitas non reddat indeviabilẽ, & impeccabilem in aliena natura. Confirm. ſecundo. Tum quia, quod in propria natura dedeceat Deum imperfectio phyſica non probat quod in aliena: ergo idem de morali; cum Deo ſecundum ſe, æquè vtraquè repugnet. Tum etiam, quia modus quo vita, & ſanctitas verbi ſunt in humanitatę, non eſt ſummus, cum non ſit identitas, ſed vnio: ergo. Ratio autem eſt, quia iſtæ denominationes idiomaticæ non ſonant influxum verbi, aut vnionem verbi ad illas, ſed vnionem ad humanitatem vnitam illis, & denominatam ab illis, & ratione humanitatis ſint verbo mediatè appoſitæ, & applicatæ:

1666 Reſpondebis, licèt id ſit verum de denominationibus paſſi, & mortui, & ſimilibus paſſivis, nempè cómpetere verbo in aliena tantum natura, ſecus de peccare, iſtud enim competeret ei, etiam in propria natura. Primo, quia verbum ipſum deficeret à propria obligatione, quam habet curandi, & regendi naturam ſibi propriam, ſibique hypoſtaticè vnitam: ſicut enim imputantur vetè prælato peccata ſubditi, ſi non curet cum poſſit, detinere ſubditum à peccato, & ſimiliter Marito peccata vxoris, etiam imputabuntur verbo peccata humanitatis, cum ſit ſtrictius ſponſus vt clamat ſcriptura: ergo ſicut non propterea excludit eſſentialitèr imperfectionem phyſicam in humanitate, nec moralem.

1667 Secundo; quia vt conſtat ex Ioanne Theologo in Concilio Florentino ſeſ. 18. *Actiones ſunt ſuppoſitorum, quod intelligendum eſt*, non ſolum moralitèr, ſed elicitive, cum ex eo principio probaverit naturam non generare, ſed Patrem. Et etiam filium influere in Spiritum Sanctum. Contra quod proloquium vtpote commune, nec Græci reclamarunt, imò convicti ſunt per illud de Proceſſione Spiritus Sancti à Filio: ergo humanitate peccante verbum ipſum influeret, & peccaret.

1668 Sed contra primum, replicant Scoticæ, quia Prelato incumbit cura talis de ſubdito ex officio, atque ex iuſtitia, & marito de vxore; & non continendo eos à peccato

Digitized by Google

cato, deficit ipſe obligationi iuſtitiæ, ac per cóſequés peccat in ſe, peccato contra iuſtitiam diverſo à peccato ſubditi, quod poterat eſſe alteriùs ſpeciei: v.g. periurij. At verbo nulla conſtat adeſſe talis obligatio. Et licèt ob deſponſationem ſit valdè congruum, vt curet de eius actionibus, non tamen licet imponere obligationem contra Supremum Dei dominium, cui nefas eſt obligationem imponere, vbi non cóſtat evidenter, cum ſit limitare ipsú, & deprimere. Si enim omnes Theologi ſtudét ſpheráOmnipotentiæ dilatare, ita vt concedant poſſe, quidquid non conſtet repugnare: cur non curandum erit dominium ſupremum dilatare, potiùs quam deprimere reſtringendo illud? Potentia enim abſoluta, vbi non conſtet de pacto, non eſt reſtringenda, nec liganda.

1666 Tum quia iuſtitia debet eſſe ad alterum ſuppoſitum. Tum quia ex creatura qualis eſt vnio hypoſtatica, ſivè ex aliquo ad extra, nequit advenire Deo obligatio aliqua ad intra, ſivè in propria perſona: ergo licèt peccante humanitate verbum eſſet idiomaticè peccans, non tamen peccans in propria natura per talem permiſſionem. Vndè ſi peccata appetitus ſenſitivi, & aliarum potentiarum imputantur voluntati rationali, non ideò eſt præciſsè, quia ſunt potentiæ coniunctę cum illa in eodem ſuppoſito, ſed quia tota natura humana, omneſque eius potentiæ, non gubernãtur à ſe ipſis gubernio proprio, ſed totum earum regimen eſt à voluntate rationali, nec ibi datur alia voluntas regens. At humanitas, propria voluntate rationali ſe totam gubernat vitaliter ſpecialiter; à voluntate autem divina vtpote voluntate alteriùs naturæ gubernatur gubernio illo quaſi generali, quo Deus alias humanitates iuſtorum gubernat, iuxta earum debitum, vel proportionem.

1670 Contra 2. replicant. Quia actiones non debent eſſe ſuppoſitorum elicitivè, ſed ſufficit quod ſint ab illo, vel denominativè, vel completivè, ita vt ſuppoſitalitati nó iuniti naturam operãtem, ſe habeat vt requiſitum, vel conditio ſine qua non: non autem requiritur vlterior influxus in verbo reſpectu operationum humanitatis. Probatur. Tum quia quilibet influxus realis effectivus cum ſit oparatio ad extra, eſt communis toti Trinitati: ergo licèt verbum ſit ſpecialitèr completivum humanitatis quaſi in genere cauſæ formalis, vt ſuppoſitum ipſius, ſed non ſpecialitèr influxivum in opera ipſius in genere cauſæ efficientis. Et ſic influxus ſpecialis in opera humanitatis non cadit in verbum. Tum etiam quia indè ſequeretur, quod ſi omnes actiones ſunt ſuppoſiti elicitivè, verbum prove in propria perſona, & natura comederet, & biberet, & ambularet. Inſuper ſi vera eſt ſententia ſatis communis aſſerens, quod vt homo ſentiat vitaliter, ſufficit, quod intra proprium ſuppoſitum vna pars, nempè anima rationalis ſola, efficiat ſenſationem, & corpus ſolum recipiat illam, quia ad immanentiam ſufficit vtrúque evenire intra idem ſuppoſitum: ergo ſi verbum ſpecialitèr elicitivè influit in comeſtionem, etiam ſi ſola humanitas recipiat, verbum verè erit in propria natura, & non ſolum denominativè ab aliena, immanenter & vitaliter cómedens, & materialitèr atque animaliter ſentiens, quod nullus Theologus concedet: ergo nec quod eliciat iſta opera.

1671 Vera ergo quoad hoc doctrina eſt, quam Bazquez citatus, & Bernal in tomo de Incarnatione *diſputat. 7. nu. 17.* docuerunt, actiones non eſſe ſuppoſitorum elicitivè. Nec Ariſtoteles à quo id ſumptum eſt, dixit: actiones eſſe ſuppoſitorum, ſed ſingularium, vt rectè, & ſolide probat Bernal vbi explicat Damaſcenum: & numero 19. adducit Sanctum Maximum Martirem probantem egregie actiones non a ſuppoſito, ſed à natura proficiſci: licèt ſuppoſitum denominetur idiomaticè. Nec obeſt prædictus Ioannes Theologus, quia in Concilijs ſolum definiuntur concluſiones, non autem rationes, & fundamenta quibus Oratores vtuntur ad perſuadendam concluſionem definiendam, quia tales rationes non ſunt de definitione, ſed de conferentia ad definitionẽ diſponente, & ſæpè non excedunt probabilitatis metas, & fortè tunc tale Proloquium communitèr recipiebatur, & poſteà magis examinatum, inventum eſt minus ſolidum & verum, & propterea licèt tunc græci non reclamaverint contra illud, vel quia non ſe obtulit occaſio illud examinandi, vel quia non in ſolo illo innitèbatur diſputatio, ſed in congerie aliarum rationum, poſteà alij Theologi, ab illo profundius diſcuſſo, rationabilitèr receſſerunt.

§. II. ALTERA RESPONSIO IMPVGNATVR.

1672 Reſpondebis. 2. ad ſecundum argumentum de paritate idiomaticè mortui, ad idiomaticè, & denominativè peccantem, dari magnam diſparitatem ex Monteſinos & alijs, nempè denominationem mortui ſolum eſſe de malo pœnæ, & non culpæ, quod quidem malum pœnæ introductum eſt in gloriam Dei, & poteſt ab ipſo Deo introduci: ſecus eſt de malo culpæ, quod quidem eſt contra Deum, nec poteſt ab ipſo Deo eſſe. Deberet autem eſſe à Deo ſaltim moralitèr, ſi Deus verè admittatur, vt denominatus peccans in aliena natura. Patet exemplo huius propoſitionis: *Verbum vt ſubſiſtens in humanitate pro nobis meruit, & ſatisfecit*: Quæ quidem licèt non ſit vera elicitivè, eſt tamen abſolutè, & ſimplicitèr vera, & in rigore ſermonis admittenda. Et tamen verbum ſolum idiomaticè fuit merens, & ſatisfaciens: ergo dato quod humanitas peccaret, æquè in rigore & abſolutè eſſent admittendę vt verę hæ duę propoſiones ſine vlla diſtinctione, & limitatione: *Verbum vt ſubſiſtens in humanitate, pro nobis meruit, & ſatis fecit.* Et: *Verbum vt ſubſiſtens in humanitate peccavit contra Deum.* Quod quidem ſatis abſurdum eſt.

1673 Sed contra hanc reſponſionem replicant Scotiſtæ. Talis diſparitas inter Deum denominativè mortuum, & denominativè peccantem, ſumpta ab introductione mortis in gloriam Dei, eſt nulla: ergo. Antecedens probatur. 1. quia ſi denominationes ex ſe ipſis præciſo fine, ſunt æquè ex ſe repugnantes ſubiecto denominato, diverſus finis eas introducendi non liberat à repugnantia vnam, reliquendo cum ſua repugnantia alteram. Atqui non minus denominatio mortui repugnat ex ſe in faciem cum immortali, quam repugnet ex ſe in faciem denominatio peccatoris cum ſancto: ergo, vel vtraque repugnantia enervanda eſt per hoc, quod eſt competere ſolum denominativè, & cum addito, ſcilicèt in aliena natura, vel ſi hoc non ſufficit ad tollendam repugnantiam intrinſecam, à fine extrinſeco neutra enervatur.

1674 Maior patet. Ideò mendatium leve nequit ſua malitia denudari, adhuc propter finem ſalvandi totum mundum, & occiſio hominis poteſt denudari malitia ob finem defendendi propriam vitam, quia malitia in mendatio eſt intraneata eſſentialitèr, ſecus malitia in occiſione hominis. Vndè excuſabilitas iſtius & non illius, à fine non ſúmitur ſufficienter ſi ex parte intraneitatis malitiæ non daretur inæqualitas. Atqui vt præbatum eſt inter eſſe denominativè mortuum in aliena natura, & eſſe denominativè peccantem in aliena natura, ex parte oppoſitionis in genere cauſæ formalis (genus enim efficientiæ iam eſt excluſum) nulla datur inæqualitas inter oppoſitionem naturæ mortuæ cum ſuppoſito immortali, & naturæ peccatrizis cum ſuppoſito ſancto: ergo diverſitas finium nihil facit ad diſparitatem.

1675 Contra 2. Quia excluſa obligatione curandi in verbo permittere illi quod peccet, etiam poſſet habere ex parte Dei finem altiſsimum gloriæ Dei, ſcilicèt in proprio Filio vti iure ſuo permittendi, ſicut & vſus eſt iure accipiendi ab illo ſatisfactionem per mortem. Ex vtroque enim latere verificatur illud Pſalmi. 35. *Iudicia tua abiſsus multa*: ergo ſicut finis gloriæ

Dei

Dei honeſtat, quod verbum ſit denominativè,& ſine ſpeciali ſuo influxu, homo mortuus, ſivè Deus idiomaticè mortuus,ſimilitèr honeſtabit,quod ſine ſpeciali ſuo influxu ſit denominativè homo peccans, ſivè ſit Deus idiomaticè peccans.

1677 Nec eſt par ratio admittendi abſolutè, quod Deus vt ſubſiſtens in humanitate peccet, ſicut abſolutè admittitur quod Deus, vt ſubſiſtens in humanitate abſolutè mereatur,& ſatisfaciat pro nobis. Etenim Deus pro ſatisfacere habet ſpecialiſsimam rationem principij *quo* reſpectu ſatisfactionis vt talis, quia hæc a Deo vt tali licèt non eliciatur, ſumunt quod ſit verè ſatisfactio, & infinitè valorata. Inſuper à Deo habet auxilia, inſtigationes,& comprincipia ſuperna eliciendi ſatisfactionem; ac per conſequens ſe habet,vt principium inducens.Nullum autem ex his muneribus principij habet Deus reſpectu peccati, ſed reſpectu illius ſe habet abſquè vllo influxu, & valdè materialitèr, ac ſi eſſet quodlibet aliud ſuppoſitum, imò cum renitentia ſicut eam habet Deus circa quodlibet peccatum: ergo licèt abſolutè ſit verum, quod Deus vt ſubſiſtens in humanitate ſatisfaciat, non erit pariformiter abſolutè verum, quod Deus vt ſubſiſtens in humanitate peccet, ſed ſolum cum addito, nempè purè idiomaticè, & ſolum denominativè in aliena natura.

1678 Tandem probant Scotiſtæ, quia iuxta concilia, & Patres quælibet natura, tàm Divina quàm Humana manſit poſt vnionem cum proprijs prædicatis, & proprietatibus, & impermixta: ergo humana, quæ de ſe eſt labilis,& peccativa, ſicut à Divina non accepit quod ſit omnipotens, nec immortalis, ita nec accepit quod ſit ſancta, nec ſubſtantialitèr impeccabilis: quæ ſunt proprietates ſpecialiſsimæ naturæ Divinæ. Confirmatur quia vnio ad Verbum non immutavit phyſicè, & entitativè modum proprium operandi naturæ humanæ, ſed immutatio quæ facienda eſſet in illa, debet eſſe per alia Dona, licèt phyſica & intrinſeca, accidentalia tamen, & ſuperaddita naturæ: ergo humanitas poſt vnionem,attenta ſola vi vnionis perſeverat peccabilis intrinſecè, ſivè quoad intrinſecũ po'ſe,ſicut antea,& ſic quod poſsit proximè, vel non poſsit peccare, proveniet à comprincipijs in ipſa ſaltim divinitus ſeperabilibus ab vnione.

§. III. *SOLVVNTVR ARGVMENTA CONTRA iſtam ſententiam.*

1679 Obijcies 1.plures Sanctorum Patrum auctoritates,apud Suarez, Bazquez, Bernal, Gonet,& alios docentium illum hominem Chriſtum eſſe impeccabilem *eo quod ſit Deus*;& alias eorundem,dicentium quod poſſet peccare,ſi non eſſet Deus.Atqui ſi cum vnione,& cum eſſe Deum,poſſet compati peccatum,licèt non poſſet compati cum viſione, falſum eſſet ly, *eo quod ſit Deus*, ſiquidem impeditivum peccati non eſſet iſtud,ſed viſio: ergo eſſentialitèr cum eſſe Deum, ſivè cum vnione repugnat peccatum ratione ipſius vnionis,& antecedenter ad viſionem,vel ad quodlibet aliud Donum.Cõfirmatur,quia vnio, vel verbum ſanctificant immediatè humanitatem,& permanenter, atquè inamiſsibilitèr. Si autem cum gratia accidentali, nempè habituali, eſt incompatibile peccatum, multò magis cum ſanctitate ſubſtantiali.

1680 Vndè Origines comparavit deificationem humanitatis à verbo,ferro candenti,& ignito. Sicut autem cum ferro ſic ignito, & ſummè calido, omninò eſt incompatibile frigidum, ſic peccatum cum humanitate ſic deificata,& ſanctificata.

1681 Pro reſponſione nota duplicem incompatibilitatem, nempè radicalem,& formalem. Nomine radicalis non intelligitur fundamentalis pura. Fundamenti enim methaphora poteſt importare indifferentiam ex ſe, ad hoc vt fiat proſecutio ædificij ſuper illud, vel non fiat. At methaphora radicis, vlteriùs addit aliquam exigentiam pululationis connaturalem, vel debitam arbori, vel flori, licèt non eſſentialem cum ſit ab extrinſeco impedibilis,& quaſi de lege extraordinaria. Hinc cõceptus radicis ex propria ratione & iure fundat incompatibilitatem cum carentia pululationis, ſed non eſſentialem, benè verò connaturalem,ita vt verificari poſsit quod eo, quod plantata ſit radix in terra, repugnet connaturalitèr carentia pululationis, ſecus de lege extraordinaria. Et hoc provenit, quia incompatibilitas huius carentiæ cum radice, non eſt formalis, ſed exigentialis. Sic dicimus de malo granato in bona terra plantato, quod non poſsit non dare malogranata eo quod malogranatum ſit, & quod illa non daret, ſi malogranatum non eſſet. Nec propterea iſtæ fraſes ſonant formalem imcompatibilitatem, ſed radicalem exigentialem, connaturalem,ſivè de lege ordinaria,iuxta quam tali arbori debentur ſuo tempore flores, & illis debebuntur fructus eo quod malogranatum ſit.

1682 Reſpondetur ergo ad Patrum auctoritates affirmantes impecabilitatem deberi Chriſto, eo quod homo Deus ſit, intelligi de debito faciente incompatibilitatem radicalem, eo quod vnio exigat pululationem viſionis,& Donoru formaliter incõpatibilium cum peccato. Quæ tamen ſi abeſſent, (vt poſſunt de lege extraordinaria) ab illo homine Deo,ſola remaneret radicalis incompatibilitas cum qua non repugnat formalis compoſitio peccati. Vndè ſi peccare nequit, id provenit immediatè à viſione, & Donis. Quia tamen debentur iſta ei non quia homo eſt, ſed quia homo Deus eſt, verè dicitur eſſe impeccabilis eo quod homo Deus ſit. Et quia ſi Deus non eſſet, non haberet hæc Dona impedientia peccatum immediatè, quia non haberet titulum radicalem ea habendi, ideò optimè dicunt; quod ſi Deus non eſſet,peccare poſſet.

1683 Ad confirmationem negant, quod verbum aut vnio ſint forma ſanctificans formalitèr, ſed ſolum radicalitèr,& propter ius connaturalitatis,& magnæ congruentiæ ad gratiam habitualem. Vndè licèt peccatum eſſet incompoſsibile ſimul cum gratia habituali divinitus(quod negant) adhuc non eſſet incompoſsibile ſimul cum vnione hypoſtatica, quia oppoſitio cum iſta eſt ſolum radicalis, cum illa verò eſt formalis. Ad exemplum autem ferri candentis reſpondent 1. frigidum eſſe divinitus componibile cum illo, & ſic peccatum cum humanitate deificata. Reſpondent 2. talem deificationem non eſſe per informationem, ſed per quaſi aſsiſtentiam fundatam in vnione; & ſic non eſſe propriam ſanctificationem phyſicam à divina ſanctitate,ſicut ob eandem rationem humanitas non reditur formalitèr Omnipotens. Cum ergo non reddat formalitèr ſanctam propter impermixtionem proprietatum vtriuſquè naturæ, nec reddet formalitèr impeccabilem, ſed ſolum radicalitèr. Hinc Scotiſtæ non admittunt, quod humanitas habeat ſtrictũ ius iuſtitiæ ad omnia Dona ſibi poſsibilia, ſed ſolum connaturalitatis,& congruentiæ.

1684 Obijcies 2. ſi componendum eſſet peccatum cum vnione divinitus,& de lege extraordinaria, hoc non poſſet fieri ſine miraculo, & ſpeciali Dei operatione, cum aliàs de lege ordinaria fieri nequeat. Atqui repugnat,& dedecet Deum tale miraculum cum ordinaretur ad exiſtentiam peccati,& non fieret in oſtenſionem Divinę Maieſtatis, ſed potius in aliqualem ſaltem depreſsionem:ergo repugnat tale miraculum. 2. quia ſequitur quod incarnatio non eſſet ſummum Omnipotentiæ opus, cum aliud opus daretur maius, nempè in illo homine ſimultas eſſendi Deus, & eſſendi miraculosè peccatoris. 3. quia ipſa Divinitas eſt dignitas,vt non permittatur peccatum: ergo eſt dignitas ad hoc, vt non fiat miraculum commu-

Digitized by Google

ctionis peccati cum incarnatione. Reſponderi poteſt diſtinguendo antecedens: non poſſet fieri ſine miraculo, & operatione divina remotiſsimè,& indifferentiſsimè ſe habente ad peccatum, concedo antecedens, proximè ſe habente phyſicè , aut moralitèr , aut aliqualitèr peccatum intendente, nego antecedens. Etenim ſicut ſi Petrus poſitus in duobus locis committeret ſimul duo homicidia diverſa in illis, illa multiplicatio homicidiorum,non poſſet fieri ſimul, niſi præeunte miraculo poſitionis in duobus locis,& nó propterea ipſa eſſet miraculoſa,nec opus Dei, eo quod à miraculo, & virtute Dei ſolum remotè procedat: ita ſimilitèr peccatum humanitatis non eſſet miraculum, nec opus Dei, ſed opus humanitatis peccativæ, ac perconſequens,nec neceſſe erat,vt fieret in gloriam Dei, nec vt augeret miraculum Incarnationis,ſiquidè non erat in ſe miraculum , licèt ſupponeret remotè illud. Ad tertium reſpondetur, quod divinitas vnita,eſſet quidem dignitas vt nó fieret miraculum auferendi, quæ modo habet obſtacula peccandi, eſſet tamen dignitas petens ſolum titulo congruitatis, non autem iuſtitiæ, aut incompatibilitatis cum ablatione.

1685 Obijcies 3. quia ex terminis ipſis patet ſumma oppoſitio inter Filium Dei, & filium diaboli; inter ſubſtátialitèr fœlicè,& ſummè infœlicè & dánatú,inter ſúmè placentem, pluſquam diſpliceant omnes inimici,& æquè diſplicentem ac illi; inter ſummè honorabilem,& ſummè inhonorabilem,& contentibilem. Hæc enim omnia adducit ſecum peccatum. Confirmatur, quia eo ipſo quod Deus dederit ſe humanitati ſummo modo poſsibili creaturæ amat eá ſúmo modo quo poteſt amare:ergo manet neceſſitatus eo ipſo ad duo. Primum : nempè ad elongandum ab ea omne peccatum , & poteſtatem peccandi , & omne ius poſsibile Deo odio habendi illam , quod ius conſiſtit in peccato. Patet: quia magis amaret ſi dando vnionem, à ſe ipſo abdicaret indifferentiam permittendi ius odio habendi creaturam , quod ius conſiſteret in peccato non ſummè ab humanitate elongato. Secundum:quia imperceptibile eſt, quomodo non ſit ſimplicitèr incompatibile, quod Chriſtus ſit à Deo ſummè amatus,& ſimul ſit ſummè odio habitus. Primum quia Filius Dei eſt , & ſecundum quia peccator eſt.

1685 Pro reſponſione nota ; etiam iuxta doctrinas aliarum Scholarum 1. non eſſe idem amari ſummè aliquid à Deo,& amari ſimplicitèr infinitè; nam vt nos docuimus varijs in locis, datur vnum infinitum ſimplicitèr maius alio à forma ipſa divinitatis intimius communicata: Verbo magis , humanitati minus, operibus Chriſti minus, & offenſæ multo minus. Vndè non omne ſimplicitèr infinitum eſt ſummum,& ſic ſimplicitèr infinitè ſummè tantum ſe ipſum(quia eſt per identitatem) amat abſolutè. Si autem humanitatem vnitam ſimplicitèr infinitè amat , ſed non ſummè , ſed infra ſummè : & ſi ſummè amaret , non ſummè abſolutè , ſed ſummè cum addito, ideſt cóparativè ad capacitatem humanitatis vnitæ.

1687 Nota 2. non importare contradictionem aliquid amari ſimplicitèr infinitè; & ſecundum quid & cum addito non amari, nec velli, ſed odio haberi,& nolli, quando datur aliqua diverſitas inter ſimplicitèr amatum,& additum illud odio habitum. Sic mater ſimplicitèr amat filium infirmum,& tamen ſecundum quid, nempè ſecundum infirmitatem, ſivè vt infirmus eſt , odio habet. Inſuper filius à matre , quoad ſuum eſſe toto connatu conſervari intenditur abſolutè. Quoad additum infirmitatis toto cónatu deſtrui intenditur: ergo inter ſimplicitèr amari , & ſecundum quid & cum addito odio haberi, nulla datur incompatibilitas. Ex his.

1688 Reſpondetur pro Scotiſtis ad argumentum factum, omnia ibi adducta nullam importare contradictionem, ſi vnum extremum ſummatur infinitè ſimplicitèr,& aliud ſummatur ſecundum quid , & cum addito. Vt v. g: eſſe ſimplicitèr Filium Dei,& ſecundum quid filium diaboli, nempè ſecundum additum eſſe humani. Sicut ſimplicitèr infinitè eſt immortalis,& ſecundum quid eſt mortalis. Simplicitèr infinitè amicus & amatus, & ſecundum quid inimicus,& odio habitus. Sicut etiam ſimplicitèr infinitè volitus æternalitèr vivere, & ſecundumquid volitus non æternalitèr vivere, ſed mori. Nec eſt inconveniens quod ſit ſimplicitèr fœlix , & ſecundum quid (nempè ſi peccaret) infœlix,& ſecundum quid contemptibilis.

1689 Item. Si Suarez & alij Doctores adducendi in art. vlt. huius quæſt. prope finem, concedunt poſſe à verbo aſſummi humanitatem in peccato, manente in ea reatu pœnæ æternæ, ſublata culpa : ergo tunc ille Deus homo poſſet ſimul eſſe fœlix ſimplicitèr,& ſecundumquid infœlix & damnatus.

1690 Nec dicas tale odium Dei reſpectu Chriſti ſumpti cum addito, eſſe ſimpliciter infinitum; cum offenſa ſit infinita ſimplicitèr: ergo non poteſt eſſe odio habitus ſolum ſecundumquid,ſed ſimplicitèr abſolutè. Reſpondetur in primis,Scotiſtas non admittere quod offenſa ſit ſimplicitèr infinita. Dato quod ſit,& quod odium ſit ſimplicitèr infinitum vt apud nos eſſet, adhuc eſſet cum addito, non quidem ex parte actus, ſed cum addito ex parte obiecti. Quod autem idem obiectum ſit ſimplicitèr amatum , & ſecundum quid ſive cum addito ipſius obiecti ſit odio habitum, nulla eſt ex obiecto contradictio. Per hanc doctrinam ſolvuntur prædictæ inſtantiæ & plures aliæ ſimiles.

1691 Ad confirmationem reſpondetur , diſtinguendo antecedens , Deus amat humanitatem Chriſti modo ſummo quo poteſt amare creaturam , diſtingo. Summo quo poteſt amare intenſivè & extenſivè,nego antecedens. Súmo intenſivè,concedo antecedés. Amat enim de illa quod ſit ipſe Deus vnitate ſuppoſiti, quod eſt ſummum intenſivè in linea boni. Non autem amat amore ſe extendente ad omnia bona extraeſſentialia ſibi poſsibilia. Sicut etiam Deus amat ſe ipſum ſummo amore abſolutè ſummo & maiori quam ſit amor humanitatis vnitæ, nec propterea voluit creare ſibi omnem creaturam poſsibilem.Vel reſpondetur 2. Amat humanitatem vnitam, amore ſummo poſsibili reſpectu illius adhuc extenſivè: amat inquam,ex neceſsitate etiam poſt illam productam,nego. Amat ſummè extenſivè poſt illam productam, ex congruitate, concedo. Vndè de facto dedit illi omnia bona poſsibilia tali humanitati conſona. Sed cum ſic extenſivè amaverit ex illa congruitate,liberum erat ei non ita extenſivè amare ac per conſequens , non dare omnia quæ de facto dedit, ſed illa limitare. Et inſuper eſt liberum ei,non ſe abdicare dominio permittendi ius odio habendi Chriſtum vt hominem, ſi peccaret.

§. IV. *Alia argumenta ſolvuntur.*

1692 OBIICIES 4. quilibet acceſſus ad Deum & quævis amicitia importat impeccabilitatem & quo maiores ſunt, in maiori gradu. Atqui humanitas inter acceſſus poſsibiles creaturæ, eſt in ſummo, cum ſit ita ſubſtantialitèr ſummè proxima Deo, vt accedat vſque ad Filium Dei naturalem, ſitq; in ſummo gradu amicitiæ poſsibili creaturæ: ergo eſt ratione vnionis in ſummo gradu poſsibili impeccabilitatis. Maior declaratur. Quia amicitia Viatorum cum Deo eſt minima & propterea imbibit aliquam impeccabilitatem, nempè in ſenſu compoſito,quia viator non poteſt componere peccatum cum gratia ; ſed non omnes,quia datur ibi potentia peccandi peccatum amicitiæ deſtructivum & etiam peccandi peccatum veniale non deſtructivum Amicitia autem Beatorum quæ eſt perfecta ſimplicitèr in genere amicitiæ,iam addit alios impeccabilitatis gradus , cum non detur poteſtas peccandi venialitèr , nec detur poteſtas peccandi pecca-

Digitized by Google

peccatum, per quod poſtea diſſolvatur amicitia; nam in eo ſtatu eſt indiſſolubilis, & denegatur à Deo cócurſus indifferens in actu 1. ad peccandum: ergo cum humanitas vnita verbo ſit in ſummo accedentis & proximę Deo, atque amicitiæ cum Deo, erit ex vi vnionis in multo maiori, imò in ſumma impeccabilitate; & erit relegata ab illa, ratione vnionis, indifferentia comprincipiorum ad peccandum, multò magis quam in Beatis.

1693 Reſpondetur titulum vnionis formalitèr & titulum amicitiæ formalitèr, eſſe titulos valdè diverſos apud Scotiſtas & apud omnes. Nam vnio eſt acceſſus & proximitas formaliſ phyſica (licèt radicalitèr fundet congruitatem ad intentionalem) At acceſſus amicitiæ eſt intentionalis. Vndè non ſunt confundendi vnus cum alio. Totum ergo argumentum eſt verum de acceſſu amicitiæ & gratiæ habitualis, quæ quo maior ſit, per ſe ipſam includit plus de impeccabilitate, & ſummam, ſi ſit ſumma: Secus eſt de titulo vnionis phyſico ad gratiam & amicitiam ſolum radicalitèr ſe habente, cui Deus omnem habitum & comprincipium ſupernum ad amicitiam poſsit divinitus denegare.

1694 Ex quibus docent Scotiſtæ humanitatem non ſanctificari formalitèr per vnionem, quia ſanctitas debet eſſe forma phyſicè inhærens & denominans, qualis reſpectu humanitatis nec eſt perſonalitas nec Deitas, cum illa ſe habeat immediatè, ſed vt pur⁹ termin⁹; iſta vero mediatè; vnio autem ſolú vt via & non vt forma At forma ſanctificans diſtincta, debet eſſe ſtrictè forma. Vndè peccatum mortale tàm præcedens quàm ſubſequens, compatibile eſt cum vnione hipoſtatica, alijs donis divinitus denudata.

1695 Nec obſunt 1. PP. docentes verbú rexiſſe animá & iſtam corpus. Reſpondetur rexiſſe de facto, & rexiſſe ex magna congruitate, ſed non ex debito Iuſtitiæ. Nec 2. offendere pias aures quod Filius Dei eſſet in peccato mortali & in odio Patris ſui, & in æterna damnatione. Reſpondetur hæc debere non dici apud vulgus; apud Scolaſticos tamen declarando quod ſit ſermo in natura aſſumpta, vel non erit aurium offenſio, vel poſt profundum ſtudiú, erit volútaria. Nec 3. quidquid eſt in Chriſto, fuiſſe venerabile & adorabile, etiam inſtrumenta Paſsionis ob ſolum contactum: ergo & peccatum ſi eſſet opus Chriſti, deberet eſſe adorabile. Atqui ſimul eſſet abominabile, ergo. Reſpondetur. Conceſſo antecedenti de facto, quia de facto omnia ſunt bona, negando conſequentiam, quia ſicut licet adorentur clavi per contactum, labia tamen Iudæ etiam ſi illa eſſent in mundo, non adorarentur propter moralem quaſi impræſcindibilitatem contactus à peccato Iudæ. Similitèr peccatum Chriſti ſemper eſſet abominabile, & nec ratione contactus poſſet venerari.

1696 Nec tandem obeſt quod actiones Chriſti omnes ſunt Theandricę, peccatum autem dicere Theádricum eſt locutio blasfema: ergo nequit adhuc divinitus eſſe opus Chriſti. Reſpondetur maiorem eſſe veram de facto, ſecus de poſsibili. Et ratio eſt; quia operatio Theandrica idem eſt, ac divinhumana. Et vocatur ſic; quia quodvis opus Chriſti (etiam cómedere & vivere) erat ab humanitate eliciente, & à Verbo divino ſpecialitèr dirigente, diſponente & curante de tali actione iuxta debitum congruitatis ſæpè repetitum. At in eo tunc peccatum à Verbo ſolum eſſet generalitèr permiſſum, non autem diſpoſitum & ſic non eſſet tunc actio divina ſed purè humana, nec eſſet Theandrica.

ART. III. *NOSTRA SENTENTIA.*

1697 NOTA 1. poſſibilitatem peccati in actu ſecundo comparari poſſe, vel cum potentia peccativa prævenita comprincipijs indifferentibus proximis ad peccandum, vel poſſe comparari cum ordine divinæ providentiæ remoto, ideſt cum prædiffinitione ad oppoſitum, & cum dominio Dei diſcretivo noſtrarum actionum, vel cum alijs applicativis omninò extrinſecè & quaſi remotè ſe habentibus ad libertatem. Sola 1. poſsibilitas requiritur ad libertatem non vero ſecunda.

1698 Nota 2. quod in homine & in quavis natura rationali diſtinguenda eſt duplex peccativitas, ſive potentia peccandi. Vna eſt formalis remota, eo quod ex conceptu ſuo eſſentiali (licet imbibat capacitatem ad comprincipia proxima indifferentia ad peccandum, vel non peccãdum;) tamen ex ſe poteſt eſſe ſine illis vel cum illis. Si autem ſit coniuncta cum illis, in ſenſu compoſito illorum eſt proxima: ſi ſine illis vel aliquo illorum, manet in ſtatu remotæ: *Non dico mediata vel radicalis, ſed formalis remota*. Formalis quidem, quia ipſa per ſe ipſam eſt vis formalis volitiva & electiva immediatè affectus peccaminoſi, ſi ponantur iudicium indifferens, & alia comprincipia indifferentia. Manet tamen intra limites remotæ quovſque iſta comprincipia ponantur expedita in actu primo. Remota, eſt eſſentialis voluntati creatæ, nec per divinam potẽtiam, ſalva integritate naturæ, poteſt à creatura rationali tolli ſed impediri ab extrinſeco ne peccet.

1699 Aſſero 1. Chriſtus vt homo nec ratione viſionis B. nec ratione vnionis amiſsit nec amittere poteſt (ſalva veritate vtriuſque naturæ) quod ſit formalitèr remotè peccativus.

1700 Aſſero 2. Peccativitas proxima poteſt impediri à Deo, Chriſto vt homini per Dona ei adventitia & contingentia, talitèr quod in ſenſu compoſito talium donorum (v.g. viſionis Beatæ & aliorum ſimilium) repugnet ei poſſe proximum in actu primo ad peccandum. Ratio eſt quia iſtud ſtat in aggregato ex natura labili, & cóprincipijs proximis indifferentibus ad cadendum, nempè ex iudicio indifferenti, & ex concurſu Omnipotentiæ indifferentèr præparato. Atqui talia comprincipia poſſunt auferri à Deo, ergo.

1701 Aſſero 3. in ſenſu compoſito vnionis hypoſtaticæ nó repugnat quód Deus auferat ab humanitate omnia dona ſupernaturalia. Probatur quia vnio ex ſe ipſa non eſt per ſe ipſam viſiva Dei, nec amicabilitèr amativa formalitèr ſed ad ſummum exigẽtialitèr, & quãtum attinet ad ius vt ei dentur habitus luminis & charitatis, per quos intellectus & voluntas influãt in operationes, in quas vnio adhuc illis habitibus adiuta, influere non poteſt. Non autem conſtat, quod non potuerit Deus talia dona ab humanitate divinitus auferre cú hoc maximè videatur pertinere ad dominium Dei. Si enim in triduo potuit manere vnitus Corpori plagato & non glorioſo, non apparet cur non potuiſſet ſimilitèr vniri animæ non glorioſę & ſicut potuit aſſumere Brutum in communiori ſententia, cur non potuiſſet aſſumere humanitatem in pura natura? Nec propterea ſequitur quod, ablatis illis donis, iam eo ipſo Chriſtus Dominus vt homo foret proximè peccativus, ſiquidem benè poſſent illa auferri, & tamen iudicium indifferens & concurſus Omnipotentiæ indifferens intuitu vnionis hypoſtaticæ negari: quæ ſimplicitèr requirebantur ad proximam peccativitatem. Confirmatur: quia negare illa dona, non datis comprincipijs ad peccandum, ſolum eſſet impedire operationem bonam, quin propterea locum daret malę, & in hoc nulla eſſet indecentia.

1702 Aſſero 4. poſsito quod repugnet Chriſto ratione vnionis proxima peccativitas & peccatum, repugnantia tamen ſufficiens non eſt ſequela illa, nempè quod Verbum eſſet idiomaticè peccans. Ita tenet Bazquez cum Scotiſtis. Si enim præciſsè foret, quod denominaretur peccans purè in aliena natura, id apud aures Scolaſticorum profundè punctum examinantium, nihil plus habet abſurdi quam mori & pati cum addito, nempè in aliena natura. Licèt cavenda locutio apud vulgus.

1703 Aſſero 5. ſi verum eſſet, quod nec Verbum, nec vnio hy-

hypoſtatica ſanctificarent humanitatem, vt contendunt Scotiſtæ, & titulus eſſendi phyſicè per vnionẽ Filius Dei impediret peccatum in actu ſecundo ne ei eſſet poſſibile proximè, id præſtaret radicalitèr non autem formalitèr ex vi vnionis. Probatur, quia cum non eſſet formalis ſanctitas non haberet oppoſitionem formalem immediatam cum peccato & multo minus cum comprincipijs indifferentibus ad peccandum, cum iſta comprincipia non ſint peccatum, ſed quid compatibile cum ſanctitate vt patet in viatoribus iuſtis.

1704 Aſſero 6. Etiam ſi vnio hypoſtatica nec per ſe nec per Verbum ſanctificet humanitatem, adhuc per ſe & eſſentialitèr facit humanitati impoſſibile peccatum, à gubernio Verbi divini, & quia ſi Verbum non ſpecialitèr impediret peccatum, peccaret Deus in propria natura, & non ſolum idiomaticè. Ita Suarez & plures alij. Probatur. Ratio ipſa naturalis dictat de quolibet ſuppoſito, quod magis teneatur & in maiori obligatione ſit curandi de proprijs actionibus ſuis immanentibus & vitalibus vt honeſtè fiant, & impedire in eis quamcunque inhoneſtatem & indecentiam, quam teneatur de actionibus alteriùs ſuppoſiti ſibi non immanentibus nec vitalibus. Atqui maritus peccat in ſe ſi non impedit cum poſſit, actiones malas vxoris ſuæ: & idem de Prælato reſpectu ſubditorum: ergo multo magis deficeret Deus in ſe ipſo ſuæ obligationi, ſi non curaret de ſuis ſive de operationibus ſui ſuppoſiti.

1705 Confirmatur, quia quo aliquis inferior, intimiori nexu eſt proximus & coiunctus ſuperiori ſuo, eo maior in iſto debet eſſe cura gubernandi illum; ſive obligatio ſit de iuſtitia ſive ſit de ſola charitate. Hinc ſubditi non habentes officium inducens obligationem iuſtitiæ, multo magis obligati ſunt ex charitate ad curam de ſuo Prælato, quàm obligentur ſervi ſæculares eiuſdem domus (& idem de vxore reſpectu mariti) quod totum provenit à maiori proximitate & intimitate. Ergo cum humanitas ratione vnionis ſit intimior & proxima Verbo ſupra vxorem & ſupra ſubditos, tanto in ipſo erit maior obligatio curandi de illa ne peccet. Quæ obligatio licet in Verbo non ſit de Iuſtitia (eo quod non ſit ad alterum ſuppoſitum nec ad alterum Iure) erit tamen ex ſtrictiſſima charitate propria ſui. Nec hoc eſt Nos limitare dominium Dei, ſed ipſe id ſibi limitavit & ſtrictè ſe obligavit ex charitate, ex quo humanitatem ſibi in vnitatem ſuppoſiti deſponſavit & aſſumpſit; non minus quam illud ſibi limitavit ex Iuſtitia, ex quo per contractum promiſit iuſtis gloriam per merita & vt coronam.

1706 Aſſero 7. repugnat humanitati vnitæ, ab intrinſeco vnionis peccatum, & non ex ſola congruitate aut à ſola Dei manutentione, ſed quia humanitas antecedentèr ad omnem operationem eſt ſubſtantialitèr ſanctificata inamiſſibilìter à Verbo. Ita communis Patruũ & Theologorũ ſentẽtia. Probatur 1. argumẽtis factis cõtra Scotiſtas à nu. 1679. quæ licèt à Scotiſtis ſolvantur, ſemper valent vrgeri. Secundo quia ſi gratia habitualis ſanctificat, eo quod ſit participatio naturæ divinæ, faciens Filium Dei & hæredem; cum humanitati per vnionem adveniat ſtrictior, & maior participatio divinæ naturæ, vtpotè conſtituens hominem Filium Dei naturalem & hæredem gloriæ, ſtrictius ſanctificabit, reddetque ei impoſſibile peccatum. Confirmatur, quia ex D. Petro in Canonica, ſanctitas ſtat in Dono maximo, trahente participationem naturæ: inquit enim· *Maxima & precioſa nobis promiſſa donavit, vt per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* Chriſtus autem loquendo de vnione hypoſtatica dixit: *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt.* Et merito quia dedit Verbum ei: ergo vnio eſt ſumma ſanctitas creaturæ.

1707 Reſpondebis: quod ſanctitas ſtat in principio vniverſali operandi rectè moralitèr, & hoc ſolum competit gratiæ habituali, ſic operanti per habitus ſupernos. Cum autem nec Verbum nec vnio ſint per ſe pro humanitate principium operativum, ſed hoc in illa ſolum præſtat gratia, ſola iſta ſanctificat, & non illa. Sed contra: quia duplex datur ſanctitas. Vna quæ ſolum ſit per ſe mundicies incompatibilis cum peccato & operum dignificativa, cui mundiciei, licèt non competat ratio operativæ per ſe, cõpetit ei ius ſaltem morale, vt ei dentur comprincipia operativa. Alia cui, vltra rationẽ mundiciei & dignificationis, competit ratio influendi in opera moralia. Hæc illa, eſt gratia: Prima vnio, vel Verbum. Vide hic Quæſt. 19.

1708 Quod autem primum ſufficiat ad ſanctificandum patet. Quia gratia baptiſmalis in pueris præbet formaliſſimum & propriſſimum effectum ſanctitatis, & omninò ſe gerit vt ſanctitas, quia facit per ſe ipſam Filium Dei adoptivum & hæredem gloriæ, & per ſe mundat animam expellendo peccatum. Atqui non influit in operationem vllam moralem propriam & ſpecialem principij, & rectitudinis vniverſalis. Ergo ſine iſta per ſolam rationem mundiciei & alias explicatas, ſalvatur ſpecialis ratio ſtrictæ ſanctitatis. Secundo quia Deitas ratione ſui pro priori ante voluntatem vt cauſam operationis rectæ moralis, eſt ſancta & munda & pulchra, & incompatibilis cum peccato. Et Verbum vt procedens per eſſentiam Patris, etiam eſt Sanctum, & naturæ divinæ participativum. Sed in his ſola relucet prima ſanctitas. Ergo ſub tali conceptu erit ſanctitas. Et iſte conceptus convenit vnioni.

1709 Tertio probatur, quia licèt vnio humanitatem non conſtituat Filiam Dei naturalem, conſtituit mundam & aligatam Filio Dei, ita intimè vt tendat in idem ſuppoſitum. Sicut autem vnio animæ cum gratia habituali, vialitèr conſtituit eam indiſpenſabilitèr ſanctam & mundam, & incompatibilem cum peccato, ita (imò & potiùs) vnio hypoſtatica. Vndè quod immortalitas & æternitas Verbi non poſſint eam reddere æternam aut immortalem, ſolum probat, quod nec ſanctitas propria voluntatis divinę, vt vniverſalitèr operativę moralitèr, nequeat eã reddere ſanctam ſanctitate operationis; ſecus ſanctitate mundiciei participatæ: quia pro iſto munere non requiritur identitas, nec requiritur quod Verbum mundans, ſive mundicies ſit forma, ſed ſufficit ſi ſit terminus phyſicè vnitus, per quem humanitas ſuſtentetur. Cum exiſtentia autem tantæ mundiciei incompatibilis eſt fœditas, & macula peccati.

1710 Quarto probatur, quia ad hoc vt poſſibile ſit peccatum alicui, cum iſtud ſit per ſe ipſum formalitèr actus vitalis immanens, requiritur ex parte actus. 1. duplex poſſe intrinſecum pro priori, nempè elicitivum & etiam receptivum; ergo ſi vtrumque vel vnum ex his deſit, repugnat quod ſine illo ſit poſſibile peccati. Atqui in quolibet inſtanti repugnat humanitati vnitæ Verbo & ſanctificatæ per illud, poſſe receptivum peccati (quidquid eſſet de effectivo de quo infra) ergo repugnat humanitati vnitę Verbo, quod ſit ei poſſibile peccatum.

1711 Probatur 5. quia poſitio vel cõſervatio peccati in humanitate, cũ ſit cõtra exigentiã vnionis, ſolũ poſſet fieri divinitus, & cõſervaretur à Deo vt causa ſpeciali peccati. Dices: Deum fore cauſam ſpecialem vnionis, ne deſtruatur à peccato, ſecus ipſius peccati, quod ſolum per concurſum indifferentem conſervaretur. Contra, quia quidquid ſit de concurſu prout præciſè in genere cauſę efficientis, tamen in genere cauſæ formalis, concurſus ad peccatum eſſet ſpecialis, quia exiſtente vnione antecedentèr, & eſſentialitèr exigente vt non intret peccatum, eo ipſo peccatum intraret contra exigentiam vnionis divinitus conſervatæ. Ergo peccatum conſervatur à Deo vt cauſa ſpeciali, quia contra exigentiam aliarum cauſarum. Hoc tamẽ argumẽtum non probat impoſſibilitatem peccandi ortam ex repugnantia peccati intrinſeca vel in ordine ad Omnipotentiam; ſed ex repugnantia extrinſeca comparativè ad Providentiam, de quo Qu. 33. art. 2. & ſic magis fidendum argumentis antecedentibus. Aſſe-

Digitized by Google

1715 Aſſero vltimo,licèt humanitati vnitę repugnet peccatum, ſitquè ei impoſsibile ex parte actus (vt verè eſt impoſsibile etiam phyſicè)ſed non repugnat eiPotẽtia ex parte potentiæ.Cũ impoſsibilitate enim actus,compatibilis eſt potentia proxima (licèt mixta de quo quæſt. ſequenti art.3.§.3.)ad peccatum.Et per hanc potentiam ſalvabimus infra & componemus libertatem cum impoſsibilitate phyſica peccandi.Probatur,quia licèt cum ſanctitate repugnet peccatum,non tamen potentia proxima Mixta ad peccatum. Sed vide quæſt.ſequenti ab art.3.

ARTIC. IV. ET §. I.

ADVERTENTIA PRO SCOTISTIS.

1716 QVod repugnet humanitati vnitæ verbo,peccatum componibile cum illa, vltra argumẽta facta ſupra à num. 1676. probari poteſt vrgenter contra Scotiſtas argumento ſequenti. Si humanitas vnita verbo poſſet ſimul cum vnione componere peccatum mortale talis humanitas eſſet ſimpliciter filia Dei,& ſimpliciter filia Diaboli,& non ſolum ſecundum quid. Simpliciter ſummè intenſivè amata.(Intellige intenſivè,quia licèt non volantur à Deo ei omnia bona , eſt tamen ei volitum inter omnia bona ſummum, & ſummo modo poſsibili creaturæ ſiquidem vniri verbo ſubſtantialitèr , maius omnibus eſt, vt dicebatChriſtus;amare autem eſt velle bonum alicui.) Atqui ſimul eſſet ſummè odio habita, quia ſummè inimica Deo. Imò magis odibilis quam quęlibet alia humanitas exiſtens in mortali, ex circunſtantia maioris , & ſummæ ingratitudinis poſt beneficium ſummum vnionis : ergo ſimul eſſet creatura ſummè amata ſimpliciter (ſummè inquam, ideſt quantum creaturæ poſsibile eſt amari, vel odio haberi) & ſummè ſimpliciter odio habita.

1717 Hinc ſequitur, quod ſit ſummè honorabilis,quia elevata ſubſtantialitèr in vnitate ſuppoſiti ad Filium Dei, & ſummè contemptibilis ſimplicitèr , vtpote depræſſa ad abominabilitèr à peccato mortali fœdatam.

1718 Nec dicas , hoc argumentum iam eſſe ſolutum ſupra à num.1687.Vbi negatum eſt quod Chriſtus vt homo mortalitèr peccãs,eſſet ſimul ſimplicitèr Filius Dei,& filius Diaboli, amatus,& odio habitus, honorabilis,& contemptibilis. Solum enim haberet ſimplicitèr vnum,aliud verò ſecundum quid tantum. Sed contra , quia licèt hæc ſolutio ſit bona dum ſermo erat de Chriſto, vt ſuppoſito exiſtente in vtraque natura. Secus de humanitate. Ratio autem eſt , quia Chriſtus in concreto ſe haberet ſicut filius infirmus,importans in recto filium abſolutè,& ſimplicitèr amabilem matri,& in obliquo infirmitatem odibilem matri, & ſic infirmus reſpectu diverſorum eſſet ſimplicitèr amatus a matre , & ſecundum quid odio habitus,licèt verè , & ſerio. At modo quo hic proponimus argumentum, eadem natura ſivè humanitas eſſet ſimplicitèr amata, quia ipſa eſt elevata ad Filium Dei , & ipſa eſſet ſimplicitèr in ſe odio habita , quia ipſa eſſet ſummè inimica Deo.

1719 Sed hoc argumentum , licèt difficilius in humanitate quam in Chriſto, ſolvitur præſuppoſita ſequenti advertentia valdè notanda. Plura ſunt quæ præſeferunt contradictionem prima facie , quæ tamen benè examinata nullam adferunt. Sic iſti actus videntur contrariari: *Volo dare eleemoſynam Petro,quia pauper eſt.*Et iſte: *Nolo dare eleemoſynam Paulo, etiam ſi pauper ſit.* Sicut & contrariantur iſti: *Credo Trinitatem, quia Deus dicit* , & iſte *non credo Euchariſtiam.*. Et propterea dici ſolet , quod in Hæretico conſitente vnum articulum & negante alium, non detur fides divina. Sed nota in duplici actu non dari contradictionem, ſi non conſtet de excluſiva in vno reſpectu alterius. Non enim ſufficit præciſsio , ſed requiritur excluſio, Igitur in actibus illis de eleemoſyna non datur excluſsio , ſed præciſsio. Non enim volitio ſucurrendi Petro , quia pauper eſt , eſt volitio ſublebandi omnem paupertatem , ſed illam quæ eſt in Petro. Si enim eſſet de omni, non poſſet dari nolitio ſucurrendi Paulo.

1720 Hinc,qui fide divina aſſentitur Trinitati dictæ à Deo , ſi aſſentiatur non ſolum quia Deus dicit , ſed quia Deus omninò verax dicit, non poterit diſſentiri Euchariſtiæ dictæ à Deo. Eſt enim contradictio,& excluſio ſupponere Deum ſummè,& in omnibus veracem,& concedere in Euchariſtia non eſſe veracem. Hinc ſit quod Petro viro parvæ auctoritatis, ſi dicat ſe vidiſſe hodie Paulum ambulantem in foro , credimus propter dictum eius quod concipimus verum, licèt non in omnibus, nec ſummè verum. Et ſi dicat ſe venire ex Templo, & ibi vidiſſe Adamum à mortuis reſurgentem, non credimus, ſed ridemus.

1721 Hinc etiam ſequitur , quod Chriſtianus gaudeat de magno feſto facto Deo , quia amat Dei bonitatem ; & ſimul tunc habet affectum determinatum ad adulterium, licèt concipiat eſſe contra Dei bonitatem. Ratio autem eſt, quia non omnis amor divinæ bonitatis eſt tam ardens, quod velit ei omnia bona,& excludat ei omnia mala, ſed ſolum quando eſt ita ardens , vt amet Deum ſuper omnia.Non enim ex eo quod quis ex amore Dei , vel ex amore pauperum velit vincere difficultates leves, ſequitur quod eo ipſo ex vi talis amoris , debeat vincere propter eos omnes difficultates graves.

1722 Ex his reſpondetur ad argumentum factum,benè poſſe aliquid ſimplicitèr amari, & ſimplicitèr odio haberi reſpectu diverſorum, quoties tales affectus non importent poſitivam excluſionem , & non importabunt illam ſi neuter eorum ſit omnis comprehenſibilis comprehenſibus. Igitur humanitas propter vnionem ad verbum eſſet ſimplicitèr filia Dei in vna linea, nempè in linea ſanctitatis Conſacrationis (hæc eſt ſanctitas parietum Eccleſiæ, bruti aſſumpti à verbo , & ſimilium) ſecus ſanctitate morali intentionali propria Filiorũ Dei. Carendo autem iſtã per peccatũ,poſſet eſſe moralitèr ſimpliciter filia Diaboli, ratione peccati.Patet exemplo Summi Pontificis , vel alterius Sacerdotis exiſtentis in peccato mortali , qui ſimplicitèr & abſolutè ratione caracteris, & poteſtatis ſic conſecrati,& venerabiles,ſed non omninò & in omni linea, & propterea ratione peccati ſunt ſimplicitèr fædi , contemptibiles odibiles Deo, & abominabiles.

1723 Nec datur vera , ſed ſolum apparens contradictio inter amorem ſummum intenſibum, (licèt iſte ſit practicus)& odium ſummũ de eadẽ perſona,intenſivũ (dum dico *intenſivũ*, excludo quod amet *omni extenſivè*) quia iſtud poteſt eſſe ſpeculativum & non auferens quod amor practicus dedit. Et propterea in adſtruenda contradictione attendi debet prædicta regula , an vnum ex proprio conceptu ſit excluſivum alterius , ſicut aſſenſus & diſſenſus, quia ille adſtruit veritatem in obiecto , quam iſte tollit. Item amor amicitiæ,& odium inimicitiæ. Quia vterque debet eſſe ob eandem rationem, ſcilicèt ratione perſonæ, ſecus quando non ſe excludunt, vt in Deo qui amore cõcupiſcientiæ amat ſubſtantiam Diaboli quam ipſe fecit, & ex Eccleſia: *Nihil odiſti eorum quæ feciſti*,& ſimul amore inimicitiæ propter peccatum , quod non ipſe fecit,odit perſonam Diaboli. Sic Deus tunc amore concupiſcientiæ amaret humanitatem verbo vnitam , quam ipſe fecit (& forte ob conducentiam ad manifeſtationem attributorum) & ſimul amore inimicitiæ humanitatem peccatricem,quã ipſe non fecit.

1724 Non ergo hoc argumento à nobis Scotica ſententia inpugnanda eſt, ſed duplici argumento ſumpto à Cura verbi , & à ſanctificatione humanitatis per vnionem.

(*)

Digitized by Google

§. II. *ARGVMENTA SOLVVNTVR.*

1725 AD primum Scotiſtarum adductum à nu. 1662. reſpondetur, aliud eſſe facere bonum ſupernum, & aliud impedire malum ſive peccatum. Quoad primum operandi bene, fatemur humanitatem per vnionem & Verbum (ſi alia comprincipia ſuperna auferantur & verè poſſunt divinitus auferri, vt benè probat argumentum) non eſſe factam potentiorem quoad poſſe proximum, ſed ſolum quoad ius. At facta eſt potentior ad impeditionem peccati, licèt non per modum operationis, ſed per modum incompatibilitatis ex parte vnionis, & per modum non permiſsionis ex parte curæ Verbi.

1726 Ad ſecud. adductum à num. 1663. reſpondetur, repugnantiam peccandi in humanitate, non ſumi ab eo quod Verbum peccaret idiomaticè in aliena natura, ſed ab eo quod peccaret in propria, ob incuriam de ſuis actionibus ſive de actionibus proprij ſuppoſiti, quod vinculum & obligationem eſſe ſtrictiorem quàm Prælati aut Mariti, conſtat lumine naturæ. Et licèt non eſſet obligatio iuſtitiæ, quia non eſt ad alterum (& fortè eſt iuſtitiæ, quia eſt ad alterum iure, ſicut ſatisfactio ob id fuit de rigore iuſtitiæ) eſt tamen charitatis ſui. Sic ſi Prælatus & ſubditus deberet exire in publico ad aliquod munus exigens magnam albedinem & munditiem in veſtitu, & adeſſet periculum quod ab alio fœdarentur, teneretur Prælatus magis curare de ſuo habitu, ſi non poſſet vtrique providere, quàm de habitu ſubditi, quia potior eſt obligatio proprij ſuppoſiti quàm alieni, & tamen non eſſet obligatio iuſtitiæ ſed charitatis propriæ. Vide à nu. 1707.

1727 Ad vltimum, adductum n. 1678. reſpondetur, optimè probare peccativitatem remotam formalem ex parte potentiæ: imò ſi probaret proximam, non renueremus, dummodo ſermo ſit de proxima ex parte potentiæ, non immutatæ, nec in ſe nec in modo operandi. Cum hoc tamen bene ſtat, quod ſit ei impoſsibile peccatum ex parte actus ab intrinſeco vnionis, modo explicando quæſt. ſeq. ab art. 3.

1728 Obicies 3. Contra obligationem Curæ verbi. Licèt peccet Pater creatus permitendo filijs peccata, ſecus Deus permitendo iuſtis, qui etiam ſunt filij: ergo non tenetur Deus ad iſtam gubernationem. Nego conſeq. reſpectu humanitatis, reſpectu cuius non ſolum eſt gubernator generalis, ſicut eſt reſpectu iuſtorum, ſed ſpecialiſſimus propter ſtrictam vnitatem eiuſdem ſuppoſiti.

1729 Obic. 4. Volũtas creata tenetur evitare in appetitu motus inordinatos, etiã non liberos, quia licèt appetitus non peccet, ipſa peccaret, non obligando potentias inferiores ſervire fini totius. Sicut licèt Amens non peccet per clamores Rempublicam turbantes, peccaret dominus non impediens ſi poſſet; atqui Verbum non tenetur, quia poſſet divinitus illos motus permittere in humanitate: ergo non eſt tam ſtricta obligatio Verbi ſicut noſtra. Confirmatur, quia creatura tenetur ita gubernare appetitum, vt ex eius operatione cum advertentia, non ſequatur damnum alterius, ſecus verbum: nam poſſet humanitas ſine advertentia ſua, tamen cum advertẽtia Verbi, eſſe offendiculum, vt alius caderet, & moreretur, & tunc verbum non peccaret: ergo eſt longa diſparitas. Reſp. maiorem, ſolum eſſe veram apud aliquos, quando adeſt periculum conſentiendi, id eſt, quod conſentiat voluntas ipſa in illos, ſecus quando non adeſt. Cum autem in verbo nullum ſit, non mirum ſi non teneatur vitare illos. Quia tamen maior propoſitio communiter admititur, neganda eſt minor, quia motus inordinatos, nec divinitus poteſt permittere intra ſuum ſuppoſitum, quia talis inordinatio eſſet verbo voluntaria.

1730 Ad confirmat. conced. Humanitatẽ poſſe ſine advertentia eſſe offendiculum, non vero peccare quin peccaret Verbum. Ratio eſt, quia cum ſit ſuppremus Dominus aliorum, poteſt per quodlibet inſtrumentum, etiam per ſuam humanitatem eos occidere, quia talis occiſsio non eſt inhoneſta Verbo, ſecus peccatum humanitatis.

1731 Infero 1. Si Deitas aſſumeret perſonam humanam ſecundum ſubſiſtentiam & naturam, reddituram illã impeccabilem modo dicto ab eaſdem rationes. 2. Si humanitas antequam aſſumeretur à Verbo haberet peccatum habituale, vel originale, neceſſario in eodem inſtanti pellendum per vnionem, quia eſt ſanctitas. 3. infero, aliã diſparitatem inter mortem, & peccatum. Vita enim verbi non ſolum non reddit humanitatem immortalem (quod conſtat ex fide) verum nec viventem, cum non ſit illi ab identitate, nec vt à forma intrinſeca. Sãctitas autẽ verbi reddit humanitatem formaliter ſanctam. Si autem de hoc quæras, vndè conſtet? Reſp. quia reddit illam per ſtrictam vnionem participantem, & conſortem divinæ naturæ, & habentem ius ad vitam æternam, & vt diligatur à Deo amicabiliter, quę ſunt proprijſsima ſanctitatis, quin neceſſe ſit eſſe ab intrinſeco, vt à forma, & ad hoc ſufficit ſe habere per modum termini intrinſecè vniti. Vidè large, Quæſt. 19.

ART. V.

ALIA CONCLVSIO CIRCA IMPECCAbilitatem.

1732 SVPPOSITO quod ſtante vnione, ex vi ipſius nequeat compati peccatũ cum illa, nec ſit potentia ſimultatis. Quæritur 1. An ſit ſimultas potentiæ, id eſt, an ſit ei poſsibilis actus peccati per quod vnio deſtruatur? Sicut homo iuſtus ellicit peccatum, per quod deſtruitur gratia, quã habebat. Poteſt eſſe ſermo ex natura rei, vel de potentia abſoluta. In 1. ſenſu, communiter pars negans probatur. Tùm quia ex natura rei, prius eſt humanitatem eſſe completam pro priori ſubſtantialiter, antequam procedat ad operationes accidẽtales, quæ ſunt pro poſteriori: ergo nequit peccare. Prob. conſeq. quia pro poſteriori deſtrueretur vnio per peccatum in eo inſtanti (ſunt enim incompatibilia in eodem inſtanti) & ſic in eodem inſtanti reali eſſet vnio pro priori, & pro poſteriori iam non eſſet, quod patet repugnare. Tùm quia vnio ſuſtantialiter ex natura rei eſt perpetua ſicut viſio beata, in quo differt à gratia. ergo nequit humanitas facere peccatum, per quod deſtruatur vnio. Tùm denique, quia humanitas vt vnita Verbo, abſolutè dicitur à PP. impeccabilis. Si autem peccare poſſet etiam vnionem deſtruendo, non eſſet impeccabilis. Sicut iuſtus non eſt impeccabilis, ſiquidem peccare poteſt deſtruendo gratiam, licèt non poſsit gratiam cum peccato ſimul coniungere.

1733 Loquendo divinitus, etiam pars negans communior eſt contra 3. ſententiam relatã à nu. 6[illegible] Probat Bernal, quia vnio hypoſtatica eſt productio hu[illegible]itatis, quæ ſemper præſupponitur pro priori ante actiones humanitatis: ergo dum hæc operatur, præſupponitur vnio vt neceſſario requiſita, non minus quam ipſa productio: ergo non poteſt vnio deſtrui in toto illo inſtanti. Si autem humanitas peccaret pro poſteriori deſtruendo vnionem, hæc daretur pro priori, & eius carentia pro poſteriori. Si vnio eſſet productio, bona eſt ratio, ſed id cõmuniter negatur.

1734 Probo aliter 1. quia vt humanitas faciat peccatum vnionem deſtruens, debet ſupponi vnita Verbo in inſtanti antecedenti, nam ſi vnio non eſt antea, non poſſet poſtea deſtrui in ſequenti: ergo nequit humanitas peccare, quia peccaret Verbum. Conſeq. probat. quia omnis operatio humanitatis poſt vnionem, pertinet ad gubernationem ſpecialiſsimam Verbi, & curam ipſius: ergo cum humanitas ante peccatum, non ſit ſed poſt, derelicta à Verbo, operatio peccaminoſa tribueretur Verbo habenti humanitatem ſub ſua cũra. Confirmatur, quia Prælatus non

ſo-

ſolum tenetur impedire malas actiones ſubditi manentis ſub gubernatione ipſius,ſed etiam malas actiones quas facit,vt male à gubernatione ipſius diſcedat,& Maritus peccata vxoris per quæ divortietur: ergo & Verbum actiones humanitatis malas, per quas recedat à tutela Verbi, deſtruendo vnionem.

1735 Secund.prob. aliqui,quia humanitas ita ſanctificatur per Verbum, vt nec maneat ei poſsibile peccatum: ergo impoſsibile eſt illi peccare.Antec.prob.quia non repugnat aliqua ſanctitas creabilis excluſiva potentiæ proximæ peccandi, & de viſione beata eſt certum;atqui vnio eſt ſumma inter ſanctitates creabiles: ergo non ſolum peccatum, ſed potentiam proximam & concurſum indifferentem ad illud, impedire debet. Nec dicas 1. potentiam illā non eſſe peccatum,& ſic ſanctitatem non opponi cum illa. Contra, quia ſaltim eſt radix formalis & proxima peccati.Et licèt ſanctitas in genere non opponatur illi;ſecus infinita & ſubſtantialis ſanctitas & tàm excellens ſanctitas, vt patet in Deo.Si autē potentia remota non tollitur,ideo eſt, quia hæc eſt ipſa humanitas.Latè Lugo diſ.26.n.65.

1736 Dices 2. perfectius eſt non peccare cum poſsit, quia pro laude iuſti dicitur, *qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus*.Habet enim ſpeciem perfectionis.Ad hoc reſponſum iam eſt ſupra à num.1561.Reſp.2. in nobis eſſe perfectius ſaltem ſecundum quid, quia hæc potentia non tollit aliam perfectionem maiorem;ſecus in Chriſto à quo tolleret illam infinitam rationem ſanctitatis,propriā filij Dei.Dedecet enim, quod filius Dei poſsit fieri inimicus Patri,odioſus & damnatus. Et tolleret illam eximiam curam Verbi aufferentem indifferentiā ad peccati,titulo vnionis & vnitatis ſuppoſiti,ſicut perfectius eſt habere gloriam ex merito,generaliter loquendo: non tamen reſpectu Chriſti,habētis ex alio titulo altiori vnionis & filiationis naturalis.Sed quidquid ſit pro nūc de potentia proxima, nobis ſufficit eſſe impoſsibile peccatum ex parte actus.

1737 Obicies 3. vrgenter contra omnes.Iuſtus poteſt peccarre contra præceptum diligendi Deum, deſtruendo gratiam & charitatem; ſed iſtę erant pro priori & erant requiſita pro libertate in actu 1. ergo dabile eſt peccatum deſtruens pro poſteriori, quod ſupponitur vt requiſitum pro priori: ergo licèt vnio ſupponatur pro priori, poteſt deſtrui per peccatum pro poſteriori.Maior eſt certe.Minor prob.quia iuſtus dū habet præceptum diligendi Deū in inſtāti determinato, habet pro priori requiſita ad diligendum, & vnum ex requiſitis eſt habitus charitatis, nam quando iſte adeſt, non datur aliud per modum principij.Argumentum eſt difficile, etiam independenter ab hac quæſtione,quia ex vna parte repugnat idem requiſitum in eodem inſtanti reali exiſtere & non exiſtere pro diverſis ſignis (Et peius eſſet dicere non deſtrui in illo inſtanti peccati,ſed in ſequenti, quia ſequeretur in vno inſtanti ſimultas peccati, & charitatis.) Ex alia parte dicere exiſtentiam habitus non eſſe requiſitam in eo tunc ad libertatem diligendi vel omitendi,videtur abſque fundamēto, præcipuè ſi Deus non provideat de alio principio ſuperno ex parte potentiæ.

1738 Probabile mihi viſū eſt aliquādo,& modo habitum charitatis non exiſtere in illo inſtanti in quo fit peccatum,ſed expulſionem eius per peccatum; ſufficere autem,quod extiterit in inſtanti antecedenti, & quod ſit in manu noſtra,vt exiſteret in ſequenti.Si enim tunc non eſt quia expellitur,culpa mea eſt.Nec dicas in inſtanti in quo libere operor,debet exiſtere requiſitum. Reſp.enim ſufficere,ſi vel exiſtat,vel ſit in manu mea vt exiſtat. Vel dic noſtram libertatem vt moralem non eſſe phyſicè inſtantaneam, ſed coaleſcere ex aliquibus inſtantibus phyſicis componentibus vnum morale phyſicè diviſibile. Et in vna parte eius extitit requiſitum illud; in alia erat in noſtra manu vt exiſteret, & libere expulſum eſt.Si dicas, in illo inſtanti libere omittit actum præceptum: ergo habet principium faciendi.Diſt. cōſeq. habet de præſenti nego: ſufficit enim habuiſſe inſtanti antec.Habet in ſua manu habere concedo,quia poteſt cōſervare operando.Sed quidquid ſit de his.Permiſſo ſilogiſmo.reſp.ad argum.negando vltimam conſeq.de vnione,propter rationem adductam de cura Verbi ſpecialiſsima, quæ non procedit in caſu de viro iuſto.

1739 Ex dictis ſequitur 1. contra alios Autores num. 1661.nec humanitatē in inſtanti vnionis,de lege ſaltim ordinaria potuiſſe facere peccatum, quo impediret adventum vnionis, ſiquidem prius eſt humanitatem compleri & ſuppoſitari,& vniri,antequam libere operetur. Semel autem ſuppoſitata Verbo,iam eſt illi impoſsibile peccare impoſsibilitate actus,vt probatum eſt,licèt non potentiæ: ſiquidem potentia ex parte potentiæ non impedit vnionem. Adde quod humanitati in inſtanti illo reali in quo eſt vnita, etiam erat impoſsibile adhuc de lege extraordinaria peccatum ex parte peccati,impeditivum illius:ſiquidem pro illo inſtanti vnitæ, & erat impoſsibilis impeditio vnionis,& etiam ſimultas peccati cum vnione.

1740 Sequitur 2. contra 3. ſententiam, ſanctificionem humanitatis à Verbo non eſſe moralem pure, ſed phyſicam,incompatibilitatemque phyſicam importantem. De quo latius ſupra quæſt.19.vbi ex profeſſo examinata eſt ſanctificatio ſubſtantialis per Verbum & vnionem. Licèt enim Verbum in ſanctificando humanitatem, poſsit ſe habere vt forma moralis; tamen vt phyſicè mundet illam reddendo incompatibilem cum immunditie peccati, detque ei iura propriſsima rectitudinis vniverſalis & ſanctitatis, ſufficit quod phyſicè ſit purus terminus intrinſecè vnitus,illam complens vt ſuppoſitum ipſius.

ART. VI.

DE ALIIS PECCABILITATEM CONCERNENTIBUS.

1741 QVÆRITVR 1. an in humanitate potuerit eſſe divinitus fomes peccati? Fomes in actu 1.formalis & proximus eſt appetitus ſenſitivus proximè expeditus ad motus prævenientes rationem, vel illi reſiſtentes.Fomes in actu 2. ſunt ipſi motus. Extinctum fuiſſe in primis parentibus in ſtatu inocentiæ, in Chriſto & Virgine (& apud plures in Beato Ioſepho) commune eſt, quia appetitus erat non proximè expeditus,ſed impeditus, vel per qualitatem, vel per negationem concurſus. Maximè conſtat de Chriſto, qui cum careret peccato originali(ex quo orta eſt rebellio fomitis) & haberet viſionem beatam & alia dona, numquam dabatur expeditio in actu 1. nec excitabantur motus, niſi honeſti & de licentia rationis.

1742 Circa quæſtionem bene advertit Lugo, partim eſſe de nomine, quia nomine fomitis in actu 2. (& idem cum proportione in actu 1.)non ſolum intelligitur motus ſenſitivus, ſed requiritur quod poſsit eſſe incitamentum ad peccatum ad quod accendit. Vndè denominatur fomes ex conſortio potentiæ intrinſecæ expeditæ vndequaque ad peccatum. In hoc ſenſu non fuit,nec potuit eſſe divinitus in Chriſto. De re autem eſt quæſtio, an divinitus poſſent in humanitate eſſe affectus aliqui ſenſitivi tendentes circa obiectum inhoneſtum. Affirmant Vazquez, Lugo,& alij.

1743 Negant Suarez,Bernal & alij,& merito,quia voluntas creata, eo quod aliæ potentiæ ſubſint ſpeciali gubernationi ipſius,tenetur omnino illos motus impedire, ſi commodè poſsit,in potentijs ſenſitivis. Ratio eſt,quia ſunt actiones malæ & rationi diſſonæ formaliter elicitivè, & etiam obiectivè,ideſt malæ ad hoc vt amentur, licèt non ſint peccata reſpectu potentiarum ſenſitivarum, quæ ratione ſui & elicientiæ non peccant. Voluntas ergo peccat con-

Digitized by Google

conſentiendo illis,& voluntarie permittendo,quod eliciti-vè inſurgant , quia ſunt malæ;& voluntas tenetur regere potentias inferiores,vt conformentur fini rationis, vel vt non devient ab illo per actiones,& obiecta ilicita: ergo ſimiliter Verbum tenebitur tales motus reprimere in humanitate ſua, imo multo magis. 2. probat. quia ſi gratia vnionis ob ſuam excellentiam tollit peccabilitatem expeditam; ergo & motú inhoneſtum ex obiecto,ſiquidem iſte eſt moraliter malus, ſecus peccabilitas.

1744 Reſp.Lugo,actum obiectivè malum poſſe eſſe meritorium ſi fiat ex inadvententia, vt ſi quis occideret Regem exiſtimans eſſe alium hominem hoſtem reipublicæ;& ſic minus repugnar cum ſanctitate,quam potentia ad peccatum.Contra,tum quia conſervare expeditionem ad peccatum in libertate, etiam eſt honeſtum , vtpatet in Deo reſpectu noſtri,& tamen hæc expeditio pugnat cum vnione,vtpote altiori modo ſancta:ergo etiam ille actus. Etenim ſumma ſanctitas à proprio ſubiecto pellere debet quidquid olet inhoneſtatem; ſive ſit potentię, ſive operationis affectivæ mali obiecti.Tum quia occiſsio Regis ſaltem reſpectu advertentis eſſet inhoneſta: ergo cum Verbum advertere teneretur ad omnes actiones humanitatis, illi motus eſſent inhoneſti Verbo.Confirmatur:plura ſunt mala reſpectu conſulentis,vel non impedientis cum tenetur,quæ non ſunt mala reſpectu facientis ; ſic peccaret qui provocaret (imo qui non impediret ſi poſſet) amentem ad adulterium : ergo licèt humanitas non peccaret, Verbum peccaret.

1745 Obicies, in Chriſto fuiſſe motus contra rationem , dum caro in horto recuſabat mortem , quam ratio vocebat. Reſp. recuſſationem mortis nec fuiſſe motum ſolius appetitus , nec fuiſſe contra rationem. Non primum. Pro quo nota in voluntate ſpirituali duas portiones , ſuperiorem & inferiorem,iuxta duo officia eius,nam voluntas vocatur portio inferior,quatenus ex directione phyſica intellectus,verſatur circa naturalia commoda & pertinentia ad vitam naturalem.Superior vero quatenus circa æterna & pertinentia ad vitam ſpiritualem animæ. Actus ergo fugiens mortem non fuit ex ſolo appetitu , nec præveniendo rationē,ſed ex voluntate ſpirituali ineſſicaci iuxta portionem inferiorem.

1766 Non 2.nam conſtat, hanc fugam ineficacem mortis, fuiſſe iuxta rationem,nam fugiebat illam,non abſolutè & efficaciter,ſed ſub conditione,quod Pater ita vellet, in quo nulla eſt deformitas,imo fugiebat ex multis motivis rationabilibus videndis; apud Interpretes vide hic à nu. 1656. Adde Chriſtum ſecundum voluntatem humanam habuiſſe plures actus ineficaces,ſemper tamen conformes divinæ voluntati circa ipſos tendenti , vt eſt communis ſententia Thologorum, apud Martinum Perez hic diſput. 19.ſect.1.

1747 Quæritur 2. an divnitus potuerit eſſe inChriſto habitus intrinſecè vitioſus? Nego cum Suarez diſput.33. ſect. 2. contra Vazq. quia cum ſit inclinatio totaliter de perſe ad malum,nequit Deus eſſe ſpecialis cauſa eius cōſervando illum miraculoſe. Inſuper, quia ordo ſumę ſanctitatis etiam debet pugnare cum habitu vitioſo , ſicut cū potentia proxima vndequaque expedita peccandi,& cum motibus inhoneſtis ex obiecto. Non enim eſt repugnantia in eo quod detur talis ſanctitas pugnans etiam cum illis. Hæc autem perfectio non debet denegari vnioni cum adhuc data tali impoſsibilitate,non ſolum ſalvetur ſanctitas ſed libertas. Nec obeſt 1. in Virgine fuiſſe maximam ſanctitatem , & maiorem quam in omnibus beatis , & tamen erat illi potentia proxima peccandi , quæ non eſt in iſtis: ergo non ſummitur à maiori ſanctitate expulſio talis potentiæ.Reſp.1.aliud eſſe loqui de tali habitu,aliud de potentia:iſta enim requiritur ad libertatem & nó ille.Reſ. 2.diſtinguo conſeq. A maiori intēſive concedo;à maiori, id eſt maioris ordinis,ſive ſummi nego.

1748 Nec obeſt 2. quod talis habitus non eſt peccatum,nec inclinaret voluntatem Chriſti ad peccatum, vtpote impeccabilem: ergo dabilis eſt.Diſting. antec.non inclinaret de perſe nego, de per accidens conced. antec. & Nego conſeq. quia eſt diſſonus rationi, cum de perſe totaliter inclinet ad peccatum,abſque eo quod habeat aliud munus , & ſic pugnat cum ordine tan alto. Nec 3. Deus eſt cauſa ex ſe ſolo producens appetitum ſenſitivum(imo & in Chriſto ſuſtentatur à Verbo, ſicut humanitas) & tamen maximè propendet ad malum rationi diſſonum: ergo & poteſt iſte habitus. Nego conſeq. tum quia appetitus producitur ad exigentiam humanitatis , ac per conſequens à Deo vt cauſa ſolum generali. Tum , quia appetitus non eſt totaliter inclinatio ad malum , ſed ex ſe ad bonum delectabile , quod eſt ſæpè rationi conforme , & ideo dari poteſt à Deo nobis propter bonum vſum(licèt etiam inclinet ad malum)nam poteſt reprimi à nobis; At ille habitus totaliter eſt inclinatio ad malum, & ſic indecens,vt cauſetur ſpecialiter à Deo.

1749 Replicabis : etiam habitus erroneus totaliter eſt inclinatio ad errorem , & tamen poteſt Deus ſpecialiter illum infundere , dummodo negaret concurſum ad errorem: ergo hoc pacto idem erit de habitu vitioſo. Reſpondebis negando,etiam de habitu erroneo. Licèt enim infuſio iſtius non repugnaret in eo caſu ex illo capite, nempè quia Deus eſſet cauſa deceptionis(ligando enim habitum non eſt cauſa) repugnat tamen ex aliis, quia talis infuſio cum ſit totaliter inclinatio ad decipiendum , abſque alio vſu ſibi proprio,videtur fore obiectivè inhoneſta , & de re diſſonanti cum natura vt rationali.Alius dicet,quod de errore purè ſpeculativo admiti poteſt in Chriſto,quia ſolum erit imperfectio intellectus purè phyſica,ſicut mors; habitus vero vitioſus ſemper habet aliquid de moralitate,& ſemper videtur indecens , quod Chriſtus ſit abſolutè per aliquam formam totaliter inclinatus ad malum.Adde in Chriſto quemlibet errorem videri indecentem , & non iudicandum de illo eſſe purè phyſicum , ſed ſemper videtur habere aliquid de moralirate , quia eſt deffectus in ſcientia, quam debet habere ; nam debet habere ſcientiam omnium.

1750 Replicabis vltimo: peius eſt peccaſſe de præterito, quam de preſenti inclinare ad peccandum per inclinacionem ligatam; atqui potuit Verbum aſſumere humanitatem, quæ peccaſſet de præterito:ergo & quæ de preſenti habeat habitum vitioſum. Nego conſeq. quia oppoſitio,& contrarietas vnionis, ſicut & aliarum formarum cum inhoneſto ſibi oppoſito , non eſt in ordine ad diverſa tempora, ſed ad idem tempus. Verbum ergo debet eſſe incompatibile in vtraque natura ſua cum omni malo morali præſenti : Incompatibilitas autem eſt reſpectu eiuſdem temporis. Adde, quod peccaſſe antea,cum poſt adventum vnionis pellentis peccatum,nihil eſſet in ipſa humanitate , poſtquam aſſumpta eſt à Verbo , quia nihil de peccato manebat ſecundum eſſe , ſed tantum ſecundum dici de præterito , ideò ly *peccaſſe* , non eſt iam peius, quam præſens inclinatio ad malum.Alij negāt minorem.

1751 Quæritur vltimo , an ſi humanitas in peccato exiſtens,aſſumeretur à verbo auferente culpam , poſſet divinitus manere reatus æternæ pœnæ in illa? Nego cum Vazq. contra Suarez, & Bernal *diſp*. 44. *à num*. 49. Tum quia licèt ille non ſit peccatum, eſt propriiſsima reliquia eius, quam ordo inter creatos ſummus,debet abolere. Si enim in iuſto, actus heroicus tollit aliquando omnem pęnæ reatum,& viſio beata ex natura rei tollit illum, & de Dignitate Regia dicitur cōmuniter purificare per ſe omnem ſanguinis impuritatem, multo melius vnio debet illum abolere. Tum quia eo quod Chriſtus ſit Filius Dei, ius habet ad hæreditatem,& ad omnem fœliciratem, cum quo iure abſoluto , incompatibile eſt debitum æternæ pœnæ.

Nec

Digitized by Google

1742 Nec obeſt, quod hoc non ſit culpa, nec macula: ergo non pugnat cum ſanctitate verbi. Nego conſeq. quia . tus eſt condignitas ex natura rei ad pœnam, ſapiens peccatum à quo trahit originem; quæ condignitas, ſi pugnat cum beatitudine, magis cum vnione li[illegible] ab-ſolutiſsimum ius ad omnem fœlicitatem, & ad expellendam omnem reliquiam peccati. Vndè ſi Chriſtus paſſus eſt dolores in pœnam noſtri peccati, id fuit ex diſpoſitione divina, & pacto; non vero propriè ex reatu, quia iſta vox ſignificat condignitatem ad pœnam, ex debito fundato in culpa propria. Poſſet autem Deus velle, quod Chriſtus pateretur ſummam pœnam, id tamen non eſſet pati ex reatu, & condignitate, ſed ex fideiuſsione & quia Deus volebat ſatisfactionem.

QVÆST. XXXIII.

DE LIBERTATE CHRISTI PRÆCIPVE in præceptis.

1743 RATIO 1. dubitandi contra illam, ſumitur ex D. Thoma *quæſt. 28. artic. 4. ar. n. 3.* 1. quia Chriſtus poſito præcepto non potuit tali præcepto eſſe inobediens, quia peccaret: & liberum arbitrium ſe debet habere ad vtrumlibet. Chriſtus autem erat impeccabilis intrinſecè, ex ipſa ratione vnionis. 2. ſumitur à viſione beata per quam videbat voluntatem Patris, cui voluntati non poterat Chriſtus contravenire, ſiquidem talis contraventio, (licèt non daretur præceptum, ſed conſilium) non poſſet excuſari ab imperfectione morali, quæ repugnabat cum Summa Chriſti ſanctitate & perfectione.

ARTIC. I.

AN IN CHRITO POTVERIT ESSE PRÆCEPTVM obligans in conſcientia.

1744 DIfficultas eſt, an Chriſtus potuerit eſſe obligatus ad aliquid ex præcepto obligante in conſcientia? Negant aliqui Recentiores docti 1. quia præceptũ obligans in conſcientia & ſub peccato, ſolum poteſt imponi potenti peccare, Chriſtus autem non poterat. 2. quia vt Chriſtus ſtrictè exerceret perfectiſsimam obedientiam, ſufficit facere ad directionem & nutum ſuperioris, abſque obligatione ſub culpa, imò hæc eſt perfectior obedientia. 3. quia in omnibus Chriſto imperatis ex quacunque lege etiam naturali, etiam ſi ommitteret, non poterat peccare, quia ſuppleret per æquipollens; æquè enim Chriſtus benè operaretur & placeret Deo per quodcunque faceret. 4. quia Chriſtum fuiſſe liberum & meruiſſe per mortem in ſubſtantia, eſt totius ſcripturæ concors clamor: ergo ille in ſubſtantia potuit non mori. Nõ autem poſſet, ſi haberet præceptũ obligans in conſcientia.

1745 Oppoſitum tenet ſententia communis, & ſanè mihi eſt incredibile Chriſtum non fuiſſe in conſcientia obligatum ad multa. Prob. 1. Chriſtus vt homo eſt minor Patre, & ſubiectus Patri: ergo potuit per leges obligari à Patre ad aliquid, quod ſi faciat ſit iuſtum & iuxta leges, & ſi non faciat, ſit iniuſtum & contra leges. Confirmatur, quia vt homo erat creatura, & hæc non eſt ſibi 1. Regula agendorum, ſed datur alia, cui ſi ſe conformet operatur benè, ſi non; operatur malè & contra rationem.

1746 Probatur 2. quia eſſe obligatum in conſcientia ad aliquid, nihil aliud eſt, quam quod ſi id advertenter & libere non fiat, omiſsio illa opponatur conſcientiæ dictanti illicitam & indecentem eſſe talem omiſsionem: Atqui Chriſtus vt homo, fuit ſic obligatus ad plura: ergo fuit obligatus in conſcientia. Minor probatur; quia ſi Deus illi aliquid obſcurè revelaret, vt verè potuit, tenebatur credere, ita vt ſuſpendendo creditionem, faceret iniuriam Summæ Dei veracitati. Item, ſi facto Pacto cum Patre de hominibus reddimendis per mortem (vel alia via) recuſaret & nollet adimplere, eo ipſo faceret rem illicitam & contra iuſtitiam: Si enim Deus facto pacto cum hominibus de danda gloria vt Corona poſt merita, non dando per impoſsibile eſſet iniuſtus, (phraſis eſt D. Pauli ad Hebr. 6. non enim iniuſtus eſt Deus, qui oblibiſcatur operis veſtri:) ergo & Chriſtus eſſet iniuſtus.

1747 Tertio, quia vnio non deſtruxit in Chriſto, ſed, ſalbavit vtriuſque naturæ proprietates: Atqui ſunt plura præcepta & leges, ita naturæ rationali innatę vt ſint inditę & impreſſæ & congenitæ ipſi humanitati tanquam proprietates ipſius vt rationalis; v. g. quod tibi non vis alteri ne feceris: quod tibi non nocet & alteri prodeſt, teneris facere, & ex his principijs reſultat, quod pactum de iuſtitia debet adimpleri. Item, quod ex Charitate tenebatur Chriſtus homines redimere, ſaltim ſi poſſet per vnum actum amoris Dei, & ſine aliquo ſui detrimento. Item eſt innatum dictamen de obligatione colendi Deum & amandi illum ſuper omnia vt ſupremum benefactorem; & multa alia ſunt ita naturæ rationali impreſſa, vt ſint naturæ rationali reſpectu Dei, debita moraliter neceſſario vt non peccetur, ſolvenda: ergo obligabatur in conſcientia.

1748 Si dicas, in Chriſto fuiſſe libertatem reſpectu quorumlibet iſtorum, vt ponantur, vel ommittantur, ſed non vt ommittantur purè, ſed potius vt commutentur cum æquali compenſatione, id eſt cũ poſsitione alterius actus, qui ſit æqualis valoris; & ſic cum ſemper compenſatio adſit, ita vt non detur libertas adhoc vt non adſit, non datur in omiſsione peccatum. Sed contra, tum quia precepta iſta non adimplentur compenſatione alterius actus, ſiquidem ſi obligatio eſt de eliciendo actu fidei, non adimpletur divertendo potentias ad actum charitatis; & ſi eſt de cultu humili & reverentiali Dei, non adimpletur per eleemoſynam, pauperis ſublevativam, abſque vllo humiliationis, aut ſumiſsionis ad Patrem ſapore.

1749 Tum quia pro talibus præceptis, v. g. amoris, nõ eſt compenſatio dabilis, licèt enim demus quod quilibet actus Chriſti ſit æqualis valoris ob dignificationem perſonæ; non tamen eſt eiuſdem honeſtatis, quia maior eſt honeſtas charitatis quam liberalitatis. Tum, quia præcepta, ſpecialia non adimplentur per opus alterius ſpeciei, etiã continentis perfectionem altiorem, vt v. g. auditio Miſſæ, per aſsiſtentiam voluntariam infirmi, quia illa & non iſta eſt intenta à legiſlatore.

1750 Tum quia vbi compenſatio non eſt vtilis ad finem legiſlatoris, non eſt æquè bona, nec admittenda: finis autem Dei erat manifeſtatio ſuorum Attributorum, v. g. iuſtitiæ, miſericordiæ, &c. Non autem æquè manifeſtarentur per non mortem, ſicut per mortem: ergo non debet admitti commutatio. Tum denique, quia æterogeneitas omnium virtutum (qualis decebat Chriſtum, & erat neceſſaria pro debito perfectionis moralis Chriſti) non poterat admittere compenſationem obligationis, per vnũ vel alterum actum. Semper ergo omiſsio eſſet oppoſita dictamini rationis iuxta conſcientię leges.

1751 4. Prob. quia in Chriſto vt homine fuit Donum timoris, cuius obiectum ſpecificatiuum erat ſumiſsio ergà Deum fugiendo æquiparantiam, ſui cum Deo, quæ quidem licèt non eſſet humanitati imminens, & propterea non detur de hoc timor paſsio, ei tamen ſecundum ſe & reſpectu naturæ ſibi relictæ, erat poſsibilis, & hoc ſufficit ad eam fugiendam operatione ſtricta doni timoris. Sicut autem ſufficit tale malum eſſe poſsibile naturæ rationali ſecundum ſe vt fugiatur per donum timoris, ita etiam ſufficit pro præcepto obligante in conſcientia, Patet, tum quia ſicut, illa æquiparantia, ſi per paſsibile, vel impoſsibile poneretur, eſſet contra dictamen, & propterea datur fuga de ipſa, etiam ſi Chriſtus vt homo per

Digitized by Google

poſſibile, vel impoſſibile ommitteret amorem & Cultum Dei pro tota vita, eſſet contra dictamen. Tum quia beati licèt pro illo ſtatu nequeant peccare, ſunt tamen capaces actuum liberorum à Deo ipſis ordinatorum, quorum omiſſio poſſibilis naturæ licèt non ſtatui, ſi poneretur per impoſſibile à parte rei, eſſet contra dictamen: ergo obligantur in conſcientia ad non ponendam rem poſſibilem naturæ, licèt impoſſibilem ſtatui.

1752. Tandem quia facta diſtinctione inter præceptum obligans in conſcientia, & dictamen obligans in conſcientia, negari nequit in Christo dictamen obligans in conſcientia, imò & in ipſo Deo. Nam vt dictamen obliget in conſcientia, ſufficit quod ſit libera naturæ dictata operatio, ita vt oppoſita ſecundum ſe potuerit non poni, poſſibilitate ſufficiente ad libertatem (licèt vt peccaminoſa & tranſgreſſiva ſit impoſſibilis, & non potuerit poni). Si autem oppoſita pacto per impoſſibile poſſita, eo ipſo eſſet oppoſita dictamini rationis, tunc dictamē verè obligat in conſcientia (nā idem eſt conſcientia & dictamen.) Atqui benè compatitur cum impoſſibilitate peccandi prædicta libertas etiā in ipſo Deo (ex nu. 1735. ergo & obligatio in conſcientia (Dum loquor de Deo, nō dico præceptum, quia hoc requirit ſuperiorem, ſed dictamen obligans.) Minor patet, quia vt ſalvetur libertas, ſufficit quod omiſſio ſecūdum ſe ſit poſſibilis & componibilis cum libertate in actu ſ. dato quod omiſſio vt trāſgreſſiva nō eſſet cōponibilis cū ea. Patet in actu honeſto præfinito & apud Thomiſtas prædeterminato, cuius omiſſio ſecundum ſe eſt componibilis, ſecus ipſa vt fruſtratio decretorum.

1753 Inſuper in Deo glorificatio Divi Petri eſt libera abſolutè Deo, & non glorificatio eſt poſſibilis Deo; Deo inquam abſolutè, ſecus Deo ſuppoſito pacto de gloria per merita & iſtorum prævisione, quia tunc negatio gloriæ poſt pactum eſſet Deo diſſona & contra conſcientiam: ergo quod Deus obligetur in conſcientia non impedit impeccabilitas ipſius. Vndè nec Chriſto impediet. Et confirmatur, quia Chriſto quivis actus determinatus v. g. cultus, aut amor Dei, de fide eſt quod eſſet liber: ergo poſſibilis erat illi oppoſitus: non poſſibilis exercitè, attento ſtatu beatifico, per quem videbat eum à Deo præfinitum & impoſſibilem non poni: benè verò attenta natura. Atqui ſi poneretur oppoſitus, eſſet illicitus, & contra dictamen, vtpote notoriè oppoſitus divino decreto & voluntati: Ergo. Danda eſt ergo in Chriſto obligatio in conſcientia & ſub culpa: non ſub culpa, quæ in actu poſſit eſſe, ſed quę eſſet, ſi oppoſitum per impoſſibile poneretur.

1754 Ad argumenta ergo reſpondetur. Ad primum ſufficere ad præceptum obligans in conſcientia, quod peccatum ſit poſſibile naturæ, licèt non ſit poſſibile ſtatui, De quo artic. ſequenti. Ad ſecundum de obedientia reſpondetur negando eſſe æquè ſtrictam & propriam, ſi deſit præceptum ſtrictum, de quo artic. 2. Ad tertium nego, pro omnibus dari equipolens, & licèt detur, nego ſufficere vt conſtat ex dictis. Ad 4. concedo Chriſtum habuiſſe libertatem quo ad mortem in ſubſtantia, & ad id ſufficere, vel quod tranſgreſſio eſſet poſſibilis naturæ & con principijs. De quo Artic. 3. licèt eſſet intrinſecè impoſſibilis ſtatui adventitio: vel ſufficere, quod in manu eius eſſet obtinere diſpenſationem, vel commutationem in aliud opus ſatisfactivum, & nollet. Per hoc enim iam ſubſtantia mortis erat libera in cauſa, & id ſufficit.

ART. II. & §. I.

DIVERSÆ VIÆ COMPONENDI PRÆCEPTVM de morte cum impeccabilitate.

1755 LORCA hic diſp. 73. quem ſecuti ſunt aliqui Recentiores, negavit fuiſſe Chriſto impoſitum præceptum à Patre de acceptanda morte. Ipſum benè impugnavit Bernal diſp. 57. ſect. 4. Primo quia Chriſtus ſæpè mentionem fecit de tali præcepto, & præcipuè Ioan. 10. vbi poſtquam dixiſſe habere poteſtatem ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam, addidit: *Hoc mandatum accepi à Patre* Si dicas, tale mandatum non poſſe ſummi ſtrictè, quia ly *mandatum* cadit etiam ſupra Reſurrectionem, quæ tamen Chriſto mandata non erat, quia tunc non dabatur Chriſtus, ſed ſola anima. Sed contra. Tum quia ly *mandatum* ſufficienter cadebat ſupra mortem, quę erat materia pro tunc altercata. Tum etiam, quia benè poterat cadere etiam ſupra Reſurrectionem, ſiquidem Verbum vt ſubſiſtens in anima rationali, etiam erat capax præcepti de Reſurrectione.

1756 2. Probatur: quia dato quod Chriſtus non haberet præceptū poſitivum de morte, habebat naturale præceptum charitatis de redimēdis fratribus, & hoc per mortem, cum ſciret de decreto Patris, non redimendos niſi per ſatisfactionem condignam Probatur, quia pro extrema neceſſitate ſpirituali fratrum, quando non eſt aliud remedium, tenetur quis ex charitate perdere vitam corporalem, quando hæc licitè, & decenter poteſt ordinari ad talem finem, ſicut ordinari poterat, & de facto ordinata eſt ad illum vita ipſa Chriſti. Imò etiam lege iuſtitiæ, cum eſſet Caput hominum & fideiuſſor, tenebatur ſolvere pretium pro illis, & non erat aliud pretium acceptandum, niſi pretium ſanguinis ſui. Probatur 3. quia Chriſtus in Scriptura ſæpè dicitur mortuus ex obedientia, hæc autem reſpicit præceptum, & verba Scripturæ interpretari debent, vt ſonant. Conſtat autem ad Romanos 5. vbi dicitur. *Sicut per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obedientiam iuſti conſtituti ſunt multi.* Et ad Philipenſes 2. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem.* Docet autem Divus Thomas 2.2 quæſt. 104. a. 1. 2. quod obiectum formale obedientiæ, eſt præceptum prælati.

1757 Reſpondebis, quod obedientia perfectiſſima dari poteſt abſquè præcepto obligativo, & cum ſolo directivo. Imò vt docent aliqui Patres apud Lugo & Bernal, perfectior eſt illa, quæ ſolo innititur ſuperioris nutu, & ſic ex obedientia non infertur præceptum obligans. Sed contra, quia in primo textu Pauli obedientia & inobedientia ſumuntur in ordine ad idem, omninò contrapoſitæ: Atqui inobedientia Adami ſumpta eſt per averſionem à præcepto ſtricto. Ergo & obedientia Chriſti per ſubiectionem ad præceptum ſtrictum. Secundo, quia inobedientia rigoroſa non datur, niſi contra præceptum ſtrictum. Ergo nec obedientia rigoroſa, niſi de præcepto ſtricto. Conſequentia probatur. Tum à paritate. Tum quia obiectum formale obedientiæ eſt voluntas ſuperioris procedentis vt ſuperioris, & vt diverſi à non ſuperiore. Atqui in his quæ ordinat voluntate ſimplici, vel per modum dirigentis & conſulentis, non ſe gerit vt ſuperior, ſed vt æqualis, vel ad ſummum vt economus, vel quaſi maior frater; ſolùm autem quando intendit obligare, vel ſub culpa, vel ſub pœna, vel ad minimum ſub imperfectione morali, ſolum tunc ſe gerit vt ſuperior. Ergo obediētia propria ſolum eſt de præcepto ſtricto & obligante.

1758 Nec obſtant 1. Sancti Patres ſummentes perfectionem obedientiæ ex nutu ſuperioris obtemperato. Reſpondetur 1. ſummere ab illo non vt ab ſpecificativo, ſed vt à ſigno promptæ obedientiæ. Reſpondetur 2. ſummere nō à nutu cuiuslibet voluntatis, ſed à nutu ſive ſcintillatione voluntatis obligandi. Nec obeſt 2. impotenti peccare, non poſſe imponi præceptum. Reſpondetur negando, ſi poſſit petere diſpenſationem. Nec obeſt 3. ex ſcriptura dicente legem poſitam eſſe propter tranſgreſſiones. Chriſto autem erat impoſſibilis tranſgreſſio. Reſpondetur enim legem primario eſſe poſitam propter adimpletionem, quæ ponenda erat à Chriſto, ſolum autem occaſionaliter poſita eſt propter tranſgreſſionem, quia facilitas delinquendi & tranſgrediendi fuit occaſio, vt à Deo poneretur

lex

Digitized by Google

lex illa, quæ non ſolum eſſet directiva, ſed per pœnas coercitiva. Maneat ergo præceptum de morte Chriſti fuiſſe ſtrictum & obligans in conſcientia.

1759 Secunda via componendi, admittit præceptum ſtrictum. Sed Chriſtum non fuiſſe liberum in morte præcepta docet, quia ſolum habuit libertatem in circunſtantijs mortis, tempore, loco & modo: & præcipuè in intenſione, duratione, & motivo actus acceptatis. Liberum enim fuit acceptare ex charitate vel iuſtitia, quia quoad hoc non habebat præceptum. Ita inſinuat D. Thomas, & ſequuntur Valentia, Vazquez, Leſſius, Moncæus, Theophilus Reynaudus, & alij plures, & nos olim docentes præceptum fuiſſe de morte morali vt formaliter morali. Primam autem ſpeciem formalem moralem ſubſtantialem accipit mors à ſpecie actus acceptantis. Vndè Chriſtus merebatur per charitatem acceptantem, quia erat omninò liber quoad ſpeciem in exercendo talem actum.

1760 Sed ab hac ſententia libenter recedimus, cum Bernal, Gonet diſp. 21. art. 3. §. 2. & communi Theologorum, quia eſt parum conformis Sacræ Scripturæ, quæ quidem Redemptionem & meritum attribuit ipſi ſubſtantiæ mortis exercitæ, nempè quia mortuus eſt, non autem quia ex tali motivo, aut ſub talibus circunſtantijs mortuus eſt. Iſaiæ enim 53. dicitur: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* Ad Philipenſes 2. *Factus eſt obediens vſquè ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, &c.* Ecce præmia data propter mortem, & non propter mortis circunſtantias.

1761 Secundo: quia nos ſalvamur propter Chriſti obedientiam. Hæc autem vt nuper probatum eſt, debet eſſe de re vt præcepta. Atqui per vos ſola ſubſtantia mortis fuit præcepta, & non circunſtantiæ. Ergo meritum Redemptionis per mortem, fuit per mortem in ſubſtantia, & non per mortem quoad circunſtantias. Confirmatur, quia tota Scriptura clamat Chriſtum habuiſſe in ſua manu mori, & ponere vitam ſuam iuxta illud: *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam, & iterum ſumo eam.* Ineptiſſimè autem diceretur de damnato ad mortem inevitabilitèr ſubeundam, quod eſſet in manu ipſius mori, vel non mori, ex eo quod ei data eſſet optio vt eligeret mori per ſuſpendium in furca, vel per ſagittas alligatus ad palum. Item ſi Martyr duceretur ad ſupplicium ita neceſſitatus vt nullo pacto eſſet in manu eius non duci, & ipſe eligeret ire per callem breviorem vt mortem anticiparet, ineptiſſimè diceretur eum fuiſſe ſpontaneæ ad mortem, licèt eſſet liber in anticipatione.

1762 Tertio: Quia ſi ſufficeret libertas quoad ſolas circunſtantias, potuiſſet dici humanitati liberam fuiſſe Incarnationem Verbi in ſe, ſicut libera dicitur mors, ſiquidem liberæ fuerunt ei ex optione paſsibilitas vel impaſsibilitas Carnis, quæ erant velut circunſtantiæ Incarnationis. Similitèr de antiquis Patribus abſolutè dici potuiſſet, meruiſſe Incarnationem, eò quod meruerunt circunſtantias. Confirmatur. Qui debet centum & ſolvit anticipatè, & vel ex hoc, vel illo motivo, erit quidem dignus gratificatione, non quidem quia ſolvit, ſed quia anticipatè ſolvit, vel quia ex tali motivo ſolvit. Ergò nec Chriſto debebuntur gratiæ à nobis, quia pro nobis exercitè, & in ſubſtantia mortuus eſt, ſed quia ex hoc vel illo motivo, hac vel illa intenſione, hac vel illa circunſtantia. Quod eſt contra communem ſenſum fidelium. Ratio autem à priori eſt, quia gratitudo & præmium non debentur propter id quod neceſſario fit, & ommitti nequit, ſed propter id quod fit ſupra illud, & propter id quod in manu eius erat, facere vel ommittere.

1763 Alia argumenta ſummit Gonet in §. 2. citato: quædam probantia ex Scriptura, etiam circunſtantias mortis fuiſſe præceptas, & ſic ſi quoad ſubſtantiam Chriſtus non fuit liber in acceptando, nec etiam quoad circunſtantias. Sed re vera textus quos adducit, non loquuntur de omnibus, vel ſi de omnibus, non de omnibus probant præceptū, ſed ad ſummum prædiffinitionem. Alia argumenta ſummit à prædiffinitione, voluntate Dei, & providentia, quæ eſt in Deo de ſingulis circunſtantijs mortis, & acceptationis, iudicatquè inducere reſpectu Chriſti eandem difficultatem, ac inducat præceptum rigoroſum. Sed non acquieſco, ſiquidem maiorem inſuperabilitatem pro Theologicæ diſputationis difficultate, affert præceptum intimatum, quam prædefinitio, ſiquidem illud ſe tenet ex parte actus primi proximi; & in ſubiecto impeccabili, difficillimè invenitur, quomodo non immutet modum operandi. Neutrum autem horum invenitur in prædiffinitione.

1764 Ex his excluſa manet ſententia Patris Arriaga hic diſp. 42. dicentis, Chriſtum fuiſſe liberum in morte, non minus quam Martyres, quia v. g. poterat vivere quinquaginta annis, & mortuus eſt antea liberè, & ſicut non obſtante neceſsitate moriendi, Martyres propter anticipationem liberam liberè ſubſtantialitèr moriuntur, etiam Chriſtus. Sed hæc ratio non valet, quia præceptum non fuit poſsitum Chriſto de morte, ſed de Calice illo, ideſt de morte violenta per manus Iudæorum. Martyres ergò poterant ſimplicitèr fugere violentiā mortis, vel fugiendo, vel negando fidem. Chriſtus vero neutrum poterat facere, quia primum erat contra præceptum. Ergo non fuit liber ſicut Martyres ex hoc capite, ſed ex alijs à nobis adductis. Si autem ſolum fuit liber in anticipatione paſsionis quoad tempus, hoc non eſt de ſubſtantia, ſed de circunſtantia.

§. II. *ALIÆ SENTENTIÆ. VBI DE SENSV compoſito.*

1765 THOMISTÆ componunt libertatem in re præcepta cum impeccabilitate, per ſenſum diviſum & compoſitum præcepti, quia ſcilicèt licèt ſtantè præcepto, non poſsit non acceptare mortem, quia peccaret non acceptando (quod tamen erat impoſsibile ei) poteſt tamen in ſenſu diviſo ſcilicèt ablato præcepto. Ita communitèr Thomiſtæ. Contra 1. Ergo Chriſtus dum obedivit, ſive dum acceptavit mortem perfectiſsimè obediendo, non acceptavit libere, ac per conſequens, nec meritoriè. Conſequentia probatur, quia obedientia vt talis non datur, niſi præſuppoſito præcepto & intimato pro priori, atquè in ſenſu compoſito præcepti. Atqui in tali ſenſu compoſito per vos, non potuit non obedire. Ergo vt obedivit, non obedivit libere.

1766 Contra 2. Quia præceptum vt intimatum Chriſto, fuit intimatum pro priori ante acceptationem. Ergo ſi pro illo priori ſive antecedentèr, erat excluſus ſenſus diviſus præcepti, in quo ſolo erat potens. Ergo poſſe non acceptare, erat antecedentèr excluſum, & ſic ita acceptavit, vt ex ſuppoſitione antecedenti eſſet impotēs ad non acceptare.

1767 Tertio: quia illud poſſe non acceptare, eſſet poſſe remotum ad ommiſsionem prædictam. Proximum enim conſtitui debet ex poſſe non acceptare, ac per conſequens ex ſenſu diviſo. Atqui poſſe remotum eſt omninò inſufficiens ad libertatem. Alias Beatus eſſet liber ad peccādum, quia licèt in ſenſu compoſito viſionis, non poſſet ſe opponere Deo, in ſenſu tamen diviſo & ipſa ceſſante, poterat ex cognitione indifferenti peccare. Et 30.

1768 Nec eſt paritas de nobis amantibus, & per amorem odium libere excludentibus; libere inquam, quia licèt repugnet odium in ſenſu compoſito amoris, tamen in diviſo non repugnat. Contra enim, quia eſt multiplex diſparitas. Prima, quia præceptum ſe tenet ex parte actus primi, & ſic facit neceſsitatem antecedentem, & amor ſe tenet ex parte actus ſecundi. Secunda, quia ſenſus compoſitus amoris excluſivus odij, eſt libere, & per poſſe proximum indifferens, factus à nobis. Non autem eſt factus à Chriſto ſenſus compoſitus præcepti. Tertio, quia eſt in manu noſtra face-

facere ſenſum diviſum, expellendo amorem, & introducendo odium. Non autem erat in manu Chriſti facere ſenſum diviſum præcepti,(niſi diſpenſationem petendo,quod non admittitis). Vnde reſpectu inducendi odium,poſſe quod in nobis eſt,eſt proximum At reſpectu ommiſsionis acceptandi in Chriſto , erat iuxta hanc ſolutionem remotum tantum,& ad libertatem inſufficiens.

1769 Quarta ſententia eſt Patris Suarez qui docet, præceptum hoc ideò non tollere libertatem,eo quod non immutat modum operandi, quia compatitur cum illo habuiſſe auxilia omninò indifferentia , ex vi quorum adhuc manebat acceptatio libera.Sicut de actu prædiffinito libero dicimus.Si opponatur quod ex vi principiorum omniũ, & in ſenſu compoſito vnionis, erat impotens adhuc phyſicè ad non acceptandum. Ergo tollitur libertas. Probatur conſequentia, qui quando potentia eſt phyſicè antecedentèr determinata ad vnum,cũ impotentia ad aliud,omninò immutatur modus operandi. Sed Chriſtus ita erat determinatus ad acceptandum,vt non poſſet phyſicè vti illis auxilijs ex ſe indifferentibus,ad non acceptandum;ſiquidem ſicut antecedentèr erat impotens peccare ob impedimentum vnionis præcedentis quamlibet operationem,ita erat impotens non acceptare.Ergo tollitur libertas.

1770 Confirmatur. Tum quia prædefinitio actus liberi per auxilia indifferentia,eo quod non tollat ei libertatem, relinquit hominem potentem non operari & potentem peccare.Ergo ſi Chriſtus neutrum poterat,ſignum eſt non fuiſſe liberum ſed immutatum. Tum quia Chriſtus de facto,vt ponderat Lugo,non potuit habere concurſum paratum à Deo ad reſiſtendum præcepto. Incredibile enim eſt,Deum habere hunc actum: *Volo concurrere cum Chriſto ad peccatum , ſi ipſe vellit.* Sciebat enim Deus tale velle Chriſto ex parte comprincipiorum præcedentium operationem (in quo differt ab actu prædefinito) eſſe omninò impoſsibile , cum pro priori ante operationem iam eſſet phyſicè impeccabilis.Ergo immutatur modus operandi.

1771 Nota ad defendendam doctrinam Pat.Suarez, libertatem non tolli per impotentiam ommittendi operationem,etiam ſi oriatur impoſsibilitas ex aliquo antecedenti, v.g.prædefinitione & ſimilibus remotis;ſed ſolum quando oritur ex parte comprincipiorum,ad operationem moventium vel concurrentium. Inter concurrentia autem adhuc eſt faciendum diſcrimen inter antecedentia ſe habentia per modum comprincipiorum,& inter ſolum per modum applicationis , quia nempè principia ipſa, illa applicat ad operationẽ quin illa trãimuter,vide à n.282.de ſciẽtia.Cũ vero impoſsibilitas oritur ab applicatione principiorum,ſi principia non immutet ſed alliciat,non tollitur libertas;ſic licèt impoſsibile ſit,quod actus prædefinitus non fiat,tamẽ libere fit,quia impotentia oritur à prædiffinitione. Ergo in nullo poteſt alterare comprincipia,& ſe habet per modum applicationis eorum, & idem de aggregato ex ſcientia conditionata,& decreto dandi auxilium.

1772 Ait ergo Suarez,in Chriſto dari omnia comprincipia conſtituentia libertatem in actu primo , vt Chriſtus pro libito acceptaret mortem,vel non acceptaret, nempè cõparativè ad ipſa cõprincipia.Quod ſi ſuperaddito præcepto obligante & impellente,impoſsibile erat non acceptare , hæc impoſsibilitas non provenit ex parte comprincipiorum nec lædit ipſam,ſed ex parte præcepti,quod nõ erat comprincipium,ſed applicãs ad acceptandã mortem.

1773 Si autem dicas: impoſsibile fuit Chriſtum peccare.Sed non acceptatio mortis,poſsito præcepto,eſſet peccatum.Ergo impoſsibilis erat non acceptatio mortis poſsito præcepto,ac per conſequens non erat poſſe ad ommiſſionem,ſicut nec ad tranſgreſsionem, & ideò nec libertas. Sed inſtabit Suarez argumentum. Poſsita prædiffinitione,vel complexo decreti & ſcientiæ mediæ,ommiſsiò actus prædefiniti vel præviſi conditionatè, eſſet fruſtratio prædefinitionis vel falſificationis.Sed impoſsibilis eſt fruſtratio aut falſificatio. Ergo & ommiſsio actus prædefiniti, ac per conſequens & poſſe ad ommiſsionem.

1774 Sed hæc inſtantia meo videri non multum vrget in favorem iſtius ſententiæ. Pro quo nota , opus liberum veſtitum circunſtantia tranſgreſsionis vel fruſtrationis , impoſsibilitante actum ex parte actus , dupliciter ſumi comparativè ad Poſſe ſive ad potentiam ex parte potentiæ. Primo , ita vt operi ab ipſa potentia à qua habet eſſe , proveniat circunſtan... cauſa. Et tunc ſi ad circunſtantiam non detur potentia, nec ad opus illud dabitur potentia, ſiquidem procedere debent ab eadem vulva. Ab eodem enim à quo provenit commeſtio carnis in die prohibito , provenit elicitivè & voluntariè tranſgreſsio. Secundo,ita vt à cauſa à qua provenit opus liberum,non proveniat circunſtantia,ſed ab alia cauſa provenit quaſi reſultativè,& vt ab impertinenti ad tale opus liberum , & omninò præter intentionem cauſæ cauſativæ operis liberi. Sic ſi arbor hic producat fructum diſſimilem lapidi exiſtenti Romæ, & fructum non viſum; circunſtantia non viſi & diſſimilis,non eſt elicitivè ab arbore,ſed reſultativè à lapide, & à non vidente, & ſic iſtæ circunſtantiæ non debent ſupponere in arbore Poſſe ad illas , quia non procedunt ab illa,ſed reſultant in fructu præter intentionem arboris, ex alijs impertinentibus.

1775 Arguitur ergo ſic contra Suarez: impoſsibilitas fruſtrationis non tollit Poſſe à voluntate prædefinita, quia non eſſet effectus talis potentiæ, eo quod prædefinitio nõ immutet Poſſe voluntatis , & impertinenter ſe habeat ad illud. At tranſgreſsio præcepti eſt ab eodem poſſe ac ommiſsio, & vbi deficiat poſſe ad tranſgreſsionem, deficit ad ommiſsionem, quia ſunt elicitivè concatenatæ. Atqui præceptum ita immutat poſſe,& modum operandi, vt per ſe , non detur ad tranſgreſsionem. Ergo nec dabitur ad ommiſsionem rei præceptæ.Secundo,quia omnis ſuppoſitio antecedens , & per modum principij impoſsibilitans immutat modum operandi. Atqui præceptum in Chriſto impoſsibilitabat non mortem, & erat antecedens per modum principij, quia ex D.Thoma lex, & preceptum ſunt comprincipia actus humani.Ergo immutabat modum operandi. Non ergo admittenda eſt hæc ſententia, niſi aliter ſe explicet.

§. III.

NOSTER PRIMVS MODVS COMPONENDI.

1776 QVINTA via componendi libertatem cum impeccabilitatẽ,eſt per diſpẽſationem præcepti ex Lugo & Bernal. Ait ille, Chriſtum liberè mortuum fuiſſe, quia erat in manu eius diſpẽnſationem obtinere de præcepto , quia ipſi in primo inſtanti Incarnationis data eſt optio,vel redimendi mundum per Paſsionem, vel per actum liberum factum in carne impaſsibili,& ipſe Paſsionem elegit. Vnde maior fuit in Chriſto libertas quam in nobis,qui diſpẽſationem in manu noſtra non habemus. Ita diſp.64.ſect.2.

1777 Sed non capio , an Pater Bernal loquatur ſatis conſequenter. Ipſe enim defendit acriter, poſt præviſum peccatum Adami , Chriſtum fuiſſe decretum abſolutè miraculosè vivente pro dolore in Cruce,& in horto & in deſerto ; ideoque ſpecialiter præd... & conſervatum à ſolo Deo. Vnde ex meritis Chriſti ibi præviſis; decrevit Pater , quod Chriſtus haberet Matrem , & fieret puer in vtero.Totum hoc docet diſp.18. ſect.2. Chriſtus ergo antequam decerneretur vt puer,& vt exiſtens in vtero, iam prævidebatur patiens dolores in carne paſsibili.Quomodo ergo potuit ei dari optio de carne impaſsibili in vtero ? Etenim decretum abſolutum Dei , & præviſo carnis paſsibilis, precedens optionem apud te, eſt infruſtrabilis. Nec eſt prædefinitio dolorum in horto dependenter ab optione Chriſti apud Bernal , qui negat prædefinitiones.

Item

Digitized by Google

Item viſo à Deo effectu vt abſolutè futuro, impoſſibile eſt, quod aliquid conſequens, à quo effectus non dependebat, poſſit impedire illam paſſibilitatem abſolutè prævi- ſam. Ergo nec optio Chriſti conſequens poterat impedire eam, iam præviſam independenter omninò ab ipſa optione.

1778 Nec obeſt Scripturam indicare fuiſſe in manu Chriſti non mori, nam apud Iſaiam: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Et illud: *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam*. Et Math. 26. dixit Petro: *Quod poterat rogare Patrem, & ipſe exhiberet legiones Angelorum*. Et Paulus ad Hebræos 12. ait: *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem*, ideſt, cum Chriſto daretur optio de gaudio impaſſibilitatis, vel de Cruce, elegit Crucem. Sic plures Patres apud Bernal hunc locum intelligunt. Ergo verè erat in manu Chriſti ſe liberare & eximere à ſubſtantia mortis, rogando Patrem & obtinendo ab illo vt redemptio fieret alia via.

1779 Hæc ſententia, quatenus aſſerit Chriſtum habuiſſe in ſua manu non mori, quatenus erat in illa excutere tale præceptum media diſpenſatione, mihi ſatis placet, vtpotè valdè conformis Sacræ Sripturæ, & Chriſtus hac via libere moriebatur in ſenſu compoſito præcepti, quatenus potuiſſet ſi vellet facere ſenſum diviſum, & obtinere à Patre quod redemptio humani generis fieret per aliud opus Chriſti ſatisfactorium; vtpotè quod etiam eſſet infiniti valoris. Nos ergo non recedimus à ſententia Patris Bernal quantum ad hoc, nec etiam quantum ad optionem, licèt non ſatis videatur nobis conſequenter locutus iuxta ſua principia. Fuit ergo Chriſtus prædiffinitus acceptans præceptum mortis, cum facultate petendi diſpenſationem, & nolens petere illam, cum eſſet in ſua manu. Licèt autem eam petierit prudenter in horto, non obtinuit, quia petitio erat inefficax.

1780 Nec obeſt 1. ſequi redemptionem noſtram per mortem, reduci hac via ad humanam Chriſti voluntatem, cum tamen conſtet eſſe à divina, ſiquidem ad Romanos 8. propio Filio ſuo non pepercit. Filius autem eſſet, qui propriè non pepercit ſibi, & non Pater. Nego enim ſequellam, quia Pater fuit qui præcepit, qui voluit & diſpoſuit per prædiffinitionem omnia, & quod non peteret diſpenſationem. Nec obeſt 2. quod perfectior eſſet obedientia, ſi præceptum non pendeat in eſſe ab obediente. Diſtingo, ſi hæc dependentia non requiratur ad libertatem, permitto. Si requiratur vt hic, nego. Nec 3. Chriſto repugnabat petitio inutilis & ocioſa, qualem ſciebat fore iſtam, vtpotè oppoſitam Conſilijs & voluntati Paternæ. Ergo non erat in eius manu petere. Reſpondetur, quod licèt repugnaret ex parte actus, ſecus ex parte potentiæ. De quo hic art. 5. & eadem eſt difficultas de omni opere libero beatificè viſo. Et ſicut apud vos Deus prædefinit opus liberum vt fiat, cum potentia vt non fiat, ita & acceptationem cum facultate petendi diſpenſationem, & quod non petat.

1781 Obijcies 4. Per hanc ſolutionem obtinendæ diſpenſationis, licèt fiat ſatis difficultati de præcepto mortis quoad ſubſtantiam ejus, non poſſe fieri ſatis difficultati reſultanti ex alijs præceptis naturalibus indiſpenſabilibus, per quorum obſervantiam Chriſtus merebatur, quin poſſet ponere inobſervantiam ſive tranſgreſsionem, nec petere diſpenſationem. Vt v.g. circa præcepti amandi Deum ſuper omnia & colendi, atquè adorandi vnum Deum, quæ quidem præcepta indiſpenſabilia ſunt. Reſpondetur tamen, Chriſtum non fuiſſe obligatum pro quodlibet inſtanti determinato ad eliciendos actus talium præceptorum, quia vt ſunt præcepta naturalia poſitiva, non obligant ſemper & pro ſemper. Chriſtus ergo, per quemlibet illorum actuum in ſubſtãtia, poſsitum in re, exercitè & in individuo, vere merebatur, quia quemlibet in ſubſtantia, ita ſæpè ponebat, vt poſſet illum non ponere.

1782 Replicabis: ergo per actum præceptum, eo modo, quo præceptus eſt, ſive in ſenſu compoſito præcepti non poterat mereri, nec omiſsio erat in eius manu. Reſpondetur 1. Aliud eſſe quod non mereatur per actum dictatum, & directum à præcepto, v.g. per amare Deum ſuper omnia, & aliud quod non mereatur per talem actum, provt factum ſub circumſtantia præcepta, & omninò quin addat aliquid plus. Hoc ſecundum, permitti poſſet reſpectivè ad veſtitionem præcepti, quia tollitur libertas, ſecus primum.

1783 Reſpondetur 2. adhuc per illum actum, eo modo quo præceptus eſt, Chriſtum meruiſſe, quia nullus eſt talis actus, ſuper quo Chriſtus non potuerit petere vel diſpenſationem, vel commutationem in aliud opus diverſæ ſpeciei honeſtum, & infinitè meritorium, & ſic erat in eius manu excutere præceptum de tali opere, & facere ſenſum diviſum. Vndè libere operabatur illud. In quo differt à ſenſu diviſo Thomiſtico, qui non erat in manu Chriſti.

1784 Si replices. Quod Chriſto non erat diſpenſabile præceptum de diligendo Deum ſuper omnia in primo inſtanti vſus rationis. Ergo pro libertate & merito talis actus inepta eſt via diſpenſationis. Reſpondetur 1. concedendo non fuiſſe diſpenſabile nec commutabile, quia ſemel poſsitum pro priori, impoſſibile erat ſuſpendi præceptum in illo inſtanti. Et idem dicendum, quoties præceptum ſit de opere exercendo in eodem inſtanti determinato, ſecus quando non determinat idem inſtans phyſicum, ſed ſolum morale. Nihilominus, adhuc in illo inſtanti poterat mereri adimplendo præceptum, quia obligatio amandi Deum ſuper omnia ſufficienter adimpletur, per actum, qui ſit charitatis ex obiecto ſtricto, v.g. affectus in Deum propter eius bonitatem, vel qui ſit charitatis ex circunſtantia finis, licèt ex obiecto ſtricto ſit alteriùs virtutis diverſæ ſpeciei, ſive miſericordiæ, ſive iuſtitiæ. Vt v.g: *Propter divinam bonitatem volo miſereri proximo*, vel *Propter divinam ſive vt placeam divina bonitati, volo offerre ſatiſfactionem iuſtitiæ Deo pro hominibus*. Chriſtus libere potuit ad finem placendi Deo, eligere vnum ex his medijs ordinando illud ad divinam bonitatem. Pro libertate autem, & merito ſufficit exercere charitatem eligendo inter diverſas ſpecies. Vndè, quilibet illorum actuum, qui eſt charitas, libere exercebatur à Chriſto, etiam ſi charitas vt ſic, eſſet præcepta.

1785 Replic 2. hanc libertatem non eſſe circa ſubſtantiam charitatis, ſed ſolum circa aliquid extra ſubſtantiam, ideſt circa circunſtãtias: ergo licèt mereretur merito mediorum, vel circunſtantiæ non præceptæ, ſecus merito charitatis præceptæ. Reſpondetur 1. plures DD. admittere in quolibet opere Chriſti præcepto, & ab ipſo ineluctabili, imbibitum eſſe aliquid de præcepto, & aliquid de ſupererogatione, ſcilicèt medium, intenſionem, durationem & repetitiones actus, quæ quidem liberæ ſunt, & ſufficientes ad adimpletionem præcepti propter ſubſtantiam, & ad meritum propter circunſtantias. Vndè Chriſtus meretur per tales actus, quatenus ſunt talis vel talis virtutis, ſi non propter ſubſtantiam præcisè præceptam, ſaltim propter circunſtantias. Imò, abſolutè loquendo, & non curatis nugis metaphyſicis, ſed iudicio prudentum (vt facit Deus in acceptando opere meritorio) dici poteſt, Chriſtum abſolutè meruiſſe per actum præceptum amandi Deum, quia talis actus abſolutè (non curata diſtinctione de ſubſtantia & de circunſtantia, quia illa eſt de nugis) factus eſt à voluntate circa tale obiectum, in actu & ductu illo præceptum adimplente, & ſuam libertatem affectuosè exercente.

1786 Secundo aliter reſpondetur, quod vt voluntas libere operetur, certum eſt non requiri quod habeat in ſua manu ſubſtantiam libere operandi in genere, quia poſsitis requiſitis non poteſt non libere operari, & de neceſſitate eſt quod in quocumque extremo eligibili, libere operetur. Solum ergo ſtat libertas in prælectione elicitiva huius ſpeciei præ alia, ſcilicèt amoris, præ odio, vel è contra.

Digitized by Google

Licèt ergo in manu Chriſti non ſit in primo inſtanti non amare Deum ſuper omnia, ſi tamen ſit in eius manu adimplere præceptum amando amore habente Deum pro obiecto ſtricto, ratione divinæ bonitatis volito, ita vt ſit charitas ex obiecto formali & materirli; vel amare amore habente proximum, vel eius ſublevationem pro obiecto ſtricto ratione divinæ bonitatis: cum hæc prælectio elicitiva primæ ſpeciei amoris ſit inter honeſtates & merita ſpecie diverſa, & adimpletiva præcepti charitatis, dabitur ibi circa ſubſtantiam amoris Dei vt obiecti ſtricti aliàs omiſsibilem, vel commutatibilem in iſtum alium actum diverſæ ſpeciei, ſalvatur ibi ſufficientiſsimè ſubſtantialis libertas.

ART. III. ET §. I.

DE ALIO MODO LIBERTATIS CHRISTI IN RE præcepta. Vbi advertentiæ valdè notabiles pro libertate in communi.

1787 QVÆRITVR 1. in quo ſtet libertas in actu 1. Reſp. ſtare in eo quod quis poſsitis omnibus requiſitis, poſsit operari & non operari. Quæritur 2. an ad eam libertatem requiratur quod ſit poſsibile operari, & ſit poſsibile non operari? Reſpondetur poſsibile dupliciter ſumitur. Primo in ſe & eſſentialiter, & per modum non repugnantiæ Logicę. Secundo comparativè ad cauſas poſitivas illius. Primo modo tam operatio quàm omiſsio debent eſſe poſsibiles, & hoc eſt certum apud omnes. Secundo modo comparativè ad cauſas ſumitur, etiam dupliciter. Primo modo ad proximas, & in ratione virium, & in linea operationis expeditas. (Dixi in linea operationis, non in alia propter infra dicenda). V.g. comparativè ad voluntatem preparatam eum iudicio & concurſu indifferentibus, & nullo ex capite intrinſecè ligatam aut mutatam in modo operandi. Secundo, ad remotas & mediatas (quę tamen modum operandi immediatum non immutent) v.g. comparativè ad lineam Divinæ providentiæ. Vel per præ definitiones, vel per complexum ex ſcientia media & Decreto, diſponentis comprincipia, & modum libere operandi. Impoſsibilitas à remotis extrinſecis in nullo libertatem diminuit, ſi tamen maneat poſsibile comparativè ad vires & cauſam proximam. Videnda omninò iſta doctrina abunde explicata, & exemplis illuſtrata infra à n. 1802. Et eſt vtiliſsima pro libertate explicanda in omni ſententia.

1788 Probatur 1. ex definitione libertatis, cui ſatis ſit ſi poſsitis omnibus requiſitis ad operandum (ideſt comparativè ad illa) poſsit voluntas operari & non operari. 2. quia in nulla ſententia, poſsita Divinæ providentiæ diſpoſitione diſcretiva, & proximorum principiorum applicativa ad operationem, eſt poſsibilis vndequaque non operatio, ſicut nec eſt poſsibile quod Divina providentia, Decretum aut ſcientia fruſtrentur aut falſificentur. Nec propterea læditur libertas, quia talis impoſsibilitas eſt à remotis, modum operandi comprincipiorum, in linea operativa non alterantibus.

1789 Quæritur 3. an ſit dabilis impoſsibilitas comparativa ſumpta à remotis & mediatis intrinſecis, quæ non lædat libertatem proximam? Affirmo & ſuppono prius, quod ſicut non tollitur naturalitas per pondere à ſupernis remotis (vt patet in motu Petri ſuperne bilocati verſus duo alia loca, & in concluſione à vi naturali intellectus per præmiſſas ſupernas) ita nec tollitur indifferentia immediata per determinationes remotas & mediatas. Vndè ſi humanitati vnitæ Verbo dentur à Deo iudicium, & concurſus indifferentes per quos cõſtituatur proximè libera, licèt ei ſimpliciter & abſolutè repugnet peccare, ab vnione; iſta repugnantia peccandi non impedit libertatem proximam mixtam peccandi; quia talis repugnantia non ſumitur à voluntate veſtita comprincipijs proximis operativis ſed à remotis, nempè Vnione & Verbo non operativis (quia ſuppoſitum vt tale non influit cum natura ex num. 1670. hic) nec immutativis intrinſecè modi operandi voluntatis. Sicut illud immutare phyſicam prædeterminationem dicunt Recentiores, eo quod ſit intrinſecè applicativa & operativè determinativa voluntatis ad opus.

1790 Dixi *potentiam proximam mixtam*, quia cum proxima facultate intrinſeca, habet ſimul admixtum ex alia linea intrinſecum impedimentum à remotis nempè vnione. In quo differt à proxima potentia intrinſeca iuſti manutenti à Deo, & extrinſecè impoſsibilitata à remotis Divinæ providentiæ; & ſic hæc facultas in Chriſto vocabitur à nobis intrinſeca *mixta*. Confirmatur & declaratur amplius, quod ſit à remotis & impertinentibus ad immutandum Poſſe proximum. Quia licèt ſuppoſitum aut vnio ad ipſum, requiratur vt complemẽtum, vel vt conditio, vt natura phyſicè operetur, tamen non requiritur nec influxivè, nec quatenus Divinum eſt, ſed quatenus quod libet ſuppoſitum eſt; ad eum modum quo motus Corporis bilocati ad duo ſpacia, licèt præſupponat neceſſario bilocationem, ſed non vt ſupernam: & vis illativa concluſionis, licèt ſupponat præmiſſas ſupernas, ſed non vt ſupernas, ſed vt repræſentativas: ergo cum voluntas vt operativa ex iudicio & concurſu indifferentibus (dato quod petat ad operandum ſuſtentari à ſuppoſito, & compleri intrinſecè,) non petat illud pro tali operatione ſua ex Donis gratiæ facienda, vt Divinum; indè totum hoc, licèt ſe habeat intrinſecè, ſe habet à remotis & non immutantibus modum operandi.

1791 Reſpondebis, operationem voluntatis liberam per ſe petere ſubiectum capax cum ſit vitalis, & illud ſubiectum eſt incapax ab vnione ad Poſſe recipere vitalem operationem peccaminoſam, & ſic ſe habet per ſe non ad operandum, ſed ad impediendum. Contra. Tùm quia linea & conceptus libertatis vt talis non eſt metiendus niſi pœnes vim efficientẽ factivam vel non factivam (vt conſtat ex definitione libertatis quæ nihil exprimit de vi receptiva, & multo minus de impeditiva operationis). Tum quia licèt Poſſe recipere pertineat proximè ad vim operativam immanenter vt paſsivam, at vis impeditiva oppoſiti, ad ſummum pertinet remotè. Si enim detur Poſſe recipere opus à potentia potente facere & non facere, eo ipſo intelligitur conceptus libertatis immanenter operativæ: ergo vis paſsiva impeditiva ſolum ſe habet de remotis.

1792 Quæritur 4. quid intelligatur per potentiam proximam peccandi ſolum ſignatè? Reſpondetur tuitando. 1. ex dictis in tomo de ſcientia Dei, omne quod non fiet, manere purè in potentia ſignatè, ac per conſequẽs & extremum illud liberum à parte actus, quod non exiſtet. Item ex dictis quæſtione de actu indifferenti in individuo, valdè diverſum eſſe, quod detur actus indifferens quoad ſpeciem ſive ex obiecto, & quod detur actus indifferens in individuo. Actus quoad ſpeciem indifferens, ſumitur pro eo quod habet actus ex ſua eſſentia, & ex ſuo obiecto ſpecificativo præcisè: in individuo vero ſumitur pro eo quod habet contingenter, & non ex ſe, ſed ex aliquibus alijs ſibi impertinentibus, ſine quibus repugnat quod actus ponatur exercitè & in re, licèt illa nec petat, nec eis egeat; v.g. Petrus ex ſe ipſo petit eſſe homo & talis homo ſingularis, & individuus Logicaliter loquendo, ideſt, homo & Petreitas. Vndè nec petit, nec eget eſſe albus, vel non albus: viſus vel non viſus ab alio: & tamen repugnat quod exiſtat in re & exercere ſine forma illa aut carentia eius. Similiter motus currus non eget pro ſe ſtrepitu, nec eget pro ſe quod currus ex motu veteraſcat, nec tamen poteſt ſine iſtis poni exercitè & in re.

1793 Vndè ſi currus conſideretur in ordine ad motum ſecundum ſe, & logicaliter individuatum, præſcindens à prædictis circunſtantijs, talis motus ſe habebit ſolum *ſig-*

natè

Digitized by Google

natè & ſecundum ſpeciem, non vero *exercitè & in individuo*. Quidquid enim manet intra metas poſsibilitatis, purè ſignatè ſe habet ; vt dictum eſt à num. 39. de ſcientia Dei. Similitèr reſpectu libertatis proximè Petri, eius impenitentia poſt Decreta Divinæ providentiæ de pœnitentia, ſolum ſe habebit ſignatè & ſecundum ſpeciem, non vero exercitè & in re, & in individuo. Imò cum ſi ponenda foret, deberet eo ipſo poni fruſtrando Divinam providentiam (quod eſt impoſsibile) hinc fit vt ad libertatem ſufficiat poſsibilitas eius actus proxima, quoad ſpeciem & purè ſignatè. Idem dicendum de peccato humanitatis Chriſti, eius poſsibilitatem eſſe purè ſignatam mixtè (ideſt addendo, quod non ſolum ſit impoſsibile exercitè attentis extrinſecis remotis, ſed etiam intrinſecis remotis:) quapropter illa potentia non eſt purè proxima, ſed ab impoſsibilitate intrinſeca mixtè proxima.

§. II.

ILLATIONES ET REPLICA VALDE NOTANDA pro libertate vt ſic.

1794 EX dictis ſequitur 1. ad libertatem non requiri quod vtrumque extremum contrarietatis aut contradictionis ſit ponibile vndequaque in individuo & exercibile in re adhuc diviſivè, ſed ſufficere quod vnũ ſit ponibile in individuo & exercitè, aliud vero ſit ponibile *quoad ſpeciẽ & ſignatè* modo explicato. Sequitur 2. benè cõpati aliquid eſſe logicè poſsibile, & per non repugnantiam eſſentialẽ & cõparativè ad Omnipotentiã, ita vt ſit tale in ſigno neceſſariorũ ſitq; obiectum ſimplicis intelligentiæ, & nihilominus repugnare ſimplicitèr extrinſecè quod à Deo producatur, ſumpta hac repugnantia à Providentia & dominio Dei, cui eſſet diſona talis productio. Sic docent aliqui eſſe logicè poſsibilem creaturam à Deo imprædeſtinabilem per merita, vtpotè recalcitrantem & illudentem omnibus divinis auxilijs. At non eſt poſsibile quod producatur à Deo exercitè & in re & in individuo, quia dedeceret dominium Dei creatura quaſi inſultans Divinæ Omnipotentiæ, retundendo omnia auxilia poſsibilia. Idem dicet quis de viſione beata eſſentialitèr æterna, vtpotè repræſentãte ſuam æternam durationem, nec in his apparet alia contradictio quam, quæ apparere poſſet inter poſsibile ſignatè & quoad ſpeciem, & ſimul impoſsibile exercitè & in individuo, impoſsibilitate ſumpta à contingentibus entitati creaturæ.

1795 Hoc pacto admittunt alij poſsibilem logicè, & ex parte ſua coniunctionem gratiæ & peccati in eodem inſtanti, impoſsibilem tamen ex parte providentiæ Dei ſpecialis ; quia deberet eſſe cauſa poſitivè conſervativa peccati, contra exigentiã gratiæ. Sed nos licèt admittamus reliqua, non tamen ſimultatem hanc ; quia ſunt virtualitèr contradictoria ſicut amor & odium, aſſenſus & diſſenſus, ſed quia argumẽtum proderit notitiæ libertatis, objicies. Deo revelante iuſto perſeverantiam gratiæ vſq; ad mortem, iſte poteſt diſcredere & peccare, quia eſt verè liber ad credendum, ſicut Abraham & Zacharias. Ergo erunt tunc ſimul gratia & peccatum. Reſpondetur ex dictis, eſſe liberum & habere potentiam ad diſcredendum ſignatè, non tamen vt diſcredat exercitè & in individuo: quia illa revelatio ligavit Deum ad diſponenda auxilia, in re efficacia, cum quo decreto eſt impoſsibilis diſcreditio, licèt ſit poſsibilis comparativè ad comprincipia proxima & immediata, & ſic libere credit.

1796 Hinc etiam ſolvitur argumentum commune ſatis obſcurum. Si diſcreditio poneretur, eſſet fruſtratio revelationis & decreti: ſed non datur Poſſe ad fruſtrationem: ergo nec ad diſcreditionem. Diſgo. Maiorem. Si ſumatur quoad ſolam ſpeciem & ſignatè eſſet fruſtratio, nego. Si quoad individuum, concedo maiorem & minorem, & nego conſequentiã, quia fit tranſitus de actu *ſignato* ad *exercitũ*, & de *quoad ſpeciem*, ad *quoad individuũ*. Et ſic argumentũ nil concludit, ſed vide melius hæc art. 4. in fine.

1797 Sed replicabis 1. ad libertatem operationis ſufficit, quod oppoſita ſit poſsibilis ſignatè & quoad ſpeciem, licèt non poſsibile in individuo & exercitè? Ergo phyſica prædeterminatio ad converſionem non tollit libertatem. Conſequentia probatur, quia cum apud Thomiſtas pro priori ſupponatur ex parte actus. 1. auxilium indifferens ad vtrumlibet; comparativè ad comprincipia proxima ſufficientiæ, vtrumque erat poſsibile ſignatè. Phyſica autem prædeterminatio, cum ſe teneat ex parte applicationis ad converſionem, ſolum determinat comprincipia libera ad converſionem in re, & in individuo ponendam, quod non excludit ponibilitatem inconverſionis ſignatam & quoad ſpeciem ex parte comprincipiorum, ſicut nec Decretum prædefinitivum, aut aliud in complexo ſcientiæ mediæ, ſe tenens ex parte applicandi.

1798 Si autem reſpondeas, vtramque applicationem eſſe valdè diverſam, quia prædiffinitiva eſt applicativa extrinſecè, & dativa comprincipiorum ad Poſſe in actu primo, relinquendo illud in ſe indifferens ad vtrumlibet. At prędeterminatio eſt applicativa comprincipiorum iam exiſtentium, & eorum intrinſecè ligativa phyſicè & eſſentialiter ad converſionem ipſam, & ſic eſt intrinſecè immutativa modi operandi. Sed contra, quia licèt liget intrinſecè, ligat conſervando ex parte operationis poſsibilitatem vtriuſque extremi, vnius exercitè & alterius ſignatè, quod ſufficit ex parte comprincipiorum conſervantium indifferentiam, quin illam infringat, ſed ſe comprincipijs ſuaviſsimè accommodat, vt ea faciat parere converſionem. Non enim cadit ſupra libertatem comprincipiorum violente, vt ſuper ova ferrum, quod illa infringat, ſed vt ſuper ova gallina quę illa foveat, & pullos educat, & non ſicut arroba ferri ſuper hominem quod illum infringat, ſed vt arroba lanę (quę licèt ſit eiuſdem ponderis cum arroba ferri) hominis vitam non adimit. Catena ergo ligativa vtpotè ferrea hominis, libertatem infringit, ſecus ſuaviſsima Dei.

1799 Reſpondetur ad argumentum, quod ſufficit ad libertatem poſsibilitas ſignata, vnius extremi, ſed debet eſſe proxima, & non ab intrinſecis proximè immutata (quidquid ſit à remotis); phyſica autem prædeterminatio proximè & immediatè intrinſecè immutat libertatem, quorum neutrum convenit prædefinitioni. Et ſic non ſervatur poſsibilitas proxima oppoſiti. Inſuper prædeterminatio apud vos, non ſolum eſt requiſitum eſſentiale ad opus in individuo, & in eſſe exercito, ſed etiam in ſignato (quod non habet prædefinitio). Patet, quia prædeterminationis neceſsitas inducitur à vobis ex eſſentiali imbecillitate, & dependentia cauſæ ſecundæ & effectus eius, à prima; & ex multis alijs non pertinentibus ad individuationem, ſumptam à contingentibus ſed ſumptam ab eſſentialibus, vt conſtat ex veſtris argumentis. Si ergo quis conſideret voluntatem cum comprincipijs proximis ad operandum oblitus prædiffinitionis, vtpotè impertinentis pro Poſſe proximo, inveniet verè eſſe in manu eius, totum Poſſe requiſitum ad exercendum expedite vtrumlibet, exercitatione logicali eſſentiali; ſecus ſi conſideretur ſufficientia, oblitus prædeterminationis, quia hæc apud vos eſt eſſentialiter neceſſaria vt voluntas prorſumpat in opus.

1800 Ad aliud de fomento libertatis per prædeterminationem, reſpondetur in primis ſequi. Si prædeterminatio deſit, deeſſe Poſſe proximum, & ſic non eſt poſsibile opus adhuc ſignatè. Reſpondetur 2. exemplum gallinæ & lanæ per ſuavitatem cadendi, ad ſummum declarare quod voluntas prædeterminata, ſit libera libertate à violentia & coactione, non tamen quod ſit libera, & exempta libertate à neceſsitate, cum dum abeſt prædeterminatio, deficiat Poſſe proximum exercitè operativum ; cum autem adeſt, immutet Poſſe proximum quoad vim operativam, intrinſece ligando & expeditionem intrinſecam variando ; atque oppoſitum, impoſsibile proximè, & reſpectivè

ad

ad comprincipia proxima in ſe ipſis, vtpotè imbecillia reddendo.

1801 Replicas 2. Præceptum converſionis Iudæ nō eſt de converſione *ſignata*, ſed exercita, atqui hæc repugnat: ergo. Reſpōdetur duplex dari eſſe exercitum, vnum logicalitèr individuatum; aliud morale vel phyſicum à circumſtantijs impertinentibus phyſicè individuantibus. Præceptum eſt de primo, ideſt de converſione logicalitèr ſingular, & illa eſt in mea manu, & comprincipia important Poſſe ad illam (non enim præceptum præcipit aut importat fruſtrationem decreti, ſed converſionem exercibilem logicalitèr, & hæc eſt in mea manu, licèt ſecundum individuationem phyſicam ſumptam ab accidentibus commitantibus exercitium in re, (ideſt vt fruſtratio eſt) nō ſit in meo Poſſe, nec in mea manu.

§. III.

TRANSCRIBVNTVR EX TRACTATV DE SCIENtia Dei, quæ pro explicatione libertatis dicta ſunt de impoſſibilitate à proximis, vel à remotis.

1802 ALIQVA valdè neceſſaria pro intelligendis, dictis, & dicendis adduximus in tractatu de ſcientia Dei à num. 284. ad quem locum non ſemel remittimus lectorem in hoc opere. Sed quia fortè continget aliquando vt legenti tomum hunc, obius non ſit tractatus ille, ſacius duximus, verbo ad verbum, transferre doctrinam ibi à num. 284. vſque ad 292. incluſivè, adductam.

Objicies contra vtramque concluſionem. Poſſitis decretis prædeterminativo, vel prædefinitivo, vel poſſito prædicto complexo ex ſcientia conditionata, & decreto, præcedentibus prioritate cauſalitatis futuritionem abſolutam converſionis, eſt impoſſibilis non converſio? Ergo tolitur per quodcunque eorum libertas. Antecedens patet. Quia ſequeretur neceſſario vel fruſtratio divini decreti abſoluti & efficacis, vel divinæ ſcientiæ falſificatio. In hoc argumento ſatis vſitato, æquivocatio latet (ſic enim & eodem modo ab Hæreticis arguitur contra libertatem, ſuppoſita divina præſcientia) quā oportet aperire.

Nota ergo valdè, impoſſibilitatem alicuius operationis & fraſes eam involventes, ex multiplici poſſe capite procedere; non autem ex quolibet eorum libertas tollitur. In phyſicis enim ſæpè, ſalva virtute tota & potentia ad operandum, provenit impoſſibilitas operationis; primo ex defectu materiæ. Sic licèt Sacerdos habeat plenam conſecrandi poteſtatem, ſi ſolæ deficiant materiæ panis & vini, impoſſibilis eſt conſecratio. Item apud nos in ſumma de Arana à num. 850. Sacerdos ſimplex, impoſſibile eſt quod abſolvat peccata mortalia Petri v. g. ſi eius ſubditus non ſit (quantumvis apud nos acceperit in ordinatione Preſbyteri totam poteſtatem phyſicam & moralem abſolvendi; & quidquid eſt de linea poteſtatis). Ex ſolo ergo defectu materiæ, ideſt ſubiectionis, reddita eſt impoſſibilis abſolutio.

Secundo impoſſibilitatur operatio, etiam in habente plenam virtutem & materiam ſufficientem, à ſolo defectu alicuius conditionis, ſic ignis Cæſar-Auguſtæ, impoſſibile eſt quod comburat lignum Matriti exiſtens; non quidem ex defectu virtutis plenæ (quæ tota ſalvatur in igne & calore) nec ex defectu materiæ, quæ ſufficienter ſalvatur in ligno. Solùm ergo eſt impoſſibilis ex defectu conditionis, ideſt applicationis ignis ad lignum, vel applicationis ligni ad ignem. Sed quia prædicta exempla videntur probare defectum requiſitorum phyſicorum, quæ ſi deficerent potentiæ liberæ, impoſſibilem redderent phyſicè operationem ex defectu intrinſeco; ideò alia impoſſibilitas extrinſeca attendenda eſt hic, diverſa à prædictis, quæ ſit impoſſibilitas, & tamen libertatem non lædat.

Nota ergo quod ſicut impoſſibilitas operationis non probat defectum potentiæ phyſicæ ſtrictæ, & ex parte ſua expeditæ, quia benè poteſt ſine vllo iſtius detrimento operatio ex aliquo accidenti impoſſibilitari, ſic nec determinatio operationis cum impoſſibilitate omiſſionis probabit defectum potentiæ liberæ ſtrictæ, & ex parte ſua in linea ſua & comprincipiorum expeditæ, quia ex alio capite proveniret impoſſibitas. Vndè etiam ſi à decreto cōprincipiorum applicativo, patiatur operatio talem extrinſecam determinationem, vt ſic impoſſibilis eius omiſſio; quia tamen impoſſibilitas iſta non à potentia, vt præventa comprincipijs indifferentibus, & in ſua indifferentia immutatis provenit, ſed ab aliquo alio extrinſeco & remotè ſe habente, in nullo læditur potentiæ libertas; cum potentia veſtita omni comprincipio & requiſito immediato & proximo totam ſuam indifferentiam & expeditionem conſervet. Libertas enim in actu primo & ſecundo non penes omnem expeditionem proximam & remotam ſumitur, ſed penes proximam comprincipiorum ſolum, & non penes providentiam applicativam eorum mediatè & remotè ſe habentem. Alias non ſolæ prædefinitiones libertatem lęderent, ſed etiam complexum prædictum ex ſcientia media & decreto dandi auxilia in tali occaſione.

Ex quibus patet, non eſſe bonum argumentum (licèt ſit multum vſitatum) quod ſine examine ideſt *à vulto*, ſumitur ex illo principio: ***Ad impoſſibile non datur potentia.*** Etenim potentia dupliciter ſumitur. Primo pro Poſſe ſtricto phyſico & ſe tenente ex parte potentiæ ſive actus primi immediati. Vel ſumitur pro toto Poſſe vulgari, ideſt, pro plena expeditione, tàm in actu primo, quàm in actu ſecundo à conditionibus, etiam & requiſitis. Si Poſſe ſumatur primo modo, falſum eſt non dari potentiam ad impoſſibile, ſumpto impoſſibili, pro impoſſibilitato ab extrinſeco & circunſtantijs. In igne enim datur potentia pro combuſtione ignis abſentis, quæ tamen eſt vulgariter, & in actu ſecundo impoſſibilis ei. Si autem potentia ſumatur ſecundo modo & vulgariter pro expedita plenè, non datur potentia (ideſt vulgaris) ad impoſſibile, etiam ab extrinſeco tale.

Hinc reſpondetur ad argumentum poſſitum ſupra diſtinguendo antecedens: poſſitis illis decretis eſt impoſſibilis non converſio, diſtingo: impoſſibilitate intrinſeca ſua, vel impoſſibilitate proveniente ei à potentia, vel à comprincipijs immediatis in actu primo, nego. Impoſſibilitate vulgari & ab aliquo extrinſeco, vel conſequenti, vel ſaltim non ſe tenenti ex parte principiorum immediatorum, concedo antecedens, & nego conſequētiam; non enim operatio vt libera ſit, eſt comparanda, niſi cum comprincipijs immediatis, ita vt poſſitis illis detur in voluntate Poſſe immediatum ex parte actus primi ad operari, vel non operari.

Pro quo vlteriùs nota, præter impoſſibilitatem, de qua communiter dicitur non tollere libertatem, nempè impoſſibilitatem conſequentem, eſſe dabilem aliam non tollentem libertatem; licèt ſit aliqualitèr antecedens, ſive ***antecedens cum addito***, & remotè ſe habens ad operationem; nempè quando impoſſibilitas, ſive determinatio ad vnum, nec eſt principium, nec ſe tenens ex parte principiorum, ſed ſe tenens ex parte extrinſecæ applicationis talium principiorum, quæ applicatio extrinſeca & effectiva, licèt talis ſit, quod antecedat etiam ipſa principia, ſi tamen non immutet ea in linea operativa, ſed relinquat ea in ſua totali indifferentia, non tollit libertatem, quia iuxta dicta in tomo de Incarnat. loco in Indice, verbo ***Prædefinitio*** citato, libertas ſolum eſt menſuranda penes immediata principia, & requiſita non immutata, pro operatione.

Explico exemplo in Theologia ſatis recepto. Ens naturale eſt illud pro quo producendo ſunt principia, & vires ſufficientes in natura, & iſta ad illud eſt ex ſuis verè potens, & non impotens; ſicut eſt impotens ad ſuperna. Si er-

go

Digitized by Google

go obijcias quod propoſitio entitativè probabilis de exiſtentia Trinitatis & Incarnationis in Hæretico, erit ſuperna. Item motus localis Petri poſiti Romæ, & Cæſar-Auguſtæ, ſi moveatur intra eaſdem Vrbes de vno loco ad alium, etiam erit ſupernus, quod incredibile eſt. Probatur, quia nec natura ſe ſola poteſt illum aſſenſum præſtare de Trinitate apud omnes cordatos, niſi præceſſiſſet divina & ſuperna revelatio de illa. Nec Petrus illos motus locales, niſi præceſſiſſet eius ſuperna poſitio in duobus locis: ergo erunt quid ſupernum, cum non potuerint poni à natura ex ſolis viribus ſuis. Nihilominus id negatur communiter. Nego ergo aſſumptum. Ad probat. reſpondetur diſtinguendo; non poſſet natura ex ſuis ponere illas operationes, ſine prædictis requiſitis ſupernis tanquam præparatorijs remotis, concedo; tanquam proximis & immediatis, nego.

Igitur ad naturalitatẽ operationum ſufficit quod vires proximæ & immediatæ, ſive poſſe immediatum ad illas, ſit quid naturale. Quidquid ſit de remoto & præparativo, ſive præſuppoſito (dummodo non præſupponatur ex eſſentiali exigentia ipſius operationis.) Sic omnia naturalia ſunt naturalia, quia immediatè à Deo Auctore naturæ, non obſtante quod Deus vt Auctor naturæ ſit phyſicè & identicè Trinus & Auctor ſupernus. Nec iſtius ſupernaturalitas præſuppoſita, lędit mundi naturalitatem. Eodem modo diximus quæſt. 1. de Attributis agendo de natura Theologię, quod licèt concluſio Theologica requirat præſupponi præmiſſas ſupernas, eſt concluſio naturalis, quia præmiſſas ſupponit de per ſe vt repræſentativas, vt ſupernas autem quaſi remotè materialiter & de per accidens. Illis autem præſuppoſitis, naturalis vis intellectus eſt, quæ immediatè concluſionem elicit ex illis. Non ergo impotentia remota, & præcipuè quaſi extrinſeca, curanda eſt pro naturalitate, ſed potentia immediata & proxima.

Sic voluntas noſtra liberè operatur converſionem ex comprincipijs indifferentibus in actu primo, ſibi à Deo datis & applicatis actu applicativo mediatè & remotè ſe habente, licèt applicata ſint per decretum præſuppoſitivè & remotè efficax & determinatum ad vnum, cum impoſſibilitate extrinſeca ad oppoſitum. Etenim libertas penſanda eſt à comprincipijs immediatis prout applicatis præciſè à Deo; quod autem applicatio ſit determinatè ad vnum, remotè & materialiter ſe habet.

Si replices contra dicta. Deus impoſſibilia non iubet. Atqui ſæpè iubet actum oppoſitum præviſſo vel prædeterminato: ergo. Reſpondetur diſtinguendo maiorem: non iubet impoſſibilia, ideſt quæ ſint impoſſibilia viribus noſtris, atque comprincipijs immediatis, ſive impoſſibilia noſtro Poſſe & facultati (cui ſoli attendendum eſt) concedo; impoſſibilia, attentis alijs extrinſecis & ſe habentibus remotè, vel conſequenter, & quaſi materialiter, nego. Imputabilitas autem ſolis prioribus attendit. Ex quibus ſequitur, ex eo quod poſito auxilio efficaci ad vnum actum, fiat impoſſibilis oppoſitus, non propterea eo ipſo ſequi quod ſublata ſit libertas, dummodo maneat indifferentia ex parte comprincipiorum immediatorum in actu primo modo ſupra explicato. ¶ Hucuſq; ibi dicta. Cui impoſſibilitati à remotis extrinſecis non tolenti libertatem, quia non facit potentiam proximam, adde nec impoſſibilitatem à remotis intrinſecis & non immutantibus, lędere libertatem ob eandem rationem.

ARTICVLVS IV. ET §. I.

NOSTRA SENTENTIA DE POSSE PECCARE mixto in Chriſto: Vbi plura de libertate vt ſic.

1803 SVPPONO in Chriſto vt homine fuiſſe potentiam formalẽ remotam & intrinſecam, atque innatam peccandi, ex num. 1690. quia hæc eſt ipſa eſſentia voluntatis creatę ex cõceptu ſuo labilis, & defectibilis à bono, nec ob id Chriſtus deſinit eſſe ab intrinſeco impeccabilis, ſive ab intrinſeco impotens peccare. Aſſero 1. Chriſto vt homini, fuit impoſſibile ſimpliciter & abſolutè peccatum ex parte actus in individuo & exercitè, quæ repugnantia eſt intrinſeca, licèt adventitia, ſed eſt ſumpta à remotis. Nã vnio ad Verbũ nihil conducit pro vi operativa, & inſuper nec immutat eam vim operativam, pluſquã ſi ibi non eſſet. Cura autem Verbi ſpecialis etiam vniti cum ſit de ſola linea Curæ & manutentionis, ſolum præſtat, vt non permittatur prorumpere exercitè in peccatum ex parte actus, quin immutet quoad proxima vim potentiæ, & comprincipiorum elicitivè operativam ex parte potentiæ.

1804 Aſſero 2. in Chriſto fuit potentia proxima mixta peccandi, & tranſgrediendi præceptum: mixta (ideſt compoſita ex Poſſe proximo, & ex impoſſibilitate intrinſeca alterius lineæ, ideſt ab vnione, & ſic illa eſt, non vndequaq; expedita ab intrinſeco (in quo differt à confirmatis in gratia, quæ eſt ab extrinſeco vel alia via à Deo manutentis,) ſufficit autem hoc modo poſſe tranſgredi, ad perfectam & plenam libertatem obediendi poſito præcepto, & in ſenſu compoſito illius. Probatur aſſertio. Quia obedire vt ſit liberum, ita vt poſſibile ſit non obedire, ſolum eſt comparandum cum comprincipijs proximis, & non curandum de impoſſibilitate à remotis; atqui ſic poterat Chriſtus acceptare mortem præceptam, vel reſpuere, quia propoſita eſt per iudicium indifferens. Ergo acceptare fuit ſtrictè, & in rigore liberum.

1805 Hinc probatur dari tale Poſſe proximum. Tum quia in Chriſto circa rem præceptam, non eſt attendenda ſola ſanctitas (iſta enim ſola excludere deberet omnem peccabilitatis ſaporem), ſed etiam libertas, quæ ſine Poſſe proximo ad omittendam rem præceptam, ægrè ſalvatur. Tum quia Poſſe proximum cum conſiſtat in volũtate cum concurſu, & iudicio indifferenti, & iſta ſint valdè compatibilia abſque vlla indecentia, cum magna ſanctitate, vt patet in Beata Virgine, etiam Poſſe proximum erit compatibile. Tum quia etiam ſunt compatibilia cum ſanctitate ex natura rei perpetua, & indeſtructibili, ſi tale Poſſe proximum ex alio capite non immutante modum operandi, ſit irreducibile ad actum peccati, quia ſolus iſte eſt, qui illam deſtruit. Ergo eſt admittendum Poſſe proximum.

1806 Obijcies 1. Ad operandum libere, non requiritur poteſtas peccandi, vt patet in Deo libere operante. Ergo ſine neceſſitate ponitur in Chriſto. Diſtingo antecedens. Vbi non adeſt præceptum, non requiritur poteſtas peccandi, concedo, & ſic eſt in Deo, & in alijs operibus ſupererogationis. Vbi adeſt, nego anteced. Nec dicas 1. inde ſequi in Chriſto, non ſolum fuiſſe reſpectu rei præceptæ libertatem contradictionis, ſed etiam contrarietatis. Reſpondetur diſtinguendo, & nego conſequentiam de ſtricta, quia libertas contrarietatis ſtrictè ſonat potentiam proximam puram obediendi & tranſgrediendi, vndequaque ab intrinſeco expeditam; & non mixtam concommitanter ex impotentia intrinſeca tranſgrediendi, licèt ſumptam à remotis.

1807 Obijcies 2. ergo Chriſtus licèt eſſet impeccans, non eſſet impeccabilis abſolutè (ſicut nec Beata Virgo) quod eſt contra Patres. Nego cõſequentiã, quia cum eſſet impeccabilis ab vnione quandibet operationem liberam præcedenti, eo ipſo erat impeccabilis à remotis intrinſecè: ſolum autem erat peccativus cum addito, nempè comparativè ad Poſſe proximum ſecundum ſe, & ob id benedicetur impotens peccare ab intrinſeco abſolutè, & hæc locutio non recuſanda.

1808 Nec dicas 2. ex num. 1770. hic, incredibile eſſe quod ei detur à Patre concurſus indifferens ad peccandum (imò nec iudicium indifferens). Diſtingo: concurſus ad peccãdum, prout iſtud importat poſſibilitatem expeditam

tam ex parte actus, concedo. Ex parte potentiæ, nego. Iudicium autem indifferens, ideſt non rapiens, negari Chriſto non poteſt; aliàs nil fuiſſet libere operatus. Sed vide intra art. 5. Queſt. huius.

1809 Obijcies 3. Si tale Poſſe, eſt ab intrinſeco Vnionis irreducibile ad actum, impoſsibilis eſt ab intrinſeco tranſgreſsio: ergo non eſt libera præcepti obeditio. Diſtingo antecedens: impoſsibilis comparativè ad Poſſe proximum in linea operativa ſumptum, nego. Comparativè ad remotum (de quo non curandum,) concedo antecedens, & nego conſequentiam. Replicas: ad impoſsibile non datur potentia, ergo. Confirmatur, quia omnis ſuppoſitio antecedens impoſsibilitativa (qualis eſt vnio) tollit libertatem, ac per conſequens, & tollit Poſſe proximum.

§. II.

SOLVITVR HÆC REPLICA, ET ALIA.

1810 RESPONDETVR ex dictis à nu. 287. de ſcientia Dei: ***Ad impoſsibile non datur potentia***, non dari ad impoſsibile logicè, ſecus ſi eſſendo poſsibile logicè, ſit impoſsibile adventitiè, qualis eſt tranſgreſsio præcepti. Sed quia ſermo hic debet eſſe de potentia proxima, & non de remota, reſpondetur aliter: ad impoſsibile non datur potentia proxima, diſtingo: proxima vndequaque, & ex omi Capite expedita (tàm ex Capite de linea operándi, quàm de concomitanti,) concedo, quia cum impoſsibilitate actus à remotis, non compatitur virtus & Potentia vndequaque expedita. Non datur proxima ex Capite operativo expedita, alijs non curatis, nego. Ad confirmationem reſpondetur, negando eſſe abſolutè ſuppoſitionem antecedentem, illam quæ ſumitur ab vnione (dato quod iſta præcedat). Quia hic non attenditur ad præcedentias naturales temporis, nec ad remotas, aut mediatas naturæ, ſed ſolum ad proximas & immediatas, & quæ ſint purè de linea operativa, vel de modi operandi immutativa. Neutrum autem reperitur in impoſsibilitate reſultante ab vnione, ſicut nec à prædiffinitione.

1811 Obijcies 4. Vnio pertinet proximè ad lineam operativam, & immutat comprincipia: ergo tollitur libertas. Antecens probatur. Repugnat, à Deo humanitati vnitæ præparari concurſum & iudicium indifferentes, ergo. Antecedens probatur, quia ad impoſsibile ab intrinſeco, qualis eſt granſgreſsio, non poſſunt à Deo præparari. Confirmatur, quia repugnat proxima potentia peccandi (etiam ſi ſit à remotis impedita) cum tanta ſanctitate; ſi enim quo ſanctitas maior eſt, eo magis pugnat cum ſaporibus de linea peccativa: ergo cum Chriſti vt hominis ſanctitas ſit ſumma ratione Vnionis, nó ſolum erit incompatibilis cum peccato, ſed etiam cum Poſſe proximo ad illud, licèt mixto.

1812 Reſpondetur ad argum. negando antecedens. Ad probat. reſpondetur, concurſum non præparari à Deo ad impoſsibile ſi ſit tale logicè, benè vero ſi impoſsibile ſolum ſit tale adventitiè (ſive extrinſecè à prędefinitione, ſive intrinſecè ab vnione) dummodo ſit à remotis, quia adhuc permanet ſignatè, & quoad ſpeciem poſsiſibile, ſicut etiã apud Thomiſtas impœnitentia poſt pœnitentiã intrinſecè prædeterminatam. Ad confirmat. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: quo ſanctitas maior eſt, magis pugnat, non ſolum cum peccato, ſed etiam cum ſaporibus & linea peccativa, & potentia proxima. Diſtingo; ſi ſanctitas illa ſit creaturæ ex ſe labilis, & cum præcepto obligante, & ſit libera, nego, quia talis libertas repugnat dari ſine potentia peccativa, ſaltim mixta. Nec tale Poſſe dedecet ſanctitatem & munditiem intrinſecam. Si non debeat eſſe libera, aut non circa rem præceptam, concedo antecedens, & nego conſequentiam.

1813 Obijcies 5. omnis ompoſsibilitas etiam à remotis, ſi ſit inevitabilis ab agente creato, tollit libertatem, & propterea apud Recentiores eam tollit prædeterminatio phyſica: Atqui impoſsibilitas non obediendi præcepto, proveniens à remotis, ſcilicèt ab vnione hypoſtatica, eſt impoſsibilitas inevitabilis ab humanitate, ſiquidem quod vniretur vel non vniretur, non fuit pendens à voluntate humanitatis. Ergo tollit libertatem. Maior patet, quia ſi prædefinitio non tollit libertatem, ideò eſt, quia vitari & impediri potuit à voluntate creata: ſi enim ipſa non fuiſſet prævíſa per ſcientiam mediam, conditionatè operans Deus non poſſuiſſet præ definitionem. Reſpondetur negando maiorem, quia ſola inevitabilitas à remotis non tollit libertatem, ſi conſervetur Poſſe proximum indifferens ex ſe ad vtrumlibet, perſeveretque immotatum, ſicque perſeverat poſt prædefinitionem, ſecus poſt prædeterminationem.

1814 Ad probationem nego illam cauſalem quod enim prædefinitio non tollat libertatem, provenit ab eo quod non immutet comprincipia, non autem ab eo quod poſsit vitari à creatura. Patet, quia providentiæ divinæ benefactivæ vel permiſsivæ ſeries, omninò eſt à ſolo Deo, & inevitabilis à creatura, eſtque antecedens omnem auxiliorum diſpoſitionem, & illis poſsitis impoſsibile eſt oppoſitum; nec ob id læditur libertas. Si dicas in ſtatu abſoluto eſſe inevitabile, ſecus in conditionato, vbi voluntas poterat facere quod non fuiſſet; & à conditionato, tanquam à conditione incipit quod D. Petrus, v.g. convertatur. Reſpondetur negando aſſumptum, quia quoad culpam creaturæ, datur aliquid ſpeciale pertinens ad imputabile illi, quod tamen omnino fuit ei inevitabile; ita vt nec in ſtatu conditionato incæperit ab illa.

1815 Pro quo nota, Iudæ v.g. non tantum imputandum, quod non fuerit cóverſus, ſed quod arripuerit non cóverti prę cóverti, hæc autẽ pręelectio vt talis, tota eſt originativè à ſolo Dei dominio, tanquam à pręiaciente primordiatẽ diſcretionẽ: in ſtatu enim conditionato, omninò omninò fuerunt æquales, vel eſſe potuerunt Petrus (vel alius Sanctus) & Iudas. Sicut enim Petrus obtulit divino intuitui, quod per viginti auxilia convertetur, & per alia viginti non convertetur, ita & Iudas obtulit, quod per viginti non convertetur, ſed per alia viginti convertetur: ergo potuerunt ſe offerre oculis Dei, vt in illo ſtatu omninò omninò ęquales. Nil ergo differentiationis, nec ſapor illus erat ibi inter eos; ergo ſi Deus Iudæ elegit pro libito ſuo purè auxilium quod vidit eſſe non converſionis & non auxilium cóverſionis, & hæc electio fuit omninò inevitabilis, diſcretio Iudæ à Petro, & diſcretio Iudę inconverſi, à Iuda converſo omninò omninò inevitabiliter incepit à Deo, & non à Iuda: ergo in hoc non eſt diſparitas à prædeterminatione, & ſic inevitabilitas vnionis non tollit Poſſe liberum mixtum ad peccatum poſsibile ſignatè.

§. III.

QVOMODO PRO POSSE PROXIMO MIXTO, SINT *cõprincipia diſponenda. Vbi aiVertentia valdè notanda pro ſenſu compoſito & diviſo.*

1816 THEOLOGI cómuniter diſtinguunt inter libertatem pro opere præcepto & libertatem pro opere non præcepto; cum de iſto eſſet in Chriſti manu facere, vel omittere abſque vlla incomparibilitate cum ipſius impeccabilitate. De iſta ſecunda libertate plures parum, vel nihil curant. Sed ſuppoſita viſione beata, & alijs attinentibus ad perfectionem moralem & concordiam voluntatis humanæ Chriſti cum divina, quantum ſit de ea examinanda curandum, conſtabit articulo ſequenti. Modo ſolum loquimur de prima libertate, & primo Poſſe vt componibili cum impeccabilitate ſumpta ab vnione.

1817 Dicimus ergo. Quod Poſſe proximum ſtabiliendum eſt comparativè ad humanitatem, quia cum ipſa ſit [illegible] conſtituenda eſt proximè ad operandum, de ipſa ſecun-

238

cundum ſe curandum eſt,& non de ipſa vt vnita,quia hoc vt ſæpè dictū eſt,ſe habet à remotis & alterius lineæ.Igitur voluntas Chriſti vt libera,& meritiva circa opus præceptū, (ſuppoſita impoſsibilitate tranſgrediendi ex parte actus,proveniēte ab vnione)conſtituēda eſt præventa non ſolum comprincipijs operativis ſupernis,ſed etiam præparata ex parte potentiæ concurſu Omnipotentiæ indifferenti in actu primo & intimatione præcepti,& ſimul iudicio indifferenti de obligatione & honeſtate obediendi, ita vt in ſenſu compoſito iſtorum omnium eſſet potens (quantum eſt attenta natura ſive humanitate,non curando de remotis) tranſgredi ex parte potentiæ, licèt eſſet impoſsibile ei ex parte actus. Stat autem hæc indifferentia iudicij , in eo quod tale iudicium proponat honeſtatem obediendi allicientem , & ſimul difficultatem retrahentem , vel ſaltim proponat honeſtatem & bonitatem obediendi;ſed non ita convincentèr & fortiter, vt rapiat voluntatem ductu rapido , & neceſsitante ad obediendum. Per iſta ſic diſpoſita , manet conſtituta linea allectiva & operativa ex parte potentiæ,indifferens intra limites operativæ. Vndè alia impedimenta intrinſeca procedendi exercitè & in individuo , ad tranſgreſsionem poſsibilem voluntati ex parte naturæ & potentiæ , provenientia ab obſtaculo intrinſeco remoto & ſenſu compoſito vnionis, non curanda, ſiquidem non immutant lineam operativam, cum ſint obſtacula à remotis & à rebus alterius lineæ.

1818 Potentia ergo proxima, & comprincipijs ſic diſpoſitis, eſt notandum primo, in omni Scola neceſſario requiri, diſtinctionem illam ſenſus compoſiti & diviſi , quæ licèt apud Thomiſtas ſit frequentior ; ab alijs etiam dicitur, & à nobis ſæpè , quod repugnat omiſsio actus à Deo prædefiniti in ſenſu compoſito prædefinitionis , quia talis omiſsio eſſet fruſtratio decreti; ſufficit autem ad libertatem quod in ſenſu diviſo prædefinitionis,(ideſt,iſta relegata) eſſet poſsibilis. Cur ergo hæc doctrina non admittitur in præcepto de morte Chriſti , & in alijs ſimilibus, ita vt omiſsio mortis in ſenſu compoſito ſit impoſsibilis quia eſſet tranſgreſsio , & in ſenſu diviſo ſit poſsibilis, & quod hoc ſufficiat ad libertatem? Pro reſponſione.

1819 Nota 2. diſtinctionem illam ſæpè inculcatam de impoſsibilitate in ſenſu compoſito operis, ſi compoſitio ſit ſolum cum remotis,vel ſi cum proximis operativis. Igitur cum tota operis libertas ſit penſanda penes vtrumlibet extremum diviſivè factibile, comparativè tamen ad Poſſe proximum,non curando de remotis.Ideò duplex eſt ſenſus compoſitus diſtinguendus operis liberi. Vnus compoſitus cum comprincipijs proximis, alter cum remotis. Libertas ergo ſtat in eo , quod operari componi poſsit cum toto Poſſe proximo in actu primo. Item non operari componi poſsit cum eodem todo Poſſe proximo in actu primo. Et quodlibet diviſivè,vt libere fiat, debet Poſſe coniungi, & facere ſenſum compoſitum cum eodem toto Poſſe. Si autem vnum componatur cum toto Poſſe , & aliud non cum toto,ſed cum eo,dempto aliquo comprincipio, illa operatio vel omiſsio non eſt libera , nam eſſentia libertatis petit quod poſsit operari,& poſsit non operari poſsitis omnibus requiſitis ſive comprincipijs operativis.Ita vt quodlibet extremum evinire poſsit in ſenſu compoſito ſui cum omnibus comprincipijs proximis.

1820 Vt ergo Chriſtus poſsito præcepto libere acceptaret mortem,ſi requiritur,ad Poſſe non acceptare, quod auferatur præceptum ; iſte ſenſus diviſus eſſet contra libertatis eſſentiam , ſecus ſi in ſenſu compoſito prædefinitionis aut vnionis poſſet acceptare; ommittere autem non poſſet,niſi in ſenſu diviſo ab illis : quia de iſtis non curatur ; ſiquidem nec iſtorum ſenſus compoſitus nec ſenſus diviſus immutavit modum operandi,nec alteravit aliquid de linea de Poſſe , penes quod ſolum tota libertas penſatur.

1821 Hinc impoſsibilitas ex parte operis in ſenſu compoſito cū aliquo tertio,etiā eſt duplex. Ea quę eſt cū actu 1. proximo (de remoto nō curamus)datur,quādo potentia & cōprincipia proxima ſunt ligata,vel impedita,vel mutata, vel diminuta, & truncata in linea operativa,vt v.g.ſi quādo Petrus eſt ambulaturus , pedes eius compedibus detineantur ; vel ſi voluntati libere operaturæ denegetur ei concurſus Omnipontiæ ad oppoſitum;vel ſi dum eſt præventa iudicio indifferenti , indifferentia hæc obſcuretur per iudicium determinatum. Et idem quoties aliquid addatur, cuius poſitio & ſenſus compoſitus faciat mutationem in comprincipijs operativis in actu primo proximo.

1822 Hinc arguimus contra Thomiſtas & Suarez,quorum ſententias impugnavimus ſupra à num.1765.Quęvis impoſsibilitas à comprincipijs operativis in actu primo ſumptis in linea operativa , ſive quivis ſenſus compoſitus cum principio operativo,cum quo ſit incompoſsibilis non operatio , eſt impotentia antecedens & tollit libertatem, quia lædit Poſſe proximum,ſive ligando,ſive diminuendo. Atqui præceptum ſe tenet ex parte principij in actu primo iuxta D.Thomam & omnes,computantes legem inter comprincipia humanorum actuum (in quo differt à prædefinitione & alijs remotis,non computandis inter principia ſed extra , & inter quaſi concommitantia alterius lineæ:) ergo ſi apud vos cum præcepto & ſenſu compoſito ipſius,ſit incompoſsibilis omiſsio actus præcepti,præceptum omninò ligat & tollit libertatem. Ex dictis ſequitur Poſſe in ſenſu diviſo omittere,cum in ſenſu compoſito nō poſsit,tunc ſolum libertatem tollere,quando ſenſus cōpoſitus refunditur in comprincipia proxima ſive de linea,ſecus quando in alia remota & alterius lineæ, vt ſunt prædefinitio & vnio.Hęc contra Thomiſtas valdè vrgent.Non æquè contra Patrem Suarem,ſi ipſe explicaret quomodo præceptum non immutet,nec impoſsibilitet Nos ideò ſentimus non immutare , quia comparativè ad humanitàtem ſecundum ſe, adhuc eſt naturæ poſsibilis tranſgreſsio ex parte potentiæ,& comparativè ad Poſſe cum præcepto.

§. IV.

ARGVMENTVM COMMVNE DIFFICILE ſolvitur.

1823 OBICIES : ſicut eſt impoſsibilis fruſtratio decreti , ita eſt impoſsibilis tranſgreſsio præcepti. Atqui ad fruſtrationem non datur Poſſe in nobis. Ergo nec in Chriſto Poſſe ad tranſgreſsionem.Confirmatur: tranſgreſsio ſi poneretur,eo ipſo eſſet compoſitio ſui cum vnione (vel vnionis deſtructio quod æquè repugnat de facto). Atqui in Chriſto non datur Poſſe ad compoſitionem : ergo nec datur Poſſe ad tranſgreſsionem. Hæc confirmatio eſt ſimilis illi:ſi Petrus omitteret actum prædefinitum,fruſtraret decretum. Atqui non eſt in eo Poſſe ad fruſtrandum.Ergo nec Poſſe ad omittendum.

1824 Hoc argumentum ab omnibus ſolvendum , licèt alijs facilè , mihi ita viſum eſt nodoſum & irretitum , vt nuſquam per multos annos invenire potuerim terminos faciles , & mihi ſufficientes pro eius clara ſolutione. Vtinam qui nunc occurrunt aptiores ſint. Nota ergo primo, dari aliquas denominationes complexas,& ex duplici parte conflatas,quarum duplex pars,licèt ex ſe ſint inconnexę,& dum coniunguntur,ſolum coniungantur concommittanter , nihilominus ob ſeriem extraneam rerum , dum ponitur vna,alia ſimul ponitur in rerum natura;nō vtraq; ab vna cauſa , ſed à duplici inconnexa , ita vt vel ab vtraque ſua pars ponatur productivè,vel ab vna productivè ſua, & ab alia reſultativè, ſua. Explico: commune eſt apud Theologos,quod Deus dum Angelos producebat,ſimul erat condens naturam & largiens gratiam. Sed non eadem manu & eodem Poſſe , nam manu naturali condebat naturam,manu vero ſuperna largiebatur gratiam.Vndè argui poteſt ſic: ſi producatur natura , eo ipſo iuxta hanc

Digitized by Google

har ic legem, ponitur ſancta. Atqui in manu naturæ non erat facere eam ſanctam (quia id erat à manu ſuperna.) Ergo nec facere naturam? Falſa eſt conſequentia. Idem de peccato originali. Non potuit gigni Iacob ab Iſaac, niſi gigneretur cum peccato originali. Atqui peccatum originale non provenit Iacob ab Iſaac, ſed ab Adamo (ſolus enim Adam eſt maculator omnium deſcendentium). Ergo nec natura provenit ei ab Iſaac? Falſa conſequentia. Idem patet in iſto exemplo: Nequit Petrus ambulare ad Miſſam meridie per forum, quin ſi ibi adſit populus, ambulatio ſit viſa: Atqui ipſe nequit eam facere viſam, quia eſt actus immanens aliorum. Ergo nequit facere deambulationem? Falſa conſequentia.

1825 Ratio eſt, quia inter illa, quæ ſe habent purè concomittanter & contingenter, & à diverſis vulvis, Poſſe ad vnū, nō debet eſſe Poſſe ad aliud, ſiquidē iſtud aliud nō eſt pendendum ab illo. Vndè licèt poſsito vno neceſsè eſt ponatur aliud, ſed nō neceſsitate intrinſeca ſed extrinſeca, & adventitia, & ab alijs cauſis cōtingētibus; vt qui naſcitur in Etiopia, neceſsè eſt naſcatur niger à radijs ſolis contingētibus. Idē ergo eſt de omiſsione fruſtrante decretum. Cum enim omiſsioni ſit concōmitās, & contingētiſsima ratio fruſtrationis ex poſitione decreti cōverſionis, valdè contingenti & remotiſsimè ſe habēre ad omiſsionē iſtius, & ſit omninò præter intentionē omiſsionis & omittentis, indè eſt, quod non valeat illatio de impoſsibili fruſtrare ad impoſsibile omittere. Inſuper ſi omiſsio eſſet fruſtratio, id nō cōpeteret omiſsioni ſecundū ſe, nec ex ſua ſpecie, etiā logicè individuata, nec ex ſuo principio, ſed competeret ei in individuo phyſico & exercitè, & ex ſeriè extranea & contingentiſsima aliarum cauſarum, & ſic non valet argumentum de *quoad individuum*, ad *quoad ſpeciem*.

1826 Aliæ autem ſunt denominationes conflatæ etiam ex duplici parte, quarum tamen vna ſit connexa cum alia, & ſicut vna eſt de intentione ſuæ cauſæ, ita etiam alia, & ſic vtraque procedet ab eodem Poſſe & vulva. Sicut productio caloris in ligno, eſt de calore vt ex ſe expulſivo frigoris, quia de per ſe ſunt concatenatæ introductio vnius, & expulſio contrarij. Sic in D.Petro productio converſionis prædefinitæ, eſt de per ſe expulſiva omiſsionis, & poſitio omiſsionis etiam eſſet per ſe expulſiva converſionis propter innatam contrarietatem & connexionem vnius formæ & carentiæ contrariæ. Converſionis inquam ſecundum ſe, non vero ex ſe expulſiva converſionis vt prædefinitæ, quia ad hoc non ſe extēdit eius Poſſe. Hæc autem connexio, poſsito præcepto de morte, etiam eſſet inter omiſsionem moriendi & tranſgreſsionem, ſumptas ſecundum ſe & ſignatè, ſiquidem licèt trangreſsio non ſit de intentione phyſica omiſsionis mortis ſecundum ſe, eſt tamen ſuppoſito præcepto, de intentione & connexione interpretativa & morali omittentis, & ſic ob iſtam concatenationem, ab eadem vulva à qua proceſſura eſſet omiſsio quoad ſpeciem, etiam eſſet proceſſura tranſgreſsio quoad ſpeciem; quia vtraque ſe habet à proximis.

1827 Reſpondetur ergo ad argumentum factum: ſicut eſt impoſsibilis fruſtratio, ita & in Chriſto tranſgreſsio. In primis poteſt negari ly *ſicut* ob ſtatim dicenda. Secundo poteſt diſtingui: ſicut eſt impoſsibilis fruſtratio, ita & trāſgreſsio, impoſsibilitate cadente ſuper eas vt exercitè, & in individuo poſsibiles, cōcedo; (quia in re, & in individuo neutra eſt poſsibilis) impoſsibilitate quoad ſpeciem, nego, quia tranſgreſsio eſt poſsibilis quoad ſpeciem comparativè ad cauſas proximas, & ſolum eſt impoſsibilis attentis remotis & concommittantibus. At fruſtratio eſt impoſsibilis etiam quoad ſpeciem, & quoad quodcunque Poſſe creaturæ. Concedo inſuper minorem, & nego conſequentiam, ob diſparitatem datam. Et quia ſi per poſsibile vel impoſsibile poneretur tranſgreſsio, poneretur à Poſſe humanitatis. At fruſtratio non poneretur à noſtro Poſſe, ſed reſultative à cauſis extraneis, & præter intētionem noſtri Poſſe.

1828 Ad confirmationem reſpondetur, ſi daretur in Chriſto tranſgreſsio, eſſet eo ipſo compoſitio peccati cum vnione. Tranſgreſsio ſumpta quoad ſpeciem, ſignatè & ex ſe nego, quia ex ſe intrinſecè ſolum eſt reſpectiva ad humanitatem ſecundum ſe, & cum comprincipijs proximis & præcepto. Tranſgreſsio ſumpta in individuo, veſtita, & contingenter committata alijs ſibi extraneis impertinentibus adventitijs ex alia vulva & cauſa, atque remotis, concedo maiorē & minorē, nēpè in humanitate non dari Poſſe ad compoſitionem cum vnione, licèt detur ad tranſgreſsionem, quia illa compoſitio non eſt de Poſſe proximo tranſgrediēdi, ſed de præſuppoſitione vnionis extranea, remota & intrinſecè, committanter ſolū ſe habente). Nego autem conſequētiam. Ex his patet ad illud de fruſtratione. Omiſsio enim eſſet fruſtratio, nō ex proprijs omiſsionis, ſed ex alia comparte extranea contingenter adventitia à remotis. Et ſic, vt verè detur Poſſe in propria vulva ad omiſsionem, non eſt neceſsè quod detur ad fruſtrationem, quia pro iſta comparte iam datur altera vulva diſtincta à qua reſultet, nempè prædefinitio præſuppoſita converſionis omninò remota, & impertinens ad omiſsionem iſtius.

1829 Vnde ſi replices. Chriſtus eſſendo Chriſtus, fuit proximè potens ad peccatum? Ergo eſſendo Chriſtus poterat ſimul eſſe peccator. Reſpondetur conceſſo antecedenti, (quod quidem ſolum ſonat ſimultatem potentiæ, non autem potentiam ſimultatis peccati & Chriſti) nego cōſequentiā, quia hęc loquitur de potētia ſimultatis. Licèt enim Chriſtus haberet Poſſe proximū ad peccatū, erat ad illud, vt poſsibile in ſenſu diviſo ab vnione, & non in ſenſu compoſito cum vnione, quia poſsibilitas illa debet poſſe facere ſenſum compoſitum cum comprincipijs proximis, non vero cum remotis.

ART. V. ET §. I.

QVOMODO COHÆREAT CVM VISIONE BEATA *libertas in Chriſto quoad præcepta, & quoad Conſilia.*

1830 IN præcedenti articulo compoſuimus libertatem Chriſti in rebus præceptis cum impoſsibilitate tranſgrediendi exercitè præceptum, proveniente ab vnione hypoſtatica. Modo reſtat alia difficultas, quomodo cohæreat cum impoſsibilitate proveniente à viſione beata? Si enim Chriſtus per eam videbat in omnibus rebus decretum Patris à ſe infruſtrabile, & voluntatem Patris, cui impoſsibile erat illi contravenire. Tum propter perfectionem moralem obligantem Chriſtum ad non contraveniendum Conſilijs, nec voluntati paternę. Tum quia ab amore beatifico totis viribus, & ſummè rapiebatur in deſiderium efficax ei in omnibus placandi. Ergo impoſsibile illi erat velle, niſi quod videbat Patrē velle & impoſsibile oppoſitum, attenta illa & amore beatifico. Ergo & Poſſe.

1831 Confirmatur 1. quia cum iudicio dictante ſummum bonum ſtare in placere Deo, incompatibile eſt omninò iudicium indifferens, proponenſque aliquam rationem boni in recedere à placendo Deo in aliqua re. Abſque prædicto autem iudicio indifferenti, repugnat omnimodè libertas. Confirmatur 2. quia impotentia non operandi proveniens in Chriſto à viſione beata, eſt omnino antecedens, ac per conſequens tollit libertatem. Probatur antecedens, quia cum ex vna parte viſio beata in communi ſententia Theologorum data ſit Chriſto, non ex meritis ſed vt proprietas vnionis, & proprietas præcedat quamcunque aliam operationem liberam; & cum aliàs talis viſio dirigat & illuſtret, alliciatque voluntatem ad operanda quæ Dei ſunt, neceſſario pertinet ad lineam & vim operativam (in quo differt ab vnione hypoſtatica non operativa, nec comprincipiorum immutativa). Si ergo viſio vt probatum eſt, neceſsitat & antecedit, erit neceſſario impoſsibilitas omittendi ab ea proveniens, neceſsitas antecedens, ac per conſe-

Digitized by Google

ſequens, multo magis quàm vnio hypoſtatica, impoſsibilibit ab intrinſeco, & hæc impoſsibilitas non erit à remotis concomitantibus, ſed à proximis & operativis.

1832 Valdè difficilis eſt iſte nodus. Quidam reſpondent viſionem illam beatam ſe habere purè ſpeculativè in Chriſto, ac per conſequens nec dirigere nec immutare comprincipia proximè indifferētia ad operationes Chriſti. Sed hæc ſolutio non ſatisfacit, nec ſufficienter rem explicat. Primo, quia licèt ſit ſpeculativa, eſt incompatibile cum ea iudicium indifferens, & repræſentans aliquam bonitatem allectivam ad diſplicendum Deo in aliquo. Tum quia licèt ſit ſpeculativa, eſt tamen vitalis & ſumma intuitio, & aliqualiter quaſi comprehenſio & repræſentatio ſummi & ſummiſsimi boni. Cognitio autem non aliter rapit ad amorem beatificum, & ad deſiderium efficaciſsimum placendi Deo vt ſummo bono, niſi repræſentando ſpeculativè clariſsimè ſummum bonum, eiuſq; velle. Patet in nobis, qui ſola repræſentatione obiecti boni movemur ad amandum illud ſine cognitione practica talis amoris. Contra 3. impoſsibile eſt quod viſio beata Chriſti, cum apud vos ſit viſio in Deo omnium factibilium, & fiendorum per totam æternitatem, ac per conſequens omnium Chriſti operationum, non ſit earum cognitio practica, vtpotè cognitio de faciendis.

1833 Reſponderi poteſt 2. ex doctrina communi Thomiſtarum. Iſti enim docent, in Chriſto dari amorem beatificum, qui ſimul ſit neceſſarius, & liber per duas terminationes (& ſi eſſet per duas realitates parum referret ad præſens). Prima terminatio eſt de infinita bonitate Dei in ſe, vt eſt ratio amandi neceſſaria Dei, quæ quidem clarè viſa, eo ipſo rapit, & neceſsitat voluntatem beati ad eam amandam. Secunda vero eſt de ea, vt eſt ratio amandi creaturas, & bona extrinſeca Deo. Sed cum hæc ſint bona creata & finita, non poſſent rapere ad amorem ſui, & ſic Chriſtus per amorem beatificum iuxta hanc terminationem liberè procedebat, libereque amabat talia obiecta & meritoriè. Et hoc pacto ſalvant contra Bazquez, quod Chriſtus meruit per amorem Dei Theologicum, & non ſolum per moralem proximi. Non autem repugnat, quod idem amor obiecti primarij & ſecundarij, ſit liber & neceſſarius. Tum quia eſt reſpectu diverſorum, ſicut eadem cognitio eſt reſpectu diverſorum intuitiva & abſtractiva, & eadem Theologia eſt practica & ſpeculativa. Tum quia eſt participatio volitionis divinæ, quæ eſt ſimul neceſſaria de Deo & libera aliorum extra Deum. Nec hæc contradictio petit infinitatem ex parte actus, cum ſit reſpectu diverſorum.

1834 Sed contra, quia de his bonis in Deo viſis, duplex eſt habenda conſideratio, & per viſionem beatam habebatur à Chriſto. Prima de illis vt bonis creatis & extrinſecè Deo convenientibus. Secunda de illis vt iam à Deo volitis & prædefinitis, atque vt acceptentur & fiant à Chriſto, decretis. Primo modo certum eſt, quod nec neceſsitent, nec rapiant Chriſti voluntatē, & ſic amor Chriſti eſſet participatio divini, & fortè non repugnans reſpectu diverſorum. Sed non proponebantur Chriſto primo modo ſolum, ſed impræſcindibiliter eodem obtutu vtroq; modo, ideſt vt autem à Deo iam volita. Atqui erat impoſsibile Chriſto non velle, quod conſtabat illi Deum velle de ipſo, ideſt quod ipſe illa vellet. Ergo hęc ſolutio non valet.

1835 Reſpondent 3. aliqui Scotiſtæ, quod viſio Beata antecedens, non ita rapit voluntatem Beati, vt neceſsitet illam phyſicè, ſed ſolum moralitèr, tali nempè ſuaſione, vt impoſsibile moraliter ſit, quod Beatus faciat aliquid oppoſitum ei quod videt, à Deo velle. Sed contra: tum quia viſio Beata ita repræſentat Deum vt ſummum bonum ſine vlla admixtione malis aut retrahentis ab amore vt neceſſitetur, & non poſsit eum non amare ſuper omnia: cum amore autem ſuper omnia incompoſsibilis eſt phyſicè amor alicuius contra Deum, eiuſque voluntatem, vtpotè formalitèr oppoſitus prædicto amori. Tum quia cum viſione Beata de Deo ſummè ſummiſsimè bono, & de eo quod ſtet ſumma hominis fœlicitas in ſe conformando eius beneplacito, incompoſsibile videtur iudicium indifferens, de eo quod aliquid ei oppoſitum, poſsit eſſe bonum & amabile. Ergo omninò manet relegata phyſice libertas.

1836 Tanta viſa eſt hæc difficultas ſubtiliſsimo Doctori Scoto, vt apud Maſtrium in 3 ſent. diſp. 3 quæſt. 9 art. 3. à num. 389. docuerit, Chriſtum habuiſſe quidem meritum, ſed ſine libertate proxima formali, ſed cum ſola remota & radicali, diſpenſante Deo ſuper tale requiſitum libertatis formalis, & ex diſpenſatione præmium ei conferente. Dignitati autem Chriſti, debita erat hæc diſpenſatio, vt ſimul poſſet eſſe viator & mediator, & ſimul non ſolum non peccans, ſed nec potens proximè, ita aliqui Scotiſtæ.

1837 Probant 1. quia vt opus acceptetur ad meritum divinitus, ſufficit abſolutè ſi ſit opus imputabile ad laudem, & à voluntate, vt ab intrinſeco & ex ſe potente agere & non agere, ſi adſint aliæ conditiones ad meritum. Atqui hoc cum ſit ipſa natura creatæ voluntatis, non poteſt tolli per defectum requiſiti ad Poſſe proximum, v.g. per defectum concurſus Omnipotentiæ: ergo nec quod actuali libertate diſpenſaretur meritum.

1838 Secundo Quia neceſsitas libertatis proximæ oritur ex eo, quod meritum & pręmium ſit quaſi contractus quidam ex iuſtitia, in quo merens offert in vtilitatem & obſequium alterius, quod ſuum eſt, & præmians cedit in illum, id etiam quod ſuum eſt. Atqui ille contractus & dominium voluntatis creatę ſalvatur ſine libertate proxima, & cum ſola remota, ergo. Minor probatur, quia ſæpè quis conſervat dominium in rem, circa quam non habet actionem, ſed impedita eſt illi actio, vt patet in dominio directo fundi, cuius alter habet dominium vtile in eum ab anteceſſoribus Domini directi, tranſlato, abſq; ceſsione liberà præſentis Domini in illum. Si ergo hoc evenit in civilibus, non eſt cur non poſsit in moralibus evenire, ita vt voluntas habeat dominium circa agere & non agere, & tamen actio ſit ei impedita ad non agere per ablationem concurſus.

1839 Dicit: libertate intrinſeca remota, vt ex cludantur à capacitate merendi bruta & Aures, licent faciant actiones laudabiles & aclamabiles. Item Pater & Filius in ſpiratione Spiritus Sancti, qui licèt voluntariè operentur, ſed non cum libertate adhuc remota, quia iſta petit eſſentialiter Poſſe facere & omittere ab intrinſeco, (licèt ab extrinſeco impediatur omiſsio) & tale Poſſe non habet locum in Spiratore. Quod ſi in puris beatis non datur meritum, etiam ſi adſit talis libertas remota (imò & proxima in aliquibus) id provenit ex eo quod deeſt illis alia conditio, ſcilicèt ſtatus viatoris.

1840 Tertio probari poteſt ſententia Scoti, quia Pupillus ſine aliquo actu libero ſuo per ſolam voluntatem liberam Tutoris diſponentis de bonis Pupilli, ſit Dominus fundi, ſive atquirit dominium eius, vel amittit dominium. Ergo etiam ſine actu libero proprio per libertatem Dei ſupremi Tutoris Chriſti, ordinantis bonum opus Chriſti ad præmium, poterit Chriſtus atquirere præmium ſive dominium præmij. Quarto probatur, quia ſine opere libero proprio infantes à peccato Adami, contrahunt originale & pœnam ipſius ſic paciſcente Deo. Cur ergo Chriſtus ſine opere libero proprio, non poterit atquirere & fieri dignus præmio, ſic diſponente Deo?

§. II.

IMPVGNATVR SENTENTIA SCOTI, ET SOLvuntur argumenta facta pro ipſa.

1841 SED contra ex cōmuniſsima ſentētia, & à multis etiam Scotiſtis amplexata, & à Suarez tomo de

Incarn.diſp.37.ſect.2.ſolidè propugnata. Primo, quia ex Sacra Scriptura cõſtat libertas formalis Chriſti, & formalitèr habuiſſe in ſua manu mori & plura alia, quæ fecit. Conſtat id ex textibus adductis ſupra à num.1778. Scriptura autem intelligi debet vt ſonat & præcipuè, vt communitèr intellecta eſt à Sanctis Patribus. Ipſi autem ex his locis Chriſtum in operando aſſtruunt liberum, & valdè liberum. Confirmatur, quia libertas noſtra in Scriptura colligitur ex illis locutionibus. Secundo probatur Chriſtum fuiſſe liberum, ex communi ſenſu fidelium gratias ei agentium de eo, quod voluerit mori pro nobis, & nos redimere per mortem.

1842 Tertio: Quia de Chriſto in Scriptura non ſolum conſtat clarè, habuiſſe in ſua manu operari vel non operari, ſed conſtat de merito & præmio. Atqui certiſsima noſtra proxima libertas in operando, non aliter convincitur de fide ex Scriptura, niſi ex fraſibus ſimilibus, de eo quod opus fuerit in noſtra manu, de eo quod mereamur per illud, de eo quod Deus præparaverit pro illo præmium. Ergo ex eiſdem fraſibus etiam cõvincitur in Chriſto proxima libertas. Quarto: quia ſimiliter dici poſſet, quod in nobis opus malum factum ex ſola libertate remota, poſſet eſſe dignum pœna. Potuiſſet enim Deus diſpẽſare cũ Petro in lege cauſæ primæ, & tollere pro omni actu tàm bono quàm malo concurſus indifferentiam, ex fine vtendi dominio ſupremo ſuo. Tunc autem Petrus operetur malè cum libertate radicali. Ergo ſi hæc ſufficit & ſalvat conceptum eſſentialem meriti & pœnæ, poſſet eſſe dignus æterna pœna pro tali opere malo, quin fuerit in manu eius omittere illud, quod ſanè inintelligibile eſt. Quinto: quia per hanc doctrinam poſſent Hæretici ſe tueri, dum docent noſtra opera ſolum eſſe libera à coactione, non vero libera à neceſsitate.

1843 Ad argumenta contraria reſpondetur. Ad primum nego maiorem, nempè ſufficere, quod opus ſit in manu voluntatis quantum attinet remotè & ab intrinſeco, ſed debet eſſe in manu ipſius quantum attinet ad omne requiſitum de linea operandi, & ibi intrat cõcurſus indifferens. Ad primum, conceſſo quod ſufficiat dominium ipſius operantis ad contractum meriti & præmij, nego ſalvari ſine comprincipijs indifferentibus, & quando ex defectu proximorum impedita eſt actio. Ad exemplum dominij directi concedo ſalvari, ſublata actione vtendi, quando actio ſublata, eſt partialis. Manent enim aliæ, nempè facultas proxima ſpoliandi dominum vtilem tali vſu & iure ad illum, ſi deficiat ipſe cõditionibus tributalibus.

1844 Ad tertium & quartum reſpondetur primo ex communi Theologorum, dari voluntarium per ſe, & voluntarium per aliud: illud eſt perfectè tale, ſecus iſtud: & eo modo quo voluntarium eſt, debet eſſe liberum. Et ſic non valet paritas de his imperfectis ad illud perfectum. Nemo autem quando diſputatur de merito Chriſti, dubitavit quod ſermo eſſet de voluntario perfecto & in ſe. Reſpõdeo 2. In voluntarijs imperfectis ſolum dari dominium vel præmiũ aut pœnam, in circa ea, quæ ille qui ponit voluntarium in alio, habet auctoritatem plenam diſponendi & ſupplendi. V.g. Reſpublica ponit voluntatem Pupilli in Tutore circa bona temporalia, eo quod ipſa, cum pro bono communi ſit domina diſponendi & transferendi dominia, quod deficit Pupillo de libertate id ipſa ſupplet ſua poteſtate, quia poteſt. In merito autem proprio, defectus libertatis propriæ à nullo eſt ſupplebilis.

1845 In pœna autem pro peccato originali diſtigui debet, inter malum à Deo inflictum, & inter rationem pœnæ. Illud quidem ferè totum erat miſeria naturæ innata, ideſt carentia gratiæ & videndi Deum, revelio appetitus contra rationem, ægritudines & alia mala naturę innata. Privilegium enim ſtatus innocentiæ erat à Deo oblatum Adamo pro ſe & poſteris, ſi faceret illud ſuum, obſervando præceptum; & non fecit ſuum quia non obſervavit illud. Igitur privilegij ablatio, licèt in pœnam, multum habuit de non feciſſe illud ſuum. Ad hoc autem, & vt Deus poſteros reſpiceret vt inimicos, & vt indignos privilegio, ſufficiebat voluntas aliena Adami, & Dei dantis privilegium ſub illa conditione, ſicut ſi daretur à Rege Duci, & ſucceſſoribus aliqua Civitas cum ſimili onere. Non ergo eſt paritas in his: ad meritum proprium, ex natura ſua exigens propriam voluntarietatem & libertatem.

§. III. NOSTRA SENTENTIA.

1846 EXCLVSIS igitur his modis diſcurrendi, & ſuppoſita ſimultate vtriuſque ſtatus, ſcilicèt Beati & Viatoris à Deo per diſpenſationem introducta, dicendum eſt, Chriſtum ſtrictè fuiſſe liberum libertate propria comparativè ad comprincipia proxima, etiam circa obiecta, quę per viſionẽ Beatam videbat eſſe de decreto & voluntate Patris, à qua abſolutè diſcordare nequibat. Sed quomodo cum hac viſione ſit compatibile Poſſe proximum, (licèt à remotis impeditum) ad oppoſitum? Mihi occurrit, quod duplex ille ſtatus ita ſit à Deo diſpoſitus, vt quaſi intra eandem animam Chriſti, duaſque eius portiones, ſit interpoſitus quidam quaſi paries (licèt cum quadam quaſi feneſtram) talis, quod de ſtatu Beati ad ſtatum Viatoris, nec parva poſsit tranſire ſcintilla de pertinentibus ad libertatem, quę officere poſsit iſti, aut indifferentiæ iudicij & aliorum comprincipiorum. Sed portio illa viatoris reſicta ſit à Deo in communi ſtatu viatorum, quantum attinet ad Poſſe proximum non impediendum nec immutandum in ſua linea. Non dicimus feneſtram ſæpè non fuiſſe apertam, nec notitias Beatificas non profuiſſe Chriſto in multis faciendis vel docendis, ſed ſolum impeditas fuiſſe ſcintillare in his quæ ſpectabant ad libertatem, ſi ei poſſent obeſſe. Fuit enim inter vtrumque ſtatum velum illud Templi poſsitum inter Sancta Sanctorum, & inter Sancta, obũbrantia duos ſtatus Beati & Viatoris, & dividens inter illa. Sicut enim in tomo de Fide à num. . diximus quod Beata Virgo à ſcientia infuſa de Myſterijs, non eſt impedita pro actu fidei obſcuro libere exercendo de Incarnatione fienda in ipſa, eo quod ſuſpenſus fuerit à Deo concurſus ſpecierum evidentium, ne impedirent fidei obſcuritatem, ita id quod ibi factum eſt per ſuſpenſionem phyſici concurſus, hic in Chriſto fieri potuit per ſuſpenſionem concurſus directivi efficaciter, ne viſio Beata dirigeret & ſcintillaret in portionem inferiorem Viatoris.

1847 Quod, confirmatur ſimul & declaratur exemplo ſummi gaudij Beatifici in horto, quod non impedivit vllo pacto triſtitiam ſummam animæ Chriſti, nec omnimodam derelictionem Chriſti in Cruce, eo quod nec ſcintilla parvæ conſolationis tranſmiſſa fuerit tunc de portione Beatifica ad portionem viatricem. Non quod aliquando non potuerit ſcintillare vt colligitur ex ſcripturis; ſed quia vbi pati ſummum vel vbi operari liberum intendebatur à Deo neceſsè erat vt non ſcintillaret, taliter quod poſſet comprincipia proxima immutare & libertati præiudicare.

1548 Obijcies: ſtatus Viatoris in Chriſto dirigebatur, vice fidei, per ſcientiam infuſam. Sed hæc dum dirigebat voluntatem Chriſti (etiam omninò independenter à ſcintillatione viſionis Beatæ,) non poterat dirigere per iudicium indifferens. Ergo in Chriſto etiam ſecundum partem Viatoris, non dabatur iudicium indifferens. Atqui ſine iſto repugnat Poſſe proximum & libertas. Ergo in Chriſto non dabatur libertas. Maior per ſe patet. Prima minor probatur, quia in eodem intellectu Chriſti etiam ſecundum diverſas portiones Beati & Viatoris non ſunt compatibilia iudicia oppoſita nec contraria, cum autem iudicium indifferens ſit de bono alliciente cum aliqua mixtura mali retrahente; iudicium autem Beatificum repræſen-

tans

Digitized by Google

tans quodlibet obiectum volibile à Chriſto repræſentet illud vt volitum à Deo, & ex hoc Capite vt omninò alliciens & nullo ex capite retrahens, inde eſt quod non poſſint non contrariari, & eſſe incõpatibilia in eodẽ intellectu.

1849 Reſpondetur 1. conceſſa maiori, negando minorem, quia benè poteſt à ſcientia per ſe infuſa elici iudicium indifferens circa obiectum volibile à Chriſto, nempè circa ipſum Deum ſummè bonum, & ſuper omnia ex charitate amandum. Vt enim optimè docuit Ioannes à Sancto Thoma de Anima part. 2. q. 12. art. 2. ad libertatem attendi debent tria, ſcilicèt, iudicium indifferens, concurſus Dei, & obiectum ita propoſitum, vt non rapiat quoad exercitium voluntatem. Dicimus ergo quod iudicium indifferẽs, eſt quod eſt ordinativum medij ad finem, vel aliter repræſentativum: & ſtat indifferentia ipſius. Primo, in eo quod (ſi nõ eſt libere introductum, vt eſt in Deo & Angelo) poſsit à voluntate repelli. Secundo, in eo quod proponat obiectum bonũ cum aliqua admixtione mali retrahentis. Tertio, in eo quod proponat bonum ita laxè, vt non neceſsitat nec rapiat, & ratione huius non neceſsitationis, iudicium vocatur indifferens ſive non determinatum, & ſufficiens pro libertate. Vt enim optimè docuit Ioannes à Sancto Thoma citatus nullum obiectum ex ſe neceſsitat, niſi ſolum quoad ſpecificationem. Quod enim neceſsitet aliquando quoad exercitium, non tàm provenit ab obiecto, quàm à diſpoſitione ſubiecti. Et ideò ſolus Deus clarè viſus rapit & neceſsitat voluntatem.

1850 Sicut ergo apud omnes non repugnant in Chriſto iudicium intuitivum de Deo ſummè bono per viſionem, & abſtractivum ſimul per ſcientiam infuſam, ita nec repugnat quod voluntas per illam rapiatur, & per iſtam libera relinquatur. Sicut nec etiam repugnat in eodem intellectu duplex actus; vnus magis penetrativus de obiecto, alter obſcurus. Hinc etiam non repugnat rapi & non rapi, quando ſunt per diverſos actus ſive media, nec quando rapi eſt abſolutè, & non rapi eſt ſecundum quid & cum addito, ideſt ex vi ſcientiæ infuſæ, & quando ex Beatifico rapi datur impedimentum divinitus poſsitum, ne reſultet ſcintilatio; (ſicut datur impedimentum, ne ex gaudio Beatifico reſultaret in animam Chriſti in horto triſtiſsimam, & in Cruce derelictam, aliqua conſolatio,) tunc vere indifferentia iudicij omninò perſeverabat immutata; ac per conſequens & voluntas etiam ex iſto capite omninò libera. Quod dictum eſt de ſummo bono, via ſcientiæ infuſæ nempè non rapere, dicendum eſt etiam de morte vt præcepta, & vt divinæ voluntati conformi.

1851 Obijcies 2. etiam ſuppoſito prædicto pariete, & diviſione inter vtrumque ſtatum, impoſsibile eſt quod cognitio ſcientiæ infuſæ maneat indifferens, & immutata repræſentativè, ſed repræſentativè determinata. Probatur aſſumptum, quia licèt mors præcepta & conformis divinæ voluntati non raperet ex ſe Chriſti voluntatem per cognitionem infuſam ſui, tamẽ cum illa cognitione neceſsè eſt vt coniungatur alia in Chriſto, repræſentãs evidenter ſuã vnionem hypoſtaticam, atque ſimul repræſentans incompatibilem eſſe cum vnione tranſgreſsionem, ſive omiſsionem rei præceptæ; ac per conſequens, & ſibi impoſsibilem. Hoc autem ſecundum iudicium, in linea repræſentativa ligat indifferentiam primi, atque determinat: ergo primum iudicium non manet indifferens & immutatum: ergo tollitur libertas. Reſpondetur, cum ſecundo iudicio ſimul dari in Chriſto iudicium, de eo quod licèt ſit incomponibilis tranſgreſsio cum vnione eſt ſolum tanquam cum aliquo remoto, ſecus tanquam cum comprincipijs proximis, in quibus conſiſtit eſſentia libertatis. Vndè licèt Chriſtus iudicaret, eſſe ſibi à remotis impoſsibilem tranſgreſsionẽ, ſed non propterea iudicaret, non eſſe ſibi liberã præcepti adimpletionem, cum ſciret eſſentiam libertatis penſandam eſſe ſolum pœnes comprincipia proxima, in quę intrabat primum iudicium indifferens, quin intraret ſecundum ad dirigendam adimpletionem.

1852 Replicabis. Iudicium de incompatibilitate omiſsionis tranſgreſsivæ cum vnione, ideò non impedit libertatem, quia cognoſcit adhuc permanere Poſſe proximum, comparativè ad quod erat compatibilis tranſgreſsio, & ſic cognoſcit permanere eſſentiam libertatis cum ſuo iudicio indifferenti. Atqui id ipſum repræſentat viſio Beata: ergo vel viſio Beata non tolit libertatem, vel ſi iſta tolit, etiam eam tolunt prædicta iudicia ſcientia infuſè. Reſpondetur diſtinguendo maiorem: cognoſcit permanere Poſſe proximum immutatum, & cum ſuo iudicio indifferenti etiam immutato, concedo maiorem: cum ſuo iudicio indifferenti mutato, nego maiorem, & etiam minorem & conſequentiam quia viſio immutat.

1853 Etenim iudicia ſcientia infuſę, non immutant Poſſe proximum, nec iudicium de incompatibilitate peccati cum vnione, immutat iudicium indifferens de acceptanda morte ex præcepto, quatenus & tale iudicium ſe habet ſpeculativè reſpectu alteriùs iudicij, & quatenus tale obiectum ſic propoſitum non rapit voluntatem, ſed eam ſinit operari, iuxta quod obiectum ſic propoſitum alicit aut petit; quia nullum obiectum per ſcientiam infuſam propoſitum (vt ſupra dictum eſt) neceſsitat quoad exercitium ex vi ſua, licèt neceſsitet quoad ſpeciem. At quodlibet obiectum propoſitum per viſionem Beatam vt volitum à Deo de ipſo Beato, rapit voluntatem Beati quoad exercitium, vt ſe conformet cum divina voluntate; & ſic operatio ex tali iudicio aliàs indifferenti, vt repræſentata quatenus volita à Deo, iam non manet intra limites indifferenter repræſentati voluntati, ſed repræſentati rapienter & neceſsitando quoad exercitium, per complexum primi iudicij & viſionis. Vide num. 1872. aliam ſolutionem.

ART. VI.

ARGVMENTVM CONTRA LIBERTATEM SVMPtum à perfectione morali.

1854 FORMATVR ſic: Chriſtus non potuit eſſe imperfectus moraliter: ergo non potuit non eligere ſemper quod optimum erat, & conformius Dei voluntati, & ſic non erat liber. Vndè ſi elicuit ſimul actus omnium virtutum, ad omnes ſimul tenebatur, quia id erat moraliter perfectius. Primum antecedens patet. Tum quia ratione curæ Verbi & ratione vnionis remotè, ratione autem viſionis & amoris Beatifici proximè, tenebatur ad ſummè placendum Deo, cum vnio eſſet ſanctitas maxima, ita vt non eſſet poſsibilis alia creata maior, nec amor ardentior. Tum quia Chriſtus perfectior eſt omnibus Beatis; ſi autẽ in his, nemo admittet Poſſe ad eſſe imperfectos moraliter, ſive Poſſe ad operari imperfectè in exercitio virtutis, quis Catholic⁹ id admitteret in Chriſto? Tum deniq; quia quivis fidelis tàm altè ſenit de Chriſto, vt quidquid ipſe fecerit, ſemper credatur id fuiſſe melius & perfectius. Vndè autem colligitur id eſſe ſemper melius, niſi quia indignum iudicatur, & dedecens Dignitatem eius, imperfectè operari? Ergo quia nequit non elicere, quidquid in exercitio virtutum perfectius eſt, & conformius divinis conſilijs.

1855 Confirmatur, quia imperfectio moralis ſtat in deficere, non quidem à præceptis divinis, (quia hoc eſſet peccatum,) ſed à Conſilijs, vel in receſſu à maiori honeſtate, quàm circa tale obiectum poſſet exercere: licèt enim nullum ſit in hoc peccatum, ſed ſola carentia maioris perfectionis, eſt tamen imperfectio moralis, quia non operatur cum tota perfectione, qua poteſt. Ergo ſi Chriſtus non poteſt eſſe moraliter imperfectus, ille actus quem eliciat eſt ſummus in perfectione, & non poteſt omittere illum, & ſic non eſt liber in illo.

1856 Reſpondebis 1. Chriſtum in exercitio virtutum moralium adhuc eſſe liberum, quia licèt per eas non ama-

ter

ret obiecta cum quanta perfectione poſſet, adhuc non eſſet imperfectus, ſiquidem ſimul cum illis actibus habebat actum charitatis, quo amabat illa: ſic autem omnia faciendo propter Deum, libere & perfectè operabatur. Contra enim, qui vel Chriſtus tenebatur amare illa obiecta ſic, ideſt cum tota perfectione ſibi poſsibili, vel non? Si tenebatur? Ergo non poterat illam perfectionem omittere, nec erat liber. Si non? Ergo poterat aliter & minus perfectè; ac per conſequens non poterat non eſſe moraliter imperfectus, cum non operaretur quanto benè poſſet.

1857 Reſpondebis 2. aliud eſſe Chriſtum fore minus perfectum, aliud fore imperfectum: haberet primum ſecus ſecundum. Contra, quia in moralibus actus habens defectum poſitivum eſt peccaminoſus ſaltim venialiter; imperfectus vero eſt his, qui cum poſsit eſſe intenſus, aut ex meliori motivo, fit remiſſe, aut ex minus bono. Ad imperfectionem ergo moralem ſubiecti ſufficit operare minus benè, negativè, aut præciſsivè Quia non amat totis viribus, aut tota mente & corde.

1858 Dices hanc doctrinam eſſe falſam, quia ſequeretur ex ea Deum fore moraliter imperfectum, quia per virtutes morales operatur ex motivo minus bono, vel ſi hoc non obſtante non eſt imperfectus, eo quod ſimul operetur ex motivo charitatis, redit replica nuper facta, nempè vel poteſt aliter & altius operari, vel non? Si ſecundum, non erit liber. Si primum: ergo poteſt eſſe moraliter imperfectus, quia non operatur benè quantum poteſt.

1859 Satis gravis eſt hæc difficultas: quomodo componatur libertas cum impotentia operandi imperfectè, vel minus perfectè. Pater Bernal diſp. 44. §. 41. docet quod divina voluntas vtpotè voluntas Principis rectiſsimi, eſt regula perfectionis moralis, & ideſt melius ſemper quod ipſa eligit, cum autem omnes actiones divinæ voluntatis ſint ſummè conformes arbitrio ipſius, eo ipſo ſunt meliores, quia id melius eſt, & eſſet in quovis ſtatu, quod voluntas Dei pro arbitrio eligeret. Hinc ipſe ex hac doctrina ſolvit nodum, dicens. Chriſto datum pro Conſilio quidquid ipſe eligeret, & hoc probat ex aliquibus Scripturæ locis, vbi dicitur, omnia eſſe tradita à Patre, & poſsita in manu ipſius, nempè omnem poteſtatem in Cœlo & in terra. Vndè quidquid Chriſtus eligeret ſive bonum, ſive melius, erat æquè conforme divinis Conſilijs, & æquè placens Deo; quia Conſilium erat, vt faceret pro arbitrio quidquid vellet.

1860 Si replicet quis: plura obiecta ſe ipſis eſſe alijs meliora, v.g. Virginitatem coniugio. Ergo ſi relicta illa, iſtud eligeret, eligeret minus bonum. Reſpondet (quod & Lugo approbat) minus bonum, ſi à Deo conſulatur, fieri melius alio, v.g. coniugium conſultum Virginitate inconſulta, ac per conſequens id fore melius, quod eſſet conforme ſuo arbitrio. Et ſic componitur quod quodlibet eſſet melius & eſſet liberum. Videatur ipſe.

1861 Sed profecto difficultas non videtur ſufficienter ſoluta. Tum quia licèt res minus bona conſulta à Deo, ſit melior altera non conſulta, ſecus altera æquè conſulta ex parte Dei. Patet, quia ex parte Dei ſunt æquales in ratione conſultæ, & aliàs vna à ſe eſt melior alia; ſicut apud Bernal, licèt Omnipotentia ſit æquè bona, ac volitio, in ratione identitatis cum Deo; ſecùs abſolutè, quia iſta excedit ſpecificè illam. Idem dicit, in fallor, in actibus Chriſti, charitatis & miſericordiæ æquè bonis, vt dignificantur à Verbo. Ergo cum Chriſtus æquè conformiter operaretur Conſilio, eligendo actum remiſſum aut intenſum, & aliàs iſte ſit melior illo, eligere iſtum (omnibus in ſua manu relictis) eſſet perfectius, & teneretur Chriſtus ad iſtum. Hæc ſatis vrgent contra ipſum iuxta principia ipſius.

1862 Tum quia non videtur, omnia ita eſſe relinquenda in manu humanitatis, ſiquidem ipſa non eſt prima regula agendorum (loquor niſi amplius explicetur,) & quia quod ex ſe melius eſt, ſemper manet melius, ſi non accedat Conſiliū oppoſitū. Atqui iſtud iuxta hanc explicationē eſt quaſi non acceſsiſſet. Ergo ſemper manet melius. Pater minor. Quia nihil determinatè Cōſulit. Ergo ex vi eius nihil manet determinatè Conſultum, nec vnum manet Conſultum præ alio, ſive prælatum ex parte Conſilij, ſed omnimoda æqualitas. Ergo propter Conſilium ex parte eligibilium à Chriſto, nihil ipſi repræſentatur vt melius, ſed vt omninò æquale. Ergo cum aliàs vnum ex ſe ſit melius alio, ſemper manet melius & dignius, vt eligatur. Tum denique, quia apud Bernal, melior eſt in Deo ex ſe charitas, quàm miſericordia, licèt vtraque ſit ex arbitrio Dei. Ergo multo melius in Chriſto.

1863 Alter modus ſolvendi iſtum nodum, & componendi libertatem cum perfectione morali, (de quo videndus Arriaga de Incarnat. tota diſp. 43.) docet, Chriſtum non fuiſſe obligatum ad optimum, ſed potuiſſe abſque imperfectione morali, facere pro ſuo libito quod eſſet minus bonum. Solum ergo tenebatur Chriſtus nó peccare adhuc venialiter, nec facere aliquid indecens & repræhenſibile; non vero tenebatur ad omnem omninò perfectionem poſſibilem. Aliàs non eſſet liber, nec mereretur, pro cuius intelligentia. Nota 1. non eſſe idem *imperfectum & minus perfectum*, nam minus perfectum dicitur quod in ſe bonum eſt vndequaque; tamen comparativè ad aliud eſt minus bonum, vt apud plures voluntas divina eſt minùs bona quam intellectus; imperfectum vero eſt illud, cui admiſcetur aliquid reprehenſibile ex aliquo capite.

1864 Nota 2. licèt Deus ſemper conſulat nobis meliora, & Chriſtus ſemper ea elegerit, non propterea defuiſſe Chriſto libertatem, & facultatem faciendi rem minus bonam propter rationem datam; & quia ſi ad perfectionem requiritur, quod operatio ſit honeſta quantum poſsibile eſt, nunquam daretur operatio perfecta, v.g. eleemoſyna etiam ſi daretur propter Deum, quia adhuc deficeret ei honeſtas ex multis alijs virtutibus propter quæ ſimul dari poteſt. Non ergo requiritur ad perfectionem omnis honeſtas poſsibilis.

1865 Nec obeſt 1. ſi dicas, operari contra Conſilia eſſe imperfectionem, & eſſe repræhenſibile. Nego. Aliàs repræhenſibile eſſet nubere. Solum ergo eſt minus amabile. Nec 2. obeſt. In Religionibus repræhendi deviationem à regula, quia ſolum eſt Conſilium, & non obligat ad veniale. Reſp. duplex eſſe Conſilium, vnum obligans ſub imperfectione & indecētia, & ad pœnam; aliud ad nihil obligans, ſed purè ſuadens: & iſtud adhuc poteſt ſubdividi in vnum ſuadens ſubſtantiale operis boni, & in aliud ſuadens intra eandem lineam, ſummum perfectionis ad quod poteſt pertingere. Chriſtus non poterat facere contra primum, benè vero contra ſecundum, ſaltim contra vltimam partem ſecundi, pro ſua libertate. Sicut poterat Deus eligere Incarnationem vel carentiam. Nec 3. obeſt, ſi Deus vult perfectius & conſulit: ergo ſi Chriſtus faceret minus perfectum, faceret contra divinam voluntatem. Diſtinguo contra voluntatem obligantem, nego; contra relinquentem in ſuo arbitrio, & iuxta aliam voluntatem etiam complacentem in facto minus perfecto, concedo. Nec culpa eſt deviare ab illa voluntate, nec imperfectio, ſed pura privatio maioris perfectionis. Nec 4. poſsibilis eſt ſanctitas pugnans cum perfectione morali minori: ergo eſt Chriſto concedenda. Diſtingo antecedens, ſanctitas cum libertate, nego; abſque illa, concedo. Hæc iſta ſententia.

§. II.

NOSTRA SENTENTIA.

1866 ASSERO 1. Chriſto fuiſſe impoſsibilem phyſicè ex parte actus imperfectionem moralem. Ita Petrus Hurtado diſp. 41. §. 37. Probatur. Tum quia quo maior eſt ſanctitas, eo eſt magis ex ſe oppoſita cum illa

illa imperfectio moralis. Patet, nã quia ſanctitas noſtra in via habet ſtatum imperfectum, non tolit poſsibilitatem ex parte peccati, è contra in patria: & confirmatio in gratia eo eſt magis perfectior in via, quo magis pugnat cum ea peccatum; ideoque in Beata Virgine quia eſt perfectior, pugnat cum ipſa veniale, & in Apoſtolis fortè ſolum mortale. Ergó ſi repugnaret etiam imperfectio moralis, eſſet maior ſanctitas, quia eſſet maior participatio divinę rectitudinis, & maior conformitas cum divina voluntate. Ergo cum in Chriſto ſit ſumma ſanctitas creata, pugnat ſummè phyſicè, & ex ſe cum illa imperfectio moralis. Tum quia ſi abſque poſsibilitate phyſica imperfectionis moralis cum ſanctitate illa, ſalvatur libertas, ita debet ſtatui in Chriſto, propter eius perfectionem maximam, ſicut & in Deo. In Deo autem ſummè libero ſalvatur phyſica impoſsibilitas imperfectionis moralis. Tandem, quia quis dicet, Chriſto fuiſſe poſsibile agere aliquid repræhenſibile? Imperfectio autem moralis repræhenſibilis eſt, licèt non ſit propriè culpa nec venialis, quia hæc eſt contra præceptum, eſt tamen aliqualiter culpa, quia contra Conſilium, quatenus deficit à perfectione conſulta. Ideò in Religionibus fractio regulæ vbi non obligat adhuc ſub veniali, iurè repræhenditur à Prælatis, quia eſt moralis imperfectio.

1867 Nec obeſt, quod in aliquo caſu poteſt divinitus humanitas carere omni cognitione obiecti honeſti, & tunc cum non operaretur circa illud vt tale, careret perfectione morali. Reſpondeo: careret phyſicè, concedo: careret moraliter, & imputabiliter ad repræhenſionem, nego. Quia hoc repugnat cum ſumma ſanctitate.

1868 Aſſero 2. fuiſſe Chriſto Viatori liberum quodlibet opus virtutis quantumcunque moraliter perfectum, libertate fundata in duplici illa via in qua fundata eſt libertas in operibus præceptis. Nempè in facultate petendi quaſi diſpenſationem, ideſt obtinendi à Patre vt ſuſpenderet illud Conſilium & conſuleret oppoſitum. Hoc enim non importat alterationem decreti efficacis de opere, cum Conſilium ſicut & præceptum ſæpè ponantur ſine operis prædefinitione. Benè verum eſt, quod Chriſtus poterat eſſe prædefinitus vt diſpenſationem non petens licèt poſſet, & vt opus à Patre volitum amplectens. Vide dicta ſupra à num. 1779.

1869 Secunda via eſt per Poſſe proximum ad transgredi Conſilium transgreſsione ſignata, & ſecundum ſe poſsibili humanitati, licèt illa eſſet intrinſecè à remotis impedita. Vndè habebat Poſſe ad imperfectionem moralem, etiam eſſendo Deus per vnionem, quia non repugnat ei tale Poſſe ex parte naturæ, licèt non haberet Poſſe vt eſſet moraliter imperfectus, quia hoc ſonat potentiam ſimultatis. Vide ſupra à num. 1829.

1870 Sententia autem adducta Patris Bernal ſatis probabiliter poteſt defendi. Suppoſita enim ex parte Chriſti maiori propenſione ad magis bonum in modo operandi, ſicut ſupponitur in Deo, id eſſet melius, quod ipſe ex proprio arbitrio, & ſpontaneitate eligeret. Secunda autem ſententia Patris Arriagę de eo quod impoſsibile eſt, quod Chriſtus vt homo ſit imperfectus, non tamen quod ſit in aliquibus operibus minus perfectus, ſi ſermo ſit non de facto ſed de poſsibili, ſanè etiam ſatis probabiliter defendi poteſt. Tum quia nec id repugnat ex parte curæ Verbi, ſiquidem Verbum tenetur curare, vt nec in aliena natura admittat moralem imperfectionem per quam iſta fiat repræhenſibilis; non autem tenetur ex obligatione curarę; vt habeat omnem omninò perfectionem, vtpotè ſibi ad ſuam neceſſariam fœlicitatem, non requiſitam. Sicut propterea diximus ſupra, Deum non teneri ad optimum, nec ad Incarnationem, eo quod ſimpliciter non indigeret illa.

1871 Nec item ex parte vnionis, quia iſta licet elevet humanitatem ad vnionem ſubſtantialem cum Deo, ſed non ad æqualitatem ſui cum Deo, cum infinitè maius ſit eſſe Deum per identitatem, quàm eſſe Deum per vnionem, licèt vtrumque ſit infinitum. Et ſic Chriſtus vt Deus reſpectivè ad Chriſtum vt hominem, eſt quid infinitè maius in perfectione morali. Ergo licèt Deus in ſuis actibus non habeat Poſſe proximum ad eſſe perfectum, & minus perfectum, non ideò repugnaret id Chriſto vt homini.

§. III.

DE NON IMMVTATIONE IVDICII INDIFFERENTIS.

1872 SI ſolutio adducta ad argumentũ poſsitũ n. 1851. (de eo quod in Chriſto cognitio ſuę vnionis impoſsibilitantis peccatũ, nõ immutet iudicium indifferens) non placet, reſpondebit quis aliter, quod ſuppoſito miraculo à Deo facto ſimultatis ſtatus Beatifici & Viatoris, pro libertate & merito ſtabiliendis, fortè fecit Deus aliud miraculum ſuſpendendi in portione libera viatrice prædictum iudicium, quod pro illo tunc in exercitio meritivo poſſet officere libertati, relinquendo ipſum in puro ſtatu indifferentiæ. Ad eum modum quo diximus à num. 689. de Fide, Beatam Virginem vt exerceret fidem obſcuram (prę cipuè in conſentiendo Gabrieli) per ſpecierum evidentium impeditionem ſupernam, oblitam fuiſſe eorum quæ legerat in Scriptura, & quæ aliàs ſciebat per revelationem evidentem de rebus Matris Meſsiæ. Sic poterat Deus diſponere in Chriſto.

1873 Si enim non ſuſpendatur in Chriſto talis cognitio, difficulter intelligi poteſt, quod ipſa iudiciũ indifferẽs nõ immutet. Patet in nobis. Si enim à Petro petat quis, vt in electione det ſuffragium pro Paulo, & hoc ſit in occaſione in qua Deus efficaciter prædefinierit, quod det (vel in occaſione in qua ſatelles efficaciter decreverit auferre ab ipſo vitam, cum inſtet iam iam occaſio eligendi, ſi eum videat propenſum ad non dandum) in quorum ſenſu compoſito, impoſsibile eſt Petro exercitium non dandi ſuffragium Paulo. Videat quilibet quanta erit immutatio iudicij in Petro, ſi ſciat impoſsibilitatem omnimodam ſuam, non dandi ſuffragium pro Paulo, vel ſi è contra, dari iudicaret in ſe bona fide, poteſtatem expeditam dandi, vel negandi. Igitur idem erit in Chriſto.

1874 Si autem impoſsibilitas à remotis, ſcilicèt à prædefinitione, non tollit libertatem, ideò eſt, quia ſi Sanctus Michael, v.g. diceret Deo: *Dne ſi Petro Apoſtolo eſt impoſsibilis impenitentia à veſtra predefinitione penitentia, quomodo erit liber libertate contrarietatis ad penitentiam, vel impenitentiam?* Videtur quod reſpondebit Dominus: *Petrus conſulat ſuum Poſſe proximum, & quod ecce ignis, & ecce aqua, ad quod volueris porrige manum ſuam, iuxta quod Poſſe proximum gubernet ſuas actiones. Ad ipſum enim non attinet curare de meis decretis ipſi abſconditis, & remotè ſe habentibus, & ſic pro libito eliget quod voluerit.* Secus omninò eſſet ſi ipſe cognoſceret impoſsibilitatem impenitentię à prædefinitione ortam, (& idem de Iuda reſpectu penitentiæ.) Sic communiter dicimus, quod quilibet tenetur ſperare ſuam ſalvationem durante bona fide futuritionis ſignatæ. Si autem Deus ei revelaret ſuam condemnationem, eo ipſo eſſet ei impoſsibile ſperare, & Poſſe ſperare; quia immutatum eſt iudicium indifferens, & ablata bona fides de tali futuritione.

1875 Explico exemplo declarativo. Supponamus quod Ioanni veniat in mentem ſe per feneſtram præcipitare. Et Pater eius, quin ipſe vllam notitiam habeat, alliget illi funem à tergo ad corrigiam, vt quando ipſe decreverit exequi præcipicium, illum omninò detineat & impediat.. Quæro. Si Ioanni omninò inſcio de fune, Pater rationibus & blanditijs perſuadeat abſtinẽtiam à pręcipitio, & Ioannes conſentiat Patri, nonne liberè conſentit & abſtinet? Certum eſt quod ſic. Secus eſſet, ſi ſciret

detentionem Patris per funem impoſsibilitantem præcipitium. Idem ergo erit de detentione per vnionem hypoſtaticam impoſsibilitativam tranſgreſsionis, quæ ſi ex eo tunc cognoſcatur à Chriſto, neceſſe eſt immutet iudicium indifferens. Ideò dicent humanitati Verbum & vnio: *Cura de hiis comprincipijs operatiuis indifferentibus: de nobis, quæ adſtamus à remotis, & de illa linea non ſumus, tu non cures.* Sed hoc valebit ſi cognitio illa ſuſpẽdatur. Vide apoſitiſsimum ſimile de Rege, in tractatu de Scientia Dei num. 531. vbi à nu. 525 plura invenies vtiliſsima, pro maiori libertatis explicatione. Ergo ſuſpendi debet.

1876 Sed certè hæc ſolutio, licèt optimis doctrinis munitã, magnas patitur difficultates. Prima eſt, quia tollit à Chriſto Domino cognitionem frequentem & communem ſuæ Dignitatis, contra communem Theologorum. Secunda eſt, quod ſi pro vſu libertatis & pro merito, neceſſaria eſt talis cognitionis miraculoſa ſuſpenſio, Chriſtus cum in via ſemper eſſet in actuali merito, deberet nũquã cognoſcere evidenter ſuam vnione hypoſtaticã, nec quod eſſet homo Deus. Tertia & vrgentior, quia Chriſtus acceptavit mortem in ſatisfactionem pro peccatis noſtris, non ſolũ æqualem, ſed ſuperabundantem, ac per conſequens eam obtulit Patri, quatenus erat infiniti valoris. Ergo dum acceptabat & offerebat, neceſsè erat, quod eam cognoſceret, quatenus erat valoris ſimpliciter infiniti à ſua Dignitate, ſanctitate, & impeccabilitate, infinitè valorantibus illam acceptationem mortis & merita.

1877 Si huic vltimæ inſtantiæ reſpondeat quis, aliud eſſe ſatisfactionem Chriſti eſſe infiniti valoris ſimpliciter, & aliud eſſe quod offeratur quatenus erat infiniti valoris ſimpliciter. Ad primum non requiritur cognitio de infinitate valoris expreſſa. Cum enim infinitudo actus, non ſummatur à re oblata vt infinita (ſic enim oblatio de Chriſto in Templo præſentato Æterno Patri à Beata Virgine, fuiſſet ſimpliciter infinita contra omnes) ſed ſummatur in actu libero honeſto à Dignitate Perſonæ illum exercitè elicientis, hinc eſt, quòd infinitudo ſatisfactionis non deſtrueretur ex eò quod ſuſpenderetur à Deo prædicta cognitio. Sed contra, quia ſaltem Chriſtus non potuiſſet offerre Patri libere ſatisfactionem illam, quatenus eſt valoris ſimpliciter infiniti, & vt à tanta Perſona, & ſuppoſito dignificati, quod quidem eſſet apud Catholicos inauditum. Ad ſolutionem.

1878 Mihi duo ocurrunt dicenda. 1. eſt, quod licèt adſit talis cognitio cum non rapiat, non ſufficienter immutat iudicium indifferens, taliter quod libertatem evertat. Vndè non deſunt, qui defendant, quod ei, cui facta eſſet revelatio ſuæ damnationis, adhuc ineſſe obligationem ſperandi, & adhuc habere Poſſe ſperare. De quo Oxea, & alij in tractatu Spei diſp. 5. à nu. 41. Et idem dicendum in alijs exemplis adductis.

1879 Secundũ eſt, quod in Chriſto adhuc pro libertate, cũ cognitione ſuæ vnionis & Dignitatis evidenti, potuiſſe perſeverare iudicium indifferens de acceptanda morte, cognoſcendo ſe, quia erat homo Deus, habere Poſſe proximum acceptandi & non acceptandi mortem præceptam, & acceptationem fore ſibi obligatoriam, & Patri gratiſsimam, vtpotè à ſua Dignitate infinitè valoratam; quin talis cognitio reflecteret expreſsè ſupra impoſsibilitatem trãſgreſsionis, in complexo talium obiectorum imbibitam, non obſtante evidentia talium iudiciorum. Ad eum modum quo diximus à num. 717. de Fide & deinceps (& dicere tenentur omnes, qui cum evidentia in atteſtãte componunt fidem de re atteſtata) quod Abraham ſciens per evidentiam naturalem, quod quidquid Deus revelat, neceſſario verum eſt; & ſciens per evidentiam ſupernam, quod Deus revelaret ſibi Incarnationem, nihilominus libere præbuit aſſenſum ſic: *Aſſentior Incarnationem mihi à Deo ſummè veraci evidenter atteſtatam*: libere inquam & potens diſſentiri, ſicut diſſenſit Zacharias. Ratio autem eſt, quia illud iudicium evidens de Deo ſummè veraci atteſtanti (in quo obiecto imbibita eſt impoſſibilitas dicendi falſum) abſtinebat à ponderanda impoſsibilitate in Deo dicendi falſum.

1880 Sic iudicium iſtud evidens Chriſti abſtinebat à ponderanda impoſsibilitate tranſgrediendi, provenienti ab vnione. Licèt autem hæc abſtinentia ponderandi ordinata divinitus à Patre pro libertate, eſſet in Chriſto rara, (quia communiter ſuperna non ſolum videbat ſed comprehendebat) tamen cognitio evidens, ita aliquando erat temperata & minus intenſa, vt poſſet tunc elicere tales intentiones circa alia opera totius vitæ exercenda, vt eſſent libera in cauſa, & propterea meritoria. Hæc ſunt, quæ in re mihi tàm abſtruſa de libertate Chriſti, potuit hebetudo mea cum magna capitis defatigatione diſcurrere, & cum formidine doctioribus offerre corrigenda, vt ab ipſis emendata, clarioribus & ſolidioribus doctrinis amplificent.

EPILOGVS QVÆST. XXXII. & XXXIII.

DE IMPECCABILITATE, ET libertate Chriſti, à bono Auctore concinnatus.

PVNCTVM I.

PRÆMISSIS, QVÆ CERTA SVNT, examinatur ſententia Schotiſtarum.

1881 FIDE Sanctum eſt. Primo Chriſtum nullum habuiſſe peccatũ. Tùm ex Lucæ 1. *Quòd ex te naſcetur Sanctum* tum ex Apoſt. ad Hebræos 7. *Sanctus, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, &c.* Quòd ſi in Scriptura inducitur Chriſtus, quaſi loquens de peccatis proprijs: intellige, ratione fidejuſſionis; vi cujus, per quandam quaſi fictionem juris, Generis humani peccata, vocavit ſua. Vide à num. 1648. ad vſquè 1653. Nequè affectus ille fugæ, quem Chriſtus expertus eſt in horto, verſatus eſt circa mortem qua obligatoriam & præceptam; (quod eſſet turpe,) ſed circa mortem, ſecundum ſe; (quod non erat turpe.) à num. 1653. vſquè ad num. 1657.

1882 Secundò certum eſt, de facto non ſolùm fuiſſe impoſsibile Chriſto peccatum, attentis donis, quibus cum repugnat componi peccatum; ſed etiam attenta poſsibilitate peccati proxima, ſeu expedita ad peccandum. num. 1657. & num. 1658. Quia *peccare* eſt incompatibile cum Viſione Beata, quæ Chriſto negari non poteſt. Pro cujus rei intelligentia nota, ſtare hæc duo poſſe: Impoſsibile eſſe, quod quis peccet: & ipſum poſſe peccare. Nam hoc ſolum rem inſpicit ex parte potentiæ: illud, ex parte exercitij: quod tamen ſpecialiter impediri poteſt, aliundè quàm ex defectu potentiæ: ſic de Prædeſtinato dici ſolet, quod damnari poteſt; & tamen repugnat quod damnetur. num. 1657 Nec his obſtat Donum timoris admiſſum in Chriſto: hic enim timor (cõtrapoſitè ad eum, qui eſt timor paſsio,) unicè fugit æquiparantiam ſui cum Divina Maieſtate. nu. 1659. Sed undenam in Chriſto hæc impoſsibilitas peccãdi? à nu. 1660.

1883 Celebris Schotiſtarum oppinio eſt, eam impoſsibilitatem peccandi de facto ex Viſione Beata, & ſpecialiſsima Dei manutentione provenire. Quare ablatis iis, & attenta ſolùm vi unionis, maneret Humanitas Chriſti peccabilis, peccato etiam compoſsibili cum Vnione. nu. 1660. & nu. 1661.

Pro-

Digitized by Google

1884 Probatur hæc ſententia 1. quia Humanitas etiam poſt unionem, ad non peccandum eget gratia efficaci, & comprincipiis diſtinctis à Verbo & Vnione; quæ poſſent divinitus denegari. à nu.1663. latè. Secundo, quia ex indè ſolum ſequitur denominatio idiomaticè peccantis, in aliena natura; quæ non magis dedecere, aut repugnare videtur quàm denominatio idiomaticè mortui, ratione alienæ naturæ. Latè à nu.1664. ad uſquè 1675. ubi urgetur hæc paritas, & evaneſcit timor, ne ſequatur defectus verbi in propria natura, præſertim à nu.1668 Tertio, quia juxta Concilia, & Patres tàm Divina, quàm Humana Natura manſit poſt unionem impermixta, cum ſuis unaquæquè proprietatibus: proprietas autem Humanæ eſt peccativitas; nequè Vnio phyſicè immutavit modum operandi proprium ipſius. à nu.1678: ergo Humanitas Chriſti, attenta ſola vi unionis, manet intrinſecè peccabilis.

1885 Nec obeſt 1. quod PP. Chriſtum aſſerant Impeccabilem *eo quod ſit Deus*, nempè ratione unionis. Dicetur enim Patres loqui exigentialiter, eo quod unio, ſeu *eſſe Deum*, connaturaliter progenitet Humanitati dona formaliter incompatibilia cum peccato. à nu.1679. ad uſquè nu. 1683. Nec obeſt 2. quod videatur requiri miraculum ad compoſitionem peccati cum Vnione Dicetur enim, tale miraculum remotiſsimè, & indifferentiſsimè ſe habere ad peccatum; ſicut miraculum bilocationis ad homicidia duo liberè commiſſa à bilocato. nu.1684 Nec obeſt 3. oppoſitio inter eſſe Filium Dei ratione unionis; & inter eſſe Filium Diaboli ratione peccati. Dicetur enim nullam inter ea extrema contradictionem eſſe. Nam eſſe Filium Dei, ſumitur ſimpliciter: eſſe verò Filium Diaboli ſolùm dicitur ſecundum quid, & cum addito, v.g. eſſe humani peccantis. Latè à num.1685. Nec demum obeſt 4. quod Humanitas ratione unionis accedat, quantùm creatura poteſt, ad Deum: qui acceſſus videtur maximum amicitiæ gradum imbibere. Dicetur enim ei acceſſum unionis eſſe de linea phyſica, valdè diverſum ad acceſſu amicabili, pertinente ad lineam intentionalem. à nu.1692. ad uſquè 1695. & 1696 ubi vulgaria abſurda repelluntur contra ſententiam Scoti.

PVNCTVM II.

NOSTRA SENTENTIA DE IMPECCABILITATE Chriſti.

1886 NOVEM aſſertionibus clauditur à nu. 1697. ad uſquè nu.1743. Prima eſt: Chriſtus ut homo nec ratione Viſionis, nec ratione Vnionis amiſit peccativitatem, ſeu potentiam peccandi formalem remotam. Ratio eſt: quia eſt individua proprietas voluntatis Humanæ. nu. 1699. voco *formalem remotam*, vim formalem volitivam, & immediatè elicitivam affectûs peccaminoſi, ſi adſint comprincipia indifferentia, per quæ tranſiret ad lineam formalis proximæ. nu.1698.

1887 Secunda eſt: Proxima peccativitas impediri in Chriſto poteſt à Deo. Ratio eſt: quia poteſt Chriſto denegare concurſum, & comprincipia indifferentia ad cadendum: ex quibus ea proxima potentia coaleſcit. nu. 1700. Quid de facto? infra.

1888 Tertia eſt: Poteſt Deus ſeparare ab Humanitate Chriſti ut unita, omnia alia ſupernaturalia dona. Ratio eſt: quia Vnio unicè cum eis donis habet connexionem exigentialem, non verò eſſentialem diviniúſque invincibilem. Nequè exindè mox ſequeretur in Chriſto proxima peccativitas: extrinſecè enim poſſet adhuc impediri. nu.1701.

1889 Quarta eſt: ſequela illa, quod verbum eſſet idiomaticè peccans, non ſufficit pro repugnantia peccati, & peccativitatis proximæ cum Vnione. Peccare enim ſolùm in aliena natura, non eſt magis abſurdum, quàm in aliena natura mori: licèt cavenda ſit hæc locutio apud vulgus. n.1702.

1890 Quinta eſt: Si nequè Verbum, nequè Vnio (ut apud Scotiſtas) ſanctificaret Humanitatem; ex vi eorum unicè radicaliter maneret impoſsibile peccatum. nu.1703. Patet: nec enim eſſet, undè haberet unio vim formalem impoſsibilitandi peccatum.

1891 Sexta eſt. Nihilominus, etſi nequè Verbum, nequè Vnio ſanctificaret Humanitatem, maneret ipſi per ſe impoſsibile peccatum, ratione regiminis, vi cujus, niſi Verbum impediret peccatum in natura aſſumpta, peccaret in propria. num.1704. & 1705. Hæc enim regiminis, & curæ obligatio ſtrictior eſt, ex intimiori nexu, quàm obligatio mariti circa actiones ſubditorum. Latè ibi. Nequè hoc eſt limitare dominium Dei; ſed Deum ſibi liberè eam curam impoſuiſſe.

1892 Septima eſt: Humanitati unitæ, ab intrinſeco unionis repugnat peccatum, ex ſanctificatione ſubſtantiali innamiſsibili Verbi. Primo ex argumentis à nu.1679. Secundo à paritate Gratiæ habitualis: ex qua colligitur à fortiori in dono unionis majorem ſanctificandi vis, cum ſit ſtrictior, & major Divinæ Naturæ participatio. nu. 1706. & ſeqq. Tertio ex alligatione ad ſuppoſitum Divinum, quæ unione fit, neceſſario afferente munditiem, & ſanctitatem Humanitati. Quarto, quia ad peccatum requiritur in Humanitate Poſſe elicitivum, & receptivum: & unio ſaltem impedit receptivum. à nu.1705. 1710 & ſeqq. ubi etiam alia.

1893 Octava eſt: eſtò ex vi unionis repugnet Humanitati peccatum ex parte actus, ſeu exercitium peccati: non verò ex parte potentiæ, ſeu potentia peccandi. Nam compoſsibilia ſunt ex num 1657. & num.1715. impoſsibilitas peccandi exercitè, & alioquin poſſe peccare: Sanctitas enim, licèt peccatum excludat, non vero poteſtatem peccandi. Vt infra.

1894 Nona & ultima eſt: Nihilominus non eſt poſsibilis Humanitati Vnitæ actus peccati, quo diſſolvatur unio. à num.1732. Quia peccatum deſtructivum Vnionis ſupponit unionem; vi cujus, ſi peccaret Humanitas, peccaret Verbum in propria natura, quod implicat. nu.1734. Argumenta Scotiſtarum contra hæc, habes ſoluta à nu.1725. Quæſtiones alias de fomite peccati, de motibus primo primis, & habitu vitioſo à nu.1741. ad uſq; 1751.

PVNCTVM III.

DIFFICVLTAS PRO CONCORDIA LIBERTATIS Chriſti cum impeccabilitate, Præcepto, & Viſione.

1895 STAT in eo: primo, quia Chriſtus, utpotè impeccabilis, peccare non potuit: ſi ergo præceptum habuit, quomodo manſit liber ad omiſsionem rei præceptæ, quæ peccatum foret? Secundo: quia per Viſionem beatam videbat anima Chriſti voluntatem Patris circa ſe; quomodo ergo manſit liber ad recedendum: eſſet enim moralis imperfectio? nu.1743.

1896 Et quidem fuiſſe in Chriſto quoad aliqua præceptum obligans in Conſcientia, negari non debet. Primo: quia Chriſtus ut homo, eſt minor Patre, ipſiq; ſubjectus: potuit igitur obligari per leges nu. 1745. Secundo: quia eſſe obligatum in conſcientia, nihil eſt aliud, quam reddi omiſsionem alicujus actionis illicitam: at Chriſto plures omiſsiones & actiones, titulo illicitæ, fuerunt impoſsibiles. num.1746. Tertio, ex lege naturali, à qua non exemit Humanitatem ſtatus hypoſtaticus. Latè num.1747. 1748. & ſeqq. Quarto ex dono timoris, quod negari Chriſto nequit, & cujus objectum ſpecificativum eſt ſummiſsio fugientis æquiparantiam ſui cum Deo: ſi ergo timere hanc potuit, obligatus eſt eam fugere. nu.1751. Quinto à paritate dictaminis obligantis in conſcientia, quod dictamen, ſicut nequè Deo negatur, ita nec Chriſto negari poteſt, à nu.1752. Tandem id clamant Scripturæ. à nu.1755.

Plu-

1897 Pluribus viis tentata eſt concordia libertatis Chriſti cum impeccabilitate & Præcepto. Prima negavit præceptum obligans in conſcientia. à num. 1755. ſed hæc impugnata jam eſt. Secunda ſolum admittit libertatem quoad circunſtantias rei præceptæ, v.g. tempus, locum, motivum, &c. à nu. 1759. ſed hæc relinquitur. Tum quia parum conformis Scripturæ. nu. 1760. Tum quia nos redempti ſumus per actum obedientiæ circa mortem ipſam, atquè adeò per liberam executionem rei, ut præceptæ. nu. 1761. & ſeqq. Tertia recurrit ad ſenſum compoſitum, & diviſum, modo quo de phyſica prędeterminatione dici ſolet. à nu. 1765. Sed hæc etiam relinquitur, quia nequè doctrina prædeterminationis ſatis aptari poteſt ad rem prę-ſentem. nu. 1765. 1766. & ſeqq. Quarta recurrit ad extrinſecitatem præcepti, quod non immutat modum operandi, per auxilia omnino indifferentia, ut dici ſolet de prædefinitione Sed hæc etiam, niſi magis explicetur, & reducatur ad noſtram, de qua infra, relinquitur. à nu 1760. ad uſquè 1775. Nam vel manet in Humanitate poteſtas omittendi rem præceptam, ſeu tranſgreſsionis; vel non? Si ſecundum: ergo præceptum cum impeccabilitate conjunctum non ſinit indifferentiam operandi. Si primum: eſt ſententia, quàm explicabimus.

1898 Via inter alias hucuſquè aſsignatas, tutior eſt, quę petitur ex libertate petendi diſpenſationem. à nu. 1776. Si enim erat in manu Chriſti petere & obtinere diſpenſationem de præcepto impoſsito ſibi à Patre circa mortem, libere mortuus eſt, & ex obedientia, quia potens præceptum tollere, noluit; & imò voluit ex præcepto mori. Vide hanc ſententiam defenſam à num. 1776. ad uſquè 1786. accedamus verò ad propriam & ſpecialem viam.

PVNCTVM IV. ET §. I.

CARDO CONCORDIÆ, INVESTIGATA ESSENTIA libertatis.

1899 EX hac pendet tota concordia Pro cujus intelligentia nota primo duo genera requiſitorum, & cauſarum, ſeu requiſita, & cauſas duplicis lineę præcedere communiter ad quamvis operationem. Alia ſunt requiſita, ſive præſuppoſita, & præeuntia de linea virium, & operandi. Alia ſunt requiſita ſive præeuntia de linea Providentiæ, & applicationis talium virium. Requiſita de linea virium, & operationis conſtituunt cauſam in ratione cauſæ proximæ, v.g. voluntas ipſa, judicium indifferens & concurſus Omnipotentiæ. Requiſita de linea Providentiæ, & quæ unicè requiruntur pro applicatione, vel diſpoſitione virium, manent extra eſſentiam cauſæ proximæ, & purè in linea cauſæ remotæ. Ratio eſt: quia cauſa proxima eſt quæ præcontinet operationem, & de qua dicitur quod poſsitis omnibus prærequiſitis poteſt operari & non operari. ſolæ autem vires ad operandum, ſeu ſola requiſita de linea virium & operandi, præcontinent ipſam operationem. Latè. à nu. 1787. & rurſus à nu. 1802.

1900 Hæc diſtinctio à nulla Schola negari poteſt. Nam in Schola Thomiſta ſine hac diſtinctione vix poteſt inveniri concordia libertatis cum decretis antecedenter prædeterminantibus, vt dictum eſt tract. de Scientia Dei à nu. 284. & rurſus hic à nu. 1802. In Schola Scientiæ Mediæ, non ponitur operatio ſine prædefinitionibus, vel ſaltem ſine præeunte complexo ſcientiæ ipſius Mediæ, & decreti dantis auxilium voluntati. Ecce requiſita duplicis lineæ: de linea operandi, ſeu virium; & de linea applicandi, ſeu Providentiæ; proxima, & remota. à nu. 1787. & à nu. 1802. & à nu. 1823.

1901 Nota 2. Inter has lineas requiſitorum ſive pręeuntium, ſeu inter requiſita proxima & remota, dari communiter magnam diverſitatem. Nam cum ſpectent ad lineas diverſas, habent diverſas conditiones, & diverſos reſpectus ad operationem nu. 1789. & num. 1802. Vndè contingere poteſt primo, ut remota ſint ſuperna: proxima vero, & operatio ſint naturalia & propterea operatio ſit naturalis, quia de remotis non curandum; ſic accidit in motu naturali lapidis bilocati. num. cit. Secundo: Vt remota ſint connexa cum una parte, & modo exercitii; proxima verò ſint inconnexa, & indifferentia ad partem utramlibet, & propterea operatio ſit libera & indifferens, quia de remotis non curandum; ſic accidit in via Scientiæ Mediæ: ubi prædefinitio, ſeu complexum Scientiæ Mediæ ſunt rationes connexæ cum exercitio determinato; & tamen vires proximæ manent inconnexæ & indifferentes, & operatio eſt libera. Vide alia exempla. à nu. 1794. & à nu. 1802. & tandem à num. 1874 1875. &c.

1902 Nota 3. quod ex immediatè notatis legitimè naſcitur; operationem poſſe ſumi comparativè ad requiſita remota, & attenta ea linea, manere impeditam & impoſsibilem; & poſſe ſumi comparativè ad requiſita proxima; & attenta ea linea manere poſsibilem, & ponibilem. Vndè conjungi poſſunt poſsibilitas, & impoſsibilitas ejuſdem operationis liberę attentis diverſis lineis requiſitorum, ad quæ comparatur. à nu. 1789. Vide plura exempla n. 1754. nu. 1795. & ſeqq & tandem à nu. 1843. Sufficit hic unum. Compara amorem prædefinitum, cum prędefinitione, ſeu complexo Scientię Mediæ, & Decreti: & invenies omiſſionem ejus impeditam, & impoſsibilem, attenta ea linea. Si verò comparas cum viribus proximis, invenies indifferenter ponibilem, atquè adeo omiſsionem ejus poſsibilem: quod exemplum clarum eſt.

1903 Nota 4. eſſentiam libertatis unicè ſtare in requiſitis de linea virium, & operandi, ſeu proximis. num. 1787. Vndè quidquid ſit de requiſitis remotis, de quo impedimento, & impoſsibilitate ex ipſis emergenti, dummodo comparativè ad requiſita de linea operandi, ſeu virium, ſeu ad Poſſe proximum, verificetur voluntatem poſſe operari & non operari, ſalvatur eſſentia libertatis. quia ſalvatur, & verificatur tota ejus definitio. num. 1788. & à num. 1810.

1904 Nota 5. In Chriſto Domino ſtatum Vnionis, & Viſionis Beatificæ, annumerari debere inter requiſita ſive inter præeuntia remota, & extra lineam virium, & extra Poſſe proximum ad operandum. Vndè nequè unio, & impeccabilitas ex indè pullulans; nequè Viſio, & neceſsitas amandi Deum indè progerminans, poſſunt lædere, vel immutare modum indifferenter operandi, ſi manent extra lineam *Poſſe* proximi, & in linea remotorum. nu. 1789. & num. 1846.

1905 Non tamen eſt una, & eadem ratio pro utroquè. Ratio cur Vnio hypoſtatica maneat in linea requiſiti remoti, eſt quia Vnio, licèt ſit de linea complendi Humanitatem in eſſe ſuſtantiali, non eſt de linea virium, nequè habet vim influxivam in operationem, nec immutativam earum, aut iudicij indifferentis, magis quàm ſi ibi non eſſet: ergo tota poteſtas proxima ad operandum, & tota linea virium reſidet conſtituta, præciſim ab ipſa unione, habente ſe à remotis, & non immutantibus modum operandi. nu. 1790. & à nu. 1816.

§. II. *DE VISIONE BEATA.*

1906 CVR autem Viſio Beatifica maneat in linea remotorum, & ſinat locum judicio indifferenti difficilè explicatu eſt. Nam viſio & eſt de linea directivè operativa, & eſt etiam iudicii indifferentis, omninò immutativa, quia licèt judicium Scientiæ infuſæ proponat Chriſto quodlibet objectum bonum indifferenter (ideſt vel cum aliqua admixtione mali, vel ſaltim cum bonitate taliter temperata vt non rapiat. Vide à nu. 1817.) ſed viſio Beata proponit Chriſto omnia objecta à ſe amplectenda, non ſolum tanquam bona, ſed tanquam à Deo conſulta,

imò

Digitized by Google

imò efficaciter volita, & quod impoſsibile ſit Chriſto à voluntate Dei ſumi boni, & ſuper omnia amandi, vllo pacto recedere. Ergo judicium Beatificum omninò immutat cognitionem ſcientiæ infuſæ, & obruit iſtius indifferentiam. Vide à num. 1834. Cum autem Viſio Beata detur à Deo antecedenter & pro priori ad omnem operationem liberam, vtpotè data per modum proprietatis ex nu. 1831. impotentia non faciendi aliquid viſum vt à Deo volitum, eo ipſo eſt impotentia antecedens, & eſt à comprincipiis. Quomodo ergo à remotis? Vide à nu. 1816. Vbi quomodo diſponenda comprincipia pro Poſſe proximo.

1907 Reſpond. ergo perſiſtendo in dictis, eſſe quidem à remotis & concommitantibus, & Viſionem Beatam nec dirigere, nec ſcintillare in operationem liberam aliquid per quod indifferentia judicii immutetur, & hoc fundatur in ſimultate ſtatus duplicis, Beati ſimul & Viatoris, introducta à Deo in Chriſto per diſpenſationem omninò mirabilem. à nu. 1846. Mirabilitas diſpenſandi in conjungendo hos duos ſtatus in Chriſto, ſtat in eo quod in eadem Anima Chriſti Domini, quaſi diviſerit Deus, medio quodam quaſi pariete feneſtrato aut velo (ſicut in Templo Salomonico inter Sancta Sanctorum & Sancta adumbrantia hos duos ſtatus) portiones duas, alteram pro ſtatu Beati; alteram pro ſtatu Viatoris: quin una alteram interturbaret quoad requiſita cujuſquè propria, & proxima; licèt ex una ad alteram per illam quaſi feneſtram, aut tenuitatem veli ſæpè irradiaret plurima lux (ſed nõ ſemper); ſine variatione tamen requiſitorum, & judicii indifferentis prò ſtatu Viatoris. nu. 1846. ubi hanc diſtinctionem explicatam habes, & defenſam à num. 1847. & ſeqq. ſic ſummum gaudium in horto, ſummam triſtitiam non impediebat. Sic ergo Beata Viſio manet à remotis, & extra lineam Poſſe Proximi & Virium conſtituentium ſtatum Viatoris in Chriſto. Vide hic Quæſt. 34. Art. penult. de inertia.

1908 Infertur ex his primo, benè & omninò decenter componi in Humanitate Chriſti poſſe, intrinſecam impoſſibilitatem ratione unionis, & ſimul potentiam proximam mixtam peccandi ex parte potentiæ. (*Mixtam* voco: quia habet admixtam impoſſibilitatem intrinſecam actus peccaminoſi, ortam à linea remotorum, nẽpè Vnionis. nu. 1790.) Ratio illationis eſt ex not. 3. & ibi cit. quia actus peccandi conſiderari poteſt comparativè ad lineam virium, & operandi; & ſic eſſe poſſibilis, attẽta linea potentiæ immediatè operativę; & comparativè ad lineam remotorum, qualis eſt Vnio; & ſic eſſe, attenta eâ linea, intrinſecè impeditus, & impoſſibilis. num. 1790. & ſeqq. & rurſus 1804. & ſeqq. Ergo benè componitur potentia ea proxima mixta peccandi cum impeccabilitate Chriſti ratione Vnionis. Vide à nu. 1805.

1909 Infertur 2. etiam optimè componi cum Viſione Beata, judicium indifferens ex parte Viatoris circa ea, quę à Chriſto Domino erant liberè peragenda. à nu. 1830. ubi ponderationem difficultatis habes, & à nu. 1846. ubi reſolutionem. Ratio eſt ex num. iſto, quia ſi ex divina diſpenſatione inter ſtatum Beatificum, & ſtatum Viatoris interpoſitus eſt quidam quaſi paries, ita ut licèt alter alterum perficeret, unius tamen dotes non redundarent in diminutionem requiſitorum ad alterum, neceſsè eſt ut Viſio maneret à remotis, & ſolum commitantibus & non influentibus, & relinqueret cum ſua indifferentia ſtatum Viatoris. à num. 1846. Nec obeſt quod Chriſtus cognoſceret ſuam impeccabilitatem, & indeclinabilitatem ratione unionis & viſionis, & valdè diverſa eſt propoſitio objecti indifferentis, quando opus contrarium cogitatur bona fide vt poſſibile, ac ſi cogitetur ut certo impoſsibile ex num. 1872. Non, inquam, obeſt: nam ſimul cognoſcebat ea provenire ſibi à remotis; ſalvariq; nihilominus *Poſſe Proximũ*, in quo ſtat eſſentia libertatis. Vide à nu. 1951. & ſeqq. Niſi dicere velis ſuſpendi Chriſto à Deo in pũcto operationis, eam cognitionẽ impoſſibilitatis, ut proponitur à nu. 1872.

1910 Infertur 3. Non obeſſe libertati, quod operatio oppoſita liberæ, ſit aliquo modo impoſſibilis, dum modo ea impoſſibilitas tota ſit à remotis; & operatio maneat ſecundum ſe poſſibilis, & poſſibilis, attenta linea Cauſę proximæ, ex qua metienda libertas. Vide nu. 1792. & 1810. & ſeqq. ubi explicatur quid ſonet potentia proxima operandi, ſignate: & quomodo dari poſſit potentia ad impoſſibile: pro tollendis nonnullis ęquivocationibus Scholarum.

PVNCTVM V.

CONCORDIA TRIPLEX: LIBERTATIS, & impeccabilitatis cum Præcepto: libertatis cum Viſione Beata; & ejuſdem libertatis cum impoſsibilitate Moralis imperfectionis.

1911 RATIO primæ Concordiæ ſic formatur ex præſuppoſitis. Si Chriſtus alioquin intrinſecè impeccabilis ratione Vnionis, non eſſet liber quoad opera præcepta, maximè ex impoſſibilitate intrinſeca tranſgreſſionis; atqui hoc non obſtat: ergo eſt omninò liber quoad opera præcepta. Probatur minor: ſtat benè impoſſibilitas intrinſeca tranſgrediendi, cum potentia proxima tranſgrediendi, & cum eo quod Chriſtus poſſet ex parte potentię tranſgredi præceptum in ſenſu compoſito præcepti compoſſibilis cum Poſſe: ergo ſtat benè libertas cum ea impoſſibilitate intrinſeca tranſgrediendi. Conſequentia patet: quia libertas ſtat in Poſſe proximo, nec attendit ad impoſſibilitates ſui actus contrarii, aliundè provenientes. Antecedens eſt clarum. Quia impoſſibilitas tranſgreſsionis tota provenit à remotis, nempè ab Vnione; ſed cum impoſſibilitate actus à remotis ſtat benè, potentia proxima ejuſdem actus ex ſupra notatis & probatis: ergo. Ecce concordiam libertatis Chriſti, ejuſquè impeccabilitatis cum præcepto in ſenſu compoſito præcepti. Nam in ſenſu diviſo præcepti, Poſſe omitere nõ ſufficeret pro libertate. ¶ Sed cur ſufficit poſſibilitas ommittendi actum prædefinitum in ſolo ſenſu diviſo prædefinitionis pro libertate, & non ſufficiat pro ea poſſibilitas in ſenſu diviſo præcepti? Reſpondetur quod libertas petit Poſſe in ſenſu compoſito proximè ſe habentium; & de remotis non curat, nec de eorum ſenſu compoſito, nec de diviſo. Vide à nu. 1819.

1912 Ratio ſecundæ concordiæ ſic etiam formatur ex præſuppoſitis. Si Viſio Beatifica obſtaret in Chriſto Domino, libertati, maximè quia abſorberet, & impediret judicium indifferens requiſitum ad libertatem: ſed in Chriſto neque abſorbet illud, neque tollit: ergo Viſio non obſtat, libertati. Probatur minor: quia ex diſpenſatione divina volente in Chriſto duplicem ſtatum Beati & Viatoris, ita mirabiliter diſpoſitus eſt uterquè, ut alter alterum non impediat, quaſi paries eſſet inter utrumquè. Vndè licèt ex ſtatu Beatifico ſcintillarent ſæpè notitiæ aliquæ in ſtatum Viatoris, ſæpè tamen impediebantur, quando id poſtulabat indifferentia judicij pro uſu libertatis, ſicut in Horto & Cruce impedita eſt ſcintillatio conſolationis de uno ſtatu in alium, ut ſic poſſet Chriſtus ſummè triſtari & poſſet de ſua derelictione conquæri: ergo potuit dari in Chriſto, & fuit verè judicium indifferens conſtituens ſtatũ Viatoris, non obſtante Viſione Beata. Sed hoc judicium ſufficit, ut per ſe patet, ad liberè operandum: ergo.

1913 Ratio tertiæ concordiæ eſt: Nam licèt Chriſti Humanitati ſit impoſſibilis phyſicè ex parte actus, moralis imperfectio. nu. 1866. tota ea impoſsibilitas provenit, & ſumitur à remotis: ergo componi poteſt cum ea impoſſibilitate potentia proxima, attenta linea virium & operandi, modo quo dictum eſt circa res præceptas. Sed hæc potentia proxima ſufficit ad plenam libertatem: ergo cum impoſſibilitate moralis imperfectionis in Chriſto benè componitur libertas quoad opera Conſilii. Vide à num. 1857.

Digitized by Google

1914 Poſt hæc ſcripta & prælo commiſſa, incidi in tom. 3. diſp. ſelect. nuper editum à doctiſsimo P. Fyrſo Gonzalez: ubi diſp. 30. ſect. 3. 4. & ſeqq. à num. 15. totus eſt in hac concordia, pro qua duo docet. Primum: ſtare non poſſe libertatem Chriſti quoad præcepta ſaltem indiſpenſabilia, niſi in Humanitate ponatur poteſtas evitandi ipſam unionem Hypoſtaticam, à qua proveuit impeccabilitas. Secundum: dari proindè eam facultatem evitandi Hypoſtaticam Vnionem: quæ facultas cum ſit facultas proxima peccandi, fatetur nu. 19. componi cum Vnione in Chriſto proximam potentiã peccandi. Non probo per omnia hanc doctrinam, tum propter adducta ſupra à nu. 1732 ſed precipuè à nu. 1639. tum ex diſparitate quàm video ad Prædefinitiones, ex quarum guſtu, diſcurrit hic graviſsimus Author. Gaviſus tamen ſum, quod in admittenda in Chriſto Potentia proxima peccandi cum tanto Doctore convenerimus, fraſsi tamẽ mitiori mihi videor locutus, dum eam ſolum appellavi Potentiam proximam mixtam peccandi ex num. 1790.

QVÆST. XXXIV.

DE MOTIVO INCARNATIONIS iterum & de merito Chriſti.

1915 MERITI Chriſti notitia valdè pendet ab ordine decretorum, ut ex dicendis conſtabit. Sed quia ſententiam de Chriſto Redemptore primo omnium decreto, quàm defendimus hic quæſt. 13. aliqualiter plus inveſtigare, & etiam immutare cogimur, vi divinæ & domeſticę manifeſtationis preſsi, ideò iterum de hoc aſſumpto agendum.

ART. I. ET §. I.

INCARNATIONIS MOTIVVM, PROBLEMATICE eſt Redemptio, vel excellentia Myſterii.

1916 ANum 605. poſuimus tres ſententias. Prima eſt quod fuerit decretus Chriſtus abſolutè ob excellentiam Myſterii, præſcindendo à paſsibili vel impaſſibili, & conditionatè decretus paſsibilis ad Redemptionem, ſi Adam peccaret. Secunda, quod Redemptio fuerit motivum, ſed ita ut fuerit decretus Redemptor poſt abſolutam prævifionem peccati Adami, iam antea decreti. Tertia quod fuerit decretus ante alia omnia abſolutè ut Redemptor peccati, quod Deus permittebat ante abſolutã peccati prævifionem Et hanc tertiam ſententiam ſecuti ibi ſumus, quàm modo problematicè defendere intendimus, quia prima ſententia nos valdè allicit propter ſtatim dicenda. Sed quia Pater Bernal & alii Docti Recentiores impoſsibile judicant tale Dei decretum abſolutum de Redemptione ante peccatum abſolutè prævifum, utpotè quod exiſtimẽt obligare Deum, ut ſit Auctor peccati, quorum argumenta ſoluimus ſupra nu. 661. Modo igitur.

1917 Aſſero 1. Non repugnat, quod Chriſtus ante omnia alia fuerit decretus abſolutè Redemptor ante prævifionem abſolutam peccati, ſicut ante iſtam poteſt à Deo pœnitentia efficaciter prædefiniri, ut effectus prædeſtinationis. Hæc aſſertio abundè probata eſt ſupra à num. 637. ſed præcipuè à 650. Solum ſupereſt quod argumentum ibi factum à num. 682. de eo quod Deus innocentiam ex ſe ipſo impediret, ſi decerneret ex ſe ipſo Redẽptionem vel pœnitentiam efficaciter, ante abſolutam prævifionem peccati, iterum clarius ſalvamus; eſt enim valdè nodoſum & irretitum; & prima vice qua Cæſarauguſtæ propoſitum fuit in publicis Theſibus, per R. P. Ioſephum Andres Authorem libri nuncupati Decor Carmeli, Virum in Theologia valdè Doctum & verſatum, & de Carmelitis optimè meritum, magna apud Auditores ejus difficultas excitavit commotionem & plauſum, me præſente, omnibus reſpondere conantibus, & veram ſolutionem difficulter invenientibus.

1918 Argumentum ergo eſt tale. Volitio efficax unius finis, eſt nolitio efficax contrarii, vel inducẽtis contrarium. V. g. volitio efficax conſervandi vitam, eſt nolitio virtualis efficax inflictionis vulneris lætalis; atqui innocentia inducit contrarium Redemptionis, ſcilicèt impeditionem peccati (ſimpliciter & eſſentialitèr requiſiti ad Redemptionem, ſicut ad pœnitentiam), quæ impeditio inducit non Redemptionem. Ergo volitio efficax Redemptionis, erit nolitio efficax innocentiæ, quod abſurdiſsimum eſt.

1919 Nota 1. diverſum quid eſſe quod unum pendeat ab alio, ſaltim ut à requiſito ut ſit, ideſt in ſuo eſſe; & quod pendeat ab illo in amari vel induci, ita ut ab amante vel inducente unum, neceſſario debeat amari & induci aliud. Hoc enim non ſemper eſt verum, quod qui efficaciter vult, & inducit unum, eo ipſo debeat amare & inducere aliud, à quo res amata pendet, ut à requiſito. Si enim conſtat quod detur alius qui inducat, id ſufficit ut principalis volitor non obligetur velle, nec inducere. Hoc latius conſtat ex adductis à num. 653. & ſic, quia adeſt homo, qui amet & ponat peccatum ut materiam deſtruendam, & ut requiſitum à quo pœnitentia pendet in ſuo eſſe, ideò Deus decernens iſtam, nec vult, nec inducit illud, ſed permittit, ut homo inducat, quia permittere ſufficit.

1920 Hinc nota 2. quod amans efficaciter, & ponens unum, non propterea amare, vel ponere partes eſſentiales rei amatæ, quando alius eſt qui ponat. Probatur in uno homine volẽte gignere, & habere filium, qui non obligatur ponere materiam primam, nec animam rationalẽm, ſed ſolam unionem, quia jam datur Deus qui illas producat. Imò, nec amare amore illo efficaci, quem quis habet circa rem, ſiquidè qui deſiderat, & vult efficaciter inimicũ vulneratum, ſuſpenſum vel mortuum, licèt ſit amator efficax, vel inductor illius complexi, non propterea amat illum ut partem complexi amati. Dices. Si complexum inimici mortui attingatur affectu deſiderativo vel intentivo, eo ipſo attingitur utrumquè affectivè. Ergo amatur. Reſponderi poteſt, amari indirectè & in alio, ideſt in illo complexo. Melius nos ſæpè reſpondimus, attingi affectivè quaſi appræhenſivè, ideſt per attingentiam de linea affectiva, per quàm Petrus ipſe ſit tactus quaſi ſpeculativè appræhenſive, ſed non amatus.

1921 Nota 3. Innocentiam & pœnitentiam pro recto non eſſe eſſentialiter immediatè oppoſitas, ſed pro obliquis præſupoſitis contingentibus. Prima pars patet, quia innocentia in recto, vel ſumitur pro ſtatu gratiæ, & cum hoc non pugnat actus pœnitentiæ ex ſe; vel ſumitur pro habitibus vel actibus ſupernis virtuoſis, & nec cum his ſecundum ſe pugnat pœnitentia, ſiquidem D. Petrus tota vita fuit pœnitens, & tamen exercebat omnes virtutes. Inſuper actus penitentię ex eſſentia ſua, cum ſit actus voluntatis, non ſpecificatur à peccato vero, ſed ab eo ut propoſito, ad quod ex conceptu ſuo ſufficiebat peccatum exiſtimatum. Vndè nulla eſt oppoſitio eſſentialis cum innocentia in recto.

1922 Solùm ergo datur contrarietas ex parte obliqui, ſcilicèt peccati præſuppoſiti à pœnitentia; & carentiæ peccati, præſuppoſitę ab innocentia, & hæc contrarietas obliquorum, ſolum eſt quoad eſſe, ſecùs comparativè ad divinam voluntatem, & quoad velli ſive induci, nam cum peccatum non ſit à Deo volitum, ſed purè permiſſum, non eſt contrarietas in eo quod carentia peccati requiſita ad innocentiam, ſit inefficaciter & ſerio volita, imò & procurata.

1923 Ex his reſpondetur in forma ad argum. volitio efficax

efficax inductiva finis eſt eo ipſo nolitio efficax, ſaltiùm virtualis contrarii & inducentis contrarium. Duas partes habet hæc propoſitio, unam de contrario, & aliam de inducente contrarium. Diſtingo illam primam partem: eſt nolitio contrarii, in eo in quo verè contrarium eſt, & finis verè volitus eſt, concedo. In eo quod, vel illud contrarium non eſt, vel finis volitus non eſt, nego. Vndè volitio pœnitentiæ non eſt nolitio innocentiæ quoad rectum, quia in recto contraria non ſunt. Reſpectu autem obliquorum carentia eſt quidem contraria, obliquo pœnitentiæ, ſcilicèt peccato. Sed iſtud à Deo volitum non eſt, ſed permiſſum & volita inefficaciter carentia peccati. Diſtingo, 2. partem maioris: volitio efficax finis, eſt nolitio virtualis inducentis contrarium, diſtingo: ſi illa volitio finis ſit ſimul efficax volitio alicuius verè oppoſiti, cum inducente contrarium, concedo. Si non ſit volitio ſed permiſsio oppoſiti, nego maiorem. Volitio autem efficax Redemptionis, aut pœnitentiæ ſolum eſt permiſsio, & non volitio peccati, cui ſoli contrariatur innocentia, ſive carentia peccati (quæ eſt inducens contrarium pœnitentiæ vel Redemptionis.) Cõcedo autem minorem, quod innocentia prout importans carentiã peccati, induceret quoad rem contrarium Redẽptionis, ſcilicèt non Redemptionem, per ſubſtractionem materiæ eſſentialis Nego tamen conſequentiam, nempè quod volitio pœnitentiæ ſit nolitio innocentiæ; ſiquidem licèt pœnitentia & carentia innocentiæ ſint concatenatæ, quoad requiri, ſecùs quoad velli vel induci, ſiquidem conſequentur ſuam catenam quoad eſſe, per permitti à Deo contrarium, ſcilicèt peccatum quin concatenentur quoad velli vel induci.

1924 Aſſero 2. etiam admiſſa ſententia de excellentia Myſterii pro motivo Incarnationis, decretum abſolutè de pœnitentia aut Redemptione ante prævisum peccatum, valdè utile eſt pro pœnitentia ut effectu Prædeſtinationis, & pro Redemptione peccatorum actualium ſubſequentium, & ſupponentium Chriſti Redemptionem, ejuſquè merita, & ſic pro his admittendum tale decretum de facto. Hoc ſatis manet probatum ſupra à nu. 630. & ſic in hoc non immorandum.

§. II. DE 2. PARTE PROBLEMATIS.

CHRISTVS FVIT DECRETVS PRIMO OMNIVM ut finis, & fuit decretus ob excellentiam Myſterii, ex S. Magd. de Pazzis & Maria de Agreda.

1925 HÆC ſententia Scoti & Patris Suarez, problematicè à nobis amplexanda eſt; eo quod poſt primam partem Incarnationis typis à nobis mandatam, invenerimus eſſe ſententiam expreſſam noſtræ Sanctæ Magdalenæ de Pazzis in extaſi & ex divina revelatione ab ipſa non ſemel, ſed multis in locis prolatam & aſſertam. In libro enim intitulato: *Divinarum intelligentiarum Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis*, impreſſo Neapoli Anno 1666. (quem iterum typis mandabimus Deo dante, fortè anno currente) lib. 4. cap. 10. num. 2. loquens ait:

1926 *Vndecimus canalis eſt Conſilii, &c. Conſilii ab æterno, à ſe ipſo, per ſe ipſum, & in ſe ipſo, generando enim Pater Verbum, ut Humanitatem aſſumeret Conſilium iniit.... Et hoc eſt Conſilium inexcrutabile, ut non poſſit, nec inveſtigari, nec à creatura capi, hac de cauſa cum ſilentio præteribo. Et ab hoc Conſilio, aliud inter Patrem & Verbum cum Spiritu Sancto, ortum eſt. Æternum Conſilium creandi Angelos* (nota hii *ortum eſt*) .... *Hac communicatione contentus, cum ſit ipſe bonitatis infinita, creaturam rationalem, ideſt hominem, in ſumma innocentia creare decrevit, ut in eo ſua dona communicare poſſet. Hoc fuit opus creandi creaturas, communicationiſque Conſilium. Ex hoc ortum eſt Conſilium glorificandi eandem creaturam, motus à ſe ipſo, &c.*

1927 Proſequitur ibidem, loquens de caſu Angelorum, & poſtea num. 3. de caſu primi hominis, ita loquitur: *At ſtatim ac creatura hac producta eſt, ſuas conſiderans magnitudinem, nobilitatemquè, &c. Adeò ergo proprium ſuum eſſe affecta eſt, ut Deo ſimilis voluerit fieri arboris vetita commeſtione, alium Deum ſe evaſurum exiſtimans.... Sed quia ab Angelo Dæmone reddito, ſeducta fuerat, nec in ſuo propoſito adeò tenax eſt ſicut Lucifer, capax remedii extitit. Ex hoc novum ortum eſt Conſilium* (ecce novum decretum de Redemptione) *quod Verbum ſibi ipſi dedit, in Patris idea Spiritu Sancto concurrente, illum conferendo. Fuitquè novus inveniendi modus, quo ad recreandam creaturam jam creatam veniret.*

1928 Numero autem 4. proſequitur, loquens de duello inter Iuſtitiam & pacẽ, & quod Iuſtitia retinebat ut Verbum non veniret, pax vero ut veniret, poſt quã altercationem, pax victoriam reportavit. Proſequitur ergo hic: *Iuſtitia autem tota ſe verbo recepit, volens* (*nam Verbum ad creaturam exaltandam venire decreverat,*) *ut tota juſtitia de peccato ab homine commiſſo, ſuper ipſum exequeretur.* Ecce quomodo poſt explicata decreta de Aſſumptione Humanitatis, & de creatione Angeli & hominis propter illam, atquè de glorificatione utriuſquè, novum Conſilium ſive decretum de redimendo homine poſt prævisum peccatum, & de ſatisfactione redenda divinæ Iuſtitiæ, ſatis clarè introducit. Idem ſatis latè iterum explicat lib. 7. cap. 6. præcipuè à num. 3. Multò autem clariùs locuta eſt lib. 3. cap 18. num. 4. his verbis nomine Æterni Patris prolatis.

1929 *Dicam ampliùs Filiola: quod quamvis priuſquam Verbum à Maria Humanitatem aſſumpſiſſet, & pateretur & moreretur in illa, ego vellem creaturis rationalibus gloriam dare; & quamvis Adam non peccaſſet, in Paradyſum Vos adduxiſſem, & Verbum etiam Incarnatum fuiſſet; nihilominus tàm magna Creatoris gloria, Verbiquè magnitudo nequaquam manifeſtata fuiſſet; Verbum enim non triumphator, ſed glorificator fuiſſet, & ab hujus triumphi gloria defeciſſet ..... Ac ita non adeò mea bonitas & miſericordia, quàm ſatisfactio, apparuiſſet.* Quid clarius? Idem habet lib. 7. cap. 6. n. 7.

1930 He doctrina eſt etiã Venerab. M. Mariæ de Agreda tom. 1. de Civitate Dei à nu. 39. & 73. dicentis, Deum ex ſumma inclinatione ſe & ſua Attributa, & perfectiones ad extra communicandi decreviſſe ut opus primum & ſummum, Incarnationem quoad ſubſtantiam, ob ſummam tantæ communicationis excellentiam, & vt finem propter quem omnia alia creare decrevit ad maiorem Dei hominis exaltationem. Vndè fuerunt decretæ omnes gratiæ, & perfectiones tribuendæ Chriſto ut homini, & etiam decreta fuit Maria quaſi in ſecundo loco, & ante omnia alia, ut eſſet Mater Dei digniſſima. Poſtea autem decretis Angelis, & gratia illis danda ex Chriſti meritis, ut eſſent membra & vaſalli ipſius, & tandem poſt ipſos decreto Adamo & hominibus propter Chriſtum, & prævisſo peccare, omneſquè ſuos poſteros (dempta Maria Matre Dei) originaliter maculare, decretum eſt, ut Humanitas in qua Incarnabatur, veniret paſsibilis ex num. 48.

1931 Hæc ſententia quantum ad primam partem de Incarnatione primo decreta ob excellentiam Myſterii, fortiter probant textus Scripturæ adducti ſupra à nu. 621. de eo, quod primo decretus ſit Chriſtus; id autem quod pendet à libera Dei voluntate ex Scriptura, vel ex illis quibus Deus manifeſtare dignatus eſt, colligi debet. Ratione autem ſatis congruenti probatur. Tum quia cum eſſet ſummum inter opera Dei & Deo ipſi immediatius, rectus ordo poſtulabat, ut eſſet primo intentum, tanquam finis omnium, & quod potiùs omnia decernerentur propter ipſum, quàm ipſe propter illa. Tum quia ſi intentum & finis Dei ſe & ſua communicandi, erat manifeſtatio ſuorum Attributorum, cum iſtud eſſet præcipuum medium, debebat incipere ab ipſo, & non ab alio in quo ſe exponeret contingentiæ non obtinendi iſtud. Daretur enim contingentia, ſi ad obtinendum iſtud, neceſsè fuiſſet Adæ peccatum expectare, ſicut dabatur contingẽtia in eo quod Ada-

nius

mus peccaret, cum poſſet conſervare innocentiam.

1932 Obiicies. Communior ſententia in Scholis ſtat pro Redemptione, quod fuerit motivum Incarnationis. (Imò totum novum Teſtamentum, ita manifeſtat & clamat). Ergo non fuit excellentia Myſterii ante peccatum. Hoc dubium propoſitum eſt à nobis ſupra à nu. 635. & illud ferè ita propoſuit Chriſto Domino Vener. Maria de Agreda, cui Chriſtus à n. 73. refert reſpóndiſſe plura, dicendo. 1. quod decretum ſubſtantialiter fuit de excellentia communicationis ſuæ, ita ut etiam Adamo non peccante, Incarnatio ſortiretur effectum. 2. quod prævíſo iam peccato, decrevit, quod adventus Chriſti eſſet in Carne paſsibili, ut homines tanquam eorum Caput redimeret per condignam, & debitam ſatisfactionē. Vndè n. 74 addit, quod hi, qui docent Incarnationem factā propter mundū redimendū, benè dicūt, & qui docēt quod adhuc Verbū Incarnaretur Adamo non peccante, benè etiam dicunt, quia tūc veniſſet in Carne impaſsibili, ſicut fuit poſt Reſurrectionem, & in ea doceret, & converſaretur cum hominibus in ſtatu innocentiæ. Sed poſt habitum primum decretum de Incarnatione, ob Myſterii excellentiam, prævíſo poſtea peccato, addidit ſecundum decretum de Carne paſsibili, & de facto ſimul ex utroquè venit.

1933 Quarto dixit, non mirandum ſi plures teneant cōtrariam ſententiam, quia ipſe non dedit omnes veritates uni Doctori, ſed unas uni, alias alteri; addiditquè ideo opinionem de motivo Redemptionis à pluribus fuiſſe amplexatum Tum quia cùm ſtatus veniendi impaſsibiliter, non fuerit executioni mandatus, manſit ferè occultus, & non notus certo alicui (niſi cui Deus ſpecialem de eo dederit lucem) Tum quia cum voluerit homines ad amorem, & gratitudinem obligare, magis eos movet motivum Redemptionis Chriſto tàm laborioſę, quàm motivum excellentię Myſterii. Quinto dixit, quod reſpectu ejuſdem operis benè poſſunt dari duo decreta, ſi unum ſupponatur ſub aliqua conditione. Primum fuit de ſubſtantia, ſub conditione quod non peccante Adamo, veniret impaſsibilis; peccante vero, veniret paſsibilis. Modo autem manifeſtare vult, quod homines dēbent eſſe grati Chriſto, quia eos redemit juxta ſecundum decretum, & ſimul debent eſſe grati, quia ſuum eſſe habent propter Chriſtum ut finem (alias non habituri) propter primum decretum.

1934 Ex his ergo reſpondetur ad argumentum, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, quia utrumquè motivum traxit Verbum ad Incarnationem, ita ut non ſufficeret ſolum primum ut Chriſtus veniret, niſi aliud poneretur determinans in qua carne venturus eſſet, ſcilicèt paſsibili vel impaſsibili, & poſito peccato æquum erat, ut pro Redemptione caro decerneretur paſsibilis.

§. III.

VLTERIVS STABILITVR PRÆDICTORVM concordia decretorum.

1935 PRO maiori intelligentia utriuſquè ſententiæ, ſubtilioriquè concordia Auctoritatū, tàm Sacræ Scripturæ, quàm Patrum. Nota 1. duplex complexum decreti completi in Deo reſpectu Incarnationis. Vnum eſt complexum formaliter & abſolutè eſſens, & ſubſtantialiter plenum & ſufficiens; aliud eſt non plenè eſſens formaliter ſed fuiſſens. Eſſens coaleſcit ex duplici decreto de excellentia Myſterii purè intentivo, & de paſsibilitate ob Redemptionem, determinativo modi & executivo, quorum utrumquè de facto datur formaliter in Deo, modo explicato. Fuiſſens coaleſcit ex unionis decreto de facto exiſtenti, de Incarnatione intenta quoad ſubſtantiam, & ex alio decreto executivo de Carne impaſsibili, quod non eſt modo ſed fuiſſet; & propterea cōplexum iſtud non eſt eſſens formaliter ſed fuiſſens. Benè verum eſt quod iſtud fuiſſens, iam de facto eſt pro alio ſtatu conditionatè radicaliter remotè, & inevitabiliter, atquè in ſemine, quatenus per decretum intentivum de communicatione formalitèr de facto exiſtens, ex ejus vi & efficacia radicali Deus obligatus, & pignoratus erat, ponere non quidem immediatè, & per ipſum, Incarnationē (quia impoſsibile erat eam ponere exercitè, præciſam à paſsibili vel impaſsibili) ſed per aliud decretum formale quod poneret, determinans & exequens carnis modum, in quo eſſet venturus.

1936 Vndè nota 2. in propoſitione illa in Scholis frequenti de *adventu Chriſti ex vi præſentis decreti*, aliud eſſe loqui ex vi inductiva radicali & remota, & per ſe inſufficienti; & aliud eſſe loqui de vi inductiva proxima formali, & ſufficienti ex ſe, & ab intrinſeco ad ponendam exercitè, & in re Incarnationem ſubſtantialiter in rerum natura. Talis ergo poſitio Incarnationis & adventus Chriſti, atquè deſcenſus de Cœlis in terram de facto, ita poſitus eſt proximè ex poſsitione decreti de Redemptione, ut ſine illo fuerit impoſsibilis poni. Sicut enim impoſsibile eſt poni animal in rerum natura præſcindens ab homine & bruto, ita eſt impoſsibile per locum intrinſecum poni in rerum natura hominem præciſum à mortali & immortali; paſsibili vel impaſsibili. Et ſic decretum de Incarnatione præſcindens ab his, impoſsibile eſt per locum intrinſecum, quod per ſe ſolum exequatur Incarnationem quàm decrevit, niſi addatur decretum de paſsibilitate, innata quidem Humanitati, vel (diſpenſata iſta) aliud de impaſsibilitate ſuperne communicata.

1937 Maneat ergo, quod ex vi proxima & formali hac decreti præſentis & eſſentis, Adamo non peccāte Chriſtus non veniret, quia ſine iſto non datur decretū eſſens, & ſufficiens ut veniret, & ſic qui iſtud dicunt ut D. Thomas dixit, benè dicunt. Quia tamen Adamo non peccante, datur de facto in Deo decretum eſſens (licèt non per ſe & proximè ſufficiens ut veniret) obligans Deum ad ponendum aliud decretum ſufficiens, ut impaſsibiliter veniret; qui dicunt adhuc Adamo non peccante venturum, ut dicunt Scotus & Suarez, etiam benè dicunt, cujus ſententiæ etiam fuit S. Petrus Paſchaſius Martyr, & Epiſcopus de Iaen titulo 4. fol. 310. dicens: *Interrogatio. Si Adamus non peccaſſet, Deus Carnem aſſumpſiſſet? Reſpondeo quod ſic, ſcilicèt ut homo perfectam Beatitudinem poſsideret, &c.* & quod Chriſtus dixit Vener. Mariæ de Agreda, optimè & de plano ſic verificatur. Ex utroquè ergo decreto venit de facto ſubſtantialiter Chriſtus ex primo occultiori ſatis contento in veteri teſtamento, & ex ſecundo ſimul, notiori & magis celebrato in novo, ob compellendos nos ad maiorem gratitudinem Chriſto Domino exhibendam, de eo quod propter ipſum creati ſumus, & per ipſum venientem ad ſatisfaciendum pro nobis, Redempti per mortem ſumus.

1938 Obiicies 2. plures Patrum auctoritates aſſerentium, quod non fuit Chriſto alia cauſa veniendi niſi Redemptio. Reſpondetur loqui de facto & de cauſa ſufficienti proxima & matura veniendi. Nam cauſa de communicatione divini eſſe ad Humanitatem, præſcindendo à mortali & immortali, non erat executiva nec ponitiva Incarnationis, ſed ſolum intentiva & quoad affici, & remota, ac per conſequens per ſe ſolam erat immatura, & ſolū in ſemine aut in flore, & ad executionē reſtabat adhuc quod matureſceret. Certiſsimè tamen Adamo in innocentia perſeverante, maturaretur per aliud decretum. Vndè ſi replicces ex D. Thoma, Deum niſi prævíſo peccato non decreviſè adventum Chriſti. Diſtinguo: non decreviſè decreto habente vim proximam ponitivam, concedo: Decreto pignorativo, & non habente per ſe vim proximam ſed remotam. Nego. Et D. Thom. loquitur de primo.

1939 Vndè optimè Scripturæ textus dicunt abſolutè, & ſine addito, quod venit propter Redemptionem, quia decretum exercitè ponens adventum ipſius, fuit de Redemp-

Digitized by Google

demptione. Quòd autem non eſt de Redemptione, non ſufficiebat ſe ipſo ponere illum exercitè. Vis ergo exercitè ponendi, completiva & determinativa ponendi, eſt à decreto de Redemptione, & ſic optimè verificatur, quod adventus abſolutè ſumptus, ſimpliciter eſt ex motivo Redemptionis, quod quidem dedit ſufficientiam veniendi, & ſine quo non exiſtebat in Deo de præſenti, ſufficientia veniendi.

1940 Obijcies 3. conſtat ex ſymbolo fidei, quod non ſolum reſpectu carnis paſſibilis & mortalis, fuit motivum decernendi Redemptio ipſa, ſed etiam reſpectu ſubſtantię Incarnationis. Inquit enim ſymbolum: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & Incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt.* Proſequitur: *Crucifixus etiam pro nobis.* Nota particulam coniunctivam, quæ ſonat quod deſcenſus de Cœlis fuit ex decreto noſtræ ſalutis (ly enim *propter* non datur à parte rei extra voluntatem, ſed imbolvit modum tendendi voluntatis, vt diximus à num. 751. de Scientia Dei) & quod etiam paſſibilitas, & Crucifixio etiam fuit pro nobis. Ergo non excellentia Myſterij, ſed ſalus & Redemptio noſtra fuit vnica & ſola cauſa veniendi. Reſpondetur dupliciter. Primo, in prædictis verbis ſignificari duo decreta. Vnum de ſubſtantia veniendi, quod quidem fuit propter noſtram ſalutem, & Beatificationem independenter à peccato, quàm ſalutem homines in innocentia perſeverãtes, conſecuti fuiſſent ex meritis Chriſti, vt dixerũt S. Pazzis & M. de Agreda. Illa in adductis à n. 1929. & iſta & S. Paſchaſius, à num. 1937. Fuit autem facta propter noſtram ſalutem, tanquam propter finem intermedium, reducendam iterum ad maiorem Chriſti Capitis gloriam, & divinorum Attributorum communicationem, tanquam ad finem vlteriorem & vltimatum. Et hoc confirmat ly *Crucifixus etiam pro nobis.* Denotat enim aliud decretum poſt peccatum de paſſibilitate pro nobis.

1941 Reſpondetur 2. quod ſi prima & ſecunda clauſula dicant idem (licèt clarius ſecunda) & vtraquè loquatur de Redemptione, ſermo eſt de adventu, & Incarnatione vt exercitè, & in re poſsita. Et ſic, vt facta propter nos involvit iam tanquam vltimum determinativum & exercitivum, carnis paſſibilis decretum.

1942 Replicabis: paſſibilitas, vel impaſſibilitas ſunt quædam circunſtantiæ reſpectu Incarnationis ſive adventus Chriſti, non autem ſunt de ſubſtantia. Atqui fides docet, quod Incarnatio & adventus ſecundum ſe ſive in ſubſtantia, fuerunt propter nos homines, & propter noſtram ſalutem: ergo non ſola paſſibilitas quæ eſt circunſtantia. Reſpondetur negando maiorem. Sicut enim licèt animal ſecundum ſe præſcindat à rationali vel irrationali, iſta tamen non ſunt circunſtantiæ ſed differẽtię proprię animalis; & licèt ignis ſecundum ſe præſcindat à calore & à non calore (fuit enim abſquè calore in fornace Babilonico) calor tamen non propterea dum adeſt, eſt circunſtantia ſed forma phyſica proprietativa, ſine qua (vel eius diſpenſatione) repugnat igni ab intrinſeco ſui, poni exercitè à parte rei.

1943 Sic paſſibilitas (vel diſpenſatio ſuper illam) non eſt circunſtantia, ſed illa eſt quaſi differentia proprietativa & de ſubſtantia ipſius adventus, vt exercibili & ponibili à parte rei: in quo differt à circunſtantia, quàm res nec petit, nec ea indiget ex parte ſua, adhuc pro ſuo poni & exerceri, & eſt ab intrinſeco ipſius Incarnationis & adventus, qui provt in actu exercito vt differt à ſignato, & pro ſtatu phyſico, vt differt à repræſentativo, poſtulat ex ſe paſſibilitatis ſtatum, aut (per diſpenſationem) impaſſibilitatis ſtatum contrapoſitum. Circunſtantia autem eſt quoddam accidens ita contingenter adventitium, vt ſit à vulva vel extrinſeca vel contingenti, rei cuius eſt circunſtantia. Carentia autem eius etiam eſt à vulva extranea, & non contrapoſita exigentiæ rei, quæ neque curat ex ſe de circunſtantia nec de eius oppoſito, & ex ſe poſſet eſſe & poni abſquè vtroquè, ſi ex alio capite non repugnaret. Maneat ergo quod paſſibilitas eſt de ſubſtantia adventus Chriſti, provt in ſtatu contracto ad exequibilem & ponibilem a parte rei, niſi aliàs diſpenſatio ponat oppoſitum.

1944 Vltimo obijcies illud Eccleſiæ ad Beatam Virginem: *Peccatores non abhorres, ſine quibus nunquam fores, tanto digna Filio.* Nota ly *nunquam fores*; quod quidem falſum eſſet, ſi Adamo non peccante, venturus eſſet in carne impaſſibili. Reſpondetur 1. quod Eccleſia non dicit quod nunquam eſſet digna Chriſto Filio, ſed Chriſto Filio tanto, id eſt tàm celebri & glorioſo, quia cum non fuiſſet mortuus pro nobis, nec fuiſſet triumphator, nec fuiſſet eius gloria tanta, vt dixit Pater Æternus Sanctæ M. de Pazzis in adductis à num. 1929. Secundo poteſt reſponderi, quod Eccleſia fortè negat ly *digna*, quia fortè in illo tunc, eſſet Mater ex pura Dei gratia, & non ex proprijs meritis ſicut nunc. Hæc de motivo problematicè ſufficiant.

1945 Si aliqua vel plura dicta ſunt in prima parte Incarnationis, quæ nuper dicta contrariari videntur, nil mirum, quia aſſerta ſunt illa & aptata ad primam partem problematis, & non ad ſecundam.

ART. II.

DE MERITO CHRISTI. ET QVÆSTIONES aliquæ ex parte merentis.

1946 SVPPONO 1. meritum eſſe opus cedens in obſequium alicuius. Sex conditiones requirit meritum iuſti de lege ordinaria, quas refert Gonet hic diſp. 21. art. 1. ex communi Theologorum. Prima quod ſit liberum. Secunda quod ſit honeſtum ex obiecto & circunſtantijs. Tertia quod ſit à Perſona grata. Nam Geneſis 4. dictũ eſt: Quod *reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* (Vbi priùs ad Perſonam gratam, & poſtea ad opera) *ad Cain autem non reſpexit.* De muneribus nihil dicit quaſi ſupponens, quod ſi non reſpexit ad Perſonam, quia grata non erat, nec ad munera. Quarta, quod referatur ad Deum formaliter vel virtualiter. Quod licèt Gonet ponat in relatione ab Imperio charitatis, alij exiſtimãt ſufficere participationem boni divini imbibitam in ipſo opere honeſto, per quàm virtualiter ſe habet ordinativè ad Deum vt ſummũ bonum. Quinta, quod ſit opus Viatoris. Sexta, quod detur pactum & promiſsio ex parte Dei, quia ſine iſta nequit Deus eſſe obligatus ad dandum præmium. Sed revera talis promiſsio, ſolum eſt neceſſaria pro merito in actu ſecundo obligante Deum. Pro merito enim in actu primo ſufficit opus honeſtum liberum, vt à Perſona dignificatum & valoratum. Eo ipſo enim habet condignitatem in actu primo ad præmium. Hinc fit quod opera Chriſti à Perſona ſimpliciter infinita, ſint ex ſe & in actu primo valoris ſimpliciter infiniti, independenter à Dei acceptatione, de quo ſupra latiùs quæſt. 11. vbi quid in actu ſecundo, & ibi de differentia meriti à ſatisfactione.

1947 Confirmatur infinitudo ex S. Pazzis lib. 7. c. 6. num. 5. vbi Pater Æternus ſic loquitur: *Tanta igitur plenitudo e ſatisfactum eſt iuſtitia meæ.... Quod à Verbi mei obedientia incomparabiliter maiorem recepit ſatisfactionem, quàm offenſam. Nec tot peccata committi poſſunt in Mundo, & ſi infiniti eſſent Mundi, non vnus, pro quibus Verbum meum ſolviſſet, vt ſatisfactus non remanerem propter illud, quod ita promptè in recompenſationem peccati, & offenſæ mihi præſtitit.... Quod enim gutta ſanguinis præſtare poterat, ſtatuto decreto meo vt pro peccato moreretur quæcumquè voluntaris actu ſatisfacere valens ſi non extitiſſet decretum, &c.* Ecce valorem ſatisfactionis infinitum, ſine mentione favoris extrinſeci. Idem habet M. de Agreda tom. 1. num. 46.

1948 Si objicias: illud quod procedit à cauſa finita, eo

ipſo eſſe infinitum, etiam ſi ſimul concurrant aliæ concauſæ infinitæ. Patet in viſione Beata, quæ finita eſt ex eo quod ſit ab intellectu finitè illuminato, etiam ſi concurrat effectivè per modum ſpeciei impreſſæ obiectum infinitum. Atqui quodlibet opus Chriſti meritorium in ſua moralitate & valore, pendet efficienter à cauſis finitis, nempè voluntate libera, gratia &c. Ergo etiam ſi pendeat à Verbo, vt concauſa, erit finitum. Si dicas quod Deus infinitus in linea obiecti finitatur quoad modum influendi, à finitudine aliarum cauſarum; idem erit de Dignitate infinita Perſonæ, quæ etiam finitabitur, quoad modum dignificandi, à finitudine operis moralis, & cauſarum eius.

1949 Reſpondetur quod dupliciter poteſt aliquid pendens à cauſa finita ſumi. 1. per ſe & formaliter. 2. materialiter & ſubiectivè. Opus ergo morale Chriſti ſumptum per ſe & formaliter, eſt à finitis, nempè à libertate, gratia & obiecto, & hoc modo finitum eſt. Hoc autem quod per ſe eſt finitum comparativè ad dignificationem à Verbo & ſubiectivè ſumptum reſpectu dignificationis à Verbo, ſolum ſe habet de materiali, & de præpoſito, ac per conſequẽs proceſſio ipſius à cauſis finitis, non poteſt limitare dignificationẽ infinitã à Perſona Verbi vt forma. Ad quàm dignificationem ſolum ſe habet formaliter & de per ſe, quod ſit obſequium hominis Dei. Quod autem tale obſequium in linea efficienti procedat effectivè à principijs finitis vel infinitis, ſublimitas iſtius moralitatis non curat. Ex quo patet diſparitas ab obiecto infinito viſionis Beatificæ; quod non Beatificat niſi influendo & eodem influxu phyſico, quo intellectus elevatus; ac per conſequens vt impotens ſe plus communicare, quàm capiat ille conductus phyſicus intellectus illuminati.

1950 Quæritur 1. an Chriſtus meruerit? Affirmo & eſt de fide quia erat ſimul Beatus & Viator, cui ratio merendi connaturalis eſt. Vndè licèt coniunctio Beati & Viatoris eſſet miraculoſa, tamen ea ſemel facta, vtriuſquè ſtatus exercitia connaturalia erant Chriſto. Erat autem Chriſtus liber libertate ſaltim contradictionis ad operari vel omittere, ſive ad operari ex hoc motivo vel alio & ad eligere hoc medium, vel aliud.

1951 Quæritur 2. quo tempore meruerit? An in primo inſtanti. 2. An reliquo vitæ tẽpore. 3. An in morte. 4. An poſt mortem? Reſp. 1. cum communiori ſententia meruiſſe in primo inſtanti. Conſtat ex illo Pauli ad Hebræos cap. 10. *ingrediens mundum dixit: Holocauſtomata & oblationes non tibi placuerunt. Corpus autem aptaſti mihi, tũc dixi ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, &c. in qua voluntate ſanctificati ſumus.* Quæ vltima verba Pauli ſatis indicant Chriſtum meruiſſe ſaltim quoad ſufficientiam, ſanctificationem noſtram, ſe tunc Patri offerendo.

1952 Confirmatur, quia ad meritum ſufficit prioritas naturæ. Et licèt tunc, & in infantia eſſent ſenſus impediti, meritum eius non pendebat à ſenſibus, nec à ſcientia experimentali ſed ab infuſa, quæ connaturaliter operationes vitæ dirigebat. Licèt autem ad operationem liberam præcedat in nobis conſultatio, ad quàm non ſufficit vnum inſtans, id eſt verum in nobis. Chriſtus enim vtpotè ſapiens omnia, non egebat inquiſitione conſultationis reperta in Conſilio, ſed ſententia, quæ in inſtanti fieri poterat.

1953 Reſpondeo 2. meruiſſe toto vitæ tempore, & incluſivè vſquè ad vltimum inſtans, quia vſquè tunc erat vivens & operans libere ſupernè, & etiam in ſomno, quia meritum eſſe poterat in ipſo independenter à ſenſibus. Reſp. 3. quod non meruit in inſtanti mortis, quia vltimum vitæ fuit vltimum viæ, & in primo mortis iam non vivevat, tamen conſummavit meritum per mortem in vltimo inſtanti viæ acceptatam, & in immediato ſubſequenti executam; non quia quilibet actus Chriſti non ſufficeret, ſed quia ita Deus decreverat & Chriſtus acceptaverat, vt omne meritum conſummaretur per mortem, iuxta illud: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* Item, quia ex Paulo, per Crucem ſalvati & libertati ſumus. Tandem, quia voce oblatione ſcilicet Crucis, conſumavit omnia. Nec obeſt quod Paulus ad Hebræos 1. dicat, quod in illa voluntate Chriſti, qua ſe obtulit in primo inſtanti, ſanctificati ſumus; loquitur enim de ſufficientia; quia ſufficiebat, ſed non de eo conſummare: conſtat id, quia iuxta pactum cum Patre, omne meritum eius in Cruce fuit conſummatum, & hæc explicatio ſatis colligitur ex verbis Sanctæ Magdalenæ de Pazzis adductis ſupra num. 1945.

1954 Obijcies meritum conſummatum eſt per mortem exercitam in primo ſui non eſſe, & acceptatam in vltimo ſui eſſe. Atqui in primo non eſſe, iam erat extra viam. Ergo. Data maiori, nego minorem, quia inſtans erat morale & ſucceſſivum; & pro priori fiebat mors, & pro poſteriori erat in facto eſſe completo, & mors vt ſucceſſiva completa acceptabatur à Deo.

1955 Reſpondeo 4. quod nõ meruit per vulnus Lateris, quia iſtud fuit poſt mortem, & poſt omninò finitum ſtatum viæ. Nec obeſt quod iuxta Sanctos Patres ex tali vulnere manarunt Sacramenta, & propterea tale vulnus vocatur ab ipſis ſalutiferum Ergo fuit meritorium. Nego conſequentiam, quia fuit acceptum à Chriſto extra viam. Antecedens autem ſolum probat quod illud vulnus fuit quaſi theſauros in quo Chriſtus ſua merita in vita & via facta, depoſuit tanquam in Ærario, ſicut dicitur depoſuiſſe in Sacramentis. Confirmatur hoc ex S. Pazzis lib. 7. cap. 6. n. 6. vbi de ſanguine in vita effuſo, & de penis loquens, dixit: *Totum erat ad meam ſatiſfaciendam iuſtitiam, & vt mihi reconciliaremini recreati in gratia. Sanguis autem ille à ſuo corde poſt mortem effuſus, ſublimitas quadam amoris fuit, erga animas veſtras, illum enim effudit ad eas decorandas, &c.* Quod mihi dictum videtur, propter effectus Sacramentorum decorantes Animas.

1956 Dices, quod vulnus illud fuit voluntarium in cauſa Ergo meritorium, ſicut dormitio in cilicio, & ſuper nudas tabulas. Conceſſo enim antecedenti, nego conſequentiam, quia ſolum illud opus voluntarium in cauſa eſt meritorium vel completivum meriti, quod executioni mandatur in via aut immediatiſſimè, ſicut & cauſa poſita eſt in via, & hoc probat dormitio. Vndè nec ſatiſpaſſio Purgatorij, nec opera Patriæ ſunt meritoria, licèt libera in cauſa; eo quod extra ſtatum viæ fiant.

1957 Nec dicas 2. Chriſtus in Cœlo orat & impetrat. Impetratio autem eſt proprietas meriti. Ergo iſtud datur extra viam. Conceſſa maiori, nego minorem. Quia impetratio potiùs eſt proprietas orationis. Quæ licèt aliquando repræſentet merita, non tamen ſemper, vt patet in pauperibus aliquid petentibus & obtinentibus, quin merita repræſentent. Dum autem Chriſtus & Beati orant in Cœlo ſua merita repræſentantes, ſola illa repræſentant, quæ fecerunt in via; quia quæ extra viam fiunt, merita in rigore non ſunt.

ART. III. ET §. I.

QVID CHRISTVS MERVERIT SIBI.

1958 CONSTAT ex dictis ſupra à nu. 714. non meruiſſe adhuc de congruo ſuam Incarnationem. Tum quia ſupponebatur per ſe vnio ad Verbum tanquam complementum Humanitatis, ante omnem operationem meritoriam, vtpotè accidentalem & ſibi contingentem. Tum quia vnio fuit titulus radicalis & primordialis propter quem, ſibi data ſunt comprincipia ad merendum. Principium autem meriti ſaltem de lege ordinaria non cadit ſub merito. Tum deniquè, quia illa vnio à Patribus clamatur, tanquam omninò gratuita.

1959 Obijcies: humanitas potuit mereri Verbi Incarnationem, ſi attendantur duo illa decreta intentionis & executio-

246

cutionis à nu.642. ſic: *Decerno Humanitatem vniri Verbo per merita vt per media: quibus præviſis, decernam executionem vnionis*; & ſic decrevit poſtea. Nego, quia decretum executivum debebat eſſe propter merita vt infinita, præviſa vt exercitè executa. Ergo vt ſupponentia vnionem executam, ſiquidem non poterat videri vt executus infinitus valor, niſi vt procedens ab vnione vt executa. Ergo videbatur iam executa ante merita executa, ac per conſequens non exequebatur propter illa præviſa vt executa. Dices, poteſt meriri gratia, principium meriti. Ergo & vnio. Permiſſo antecedenti de poſsibili, nego conſequentiam, quia opus meritorium poteſt prævideri futurum ab hoc vel illo principio vage, & ex eo merito præviſo decerni determinatè principium; at opus Chriſti nequit prævideri vt infinitum meritum, niſi provt determinatè à Chriſto vt homine Deo. Ex quibus patet, quod nec per opera præcedentia potuit Chriſtus mereri Incarnationem, nec per ſubſequentia.

1950 Quæritur 3. an meruerit ſuam gratiam habitualem? Triplex eſt ſententia. Prima affirmat, & tribuitur aliquibus antiquis, & probabilem exiſtimavit Suarez diſp.40. ſect.2. Secunda negat de facto, & admittit de poſsibili. Ita communior ſententia. Tertia negat adhuc de poſsibili, quã tenuit Ioannes à Sancto Thoma diſp.18. art.1. conc.2. & aliqui alij. Eadem datur ſententiarum varietas circa gloriam eſſentialem animæ, quàm Pater Bernal de Incarnat. diſp.55. ſect.3. n.66. docuit de facto fuiſſe à Chriſto promeritam. Vazquez autem diſp.78. cap.3. dixit, quod ſi poſsibile fuiſſet quod eam mereretur, admittendum eſſe quod de facto meruerit.

1961 Dicimus nos duo cũ Thomiſtis, præcipuè Godoi, & Gonet infra citandis. 1. de poſsibili non repugnare quod Humanitas per opus ſupernum liberum factum per auxilium intrinſecũ tranſiens, potuerit mereri gratiam & gloriam, quia cum eſſet opus ſupernum liberum, & dignificatum à Sanctitate ſubſtantiali, poterat eſſe infinitè meritorium, ac per conſequens ſummæ gratiæ & ſummæ gloriæ. Secundo: quia vt pro Scotiſtis probatum eſt ſupra à num. 1663. potuit in Chriſto ſuſpendi à Deo divinitus omne ſupernum ſuperadditum, ſicut fuit de facto ſuſpenſa gloria corporis, etiam ſi ei eſſet debita titulo connaturalitatis, ita vt fuiſſet Humanitas Vnita in puris naturalibus. Si ergo tunc darentur ei illuſtrationes ſcientiæ infuſæ, & comprincipia ſuperna tranſeuntia, ad elicienda opera ſuperna libera, non eſt cur per iſta non mereretur talem gratiam & gloriam.

1962 Nec obeſt 1. quod ei fuerint debitæ vt ſtatim dicemus quaſi titulo proprietatis. Reſpondetur enim proprietates, etiam phyſicas, poſſe ſuſpendi, vt dentur poſtea titulo meriti, ſicut contigit in gloria corporis. Nec obeſt 2. tale opus meritorium ſupponere debere ſcientiam Beatam pro priori, vt per ipſam regularetur. Nego vtrumquè, quia cum in eo tunc non daretur titulo proprietatis, non debebat præcedere viſio ex hoc Capite. Nec item ex altero regulationis quia non per eam, ſed per ſcientiam infuſam regulandum erat. Nec 3. obeſt, quod meritum ſe habeat vt motus, & via ad præmium vt ad terminum, & repugnat, quod idem in eodem inſtanti ſit in via & in termino. Reſpondetur negando id repugnare per diverſas entitates, & quando via ſive motus eſt inſtantaneus & non ſucceſsivus. Nam vltima diſpoſitio ad formam, & omnis productio rei immanentis ſe habent vt viæ & motus ad terminum, & ſunt cum illo ſimul in eodem inſtanti. Nec 4. obeſt, ad meritum requiri ſpem proemij. Cum autẽ ſpes ſit de bono abſenti & difficili, nequit eſſe ſimul in eodem inſtanti cum præmio. Reſpondetur enim negando ad præmium requiri ſpem ſaltim de lege extraordinaria. Licèt enim confeſsio Sacramentalis & iuſtificatio impij requirant de facto actum ſpei, id tamen non eſt commune omni merito. Sæpè enim iuſtus meretur præmium non curans, imò omninò oblitus proemij. Addet alius, ad ſpem ſufficere, quod ſit de bono difficili ponibili ab alio pro poſteriori naturæ.

1963 Obijcies 5. Chriſtus ante viſionẽ non potuit elicere vllum actum. Ergo nec mereri eam. Antecedens probatur, quia vt eliceret, debebat cognoſcere ſuam Dignitatem experimentaliter, ita vt diceret: ego operor. Atqui hoc nequibat niſi per viſionem. Ergo impoſsibile erat quod mereretur ante viſionem. Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem, nego maiorem. Nam iuſtus meretur per opus honeſtum liberum, quin ſciat ſe eſſe in gratia. Item. Quia ad cognoſcendam ſuam Dignitatem clarè, dato quod id eſſet neceſſarium (licèt non experimentaliter) ſufficiebat illuſtratio tranſiens ſcientię infuſę, ex cuius directione eliceret opus meritorium.

1964 Dicimus 2. cum D.Thom. hic quæſt.19. art.3. & cum eiſdem, de facto Chriſtum non meruiſſe gratiam habitualem, quia gratia datur vt principium connaturale actionis meritoriæ, ſupponiturquè ante iſtam, nec actus meritorius vt de facto eſt, prævideri poteſt à Deo, quin videatur dependens à gratia vt iam præſuppoſita & decreta: ergo ex vi præviſionis cuiuſvis meriti Chriſti, non poteſt Deus moveri ad gratiam primo decernẽdam. Idem dico de auxilijs ad primum actum meritorium, quia iſte prævidetur vt ſupponens illa. De auxilijs vero ad alios actus, aſſero meruiſſe, quia cum ſint poſt primum actum, poteſt illa mereri, & alias, vt probat D. Thom. citandus, aliqualiter iſta & ſimilia melius eſt habere ex meritis, quam non ex illis. ¶ De gloria eſſentiali animæ negat expreſsè D.Thom. quæſt.19. art.3. & communior ſententia. Affirmat Bernal cum aliquibus antiquis. Placet D.Thom. Tum propter expreſſam eius authoritatem ſine fundamento vrgenti non deſerendam. Tum quia Chriſtus eo ipſo quod eſt Filius Dei per naturam, eſt hæres gloriæ: ergo cum independenter ab omni merito, ſit Filius, etiam hæres. Tum probat D.Thom. quæſt.10. art.3. quia vt meruiſſet gratiam, vel gloriam debuiſſet illis carere pro aliquo inſtanti. Et non caruit.

1965 Improbant vltimam rationem adverſarij, ſiquidem meritum Chriſti præmia non debet præcedere tempore; auxilia enim data Patribus ſe antiquioribus, meruit, & iuſtus meretur intenſionem gratiæ in eodem inſtanti operis. Sed vrgetur pro D.Thom. circa gloriam ſpecialiter (quidquid ſit de alijs præmijs) quia ſi Chriſtus meruiſſet eam, meruiſſet per actum voluntatis. Ergo præceſiſſet in intellectu aliqua ſcientia. Non Beata, quia hæc apud vos eſt poſterior. Non infuſa, quia iſta connaturaliter eſt poſt Beatam, cum ſit quaſi proprietas Beatæ, & detur ad menſuram illius: Ergo præceſiſſet fides; & hæc non præceſsit, nam ſi præceſiſſet, cum non ſit ſimul cum Beata in eodem inſtanti ex natura rei, deberet prius illa evacuari, vt in alio inſtanti adveniret Beata, & ſic caruiſſet iſta.

1966 Nec obeſt 1. Chriſtum, prius præviſum merentem quàm Beatum, quia Beatitudo cum repræſentet merita Chriſti, & iſta ſint obiectum eius, illa debet eſſe poſterior iſtis. Nego totum: intuitio enim poteſt eſſe de re exiſtenti pro poſteriori. Vide hic de ſcientia Beata Chriſti à num. 1294. Nec 2. Chriſtũ ex primaria Dei intẽtione fuiſſe decretum Redemptorem, ad quod ſicut actus meritorij erant neceſſarij, ita Beatitudo erat inutilis. Diſtingo: inutilis ad meritum tranſeat; ad ius, & Dignitatem Perſonę Redempturæ magnificandã, nego. Sic enim ſi riſibilitas ſit proprietas diſtincta à rationalitate, licèt eſſet inutilis ad Redemptionem, quia tamen eſt completiva Humanitatis, propterea non eſſet poſterior, ſed prior quàm Redemptio.

1967 Nec 3. Etiam gloria corporis eſt debita animæ Chriſti, & tamen eam meruit. Reſpondet D. Thom. eam ſequi ad gloriam animæ ex ordinatione Dei, & ſic potuiſſe illam differri vt per meritum haberetur. 2. Chriſtus data ipſi optione, renuntiavit eam, vt nos redimeret

Digitized by Google

mereret per mortem. Tandè oportuit ad finem Redemptionis vt careret gloria corporis, ideò potuit differri & eam mereri; ſecus de gloria eſſentiali, quæ dilata non eſt cum non Officeret morti, ſed data vt proprietas, & ideò ante omne meritum, loquendo de facto & connaturalius.

1968 Confirmatur tota doctrina, quia quod datur alicui titulo proprietatis & cônaturalitatis primariæ, eo ipſo datur ante omne contingens & liberum. Sic autem data eſt Chriſto gloria; quia licèt vt vult Gonet, non procedat ab vnione per phyſicam reſultantiá vt proprietas, datur tamè à Deo, eo iure & in eo ſigno, in quo ab vnione reſultare debebat: ergo præcedit omne meritum. Nec tanto auget Dignitatem Chriſti habere per meritum, quàm eam minuat carentia gloriæ tantæ per aliquod inſtans. Nec de facto dabatur titulus propter quem ſuſpenderetur in humanitate ius ad gloriam animæ, ſicut eſt ſuſpenſum ad gloriam corporis, quæ eſt externa & minoris ponderis, ſiquidem cum illa non erat incompatibilis Redemptio per mortem, ſicut cum iſta.

1969 Nec obeſt 4. illud Pſalmi 44. dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem; propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ. Nomine autem olei, vel intelligitur vnio hypoſtatica, vel ſaltem gratia habitualis. Reſpondetur ly propterea non ſumi meritivè aut diſpoſitivè, ſed finaliter, ideſt non quia dilexiſti, ſed vt diligeres. Nec obeſt 5. quod Chriſtus debuit habere gratiam & gloriam modo perfectiori, ac per conſequẽs per propriam diſpoſitionem more adultorum. Quidá reſpondent fuiſſe diſpoſitionẽ tunc iuxta D.Thom. quæſt.33.art.3. non verò meritum. Sed mihi difficilè hoc eſt, cum eſſet opus ſupernum liberum dignificatum à gratia ſubſtantiali vnionis. Nihilominus videatur Pater Gonet diſp.21.art.1. §.3. Ego nego, quia cum gratia detur à Deo ad inſtar proprietatis vnionis, prior data eſt illa ante omne opus liberum Chriſti. Perfectius autem eſt datam eſſe ei iure Dignitatis quá iure meriti. Eſtimabilius enim eſt Filio Regis eſſe Regem ſanguine quàm electione, quia altius quid eſt ex D.Thom. quæſt.19.art 3. habere per ſe quàm per aliud, & habere innatè quàm adventitiè. Et licèt perfectius eſſet iure vtroquè, non tamen eſt poſſibile, quia ſi infuſio gratiæ detineretur vt præcederet meritum, ius proprietatis eo ipſo diſpenſabatur, ſicut in gloria corporis.

§. II.

QVOMODO COMPONANTVR DVO TEXTVS D. Thomæ.

1970 VTRAQVE concluſio à nobis poſsita eſt communis inter Recentiores Thomiſtas. Ita enim tenet Godoi tom.3. de Incarnat. diſp.51.§ 5.& 8. ſive num. 65.& nu.119. & Gonet per omnia ipſum ſecutus diſp.21. art.5. aſſerentes, de facto habuiſſe in primo inſtanti Conceptionis gratiam & gloriam, ac per conſequens eas non meruiſſe, potuiſſe tamen in alio ordine rerum eas etiam habitas in primo inſtanti, pro priori mereri. Contra has concluſiones nulla mihi ſe offert gravis difficultas præter D. Thomæ authoritatem meo videri ferè indiſſolubilem. Etenim hic quæſt.34.art.3. in corpore diſputans: an Chriſtus potuerit mereri in primo inſtanti ſuæ Conceptionis? Reſolvit affirmativè, additquè Chriſtum fuiſſe Sanctificatum per gratiam, ideoquè habuiſſe per propriam diſpoſitionem, quia ſic ſanctificari eſt proprium Adultorum à differentia puerorum, quæ non eſt per proprium actum. Prior autem, quia perfectior eſt, conveniebat Chriſto. Meritum autem gratiæ & gloriæ negavit quæſt.19.art.3.

1971 Thomiſtæ pro hoc nodo ſolvendo in plures abierunt ſolutiones, quas impugnant Godoi & Gonet. Prima eſt quod talis diſpoſitio non fuerit antecedens ſed concommitans, & ſic non potuit habere rationem meriti cum non præceſſerit, nec fuit cauſa præmij. Sed hæc ſolutio impugnatur ab ipſis, quia diſpoſitio Adultorum ad iuſtificationem prævia eſt & antecedens, & non concommitans. Nam ideò Deus infundit gratiam Adulto, quia ipſe ſe diſpoſuit: ergo ex hoc capite non deſinet eſſe meritoria gratiæ habitualis. Vide alias plures impugnationes huius ſolutionis apud Godoi.

1972 Secundo alij reſpondent ex D. Thoma, quæſt. 19. art. 3. meritum debere præcedere præmium non ſolum prioritate naturæ ſed temporis, & propterea docuit non fuiſſe meritam à Chriſto gloriam eſſentialem, quia debuiſſet carere ea pro primo inſtanti, & eſſet minus decens carere illa, quàm habuiſſe illam ſine proprio merito, quæ temporis præcedentia non convenit prædictæ diſpoſitioni reſpectu gratiæ, vtpotè Chriſto infuſæ in primo inſtanti. Impugnant eos, quia falſum eſt, quod prioritas tẽporis ſit requiſita in merito reſpectu præmij. Augmentú enim gratiæ correſpondens operibus iuſti, ei infunditur in eodem inſtanti, vt eſt certum apud omnes. Ad D. Thom. Godoi reſpondet ponendo differentiá inter gratiam & gloriam eſſentialem, & de ſola iſta dicit debere tempore præcedere meritum. Et ratio eſt, quia tale meritum vtpotè liberum nequit fieri niſi ex directione fidei (nam non ex viſione Beata cum ſit poſterior, vtpotè præmium) nec ex ſcientia infuſa, vtpotè proprietate ſtatus Beatifici & poſteriori illo. Cum autem in inſtanti in quo eſt viſio nequeat eſſe fides, ſi iſta eſt in inſtanti meriti vtpotè prior natura illo, Viſio quæ eſt præmium, nequit eſſe in eodem inſtanti, ſed in alio poſteriori. Eadem habet Gonet.

1973 Sed in hac reſponſione diſplicet primo differentia inter gratiam & gloriam, quia expreſsè D. Thomas negavit de vtraquè, vt patet in textu quæſt. 19. Diſplicet 2. quod meritum illud debeat dirigi à fide. Sufficit enim ſi à ſcientia infuſa tranſeunti. Sicut vos dicere debetis de opere diſponente, v.g. de motu liberi arbitrij per amorem. Si enim iſte præcedit gratiam, etiam ſcientiam Beatam & infuſam, & factus fuit ex directione ſcientifica tranſeunte, Ergo & potuit ex illa fieri meritum, abſquè fide.

1974 Ideò ipſi alia via incedunt. Reſpectu quidem gratiæ illam fuiſſe diſpoſitionem, ſed non meritum, quia cum gratia de facto ſit principium meriti, iuſſuenſquè in talem diſpoſitionem, non poteſt cadere ſub meritum. Secundo & principaliter, quia licèt ille motus liberi arbitrij fuerit honeſtus, ſupernus, & à perſona Sancta, omniſquè Viatoris, adhuc ei deficiebat aliquid eſſentiale ad rationem meriti, nempè quod ordinaretur à Chriſto Domino ad tale præmium. Vndè licèt verificetur Chriſtum more adultorum ſe ad gratiam diſpoſuiſſe, non tamen illam meruiſſe, & idem de gloria.

1975 Sed hæc ſolutio, ſicut & præcedentes, meo videri ſunt expreſsè contra textum D. Thomæ, quod vt pateat nihil aliud requiritur, niſi quod legatur. Titulus enim articuli eſt: *An Chriſtus potuerit mereri in primo inſtanti.* Reſpondet autem in corpore, habuiſſe ſanctificationem per gratiam ex proprio motu liberi arbitrij in Deum: *Quiquidem* (verba ſunt ipſius textus) *motus liberi arbitrij eſt meritorius. Vndè conſequens eſt quod in primo inſtanti ſuæ Conceptionis Chriſtus meruerit.* Hæc ſunt Scopus & verba textus. Neſcio ergo in quo potuerint graviſsimi iſti Authores fundare differentiam inter diſponi ad gratiam & mereri gratiam. Merito ergo aliqui, qui cum D. Thoma defendunt Chriſtum habuiſſe gratiam per propriam diſpoſitionem, conſequenter docent meruiſſe de facto gratiam & gloriam. Cum enim diſpoſitio illa non potuerit eſſe phyſica, neceſſe eſt quod fuerit moralis, ac per conſequens meritoria. Et cum eo ipſo quod præcedat diſpoſitio moralis, non fuerint dare titulo connaturalis proprietatis, debuiſſent dari ex merito.

1976 Ideò mihi videtur dicendum Divum Thomam problematicè fuiſſe in vtraquè ſententia. Nempè quæſt. 33. art. 3. tenuiſſe ex proprio merito, (ſaltim de congruo, licèt non eſſet de condigno in actu ſecundo) gratiam habuiſſe.

Cum

Digitized by Google

Cum tamen quæſt. 19. art. 3. neget expreſsè non ſolum de gloria vt volunt Thomiſtæ, ſed etiam de gratia eam habuiſſe ex proprio merito. In vtraquè autem quæſtione loquitur problematicè vt dictum eſt, & de facto; non autem de poſſibili, quia ab iſta quæſtione abſtinuit. Fortè autem quis dicet, diſtingui debere duplicem modũ merendi; vnum ſtrictum & alterum vulgarem, & ex his duobus primus non poſtulat prioritatem temporis inter meritum, & præmium ex proprio conceptu meriti, ſed ſolum prioritatem naturæ. Secundus vero poſtulat prioritatem temporis, licèt non ex conceptu eſſentiali meriti, tamen ex vulgariter illud comitantibus, ſcilicèt ordinatione ad præmium, & actu ſpei de præmio, & propterea ſi doceat quod D. Thomas quæſt. 19. art. 3. ſolum negavit meritum gratiæ & gloriæ, ob neceſsitatem dilationis ad aliud inſtans in ſenſu vulgari, fortè à mente D. Thomæ non multum aberrabit. N. Boneſpei hic diſp. 15. num. 30. tenet meruiſſe vtramquè, vbi explicat Divum Thomam aliter.

1977 Ex dictis ſequitur Chriſtum non meruiſſe de facto in noſtra ſententia habitus illos ſupernos, qui conſequuntur ad gratiam per modum proprietatis, ſiquidè dati ſunt, non purè pro libito (quia meritum ſi cum libito compararetur, eſſet nobilior titulus) ſed connaturalitatis iure.

§. III.

DE GLORIA CORPORIS ET ALIIS, QVÆ SIBI meruit.

1978 QVÆRITVR 4. an Chriſtus meruerit gloriam corporis, ſuiquè nominis exaltationem? Reſpondetur afirmativè contra Calvinum lib. 2. inſtitutionum, cap. 17. §. 6. & alios, hæreticè id negantes. Probatur 1. ex Sacra Scriptura. Lucæ enim 24. dicitur: *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Gloriam quidem corporis (non animæ quam ab inſtanti Incarnationis poſsidebat) *ſuam* ideſt quam per Paſsionem fecit ſuam. Ad Hebræos 2. *Vidimus Ieſum propter Paſsionem mortis gloria, & honore coronatum.* De exaltatione autem nominis dicitur ad Philippenſes 2. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens vſquè ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod* (nota fraſim & cauſam) *Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur Cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Apoc. 5. *dignus eſt Angelus qui occiſus eſt accipere gloriam, & Divinitatem.* Item *dignus eſt Agnus accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus eſt.* Matthæi vltimo conſtat accepiſſe à Patre ex merito Paſsionis omnem poteſtatem in Cœlo, & in terra dum dixit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra.* Sed ante huius præmij manifeſtationem, oſtendit eis ſua vulnera tanquam cauſam, & meritum.

1979 Ex quibus patet habuiſſe per meritum ſuum, Corporis incorruptionem, Reſurrectionem ſuam quæ eſt de gloria Corporis, Aſcenſionem in Cœlum, ſedem etiam ad dexteram Patris, reproductionem ſui in Euchariſtia, dominium ſuper omnes creaturas in Cœlo & in terra, iudiciariam etiam poteſtatem: quæ omnia explicata, vel ſaltim valdè inſinuata reperies in Pſalmo illo 109. Dixit Dominus Domino meo, ſede, &c. vbi de dominatione, de Sacrificio in pane, ſicut Melchiſedech, de iudicatura & alijs. Concludit autem ſic: *de torrente* (vtiquè Paſsionis rapidæ & turbulentæ) in via bibet, propterea (ecce cauſam & meritum) *exaltabit caput.*

1980 Ratione autem probatur. Tum quia cum fuerit ſuſpenſum ius connaturalitatis de tali gloria pro Redemptionis exercitio per mortem, rationabilius fuit vt per meritum acquireretur, quàm quòd gratis daretur. Cæteris enim paribus nobilior eſt titulus meriti, quàm acceptionis gratuitæ, & præcipuè ſuppoſito quod non privet aliqua maiori dignitate. Tum etiam, quia adeptio talis gloriæ fuit multo poſterior, & conveniens eius dilatio, quod non poteſt dici de gloria eſſentiali, & alijs non fuit principium meriti; quæ rationes ſunt, quæ obſtabant quod gloria, Incarnatio, & gratia ſanctificans potuerint de facto haberi per meritum, & ſic patet diſparitas ab illis.

1981 Dices 1. ex Scriptura ſolum conſtat, quod mortuus fuerit pro nobis; non autem pro ſe, nec pro ſua gloria. Ergo hęc aſſertio eſt ſine fundamento. Nego antecedens, quia licèt frequentiſsimè conſtet de Redemptione noſtra, at ſaltim raro etiam conſtat de gloria ſua ex textibus ſupra adductis. Ratio autem illius frequentiæ & huius raritatis eſt, quia Redemptio noſtra fuit motivum præcipuum ſuæ Paſsionis; gloria autem ſua minus præcipuum, & ſecundariũ. Nec dicas, quod ſi attendendo ad Redẽptionem noſtram conſuluit ſimul vtilitati ſuæ, frigeſcet inde amor eius & gratitudo noſtra. Nego enim, ſi ſecundario ſolum conſuluit ſibi, & præcipuè ſi ſe ipſum iure talis gloriæ per liberam optionem ſpoliavit, vt poſſet pro nobis mori, licèt indigentia talis gloriæ obligaret ipſum, vt ius ad ipſam iterum recuperaret per meritum (ideſt Hiſpanè *à punta de lanza.*)

1982 Adde id ipſum feciſſe propter nos, & vt eſſet exemplar noſtrum conſequendi gloriam per meritum, vt dixit D. Petrus in ſua Canonica: *Chriſtus pro nobis mortuus eſt, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Item: *Reſurrexit pro nobis* ex Apoſt. ad Rom. 4. *Chriſtus mortuus eſt propter delicta noſtra & Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Non quod Reſurrectio fuerit meritoria noſtræ iuſtificationis, vt ex hoc textu Pauli ſolet ſumi argumentum diſputandi gratia; erat enim iam extra ſtatum viæ, & non vltimum complementum vitæ mortalis quale erat ex decreto Dei primum inſtans mortis, ſeu moritionis eſſentialiter ſucceſsivæ. Reſpondetur ergo quod reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, vel ſignificandam in tranſitu de morte ad vitam, vt exemplar noſtræ, vel cauſandam per fidem ſupernam Reſurrectionis ſuæ. Nam ſi Chriſtus non ſurrexiſſet, inanis eſſet fides noſtra.

1983 Obijcies 2. Cyrillum noſtrum lib. 3. Teſauri cap. 2. contra Arrianos arguentem ſic: *Si vere vt ipſi dicunt, exaltatus poſt Incarnationem eſt Filius Dei, & factus ſublimis, quod antea non habebat, pro ſe magis Incarnatus eſſet, quàm pro hominibus, ſibi enim magis ſecundum Vos profuit, quàm hominibus: ita non pro noſtra ſalutè magis, quàm vt ipſe exaltaretur, nomenquè maximum aſſequeretur, homo factus eſſet.* Ex quibus verbis arguitur ſic: Cyrillus ex eo quod Filius Dei ſit exaltatus poſt Incarnationem, & factus ſublimis, arguit quod magis ſit Incarnatus pro ſe quàm pro hominibus, quod quidem habet ipſe pro maximo inconvenienti. Reſpondetur enim Arrianos docuiſſe Chriſto omnem ſublimitatem quàm habet, dignitatemquè & coniunctionem cum Divinitate, non provenire ei ab eo, quod ipſe eſſet verè Filius Dei (erat enim apud ipſos creatura,) ſed eam habuiſſe per meritum proprium, cõſequutumquè fuiſſe per mortem & Paſsionem. Contra quos optimè argumentatur Cyrillus, quod ſi ipſe de ſuo erat propè nihil ſive pura creatura, & per mortem conſequutus eſt tantam ſublimitatem & gloriam (ſcilicèt gloriam animæ & corporis, & ſeſsionem ad dexteram Patris) magis mortuus eſt pro ſe ſublimando & magnum faciendo, quàm pro nobis redimẽdis. Non ergo mortuus eſt vt ſe Filium Dei faceret & ſubſtantialiter ſublimem faceret, ſed vt nos reficeret, ita vt obiter in ſe reficeret illam parvam gloriam & ſecundum quid, quàm pro nobis renuntiaverat, ſcilicèt gloriam corporis.

1984 Ex quibus patet diſparitas inter gloriam animæ & gloriam corporis, quod hęc cum fuerit renuntiata, poterat iterum ex meritis recuperari, ſecus illa quæ renuntiata non fuit.

1985 Obijcies 3. Chriſtum, cum haberet ſuſpenſam & impeditam gloriam corporis, potuiſſe quidem mereri ablationem ſuſpenſionis, ad quam ablationem poſt renuntiationem non habebat ius: ergo gloria corporis ſolum fuit promerita indirectè & in alio, ſcilicèt in ablatione ſuſpenſionis impedientis & non in ſe ipſa. Ita affirmat Gonet tenuiſſe Scotum, locuitſeq; directè ſolū meruiſſe ablationem impedimenti, gloriam vero corporis indirectè. Reſpondetur meruiſſe ablationem ſuſpenſionis, & ſimul directè ipſam gloriam, & ſic neganda eſt conſequentia. Tum quia Sacra Scriptura clamat gloriam ipſam eſſe præmium meriti, quæ quidem interpretari debet vt ſonat, & non ſonat de ablatione impedimenti ſive de removente prohibens ad gloriam, ſed de ipſa gloria (quæ quidem valdè diverſa ſunt). Inquit enim ſacer textus: *Propter quod Deus exaltavit, &c.*: ergo exaltatio fuit propter meritum. Tum etiam quia illud eſt præmium directè alicuius meriti quod directè cadit in intentionē præmiantis & merentis ſignificatam per ly *propter*: atqui talis eſt gloria corporis, &c. nam dicit: *Propter quod Deus, &c.* Tum ex Ioan. 17. quia à Patre hoc ipſum petit *Ego te clarificavi, &c. opus conſummavi, & nunc clarifica me tu Pater.* Licèt ergo ſufficeret remotio impedimenti, vt Chriſtus glorificaretur; præmians tamen, ad gloriam attendebat, & propter illam impedimenta tollebat.

1986 Obijcies tandem. Ergo etiam meruit Chriſtus æternam durationem vnionis hypoſtaticæ, ſiquidem diverſum eſt vnionem eſſe, & æternam eſſe. Pertinet autem æternitas ad ipſam gloriam Chriſti ſedentis ad dexteram Patris. Ex quibus, ſequitur, ſibi etiam meruiſſe vniones partiales hypoſtaticas, quas de novo acquirebat per nutritionem, cum etiam fuerint quid diſtinctum à Chriſto ſubſtantialiter ſumpto, & pertinuerint ad extenſivum ipſius. P. Bernal in tom. de Incarnat. vtrumquè concedit. Sed à nobis cum diſtinctione reſp. in Chriſto diſtinguendas eſſe vnionem hypoſtaticam Verbi ad corpus & animam; & de hac nego Chriſtum eam meruiſſe, quia Vnio hypoſtatica eſt natura ſua perpetua, & iūs perpetuitatis ipſius renunciatum non eſt, ſicut eſt renuntiata à Chriſto pro morte perpetuitas Vnionis hypoſtaticæ Verbi ad vnionem partium, vtpotè deſtructam in triduo. Hæc igitur reunitio, ſicut & Reſurrectio promerita fuit à Chriſto, ſecus perpetuitas alterius Vnionis.

1987 Ad illud de Vnionibus partialibus. Reſp. quod ſi Chriſtus fuit primo decretus à Deo tanquam vir perfectus & integer, ſicut Adam formatus in Paradyſo; & ex meritis præviſis Chriſti vt viri conceſſum eſt ei vt haberet Matrem, & in ea fieret puer, ita vt incipiens à puero perveniret decurſu temporis ad illam ſtaturam viri, à qua in præviſione retrotractus fuit, vt docuit P. Bernal & alij: concedo meruiſſe omnes illas Vniones partiales, imò & illam executionem, quæ fuit prima in tempore in vtero, licèt non prima in præviſione. Ratio autem eſt, quia cum potuerit benè poni Chriſtus, ſicut Adam in ſtatura perfecta in primo inſtanti reali, nihil eorum debebatur, nec datum fuit titulo connaturalitatis, & ſic decebat vt daretur titulo meriti, qui nobilior eſt titulo gratuitæ extenſionis.

1988 Quæres 5. an Chriſtus Dominus acceperit ex proprijs meritis poteſtatem Sacerdotalem & Dignitatem Capitis Eccleſiæ? De prima affirmat Gonet, ſicut de poteſtate iudiciaria Regia, & dominativa omnium diſput. 21. art. 6. §. 3. Negat autem de ſecunda. Primam partem probat ex eo quod dignius ſit habere per meritum, & aliàs non repugnat de illa. Secundam probat cum Cipullo. Tum quia dignitas Capitis competit Chriſto ratione gratiæ habitualis, quæ promerita non eſt. Tum etiam, quia principium meriti non cadit ſub meritum. Omnis autem actus meritorius Chriſti habuit pro principio Chriſtum, non vt perſonam peculiarem vtcumquè, ſed vt caput.

1989 Sed nos idem quod de ratione capitis Eccleſiæ dicatur, dicendum neceſſario eſſe de Sacerdotio Chriſti cenſemus, ſaltim apud Thomiſtas, licèt fortè non apud Scotiſtas. Ratio eſt, quia Chriſtus nullam rem meruit merito perfecto, & conſummato niſi per ſacrificium mortis, quam non aliter acceptavit nec paſſus eſt, niſi vt verum ſacrificium, & vt verus Sacerdos: ergo ante illam ſupponebatur iam vt Sacerdos, & vt principium ſacrificij meritivi: ergo Sacerdotium ipſum Sacrificij cruenti (aliter erit de incruento) non potuit cadere ſub merito. Dixi fortè aliter eſſe apud Scotiſtas (de quo alib.) quia apud ipſos ante decretum ſubſtantiæ Redemptionis iam Chriſtus prævidebatur merens. Aliter eſt de poteſtate iudiciaria & ſimilibus, quæ non ſunt de antecedentibus, ſed de ſubſequentibus ad meritum.

ART. III. ET §. I.

QVID CHRISTVS MERVIT ALIIS.

1990 DICENDVM eſt 1. cum communi ſententia, quidquid datum eſt gratiæ & gloriæ & donorum Cœlo & mūdo, & cuicumquè creaturæ poſt Chriſtum decretum & præviſum vt merentem, datum fuiſſe ex merito Chriſti condigno. Quod iam probavimus ſupra quæſt. 13 art. 2. à num. 623. & ratio eſt manifeſta, quia id benè poteſt eſſe ſine vllo inconvenienti, & aliàs valdè conducit ad Dignitatem & excellentiam Chriſti, & ad rationem primi Principij & finis vniverſalis totius Ordinis gratiæ, qualis eſt ipſe, vt clamant Scripturæ Sacræ, & Sancti PP. qui videri poſſunt apud Suarez, & alios qui teneāt primum Dei decretum fuiſſe de Chriſto propter excellētiam Myſterij. Confirmatur ex illo Mathæi: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra.* Quæ verba ſonant in Chriſto vt homine, & ſapiunt quandam Omnipotentiam valdè proportionatam infinitæ Dignitati Chriſti eiuſquè meritis: ſonatquè ly *omnis poteſtas*, quod ſicut nihil eſt aut fuit, aut erit in ordine entitativo factum poſt Omnipotentiā, quod non fuerit de phyſica ipſius cauſalitate ad omnia ſe extendente, ita nec ſit aliquid de linea ſaltim gratiæ factum, vel faciendum poſt meritum Chriſti præviſum, eiquè datam omnem poteſtatem tanquam præmium, quod non fuerit de eius cauſalitate meritiva & morali. Sic enim conſervatur digniſsima & iuſtiſsima proportio inter Deū ſecundum ſe Omnipotentem, & inter Deum hominem merentem, atquè omnem poteſtatem in Cœlo & in terra habentem. In particulari autem.

1991 Quæritur 6. an & quid meruerit Angelis? Thomiſtæ communiter pro certo ſupponentes quod Chriſtus in quantum homo ſit caput Angelorum (licèt non æquè perfectè ac hominum) ex illo ad Coloſſenſ. 2. *In Chriſto inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis Principatus & poteſtatis*, nihilominus docent Chriſtum non meruiſſe illis gratiam & gloriam eſſentialem, ſed ſolum accidentalem. Idem tenent omnes qui defendunt Chriſtum nullo pacto fuiſſe decretum ante præviſum Adami peccatum, cum tamen Angeli decreti quoad gratiam & gloriam fuerint ante peccatum Adami. Oppoſitum tenent ex Noſtris Boneſpei num. 33. & Orlando diſp. 7 quæſt. 4. & probant eſſe D. Thomæ.

1992 Aſſero cū his & Scoto, Suarez & multis alijs, omnia dona gratiæ & gloriæ, etiam ſubſtantialium, data eſſe illis per merita Chriſti. Probatur autem, quia conſtat ex Paulo ad Epheſ. 1. & ad Coloſ. 1. & 10. quod Chriſtus habeat in Eccleſia etiam coaleſcente ex Angelis & hominibus primatum capitis. Ad caput autem pertinet communicare membris ſpiritus & motus vitales. Item, quia omnis benedictio etiam in Cœleſtibus eſt per Chriſtum. Inſuper quia ſatis cōmune eſt apud Patres, caſum malorum Angelorum accidiſſe, ex eo quod noluerint Verbum humanatum, ſive propoſitum vt Principem adorare, ſicut boni Angeli ſuſceperunt & adoraverunt, & ita clariſsimè in [illegible]

teſtata

Digitized by Google

teſtata eſt Sancta Pazzis, lib. 7. cap. 31 nu. 1. fol. 304. col. 1. & V. M. de Agreda, tom. 1. à nu. 88. Ergo cum Chriſtus in Divina prævisione præceſſiſſet eos antecedenter ad Adami peccat. m, non eſt cur ex meritis ipſius ſic prævisi, non acceperint vtriquè auxilia quibus ſe diſponerent ad gratiam & gloriam, ac per conſequens eas accipientes obtinuerint ex meritis ipſius. Et confirmatur ex noſtro Cyrillo Alexandrino, lib. 5. in Iſaiá cap. 54. dicente: *Per ipſum, nempè per Chriſtum, omnis ſanctificatio ſpiritualis, tum in Sanctis Angelis, tum in nobis ipſis inſita eſt.* Alia SS. PP. imò & Divi Thomæ teſtimonia reperies paſsim apud Theologos, qui ſtant pro primo decreto de excellentia Myſterij. Eadem habent Sancta Pazzis loco nuper citato, col. 2. & etiam Maria de Agreda, ponentes Angelos ad gratiam & gloriam electos poſt decretum de Chriſto iam Incarnato, & merente, & propter ei præſtitam obedientiam.

1993 Plura poſſunt fieri contra hoc argumenta. Primum eſt ex Lucæ 2. *Annuntio vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie ſalvator.* Ideſt *vobis*, non *nobis*. Item ex illo Iſaiæ: *Parvulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Super quæ D. Bernardus hom. 3. explicat, *nobis, non ſibi, non Angelis, qui eum magnum habebant, parvulum non requirebant.* Idem habent alij Patres. Vndè nullibi dicitur in Scriptura veniſſe propter Angelos, imò dicitur in ſimbolo limitativè: propter nos homines deſcendiſſe de Cœlo. Veniſſet autem pro illis, ſi veniſſet gratiam & gloriam mereri illis. Secundo ex parabola de ove centeſsimâ à Paſtore quæſita, relictis in Cœlo nonaginta novem, ideſt Angelis; non enim venit propter hos. Tertio ex cap. 2. ad Hebræos: *Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur ex vno omnes: propter quam cauſam non confunditur eos vocare fratres, dicens: nuntiabo nomen tuum fratribus meis. Et* iterum, *ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem.* Vbi per *fratres & pueros* non poſſunt intelligi Angeli, ſed ſolum homines. Si reſpondeas cum Suarez & Cabrera, ibi Apoſtolum ſolum loqui de ſanctificatione liberativa à peccato, non de alia, quæ convenit Angelis. Replicat Gonet, loqui de illa ſola, quia Apoſtolus in Chriſti meritis non agnovit aliam. Quarto, quia D. Thom. q. 29. de veritate art. 7. ad 5. expreſsè ait de Angelis, quod quantum ad præmium eſſentiale nihil eis meruit Chriſtus. Idem habet in 2. ſent. diſt. 9. q. 1. art. 8. ad 2. & in 3. ſent. diſt. 13. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2.

1994 Quinto probatur, quia omne meritum Chriſti de gratia & gloria, ſicut & decretum de futuritione Chriſti, pendet à prævisione peccati Adami: atqui gratia & gloria datæ ſunt Angelis independenter à tali prævisione: ergo non ſunt ex meritis Chriſti. Confirmatur, quia tota gratia à Chriſto promerita, fuit gratia ſanativa, qualis nõ competit Angelis. Sexto, quia nullus eſt ſanctificatus per Chriſti niſi pro eo mortuus ſit. Chriſtus enim non aliter conſummavit meritum pro aliquo, niſi per Crucẽ & Paſsionem. Ad Hebræos enim 10. *Vna oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* Et merito, quia conſummatio meritorum pro ſanctificandis, ratio ipſa exigebat, vt eſſet per opus perfectiſsimum conſummatiſsimum, qualis fuit mors: atqui Chriſtus non eſt mortuus pro Angelis, nam ex Auguſt. in Enchiridio cap. 61. *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus tradidit illum: non enim pro Angelis mortuus eſt Chriſtus.* Idem habent alij Patres. Inſuper, quia ſi mortuus fuiſſet pro Angelis ſaltim præſervandis, potuiſſet dici eorum Redemptor. Si autem reſpondeas cum Suarez conſummationem per ſanguinem & mortem ſolum fuiſſe reſpectu hominum qui redimi debebant, ſecus reſpectu Angelorum. Replicat Gonet, hoc eſſe commẽtitium & temerarium, quia illa diverſitas non conſtat, nec ex Eccleſia, nec ex aliqua Dei revelatione, cum tamen conſtare deberet, cum pendeat ex ſola Dei voluntate. Sed benè potuiſſet, imò & debuiſſet à tali cenſura contra P. Suarez talis Author abſtinere (quidquid ſit de veritate doctrinæ.)

1995 Septimo, quia Angeli ſunt glorificati ante merita Chriſti per mortem conſummata. Non autem potuiſſent glorificari ſi ex meritis Chriſti glorificandi eſſent, ſicut nec glorificati ſunt Patres Limbi, eo quod mors eius non eſſet exhibita in re. Confirmatur, quia nõ decebat, vt prius glorificarentur membra quàm caput, ſi caput glorificationem eſſet influxurum in membra. Si reſpondeatur, conceſſa maiori, negando minorem. Diſparitas eſt, quia cum Patres Limbi egerent Redemptione & ſatisfactione (secùs Angeli qui ſolũ egerunt merito prævisõ) æquitas Iuſtitiæ poſtulabat, vt niſi pretio exhibito, non exirent de carcere ad gloriam. Replicant, quia non minus gloria Angelorum pendebat à meritis Chriſti, quàm gloria Patrum à ſatiſfactione Chriſti. Si autem iſta non ſufficiebat prævisa, ſed exhibita, ergo nec merita.

1996 Vt prædictis reſpondeamus, ſupponendum eſt 1. ex dictis ſupra à num. 1933. aliqua diſpoſuiſſe Deum, vt manifeſtarentur in Scriptura, alijs manentibus quaſi ſub ſigillo clauſis, quia ita poſtulabat recta ratio homines attrahendi, & dirigendi in amorem & gratitudinem ſui Redemptoris & Glorificatoris. Vt enim, inquit Apoſtolus: *Quæcumquè ſcripta ſunt, ad noſtram vtilitatem ſcripta ſunt.* Ad id autem ſolum conducebat, quod homo ſciret Chriſtum veniſſe in mundum pro ſe, fuiſſequè ipſius Redemptorem. An autem venerit etiam pro Angelis, & an fuerit eorum præſervativus Redemptor & ſanctificator, atquè glorificator, ad id munus non conducebat, & ſic nihil mirum quod Scriptura præſcindat, & à tali declaratione abſtineat. Argumenta autem hic facta ex Sacra Scriptura convincunt, ad ſummum, ſilentium; non autem aliquid in oppoſitum ſuadent, & pro ſuo ſcopo redemptio liberativa conveniebat, quæ tamen Angelis non competebat.

1997 Ex his patet ad 1. ſanctificaſſe Angelos, quin venerit aut ſit mortuus pro illis, quia in neutro decreto illi ſunt præcipuum motivum remedi. Inſuper dico ſilentium de adventu pro eis nil probare. Nec obeſt, quod Bernardus dicat de Angelis, quod *eum habebant magnum, & ideò parvulum non requirebant.* Quæ verba videntur indicare, eos non requirere Chriſtum vt hominem, quia habebant vt Deum (& idem habent alij Patres) Reſpond. ex infra dicendis, Chriſtum magnum, ideſt in ſtatura hominis perfecta, & antequàm fieret puer, meruiſſe Angelis gloriam. Si autem PP. alij loquuntur de Chriſto vt Deo, contrapoſitè ad puerum, ſtatum tamen iſtum hominis magni, fortè non excludunt, & ſic nihil contra nos. Et idem dicimus ad locum Pauli ſolum feciſſe mentionem de Fratribus & pueris expreſſam ob eandem rationem. Aliquam autem quaſi involutam & Angelos comprehendentem, inſinuaverat in verbis præcedentibus dum verſ. 10. dixit: *Decebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia qui multos filios in gloriam adduxerat* (nota ly *adduxerat* cur iſti non erunt Angeli, cum adducti ſint in gloriam ante Paſsionem?) *Authorem ſalutis eorum, per Paſsionem conſummare?* Vndè licèt in verbis in argumento adductis Paulus loquatur de ſola hominum ſanctificatione liberativa, verba eius antecedentia hic adducta, ſatis indicant, agnoviſſe aliam Angelorum ſubſtantialiter glorificativam.

1998 Ad 4. ex D. Thom. reſp. 1. eum ad cap. 1. Ioan. lect. 10. tenuiſſe oppoſitũ. 2. locutum fuiſſe de Chriſto comparativè ad decretum de Redemptione eſſens & ſufficiens in Sacra Scriptura clarè expreſſatum, (quod quidem reſpectu Chriſti non fuit primum decretũ ſed ſecundũ,) non curando de non ita expreſſato, iuxta dicta ſupra à n. 1937. Fatemur autem ex vi huius decreti 2. non meruiſſe Angelis gratiã & gloriã eſſentialẽ ſubſtantialiter, quia iam ſupponebãtur ſubſtãtialiter promeritæ ex vi alterius decreti, licèt eas eis meruerit ſecundũ quid, & conſummativè. Cui iſta ſolutio non placeat, reſpõdeat 2. alios PP. & D. Thom. (de quo Orlando diſp. 7. n. 32. ait Ioannis 1. retractaſſe ſenten-

tentiam) & Cyrillum hic num. 1992. eſſe pro noſtra, & quando ipſi inter ſe diſſident, liberum erit vnos ſequi, alijs non ſequtis, & præcipuè ſi his pro eorum reverentia adhibeatur ſolutio aliqualis, licèt ſit minus competens.

1999 Ad 5. reſpondetur ſupponendo Chriſtum per decreti de ſubſtantia Incarnationis, prævisum fuiſſe à Deo in ſtatura perfecta (vel ſi à ſtatura præſcindente) vt libere & infinitè & abſolutè, & ſubſtantialiter merentem per opera interna animæ amoris & obedientiæ, & ſummiſsionis ad Patrem, & quod habiturus eſſet Matrem talem in qua fieret puer, independenter in operari à corporeo influxu, & à paſsibilitate abſoluta, & à peccato Adami, (licèt non independēter à conditione, nec ab executione per mortē ſi Adam peccaret). Decreverat enim Deus, quod ſi homo peccaret, humanitas qua abſolutè induebatur, ventura eſſet paſsibilis, & per mortem conſummatura prædictum meritum; conſummatione quadam reſpectu Redemptionis hominum, ſubſtantiali; reſpectu vero Angelorum, aliquali & ſecundum quid, quatenus abſquè iſta prædeſtinatio Angelorum in particulari, iam erat decreta ante paſſibilitatem abſolutam. Quatenus abſquè iſta, prædeſtinatio Angelorum in particulari, iam erat decreta ante paſsibilitatem abſolutam. Licèt ergo adventus, & mors non fuerunt pro illis, meruit eis per illos.

2000 Igitur diſtinguo maiorem quinti argumenti: omne meritū Chriſti de gratia & gloria dependebat à prævisione peccati, ſi tale meritum ſumatur ſubſtantialiter, & ſermo etiam ſit de merito pro Angelis, nego maio. Si tale meritum ſumatur provt conſummativè, concedo maiorem: & in hoc ſenſu diſtinguenda eſt minor, & neganda conſequentia; quia Angeli ex merito Chriſti præviſo in vi primi decreti iam fuerunt ſanctificati & beatificati ſubſtantialiter, licèt aliqualiter conditionatè penderet conſūmativè in exercitè poni, à decreto Redemptionis Ad confirmationem, nego totam gratiam à Chriſto promeritam fuiſſe ſanativam. Nam quàm falſum id ſit, manifeſtè convincit puritas, & præſervatio B. Virginis ab originali.

2001 Ad 6. diſtinguo maiorem: nullus eſt ſanctificatus per Chriſtum niſi pro eo mortuus ſit Chriſtus: ſanctificatione ſanativa & liberativa, concedo; alia ſanctificatione, ſubdiſtinguo: ſumpta ſanctificatione purè ſubſtantialiter, nego, quia ante mortem abſolutè præviſam dabatur ex alijs meritis Chriſti ſanctificatio ſumpta ſubſtantialiter. Secundum quid, conditionatè & conſummativè, concedo. In quo ſenſu veriſsimum eſt, quod Chriſtus vna oblatione Crucis conſummavit omnia, & etiam eſt verum in hoc ſenſu, quod pro Angelis mortuus ſit. Et hoc indicant PP. præcipuè Ambroſius lib. 5. de Sacramentis cap. 4. dicens: *Sanguine Chriſti pacificata ſunt omnia, vel in Cælo, vel in terra: ſanctificatum eſt Cælum: deiectus eſt Diabolus.* Vbi clarè aludit Ambroſius ad prælium Michaelis cum Dracone, & ad victoriam obtentam de iſto ex meritis & ſanguine Chriſti, quę ſubſtantialiter fuit antecedēs peccati Adami.

2002 Licèt autem de morte Chriſti pro Angelis, aut de eorum præſervatione, ferè nulla vel parva adſit notitia nec in Scriptura nec alibi, iam eſt aſsignata ratio huius ſilentij. Cum enim Angeli ab initio mundi fuerint in termino, eorum gratitudo erga tantum beneficium non intendebatur à Spiritu Sancto vt meritoria, ſicut intendebatur in omni homine mortali. Vt autem eſſet reſpectu Chriſti, laudatoria & gratificativa in Cœlo, cum eis ibi conſtaret, non fuit neceſſè eam mundo manifeſtare. Inſuper mors Chriſti à Deo intenta eſt propter nos, noſtramquè ſanctificationem & glorificationem, etiam ſubſtantialiter ſumptas, non præcipuè pro Angelis, & ſic debuit repeti ſæpè, quod mortuus eſt pro nobis; non autem quod mortuus ſit pro Angelis, ſicut nec dicitur quod mortuus ſit pro ſe, licèt ſibi meruerit gloriam corporis, quia pro ijs mortuus eſt valdè ſecundario & ſecundum quid.

2003 Ad vltimum benè ibi reſpondit Suarez. Ad replicam autem de eo quod gloria Angelorum non minus pendebat à meritis Chriſti, quàm gloria Patrum à ſatisfactione Chriſti, verum eſt de dependentia; ſed valde congruum erat, vt aliter ad gloriam & præſentiam ſummi Regis admitterentur, qui nullam offenſam commiſſerunt contra ipſum, ac illi qui propter ſuam culpam in carcere detinebantur. Pro his enim æquum erat vt priùs ſatisfactio culpæ, & pretium Redemptionis ſolveretur, quàm quod ad tantam gloriam & familiaritatem admitterentur. Si enim vt inquit Tridentinum cap. 8. de pœnit. aliter admittendi ad amicitiam Dei per multam ſatisfactionem, qui poſt Baptiſmum liberati à Dæmonis ſervitute Templum Dei violare non formidaverint, ac qui ante Baptiſmum per ignorantiam peccaverint (iſti autem admittuntur abſquè ſatisfactione) multo rationabilius eſt, quod aliter accipiantur ad Beatitudinem, qui numquam peccaverunt adhuc per ignorantiam, quales ſunt Angeli, quàm qui vel in Adamo, vel in ſe ipſis peccaverunt, & hoc etiam poſtulat æquitas Divinæ Iuſtitiæ.

2004 Ad Confirmat. reſpondetur, quod non ſemper in Palatium Regium priùs debent intrare Princeps & caput, quàm ſervi & membra, etiam ſi merito & ratione Principis ingrediantur ſervi. Sæpè enim cum Princeps habitationem eſt mutaturus, præeunt ſervi vt Palatiū plenum familia, & decens ſit, vt poſtea in illo excipiant advenientem Dominum, quem etiam alij ſervi comitantur & ſubſequuntur. Et præcipuè hoc haber verum in Angelis, qui creati ſunt poſt decretum Chriſtum, vt aſsiſterent in Cœlo Sanctiſsimæ Trinitati, & poſtea inſervirent Chriſto tanquam ſervi ſuo Domino in Cœlo & in terra. Nihil ergo mirum quod ante Chriſtum exiſtentem, & ratione ipſius glorificati ſint, & in Palatio Regio admiſsi ratione Chriſti venturi.

§. II.

QVID CHRISTVS MERVERIT HOMINIBVS.

2005 EX hucuſquè dictis de Angelis ſequitur manifeſtè dona data primis Parentibus in ſtatu innocentiæ & independenter à peccato, etiam fuiſſe data eis per Chriſti merita præviſa ex vi primi decreti abſoluti de Incarnatione & conditionati de eorum conſummatione per mortem ſi Adamus peccaret. Patet hoc, tum ex dictis. Tum quia ſi id ſit poſsibile, non debet ſūmæ Chriſti Dignitati & primatui capitis denegari.

2006 Inſuper certum eſt, & de fide, quidquid gratiæ & donorum hominibus datum eſt, tàm pro iuſtificatione, quā pro glorificatione, aut pro quocumquè beneficio Ordinis gratiæ hominibus datum eſt poſt peccatum Adami, eſſe ex merito Chriſti Domini. Hoc apud omnes Catholicos indubitatum eſt. Hinc conſtat B. Virginem habuiſſe ex meritis Chriſti, quod digna fieret eſſe Mater Dei, & ſimiliter quod antiqui Patres mererentur Incarnationis circunſtantias iuxta dicta ſupra quæſt. 15. à nu. 713. Addo, quod cum per peccatum homo factus fuerit indigmus Redemptione, incurreritquè pœnam carendi Redemptore, beneficium remiſsionis talis pœnæ fuit etiam ex meritis Chriſti. Meruit enim ipſe per prædicta merita quod Incarnatio ſua ordinata ad manifeſtationem attributorum, ordinaretur ſi Adamus peccaret, ad ipſius & totius generis humani Redemptionem. In hac 2. parte concluſionis non conveniunt, nec convenire poſſunt nobiſcum, qui Chriſtum negant fuiſſe decretum ante præviſionem peccati Adami. In hac enim ſententia remiſsio talis pœnæ carendi Redemptore à Deo per liberalem condonationem ante meritum Chriſti præviſum, facta eſt. His praiactis.

2007 Quæritur 7. an Chriſtus hominibus prædeſtinatis meruerit prædeſtinationem quoad omnes eius effectus, & etiam quoad decretum & actum internum Dei prædeſtinantis, non ſolum vt talis actus eſt dilectio, ſed etiam vt

eſt

Digitized by Google

eſt electio vnius præ alio. Nota 1. effectum prædeſtinationis illum dici, qui ex directione ſua conducit ſpecialiter ad gloriam prædeſtinati, quin detur ex providentia communi electis & reprobis. Vndè nec Incarnatio, nec Redemptio in genere ſunt effectus prædeſtinationis cum Verbum pro omnibus ſit Incarnatum, & mortuum. Affirmo 1. partem cũ ſententia cõmuniori. Tenent eam Thomiſtæ & Suarez, & ex noſtris Bonæſpei hic diſp. 15. à nu. 47. Lezana tom. 1. in 1. p. de prædeſtinat. q. 2. Cornejo hic, & Orlando etiam hic diſp. 7 nu. 25. Probatur 1. ex illo Pauli ad Epheſ. 1. *Qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in Cœleſtibus in Chriſto* (ideſt per Chriſtum vt explicat D. Thomas. Ad inſtar illius: *In quo habemus Redemptionem*, ideſt per quem Conſtat etiam ex illo Ioannis 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Super quod D. Thomas lect. 10. *Plenitudo gratiæ, quæ eſt in Chriſto eſt cauſa omnium gratiarum, quæ ſunt in omnibus intellectualibus creaturis &c.* Omnes, *ſcilicet omnes Apoſtoli, Patriarchæ, Prophetæ, & iuſti, qui fuerunt, ſunt & erunt, & etiam omnes Angeli.* Gregorius Magnus in primo Regum, cap. 2: *Nullus hominum, neque Angelorum, Sanctus eſt, niſi per Chriſtum* (vbi obiter nota dicta de Angelis). Item Auguſt. tract. 81. in Ioan. ad illud. *Sine me nihil poteſtis facere: ſive parum, ſive multum ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt.*

2008 Tum quia ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 16: *Chriſtus Ieſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influit, &c.* Chriſtus autem non aliter influit vt caput morale in nos, niſi quatenus per ſua merita cauſat in nobis dona gratiæ, vel etiam naturæ provt ordinantur ad gratiam. Tum denique, quia ſatis id indicat Eccleſiã, quatenus omnia bona ſpiritualia ſive temporalia, provt conducentia ad ſpiritualia, quæ à Deo poſtulat per Chriſtum Dominum noſtrum, ſive per eius infinita merita poſtulat. Tum denique, quia valdè cõgruit dignitati Chriſti vt capitis moralis, quod non ſit plus quod Adamus abſtulit per peccatum, quàm quod Chriſtus reſtituit per ſanguinẽ ſuum. Si ergo Adamus omnes effectus prædeſtinationis impedivit, Chriſtus omnes illos meruit abundantius, nam vbi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.

2009 Secunda pars de eo quod meruerit prædeſtinationem quoad actum internum Dei probatur. Tum ex loco Pauli adducto, vbi non ſolum dixit quod *Deus benedixit nos in Chriſto omni benedictione in Cœleſtibus.* (Sonat autem benedictio effectum prædeſtinationis.) *Sed etiam elegiſſe nos in ipſo ante mundi conſtitutionem vt eſſemus Sancti & immaculati, in conſpectu eius. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem Filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* Ly autem *elegit* & ly *propoſitum voluntatis ſuæ*, ſatis indicant actum internum Dei, internamque voluntatem circa prædeſtinandos, fuiſſe etiam per Chriſtum. Tum quia Criſoſt. hom. 1. dixit: *Per quem nos benedixit, per eundem nos elegit.* Item Phocius apud Ecumenium: *Benedixit per Filium: elegit per Filium, charos fecit per Filium.* Plura alia reperientur diſput. 57. de prædeſt. apud P. Ruiz de Monroya. Tum denique, quia cum meritum Chriſti ſit valoris ſimpliciter infiniti, ſufficientem habebat condignitatem ad movendum Deum non ſolum vt daret, ſed etiam vt vellet dare.

2010 Nec obeſt 1. Textus ad Eph. 1. vbi dicitur quod *Deus elegit nos in ipſo ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* Item: *In quo etiam nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundum Conſiliũ voluntatis ſuæ.* Item Ioannis 6. *Hæc eſt voluntas Patris mei, vt omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex illo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die.* Et etiam cap. 17 *Non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt. Quos dediſti mihi ego cuſtodivi, & nemo ex his perijt, niſi Filius perditionis.* Ergo non ſecundum propoſitum voluntatis humanæ Chriſti. Confirmatur, quia re vera negotium tam ſummi ponderis, quale erat prædeſtinatio Sanctorum præ electiva & diſcretiva electorum à reprobis, æquum non videbatur, vt Deus poneret in humana voluntate, ſed debebat reſervari divinæ. Reſpondetur electionem fuiſſe ſecundum propoſitum voluntatis divinæ, ſed elegit in *ipſo*. Conſilium enim Dei reſolvendum erat & dirigendum per manum Chriſti, ſive per eius merita, petitionem ſive præſentationem ad tantum beneficium. Quod conſtat ex illo Iſaiæ: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Vel aliter: quod eligerentur per merita & præſentationem Chriſtus fuit, quia ita ordinaverat Conſiliu Dei, vt ſcilicèt illi prædeſtinarentur pro quibus efficaciter oraret, & ei ſua merita applicaret. *Sed quomodo tui erant, & mihi eos dediſti?* Quomodo illud de ſedibus: *Non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo?* Reſpondetur eos fuiſſe electos Patris, originativè & fontaliter, quatenus Pater prædefinivit eorum electionẽ dependenter à petitione efficaci Chriſti. Tui ergo erant ob ſpecialem affectivam providentiam, & mihi eos dediſti ob petitivam ſpecialem promærentiam.

2011 Ad confirmationẽ reſpondetur, tale negotium benè potuiſſe confidi Chriſto, tàm ſupremæ Dignitatis & ſapientiæ Perſonæ. Præcipuè cum ſolum cõmitteretur ei *ſolo negotium* provt formaliter; fundamentaliter enim & originaliter, totum erat à Deo prædefiniente, & dante auxilia Chriſto, vt ſic eligeret vnos præ alijs.

2012 Nec obeſt 2. quod ſæpè dicitur in Scriptura nos fuiſſe *gratis iuſtificatos.* Si autem ex operibus Chriſti, non erit gratis. Ergo non ex meritis Chriſti fideiuſſoris. Reſp. reſpectu noſtri iam fuiſſe gratis, quia licèt ſint iuſtitia reſpectu Chriſti, ſecus reſpectu noſtri.

2013 Nec item obeſt 3. quod Sacra Scriptura in multis locis propoſitum electos ſalvandi reducat ad gloriam Dei, ad oſtenſionem bonitatis ipſius, & ad miſericordiam provt contraponuntur iuſtitiæ. Atqui ſi à merito Chriſti emanaſſet tale propoſitum, abſolutè eſſet in Deo opus iuſtitiæ, eo quod ex iuſtitia Chriſtus illud meruerit, etſi reſpectu noſtri eſſet gratia & gratis, id ſolum verificaretur cum addito, nempè *reſpectu noſtri*: ergo non potuit eſſe ex meritis Chriſti. Maior in qua eſt difficultas probatur. Nam ad Epheſ. 1. *Prædeſtinavit nos ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ* (ideſt non in remunerationem iuſtitiæ Chriſti, ſed in laudem gloriæ ſuæ.) Et ad Rom. 6. *Non volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis*; & rurſus ibidem: *Oſtendit divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

2014 Inſuper in Scriptura dantur alia teſtimonia ſignificantia duas in Deo voluntates ſalvandi electos, vnam eligendi ex charitate, & aliam exequendi per merita Chriſti. Ait enim ad Epheſ. 1. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem Filiorum per Ieſum Chriſtum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in quo nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius.* Item ad Epheſ. 2. *Propter nimiam charitatem quâ dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccato, convivificavit nos in Chriſto, cuius gratia eſtis ſalvati.* Et Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum vt Filium ſuum vnigenitum daret.*

2015 Reſp. ad hoc argumentũ 1. per duplicem voluntatem intentivam & executivam; de quibus ſatis probabiliter intelligi poteſt noſtra ſupra poſita reſolutio, vel problematicè defendi, præcipuè propter illud: *Tui erant & mihi eos dediſti*, ſcilicèt vt eſſent mei per merita & executionem, qui erant tui per efficacem intentionem. Sed aliter 2. à nobis pro gloria Chriſti defendendum eſt primam intentionem formalem electivã prædeſtinatorũ eſſe ex meritis Chriſti. Nullus enim hominũ ante Chriſti mortem præviſam, fuit formaliter prædeſtinatus à Deo, & ſic prima voluntas formalis prædeſtinans non fuit ex pura gratia Dei, ſed ex iuſtitia. Datur tamen in Deo alia prior volũtas providẽtialis originativè diſcretiva electorũ à reprobis pro-

Digitized by Google

pro iis;non quidem diſcretiva formalis,ſed diſcretiva vialis ſpecialis. Et per iſtam, quæ quidem fuit abſolutè liberalis,& ex miſericordia aut charitate , & ex fine manifeſtandi gloriam ſuam , bonitatem & attributa ſua,diſpoſuit decreta prædefinitiva , per quæ Chriſtus relicta in manu ſua electione formali vnius præ alio, pro his efficaciter oraret,& non pro alijs. De iſta ergo voluntate providentiali,quæ quidem erat prædeſtinatio quaſi in ſemine,& in pignore,intelliguntur loca Scripturæ, quæ prædeſtinationem tribuunt miſericordię & gratię Dei,& indicant illam factam gratis. Loca autem alia ſatis indicant prædeſtinatos I.electos efficaciter per Chriſtum,& eius merita.

2016 Nec 4.Ea dona dedit Chriſtus quæ Adamus perdidit : atqui Adamus per peccatum non perdidit fidem, nec ſpem: ergo ea Chriſtus non meruit nobis. Vazquez negat minorem,quia Adam etiam fuit ſeductus, non à ſerpente, ſed ab Eva.Gonet reſpondet melius.Adam licèt non perdiderit fidem pro ſe, perdidiſſe pro nobis omnia dona ſuperna reddendo ſe & nos indignos. Reſp. aliter ad maiorem: ea ſola,nego;ea quę Adam perdidit,& multa alia dedit, quia vbi abundavit delictum, non ſolum gratia æquavit, ſed ſuperabundavit.

2017 Nec tandem obeſt illud ad Romanos 4: *Traditus eſt propter delicta noſtra, Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Ex quo arguitur ſic: iuſtificatio noſtra non provenit ex morte Chriſti(ſicut provenit ſatisfactio,ſive extinctio delictorum), ſed potius ex Chriſti Reſurrectione , vt conſtat ex illa adverſativa *Reſurrexit autem.* Atqui hæc non fuit meritoria , cum Chriſtus iam eſſet extra viam. Ergo Chriſtus reſpectu prædeſtinationis , non fuit cauſa meritoria. Si reſpondeat quis , Reſurrectionem etiam fuiſſe Chriſto meritoriam,quia fuit ei libera, & ex poteſtate data ei à Patre ex dictis à nu.1755. Sicut autem ſtatus viæ Chriſti videtur à Patre protractus, non ſolum vſquè ad vltimum inſtans vitæ & ſui eſſe , ſed vſquè ad primum inſtans immediatum ſui non eſſe, ex divina acceptatione iuxta dicta à num.1554. non eſt cur non potuerit protrahi vſquè ad primum inſtans Reſurrectionis. Sed contra.Quia protractio viæ vſquè ad Reſurrectionem eſt ſine vllo fundamento, cum conſtet ex Scriptura & Patribus,Chriſtum per mortem,& Crucem omne meritum cōſummaſſe, Reſurrectionem autem, cum pertineat ad capitis exaltationem,eſſe de præmio,& non de merito.

2018 Tum quia eſt longa diſparitas de morte,& primo ſui non eſſe,ad Reſurrectionem, ſiquidem apud cōmunem Theologorum,licèt actio externa non addat bonitatem ſupra internam , ſi tamen eſt effectus immediatus ipſius,eſt complementum eius ; & propterea peccatum externum debet in confeſſione aperiri, vt complementum. Et excommunicatio non incurritur, niſi apponatur opus externum , eo quod aliter peccatum non cenſeatur moraliter completum , niſi per opus externum. Cum autem morti Chriſti meritoriæ promiſſum ſit à Deo præmium , & illa non ſit completa in acceptatione, & patientia vltimi inſtantis vitæ, ſed in primo mortis (mors enim ex ſuo conceptu eſt effectus phyſicus Chriſti vt Sacerdotis , de quo infra dum de Sacerdotio Chriſti) , & eſt quid immediatum inſtantanee ſucceſſivum ex vita & morte , hinc fit, quod non ſit cenſendus finitus ſtatus viæ completæ vt à Deo acceptatus,niſi per incluſionem in obliquo immediatam,& ſucceſſivam ipſius mortis.

2019 Ideò aliter & melius reſpondetur ex D. Thoma hic quæſt.56.art.1. ad 4. & ſuper textum ad Romanos 4. lect.3.(cuius verba adducit Gonet) mortem,& Reſurrectionem Chriſti poſſe ſumi,vel per modum cauſæ efficientis & exemplaris, cum qua effectus debet habere aliquam ſimilitudinem, vel per modum cauſæ meritoriæ. Primum convenit vtriquè.Sicut enim mors extinxit in Chriſto vitam mortalem , ita etiam cauſavit in nobis extinctionem peccatorum. Sicut autem Reſurrectio in Chriſto eum de morte tranſtulit ad vitam ſupernam,ita iuſtificatio tranſfert nos de morte culpæ ad vitam gratiæ,& ſic manet explicata ſimilitudo & cauſalitas. Fortè autem Reſurrectio Chriſti, eſt vlterius inſtrumentum phyſicum noſtræ iuſtificationis ex dictis hic à nu.1526. & ita tenuit noſter Orlando hic tract.4.diſp.1.à nu 7. Et ſic reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. At ratio cauſæ meritoriæ,morti quidem ex D.Thomæ convenit,Reſurrectioni autem nullatenus convenit. Vndè ad argumentum neganda eſt maior loquendo de merito.An autem Chriſtus meruerit auxilia Crucifixoribus,& quomodo,diximus ſupra quęſt.14.num. 704. De quo infra iterum erit ſermo art.4. §.2.

§. III.

QVID CHRISTVS POTVERIT MERERI DE Poſſibili.

2020 CVM quilibet Chriſti actus meritorius ſit valoris ſimpliciter infiniti,ſtatim ſe offert difficultas non parva,quid potuerit mereri per quemlibet actum ſuum de poſſibili? Duplex eſt præmium, nepè purè creatum & non purè creatum,ſcilicèt,quia involvit aliquid increatum,vt v.g.quod Incarnetur Pater,vel Spiritus Sanctus. Non eſt autem ſermo de merito condigno in actu ſecundo,quia reſpectu pręmiorum poſſibilium,cum non adſit pactum inter Chriſtum & Patrem,nullum ipſius meritum poteſt ad præmia poſſibilia in actu ſecundo obligare.Solum igitur procedit difficultas de merito condigno in actu primo.

2021 Aſſero 1. quilibet actus Chriſti meritorius eſt dignus in actu primo omni præmio poſſibili purè creato. Ita Bernal diſp.55.ſect.1.Ratio autem eſt,quia cum omne poſſibile purè creatum , non ſit valoris ſubſtantialis ſimpliciter infiniti,cum eius infinitudo ſit ſolus multitudinis, nequit excedere in ratione præmij, imò nec æquare infinitudinem ſimpliciter cuiuslibet actus Chriſti, ſumptam à dignificatione perſonæ. Quod ſi impoſſibile ſit,quod detur Chriſto in re omne præmium poſſibile,id non provenit ex defectu condignitatis ex parte meriti, cum conſtet ex Sancta Pazzis adducta ſupra à num.1947. quod Redemptio Chriſti fuit ſuperabundans pro omnibus peccatis quæ fieri poſſent ab infinitis mundis , ſi darentur , ſed provenit ab impotentia ſimultatis inter res poſſibiles, vtpotè quia plures earum involvant eſſentialem contradictionem inter ſe quoad ſimul exiſtere.

2022 Maior difficultas eſt de præmio non purè creato, v.g. Incarnatione Patris? Multiplex eſt ſententia. Prima affirmat poſſe mereri condignè vnum præmium non purè creatum,imò & poſſe plura præmia non purè creata,& ita affirmat Pater Bernal cum Suarez diſp. 4. ſect. 4. Vazquez diſp.6. cap.3. Petro Hurtado diſp.63. ſect 1. & eſt communis inter Recentiores.Primam partem probat Bernal, quia licèt Incarnatio Patris ſit valoris ſimpliciter infiniti,eo quod involvat Perſonam Patris,cum actus meritorius Chriſti etiam informetur, dignificetur,aut deificetur Perſona Verbi,eiuſquè dignitate,erit æqualis valoris, & meriti ſimpliciter infiniti. Quin obſit 1.quod actus hominis iuſti vt octo non meretur præmium vt octo , nec æqualiter ad ſuam dignitatem. Ergo nec actus meritorius Chriſti. Reſpondet negando conſequentiam , quia proprium eſt formæ finitæ non dignificare actiones meritorias in eo gradu quem ipſa habet dignitatis, quod probat exemplo dignitatis Regiæ , quæ licèt mereatur aliquid magni apud alium Regem dum intercedit pro aliquo homine privato, non tamen propterea meretur quod elevet privatum ad dignitatem Regiam.Secus eſt de forma ſimpliciter infinita,qualis eſt Perſona Verbi.Exiſtimat autem id provenire ex eo quod formæ finitæ à lege induantur, ac per conſequens dignificatio ab ipſis,à lege etiam cauſetur.

Digitized by Google

tur. Perſonæ autem divinæ nulla à lege aliqua poſitiva, poteſt taxa convenire.

2023 Sed re vera non video vbinam lex poſitiva induxerit in formis finitis has dignificationes, ac per conſequens nec valoris taxationes. Potius enim videtur parere lumine naturali, quod æſtimabilior ſit actio moralis deprecatoria, meritoria aut ſatisfactoria, à maiori dignitate Perſonæ. Dixi deprecatoria, &c. quæ ſunt actiones importantes aliquam ſubmiſsionem; nam de alijs, infra. Quod ſi leges civiles, aut Canonicæ aliquid de hoc decernant, potius erit rationi naturali obſequendo, quàm ius novum introducendo. Mihi autem aliter reſpondendum videtur; quod Chriſtus eſt natus, ſive eſt natura Rex, iuxta illud: ***Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?*** Item eſt natura ſua Sanctus, iuxta illud Lucæ 1. ***Quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.*** Quæ omnia hominibus ſunt contingentia, & ab extrinſeco adventitia. Quo autem dignitas intrinſitior, & intimior eſt ſuppoſito operanti, eo magis & ſimul altius refunditur in opus operatum, & hæc eſt congruentior diſparitas.

2024 Secundam partem de multis præmijs, v.g. de duabus Incarnationibus, potuiſſe Chriſtum vnico actu mereri ea, probat Bernal contra ſecundam ſententiam, quæ eſt Albertini, quia licèt ſit vnicus actus, & poſsit vnum meritum ſufficienter exhauriri vnico præmio æquali (quod eſt argumentum Albertini negantis tom. 1. corol. 18 ex primo principio phyloſophico puncto 4.) at in actu Chriſti, vtpotè habente aliquos gradus intenſionis, non datur vnum meritum, ſed multiplex, quorum quilibet cum ſit honeſtus, & liber, & factus in via & deificatus à dignitate Perſonæ infinitæ, eo ipſo eſt valoris ſimplicitèr infiniti. Ergo non minus iſtæ duæ partes, ſive duo gradus poterunt mereri duas vniones hypoſtaticas, quàm duo actus diſtincti poſſint eas mereri. Eadem enim eſt in eis ratio valoris ſimpliciter infiniti. Per quod patet ad argumentum contrarium.

2025 Maior difficultas eſt, an vna pars actus Chriſti meritoria contineat ſufficientem valorem pro multis præmijs non purè creatis? Negat Bernal cum Albertino. Tum quia vna pars ſolum cõtinet vnum meritum, exhauriendum per vnum præmium æquale. Tum quia licèt intenſivè vtraquè Incarnatio non contineat plus valoris intenſivi, quàm vna, ſecus extẽſivi. Et ſic totum meritum intenſivè, & extenſivè ſumptum adæquatur per vnam. Ergo alia manet extra prædictam adæquationem tanquam alius valor præmij diſtinctus. Tũ quia diverſum quid eſt Deus viſus vt octo obtentus Petro, ac vt octo obtentus Petro, & ſimul vt octo obtentus Paulo, & eget diverſo merito. Ergo ſimiliter, &c.

2026 Affirmat Suarez, Vazquez & Raguſſa, & alij Recentiores. Probant 1. quia duplex vnio hypoſtatica non eſt maioris valoris intẽſivi, quàm vna. Atqui in re infinita maior extenſio non eſt attendenda. Ergo meritum quod habeat valorem pro vna, habet pro vtraquè. 2. quia tale meritum, vel eſt de vnionibus ſecundum ſe. Et cum iſtæ ſint puræ finitæ, poſſunt plures in idem meritum Chriſti cadere: vel eſt aggregatum ex Perſona & vnione. Et ſic vnum aggregatum eſt ita infinitum, vt per duplex nulla valori infinito ipſius fiat additio. Ergo ſi vnum cadit ſub vnicum meriti Chriſti, etiam ſimultas duorum. 3. quia valor vnius actus Chriſti eſt in genere valoris intenſivè ſimplicitèr infinitus, ita vt repugnet alius magis perfectus, vel intenſivè maior. Ergo æquat omne omninò præmium poſſibile. Conſequentia probatur, quia vel æquat, vel non æquat. Si æquat? Habetur intentum. Si non æquat. Ergo iam datur alius valor intẽſivè maior, quàm ſit valor vnius actus Chriſti. Quod quidem repugnat. Tum quia per ſe patet repugnare formam meliorem aut digniorem forma valorante talem actum, cum ſit ipſa Perſona Verbi. Tum etiam, quia ſupra ſimpliciter infinitum, repugnat dari plus infinitudinis; non enim datur alia ratio propter quam ſupra Deum repugnet dari plus.

2027 Pro deciſione harum difficultatum primo eſt notandum, non omnes actiones, & opera libera & honeſta creſcere ex dignitate Perſonæ. Si enim aliquis nobilis debeat Petro centum ſcuta ex contractu cenſuali, quod illa ſolvat manu propria, vel manu alicuius ſervi ſive villici, nullam addit moralitatem aut novam dignificationem ſolutioni, nec dignitas Perſonæ refunditur in eam vllo pacto. Hæc enim transfuſio, vel additio videtur propria operum obſequentium, honorantium, ſumiſſe deprecantium, ſe humiliantium, vel cum aliqua ſubmiſsione obſequentium & merentium, & præcipuè pro offenſa ſatisfacientium. Transfuſio enim dignitatis in hæc opera & ſecundùm ea, (in quę non ſola offertur res oblata, ſed Perſona ipſa operans, etiam quaſi ſubijcitur, & offertur obiectivè alteri à propria ſpontaneitate) oſtenſa eſt nobis lumine naturæ, & etiam maior transfuſio Perſonæ, quæ apparet quando quis ſe ipſum, ſuamque Perſonam proſternit, & offert alteri in obſequium, ſimul cum munere oblato; ac quando alter eſt qui offert illam ſimul cum munere, vt fecit B. Virgo offerens Ieſum in Templo. Et tandem quod quanto obſequium magis importat de depræſsione perſonę oblatæ, tanto plus creſcat quam aliud.

2028 Nota 2. ex ſæpè dictis, & præcipuè hic fol. 180. à n. 1686. & 1967. valdè diverſa eſſe nõ eſſe idem quod aliquid ſit ſimpliciter infiniti, & quod in lineâ ſimpliciter infiniti ſit ſumi. Quidquid enim habet Deitatẽ vt talem pro forma, eo ipſo eſt ſimpliciter infinitum. Sed in hoc ipſo datur latitudo, & quo maior ſit, ſtrictior, & intimior communicatio Deitatis, erit maior infinitudo in linea infiniti ſimpliciter. Quia ergo offenſæ forma nempè Deus, gravificat, & communicatur extrinſecè, licèt ſit apud nos infinita ſimpliciter, eſt in linea infima. Actus Chriſti in maiori, quia ſunt immanentes, licèt accidentales humanitati Verbo intrinſecè vnitæ, & ſic Verbum mediatè intrinſecè dignificat, & informat illas. Humanitas vnita hypoſtaticè Verbo eſt aliqualiter in maiori, quia intrinſecè immediatè dignificatur ab illo: ſolus autem Deus in ſe ipſo eſt in ſummo infinitatis ſimpliciter, quia ſolus ipſe informatur Deitate per ſummum vinculum, nempè idẽtitatis. Ex quibus patet, quod ſicut vna offenſa etiam ſi ſit infinita ſimpliciter non eſt aliquid tàm magnum, vt duplex & triplex, non ſit aliquid maius & dignius maiori pœna, idem exiſtimo de quolibet merito Chriſti, quod cum in linea ſimpliciter infiniti non ſit ſummum, plus eſt duplex meritum quàm vnum. Hinc etiam exiſtimo plus eſſe duas Incarnationes, quàm vnam in æſtimatione morali. Quod vlterius confirmo, quia ſi Verbum ſolum vniſſet ſe cum Humanitate vnione hypoſtatica terminata immediatè ad corpus tantum, per quam anima vnione humana vnita corpori, ſolùm mediatè maneret vnita, eſſet ne tam æſtimabilis illa vnio hypoſtatica, ſicut ea quæ modo eſt immediata ad totam humanitatem? Certè videtur quod non; quia non ſe extenderet in linea vnionis ad omnes partes humanitatis. Ergo nec erit tam æſtimabilis vnio ad vnam Perſonam quam ad tres, & ſic meritum ſufficiens & verè adæquabile per vnam Incarnationem, non eſt condignè ſaltim mathematicè ſufficiens ad tres. His ſuppoſitis.

2029 Aſſerui iam ſupra 1. Vnum meritum Chriſti ſufficere pro omni præmio purè creato poſsibili, quantum eſt ex parte condignitatis meriti. Aſſero 2. vnum Chriſti meritum, ſive vnus actus ſatisfactorius, ſufficit pro omni offenſa facta vel factibili, non ſolum in hoc mundo, ſed pro factibilibus ab infinitis mundis, vt dicebat Sancta Pazzis adducta à n. 1947. non obſtante, quod ſit ſimpliciter infinita. Ratio eſt, quia infinitudo ſimpliciter in merito Chriſti, eſt multo altioris Ordinis, quam ſit ordo offenſarum, & ſic poteſt continere valorem condignum pro omnibus illis.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

AN PLVRA PRÆMIA SVBSTANTIALIA non purè creata?

2030 ASSERO 4. vnus actus Chriſti quantumvis intenſus & multos gradus continens, non potuit mereri de condigno duo præmia ſubſtantialia non purè creata, v. g. duas Incarnationes. Et probatur, tum quia in moralibus, imò & in phyſicis vnus actus intenſior nõ habetur, niſi pro vno actu, & pro vno opere, vt eſt communis ſenſus omnium hominum (ita vt qui elicit actum contritionis intenſum in inſtanti, non ſatisfaceret præcepto confeſſarij imponenti tres contritiones, ſicut ſatisfaceret faciendo tres, habentes tantum vnum gradum.) Ergo & prò vno merito. Patet, quia ſi eſſet conceſſa indulgentia invocanti ter devotè in corde nomen Ieſu, quis dicat, quod ſi invocet intenſione triplicẽ gradum continenti, iam fecerit quod Indulgentia poſtulat? Tum etiam, quia ille actus vnus cum tota ſua intenſione accidentali, non poſſet iuxta ea quæ docet Bernal, excedere valorẽm ſubſtantialem vnius Incarnationis, quæ vtpotè ſubſtantialis, & intimior, plus (vel ſaltim non minus) dignificatur à Deitate, quàm dignificetur actus intenſus. Ergo intenſus etiam exhauritur per præmium vnius Incarnationis.

2031 Vndè ad argumenta facta à num. 2026. reſpondetur. Et ad 1. permiſſa maiori de eo quod non ſit plus valoris in duplici Incarnatione quã in vna, quoad intenſionẽ, nego minorem, nẽpè quod nõ ſit attendẽdus valor extenſivus pro merito. Sicut enim non eſt plus de eſſentia animalis rationalis in vno homine quam in alio, nec in vna Beatitudine vt octo continente Deum viſum, quàm in alia idem continente, & tamen pro prętio & merito attenditur multiplicitas, ſimiliter & hic, quia quęlibet Incarnatio non eſt in ſũmo æſtimabilitatis, licèt ſit in infinito. Ex his ad 2. dicimus, quod in Incarnatione promerita, attenditur ad complexum Perſonæ vnitæ. Sed neutrum complexum eſt ſũmum, cum non ſit per identitatem, & ſic maior eſt communicatio Deitatis in duplici quam in vno.

2032 Ex quo ad 3. dato quod vnum meritum Chriſti ſit tam perfectum, vt non detur maius intenſivè, nego æquare omne præmium, quia licèt non detur plus meriti quoad intenſionem, poteſt dari plus meriti per plura merita, & etiam plus præmij in pluribus præmijs, & fortè in vno, vt dicemus, ſi ſit altioris Ordinis ratione formæ infinitæ vinculo ſtrictiori tali præmio communicatæ, ſive in tali præmio moraliter incluſæ. Confirmatur, quia incredibile eſt, & alienum à communi fidelium ſenſu quod Chriſtus non plus placuerit Patri moriendo, quàm in Porticu Salomonis deambulando, & quod non plus per congeriem omnium operum, quàm per vnicum tantum, v.g. ieiunandi in aliquo Sabbati die.

2033 Difficilius mihi eſt reſolvere an per vnum actum potuerit mereri ſimpliciter vnum præmium ſubſtantiale, non purè creatum, v.g. vnam Patris Incarnationem? Dixi *ſubſtantiale.* Nam de accidentali, non eſt dubium. Sicut enim potuit mereri merita quibus Virgo mereretur, ita etiam merita alia quibus ipſe mereretur, quod quidem præmium eſſet, non purè creatum. Dixi etiam *ſimpliciter,* nam ſua in Reſurrectione reunio, & etiam vniones quibus factus eſt puer, & per nutritionem ſubſtantialiter augmẽtatus, iam dictæ ſunt, ab ipſo eſſe promeritę de condigno: hoc tamen non fuit mereri ſimpliciter Incarnationem aut Vnionem hypoſtaticam fieri, ſed inſtaurari vel extendi, quod quidem in linea morali, & æſtimabilitatis eſt quid multo minus.

2034 Pars negans probari poteſt 1. quia Incarnatio Patris eſt aliquid ſimpliciter infinitum, & licèt non ſummum, eſt tamen altioris Ordinis merito Chriſti propter ſtrictiorem & immediatam deificationem à Perſona divina. 2. quia innegabile videtur, quod actus Chriſti meritorius, cum ſit aliquid accidentale, defectibile, etiam poſt infinitè valoratum contingenter à Verbo, non ſit æqualis æſtimabilitatis, ac principium ipſius nempè Chriſtus, ſive Verbum vt ſubſiſtens ſubſtantialiter in natura humana. Vide ſupra fol. 52. à num. 546. & 548. Ergo vnum meritum Chriſti non ſufficit pro vno præmio ſubſtantiali non purè creato. Qui hanc ſententiam tenere vellit, & dicere requiri ſimul ex parte Chriſti, aliquorum meritorum aggregationem pro obtinenda Patris Incarnatione, non facilè convincetur. Ex quibus Patet quam dubia ſit plurium Recentiorum aſſertio, de eo quod quodlibet Chriſti meritum, ita ſit ſummum, vt habeat ſufficientem condignitatem pro omnibus omnino præmijs excogitabilibus.

2035 Aſſero nihilominus, vnum meritum mortis Chriſti ſufficienter eſt condignum in actu primo pro vna Patris Incarnatione. Probatur, quia Incarnatio Patris afferret humanitati vitam ſubſtantialem hominis Dei infinitè æſtimabilem. Atqui non valet minus vita Chriſti hominis Dei, quàm per mortem perdit, & conſecrat in obſequium Patris, quàm valeat vita hominis Dei in præmium data per Incarnationem Patris. Ergo meretur iſtam de condigno. Nec obeſt quod Incarnatio habeat ſimpliciter infinitudinem majoris Ordinis, quàm meritum Chriſti. Reſpondetur enim, quod cum vtriuſquè deificatio ſit intrinſeca (licèt in merito ſit mediata, & in Incarnatione immediata) maioritas iſtius non eſt tanta tanta, quod non potuerit ſuppleri pro æſtimatione morali æquali, per vitam hominis Dei datam & ſacrificatam, æquantem in Incarnatione acceptam. De alijs meritis Chriſti minus arduis, & verſantibus circa materias, quæ ex ſe ſint levioris ponderis, cenſeo vnum non ſufficere pro tali præmio, benè vero aggregationem plurium, per quam ſuppleatur exceſſus immediationis, intra denominationis intrinſicitatem.

2036 Recentior quidam ſatis ingenioſus docuit, nullum Chriſti meritum poſſe mereri Incarnationem Patris. Sed id non provenire ex defectu condignitatis, in quolibet pro omni præmio. Sed quia repugnat quod ſit præmium meriti, id quod cedit in damnum merentis, ſicut cederet Incarnatio Patris; eo ipſo enim minueretur in Chriſto gloria eſſendi vnus & ſingularis, & etiam gloria capitis Eccleſiæ, quæ eo ipſo competeret etiam illi homini Patri. Hic modus diſcurrendi eſt ſingularis, ſed non placet. Primo, quia in hac quæſtione ſermo eſt de condignitate, non autem de rationibus politicis, quæ fortè impedire poſſent Incarnationem Patris, iuxta doctrinam ſupra allatam à nu. 1794. Secundo non eſt verum generaliter, quod præmium non poſſit cedere in damnum merentis, ſi merens vellit cedere. Sic Pater habens Officium Regis proponit Regi ſua ſervitia, vt in præmium eorum transferatur de pręſenti Officium in Filium, ſpoliato Patre. Tertio, quia poteſt non ſequi pluralitas Chriſti & capitis. Potuit enim Deus decernere de potentia abſoluta, quod Chriſtus duraret vſquè ad tale tempus in quo mereretur, non vltra victurus. Licèt enim vnio hypoſtatica ſit per ſe perpetua, ſed non eſſentialiter. Tunc ergo ſciens Chriſtus ſe deſtruendum, & numquam Reſurrecturum, potuit offerre in Cruce ſuam vitam pro Incarnatione Patris, tanquam pro novo Phœnice ex ſuis cineribus, quaſi de novo producendo. Tandem adde potuiſſe mereri vt Incarnationes Patris & Spiritus Sancti fierent in ſua ipſa humanitate, ita vt ſicut datur Deus trinus, ita etiam daretur homo trinus, & ſicut ille Deus eſſet vnus omnipotens, & vt vnus influens, ita ille homo eſſet vnum caput, & vt vnum influens.

(.†.)

Digitized by Google

ART. IV. ET §. I.

PER QVOS ACTVS MERVERIT CHRISTVS?

2037 MERVISSE Chriſtum per actus ſupernos liberos virtutum infuſarum, certum eſt apud omnes. Tum quia habent omnes conditiones requiſitas ad meritum. Tum quia Scriptura celebrat in ipſo ieiunium, humiliatem, miſericordiam & obedientiam. Et ſpecialiter de iſta loquitur tanquam de merito, cui à Deo datum eſt præmium. Inquit enim *quod humiliavit ſemetipſum factus obediens vſquè ad mortem, propter quod Deus exaltavit illũ, &c.* Tum deniquè, quia de hac virtutum varietate dictum eſt Chriſto in Perſona Iſaci: *Ecce odor Filij mei, ſicut odor agri pleni cui benedixit Deus.* Dixi *ſupernos*, quia de actibus naturalibus quoad entitatem an propter dignificationem à Verbo ſummè quoad modum ſupernaturalizatos, habeant ſpeciale meritum, vt volunt Suarez, Orlando & alij, reſolutio pertinet ad tractatum de merito.

2038 Nec obeſt ſi dicas, quod in Chriſto non fuit, niſi ſolum meritum charitatis, quia eius ſumma moralis perfectio poſtulabat, vt omnia faceret ſummè perfectè, ideſt vel ex imperio charitatis imperante alios actus virtutum, vel ex motivo charitatis abſq; imperio reflexo. Ex vtroq; autẽ latere excluſum manet quodlibet meritũ præter meritum charitatis. Reſpõdetur enim his non obſtãtibus, adhuc habere alias virtutes ſuũ meritũ ſpeciale, etiã dũ imperantur à charitate. Quia vt diximus in tractatu de Bonitate & malitia, adhuc tunc conſervant actus imperati ſuum ſpeciale meritum. Tum quia ſæpè poſſunt fieri abſquè imperio per duos affectus concommitãtes diſparatos, quorum vnus ſit de ieiunio propter ipſũm, & alius de ieiunio propter placendum Deo, & ſic in Chriſto dabatur ſimul vtriuſquè meritum.

2039 Maior difficultas eſt an Chriſtus meruerit per actum charitatis Theologicum? Negavit Pater Gabriel Vazquez hic diſputatione 74. capite 3. quia exiſtimavit in Chriſto ſolum fuiſſe amorem Theologicum Beatificum omninò neceſſarium, & abſquè libertate. Licèt autem meruerit per charitatem liberam proximi, ſed hæc non erat amor Theologicus, ſed moralis. Communis tamen ſententia admittit in Chriſto amorem Dei Theologicum, ſpontaneum & liberum. Quidam vt Suarez, Orlando, & multi alij admittunt amorem realiter diſtinctum à Beatifico, qui dirigatur ex cognitione Dei clara ſcientiæ infuſæ non rapiente voluntatem, ſed eam liberam relinquente.

2040 Thomiſtæ tamen quos aliqui Recentiores ſequuntur ponunt iuxta adducta ſupra à num. 1833. amorem liberum indiſtinctum realiter à Beatifico, qui quidem ſit amor neceſſarius de divina bonitate, ſumpta hac provt eſt ratio amandi perfectiones neceſſarias Dei. Secũdum aliam vero terminationem, ſit liber & meritorius de illa, provt eſt ratio amandi in Deo alia bona Beata, vel non neceſſaria, quæ non rapiunt voluntatem Chriſti. Ad eum modum quo contingit in actu libero Dei neceſſario erga Deum, libero vero quoad terminationem ad creaturas. Hæc enim nec dicunt contradictionem in eodem actu reſpectu diverſorum, ſicut eadem viſio Beata eſt intuitiva Dei, & abſtractiva creaturarum. Nec repugnant ob infinitatem Dei propriam. Solum enim eſt propria Dei ſimplicitatis, identitas voluntatis cum amore, *quæ tamen non datur in Beatis* ſecus identitas amoris neceſſarij & liberi.

2041 Aſſero 1. amor Beatificus in Chriſto reſpectu perfectionum divinarum, licèt ſit ſpontaneus, non eſt ex hoc capite liber, aut meritorius. Patet, quia ſolum habet libertatem à coactione, non autem à neceſſitate, & hæc libertas non ſufficit ad meritum, vt eſt definitum ab Eccleſia contra Michaelem Bayum. Aſſero 2. quod amor Beatificus adhuc ſecundum terminationem illam, qua reſpicit bona Deo extrinſeca, vel non neceſſaria nec rapientia, nequit eſſe liber de facto, nec in Chriſto, nec in alijs Beatis. Conſtat ex dictis ſupra nu. 1833. & 1834. quia cum Beatus videat illa opera, vel bona in decreto divinæ voluntatis, licèt ſecundum ſe non rapiant voluntatem Beati, rapiunt quatenus proponuntur vt à Deo volita: cui divinæ voluntati Beatus ex neceſſitate conformatur. Dico *ex neceſſitate*, quia tali amori eorum non præit ex parte intellectus iudicium indifferens, ſed omninò determinans & rapiens ad volendum, quod Deus vult. Ex quibus excluſa manet ſolutio dicentium, proponi Beato illa bona in Deo, vt libere fienda vel volenda. Contra. Licèt enim proponantur fienda vel volenda per aliqua principia ex ſe indifferentia, id tamẽ non ſufficit, niſi addatur præcipuum comprincipium, ſcilicèt iudicium indifferens. Atqui iſtud omninò excluſſum eſt, ſiquidem nihil apparet ex parte viſionis Beatæ potens, vel leviter retrahere Beatum à volendo, quod videt Deum velle. Ergo.

2042 Aſſero 3. in Chriſto dabatur amor Dei ſupernus liber factus ex directione ſcientiæ infuſæ diſtinctus realiter ab amore Beatifico. Ita Suarez, & eſt ſententia ſatis communis inter Auctores. Probatur 1. ex D. Thoma hic quæſt. 19 art. 3. ad 1. dicente: *Meruiſſe Chriſtum Dominum per charitatem, non in quantum erat charitas comprehenſoris, ſed in quantum erat Viatoris.* Item quæſt. 34. art. 3. in cor. ait: *Quod Chriſtus ſecundum proprium motum liberi arbitrij in Deum, fuerit ſanctificatus; quiquidem motus liberi arbitrij, eſt meritorius.* Vbi clarè loquitur de motu liberi arbitrij in Deum, ideſt de amore per quem fertur ad Deum. Inſuper loquitur de amore, qui more adultorum diſponat ad gratiam ſanctificantem, aſsignãdo pro adultis proprium & perſonalem actum fidei, cui in Chriſto correſpondere debet non viſio Beata, quæ ſequutura erat gratiam ſanctificantem. Ergo illuſtratio ſcientiæ infuſæ, quæ præcederet talem amorem, vt meritorium & diſpoſitivũm.

2043 Secundo probatur, quia ſcientia infuſa ex vna parte repræſentabat clarè Chriſto ſummam Dei bonitatem & perfectiones, ita vt poſſet alicere ad amandum Deum ſuper omnia, & ex alio capite non rapiebat, cum ſolum eſſet evidens abſtractivè, ſive quoad an eſt. Igitur relinquebat locum iudicio indifferenti repræſentanti tepide bonitatem (ita vt ex vi talis repræſentationis non rapiat) vel aliqualem moleſtiam in exercitio talis amoris. Intellige iſtam aſſertionem de amore Dei Theologico, non ſolum circa divinam bonitatem, vt eſt ratio amandi bona extrinſeca Deo, vt contendit Lorca, ſed etiam provt eſt ratio amandi bona intrinſeca Deo, quia etiam iſta proponuntur per ſcientiam infuſam quin rapiant. Quo autem pacto in vidente Deum, & rapto Beatificè ab obiecto ſummè bono, poſſit dari hæc indifferentia iudicij, circa amãdum Deum, ſatis explicuimus ſupra à num. 1846. per interpoſitionem illius veli, vel quaſi parietis.

2044 Nec obeſt 1. quod in ſententia D. Thomæ, & communi, repugnent in eodem numero ſubiecto duo accidentia eiuſdem ſpeciei. Atqui tales amores, nempè Beatificus & Viatoris ex directione ſcientiæ infuſæ, eſſent eiuſdem ſpeciei. Ergo non poſſunt ſimul reperiri in Chriſto. Vndè vt Chriſtus vnum aliquando eliceret, deberet in eo tunc ab alio ceſare, quod falſum omnino eſt. Minor autem probatur, quia charitas eſt vna virtus vnitate ſpeciei infimæ, non minus quàm fides ſit vna & ſpes ſit vna. Vna autem virtus ſolum poteſt elicere multos actus eiuſdem ſpeciei, non autem diverſæ.

2045 Dupliciter huic argumento reſponderi ſolet. 1. eos actus eſſe diverſæ ſpeciei, quia non ſpecificantur à ſola divina bonitate ſe habente vt *ratio qua*, ſed à diverſis *ſub qua*. Beatificus nempè ab ipſa vt intuibili; vialis autem ab ipſa vt infuſè ſcibili. Sæpè autem diximus ad diverſitatem ſpecificam actuum non requiri diverſitatem rationis

Digitized by Google

qua, ſed ſufficere *ſub qua*. De quo ſupra à num. 1395. & patet exemplo lucidi colorati, cuius viſiones, ocularis, imaginativa, & intellectualis ſpecie differunt ob ſolas ſpecie diverſas attingibilitates. Vndè licèt habitus charitatis ſit ſpecie vnus quantum attinet ad ſe, & ad rationem formalem *qua*, & ad ea quæ ſe tenent ex linea ipſius, & boni divini vt cogniti, & vt ratione ſui amati; hoc non tollit, ne poſsint actus ipſi eſſe diverſæ ſpeciei. Exigentialiter ſcilicèt, vel à diverſo intrinſeco modo tendendi originato à valdè diverſa appræhenſione, vel ex alio capite appoſititio.

2046 Sed hanc ſolutionem impugnant 1. quia vnum obiectum ſolum poteſt ſpecificare vnum ſpecie actum. Atqui bonitas Dei eſt vnum obiectum: viſio autem vel ſcientia infuſa, non ſe habent vt obiectum, ſed inſtar applicationis obiecti, & ſic obiectum ſemper eſt vnum. Ergo & actus ſpecificatus erit ſpecie vnus. Reſpondebũt, quod aliud eſt viſio, & aliud viſibilitas. Illa eſt ſolum applicatio; iſta vero eſt obiectum formale præcipuum, ſiquidem eſt ratio formalis *ſub qua*. Dicent ergo conceſſa maiori, diſtingo minorem. Bonitas Dei eſt vnum obiectum, ſi attendatur ſecundum ſe, & ſolum vt *ratio qua*, concedo. Si provt veſtita diverſis rationibus *ſub qua*, nego minorem, & conſequentiam. Impugnant 2. quia dum obiectum proponitur duplici cognitione, voluntas ſolum movetur circa illud, provt propoſitum perfectiori modo, præcipuè ſi modus perfectior rapiat voluntatem. Atqui per viſionem proponitur modo multò perfectiori & rapienti. Ergo non manet locus vt moveatur ad illud provt propoſitum modo imperfectiori ſcientiæ infuſæ.

2047 Quidã reſpõdēt ad hãc impugnationẽ, in ea ſermonem poſſe eſſe de duplici modo propoſitionis imperfectæ comparatæ cum modo perfectiori. Vnus qui ſit perfectus, licèt minus perfectus. Alius qui in ſe verè imperfectus ſit. Voluntas ergo dum rapitur à modo perfecto, non ſinet ſe moveri ab imperfecto; benè vero à minus perfecto. Sic voluntas Chriſti dum faciebat aliquid ex charitate, ſimul ſinebat ſe moveri ab affectu miſericordiæ, vel ab alio virtutis moralis minus perfecto. Et intellectus Chriſti non obſtante quod eſſet occupatus circa ſcientiam Beatificam, apud omnes ſe ſimul exercebat circa per ſe infuſam, & ſæpè circa per ſe acquiſitam, imò & circa experimentalem.

2048 Aliter reſponderi poteſt, cum rapere vno modo, & non rapere alio modo fundatur in diverſis ſtatibus comprehenſoris, & viatoris per miraculoſam diſpenſationem à Deo in Chriſto introductis ex num. 1846. tunc benè poſſe coniungi, quod voluntas ſimul actu perfectiori mota, & determinata ad obiectum bonum ſummum, alio actu minus perfecto libero iterum determinetur iuxta num. 1848.

2049 Vndè non eſt inconveniens quod voluntas neceſsitata, & determinata ad vnum obiectum poſsit ad illud ipſum amplius determinari, quando nova determinatio futura, eſt extenſiva & cum addito, ſcilicèt per alium actum diſtinctum. Ad eum modum quo qui eſt corpore, & vno pede intra Eccleſiã, alio vero extra Eccleſiam, benè poteſt ſe movere & intrare verſus Eccleſiam, ſcilicèt alio pede, quin ſit contradictio eſſe abſolutè intra illam, & cum addito, ſcilicèt alio pede localitèr ſe movere ad illam. Similiter nulla eſt contradictio in eſſe determinatum ad obiectum, & ſimul indifferentem ad illud, ſi primum ſummatur abſolutè, & ſecundum cum addito. Nec ex eo quod illuſtratio ſcientiæ infuſè ſit etiam evidens de bonitate Dei, ſequitur quod etiam rapiat voluntatẽ, ſicut viſio. Rapere enim eſt proprium ſummi boni quidditativè viſi, vt dicebamus ſupra à num. 1849.

2050 Impugnant 3. quia D. Thomas quæſt. 25. de veritate art. 1. ad 6. docet appræhenſionum diverſitatem, de per accidens ſe habere ad variandos appetitus, niſi accedat diverſitas appræhenſorum, ideſt bonorum. Vndè conſequenter ad hanc doctrinam docuit 1. 2. quæſt. 61. art. 6. ad ſecundum quod: *Charitas non habet pro obiecto ipſ[am] cognitionem, ſic enim non eſſet eadem in via & in patri[a], ſed habet pro obiecto rem cognitam qua eſt eadem, ſcil[ic]ẻt ipſum Deum.* Ex quibus verbis, colligitur quod amo[rem] viæ per fidem, & patriæ per viſionem eſſe eiuſdem ſpe[c]iei quoad habitum & actum (aliàs de charitate non aſſeveraretur à Paulo ſpecialiter, quod ipſa manet in patria). Vndè diverſitas attingibilitatum ſive rationũ *ſub qua*, nihil prodeſt hic, cum maior ſit inter viſionem & fidem, quàm inter viſionem & ſcientiam infuſam. Nec mirum quod non proſit, licèt enim proſit pro actibus & habitibus attingentibus, ſcilicèt intellectus ſpecificatis ab eis, ſecus pro actibus voluntatis non ſpecificatis à rationibus *ſub qua* intellectualibus, ſed à rationibus *ſub qua* appetibilibus.

2051 Nihilominus reſpondetur, benè poſſe vnum actum eſſe cum alio in eadem ſpecie infima logica formali, & ſimul eſſe in diverſa virtuali, ſive in diverſa quaſi phyſica, aut morali, diverſitate iſta proveniẽte actibus, nõ ex eodẽ capite à quo provenit idẽtitas, ſcilicèt ex obiecto motivo vel principio elicitivo, ſed ex alio, v.g. ex modo intrinſeco tẽdendi, fortè occaſionato ex alio diverſo, eiſq; quaſi appoſititio, v.g. amor Beatificus, licèt ſit eiuſdem ſpeciei cum amore viali ex principio & ex obiecto ſummè bono, quatenus generaliter repræſentato; at certum eſt quod Beatificus ſit, non ſolum per ſe intenſior, ſed eſſentialiter neceſſarius, & eſſentialiter divinæ quidditatis penetrativus, quorum neutrum convenit amori per fidem, & ſic licèt ſint eiuſdem ſpeciei logicæ ex vno capite, ita vt diverſæ appræhenſiones, provt communiter, non ſufficiant variare ſpeciem formalem infimam, ſi tamen tales ſint, & tàm diverſæ, vt quaſi addant per novam penetrationem in eodem obiecto bonitatem noviter innoteſcentem, etiam addent novam ſpeciem reſultativè illatam ſupra prædictam infimam.

2052 Ex his patet reſponſio ad 3. Dicimus enim eos amores eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ quantum attinet ad ſpeciem formalem ſumptam à motivo eſſentiali & principio: ſimul autem eſſe diverſæ ſpeciei virtualis & quaſi phyſicæ, & quantum attinet ad ſpeciem illatam ex diverſo modo tendendi intrinſeco. Viſio enim Beata aut ſcientia infuſa, aut fides non ſunt appræhenſiones vtcumquè, & provt communiter diverſæ, ſed tàm valdè diverſæ, vt viſio exprimat quidditatem Dei ita diverſimodè, vt quaſi addat novum appetibile, & ſic quaſi reſultet in amore Beatifico illativè diverſa ſpecies (ſaltim ſecundaria) phyſica, imò & moralis. Ex quibus manet ſatis ſolidè ſtabilita prima ſolutio de eo quod tales amores non purè differãt numero, ſed ſimul vltra addant differre ſpecie phyſica.

2053 Secundo ſolet reſponderi ad principale argumentum, non eſſe omninò generale, quod repugnet ſimultas duorum accidentium ſolo numero diſtinctorum in eodem ſubiecto. Etenim in eadem parte aëris reperiuntur duæ ſpecies impreſſæ duarum albedinum ſolo numero diſtinctæ, imò & in eodem oculo poſſunt ſimul reperiri. Solum ergo repugnant quando nihil vlterius habent diverſitatis, quàm quod ſint hoc individuum, & illud individuum, quia cum hæc individuatio vt talis ſummatur à ſolo ſubiecto, nequit illa eſſe duplex, vbi hoc duplex non ſit. Quando autem addunt diſsimilitudinem aliquam rationum formalium vel modorum tendendi intrinſecorum, vel aliorum concommitantium inducentium quaſi ſecundariam novę ſpeciei appoſitionem (vt ſi quis vnico actu ieiunaret ob abſtinentiam, vlteriùs ordinando ad pœnitentiam), tunc benè poſſunt duo individua eſſe in eodem ſubiecto. Sed hæc ſolutio ſic explicata aliquantulum coincidit cum præcedenti. Diſtingueretur vero ab ea ſi admitteret duo individua eiuſdem ſpeciei abſquè ſapore ſpecificæ diverſitatis cum ſola aliquali diſsimilitudine, vt verè non renuunt admittere Recentiores aliqui.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

DE AVXILIIS DATIS CRVCIFIXORIBVS Chriſti. Vbi de inertia & aliqua advertentia pro dictis valdè notabiles.

2054 QVOMODO paciẽtia Chriſti potuerit exercita eſſe meritum pro auxilijs dandis Crucifixoribus ad non inferendam mortẽ, ſemper eſt nodus dificilis, quia Chriſtus nihil conſummatè meruit, niſi vt mortuus. Vt mortuus autem iam ſupponitur prævisus vt interfectus à Crucifixoribus liberè & peccaminosè. Ergo & ab eis vt habentibus auxilia per quæ poſſent non peccare.

2055 Primo dicet quis, Chriſtum decretum & prævisum patientem mortem abſolutè inflictam, prævisam tamen independenter ab eo quod interfectio eſſet peccatum, & ex his meritis decreta fuiſſe auxilia quibus miniſtri poſſent non infligere activè, & non peccare. Secundo alius dicet, prævisum fuiſſe morientem dependenter à peccato futuro & cum auxilijs, non tamen futuro proximè, ſed remotè & donandis ex meritis Chriſti. Pro quo nota futuritionem proximam eſſe illam, quæ eſt a cauſa proxima & immediata, remotam verò, quæ à remota inductiva proximæ. Declaro exemplo in ſententia ponente electionem ad gloriam poſt prævisa merita, gloria non eſt futura proximè, niſi poſt prævisionem eorum, & decretum de gloria, quod eſt cauſa proxima, eſt tamen futura remotè ante vtrumque; quia cum Deus decreverit efficaciter dare gloriam morienti in gratia, eo ipſo quod quis moritur in gratia antecedenter ad aliud decretum in eo ſigno iam eſt futura gloria, ſed remotè quia nõdum exiſtit decretum formale & proximum de gloria. Sic dum Chriſtus decernitur Redemptor per mortem & prævidetur merens, in eodem omninò ſigno ſunt futura permiſsio, auxilia, & ipſa peccata, ſed remotè & non proximè, vſque dum pro poſteriori à quo ex meritis prævisis decernantur auxilia, & fiant proximè futura, quæ antea erant ſolum remotè.

2056 Sed quidquid ſit de his ſolutionibus, duplex via ſe nobis offert facilior. Prima eſt per duplex decretum intentionis & executionis. Et hoc pacto compoſſuimus iſta ſupra à num. 721. vbi videri poſſunt. Et forte artic. ſequenti alia addemus. Secunda autem via eſt & adhuc facilior, ſi nempè dicamus, crucifixores non eguiſſe aliquo auxilio ſpecialiter dato ex meritis Chriſti, vt verè & in re poſſent & haberent in ſua manu eum non crucifigere, ſiquidem ad Poſſe non intendere, vel non proſequi factum tam atrox & horrendum, quale erat interfectio illius hominis mitiſsimi & miraculoſiſsimi, ſufficientiſsimæ erant vires & ratio naturalis (licèt fortè fuerint eis ſuperaddita auxilia ex Dei ſuperabundantia). Sic excuſatur facile Venerab. M. Maria de Agreda, to. 2. de Myſtica Civitate Dei à num. 1133. & 1138. vbi ait Iudæ & Fariſeis de fuiſſe auxilia divinæ gratiæ ad deſiſtendum ab intento iam concepto interficiendi Chriſtum, licèt talis non deſiſtentia fuerit peccatum à ſuo arbitrio, & voluntate, vt inquit in præcitato num. 1138. Vndè abſque tali auxilio gratiæ ſalvabatur in eis, à tali intento peccaminoſo, poſſe deſiſtere ſi vellent, ſiquidem auxilium ſufficiens ad deſiſtendum ſi ipſi non eſſent tàm obſtinati, ſatis præparatum erat per rationem naturalem vt poſſent evitare peccatum, licèt non conſequendo meritum.

2057 Aliud igitur eſt ommittere illam mortem cum merito, & aliud eſt ommittere libere ſine illo, & ad hoc purum dictamen rationis ſufficiebat. Sicut in tractatu de gratia per Chriſtum defendunt plures, ſine gratia per Chriſtum per puras vires & rationem naturalem fieri poſſe aliquando opus bonum morale purè naturale. Vndè licèt ad vitanda omnia venialia, & ad vincendam tentationem gravem exercite, & in re, requiratur ſpeciale auxilium per Chriſtum, non tamen requiritur ad poſſe vincere quando vincendum non eſt, ſive quando vincere non eſt ponendum in re, ſiquidem carens gratia ſpeciali, & propterea non vincens omnia venialia, aut tentationem gravem, adhuc peccat non vincendo: ergo quia ſine tali gratia erat in ſua manu poſſe vincere. Prædicta intellige de peccantibus contra legem naturalem. Et præcipuè quando peccatum eſt tàm atrox & horribile in hominem ſummè bonum & benefactorem vt natura ipſa nihil inveniat quod aliciat, ſed potius multum quod horreat. Idem ergo erit de crucifixoribus.

2058 Si autem obiter quæras, quomodo ſi Deus imperat vincere omnia venialia, & eſt impoſsibile ea vincere ſine ſpeciali gratia, vt docent Concilia & Patres: ergo qui tali gratia caret, impoſsibile eſt quod vincat, & ſic non habet omne requiſitum de poſſe ad vincendũ. Reſp. bene poſſe aliquam rem eſſe impoſsibilem ex alio capite adventitio à remotis & nihilominus dari integrum & plenum Poſſe ad talem rem à proximis. Vbi autem detur poſſe à proximis ſi res ſit præcepta & non fiat, libere non fit & cum peccato, Igitur non vincere hoc & illud veniale, & omnia, non provenit ex defectu Poſſe proximi, quia iſtud datur pro hoc & illo & omnibus, ſed provenit ab inertia innata hominis quam humana voluntas vincere, aut ſe ad vincendum applicare non vult, & ex difficultate antecedenti talis inertiæ vincendæ, ſe habente à remotis, provenit impoſsibilitas victoriæ, & ſic non læditur libertas. Vide dicta ſupra à num. 1787.

2059 Pro hucuſquè dictis in hac quæſtione de merito, adverto 1. Chriſtum tum licèt non meruerit in primo inſtanti mortis, adhuc poſſe dici in illo cum omni proprietate, dediſſe complementum merito mortis; ad eum modum quo actio externa non addens bonitatem moralem ſupra internam, facit vnum cum interna, tanquam complementum ipſius. Cum autem mors Chriſti vt meritoria, conflataquè tanquam ex partibus ſucceſsivis ex acceptatione & pacientia interna exercita in vltimo inſtanti vitæ, & ex complemento mortis exercito in primo inſtanti mortis, ſit cui Deus promiſſerit meritum ſatisfactionis & conſummationem totius meriti, pars exercita mortis, licet non intret tanquam meritum, intrare debet vt complementum meriti. Quin obſit quod in inſtanti antecedenti videatur finitus ſtatus viæ. Dici enim poteſt, vel quod eſt finitus pro actione morali meritoria, & non pro puro complemento immediato ipſius vt efficacis, & abſolutæ. Vel quod Deus protraxerit illum vſquè ad primum inſtans mortis pro ſola ratione completiva (non autem pro alijs actibus internis animæ Chriſti in illo inſtanti factis) pro qua protractione datur magnum fundamentum in Scriptura, vbi paſſim Chriſti morti exercitæ, & non ſolum acceptatæ, noſtra tribuitur redemptio. Hęc pro dictis ſupra à numero 1954.

2060 Adverto 2. D. Thomam problematicè ſenſiſſe, non ſolum in quæſtione illa an Chriſtus meruerit ſuam gratiam ſanctificantem & gloriam, ſed etiam in quęſtione illa, an Chriſtus meruerit Angelis gratiam, gloriam & prędeſtinationem ipſorum. Negari enim non poteſt, quod ſint in illo textus expreſsi pro parte negante. Sunt tamen alij pro parte affirmante, qualis eſt ille ſupra primum caput Ioannis lect. 10. adductus ſupra à nu. 2007. & cum in textibus pro parte negante non fecerit mentionem textuum ſuorum pro parte affirmante, mihi decentius videtur affirmare in vtraquè ſententia perſeveraſſe problematicè, quàm ei retractationem aut ſententiæ mutationem attribuere, vt ſolent aliquando Thomiſtæ, quoties textus difficilis interpretationis adducitur contrarius ſententiæ eorum.

2061 Vndè in ſimilibus quæſtionibus conſulerem reſpondentibus, vt pręventi ſint pro ſua ſententia, auctoritate

expreſſa Angelici Doctoris. Et ſi eis alia opponátur in contrarium interpretatu difficilia, in priori perſiſtant, ſecuri de eo quod D. Thomas eſt pro ipſis, etiamſi ſit pro alijs. Sufficit enim cuivis affectuoſo diſcipulo ſecuritas moralis de eo quod Magiſter aprobaverit id quod ipſe defendit. Nec enim obligandus eſt vtramq; partem problematis D. Thomæ tueri. Imò nec id experimur in acertimis D. Thomę defenſoribus. Alij enim ad retractationem confugiunt. Alij vero minus temperate loquuntur aliquando. Sufficiat Victoria Cathedrarius Primarius Salmanticenſis Ordinis Prædicatorum, qui in ſumma Sacramentorum Eccleſiæ num. 105. de Pœnitentia verba habet formalia ſequentia. *Vtrùm autem debeat eſſe contritio diſtincta de omnibus peccatis in particulari, vel an ſufficiat vnica contritio de omnibus in generali, dubitari ſolet. Quidam enim tenuerunt neceſſarias eſſe tot contritiones quot peccata mortalia, quia Sanctus Thomas dicit quod contritio debet eſſe diſtincta de ſingulis peccatis mortalibus. Sed ego credo ſicut dicit Cayetanus quod hæc oppinio ſit falſiſſima.* Decentius igitur nos ad problema recurrimus.

2062 Adverto 3. ea quæ dicta ſunt à num. 2001. pro ſolutione argumenti contra meritum Chriſti pro Angelis, nempè quod nec venit, nec fuit mortuus pro illis: Chriſtus autem ſolum meruit pro illis pro quibus venit, & pro quibus mortuus eſt: clarioribus verbis ſolvi, ſi dicamus aliud eſſe Chriſtum mortuum eſſe pro aliquo, & aliud Chriſtum per mortem meruiſſe pro aliquo. Primū enim ſonat quod ex primaria intentione mortuus ſit pro illo. Secundum verò ſolum ſonat, quod moriendo ex primaria intentione pro alio & non pro ipſo, ſimul tamen obiter aut ſecundario applicuerit etiam mortem in beneficium ipſius. Ad eum modum quo offerens Miſſam pro dante ſtipendium & obiter offerens pro alijs, dicitur dixiſſe Miſſam pro illo & non pro iſtis (ideſt non ex primaria intentione) & tamen etiam proficit iſtis. Concedi ergo poteſt, quod Chriſtus nec venit pro Angelis, nec mortuus eſt pro illis abſolutè, ſed pro hominibus: id tamen non impedit, quod meruerit illis eorum prædeſtinationem obiter & ſecundario, ſua merita pro illis offerendo.

ART. V. *NODI DIFFICILES.*

ET §. I. *DE MERITO SOLVTIVO.*

2063 ANSAM præbuit Doctiſsimo Patri Antonio Vlloa excogitandi & expreſsè docendi in manuſcriptis meritum ſolutivum, inextricabilis difficultas quæ reſultat ex merito remunerativo (potiùs deberet remunerabile appellari) reſpectu præmiorum quæ meritum Chriſti exercitum in re & vt tale prævifum præceſſerunt tempore in antiquis Patribus. Vt enim Chriſtus meruerit efficaciter antiquis Patribus gratiam ſanctificantem & auxilia, vt mererentur Incarnationis circunſtantias, & B. Virgo Maternitatem, duo ſe offerunt nodi ferè inſolubiles. Primus eſt, quod cum Chriſtus Dominus per ſcientiam Beatam & infuſam evidenter ſciret quod Abraham multis ante annis, fuit Sanctus & mortuus in gratia, atquè prædeſtinatus, impoſsibile omninò illi erat à Patre petere oratione ſive applicatione abſoluta, & efficaci ſuorum meritorum, quod Abraham ſanctificare, & in gratia eum in morte ad ſe vocare, & prædeſtinare dignaretur. Hæc enim ſeria, efficax & abſoluta petitio, aut meritorum applicatio non poterat excuſari, vel ab ignorantia de eo quod iam eſſet factum, vel ab imprudentia anxiè petendi vt fieret, quod videbat eſſe factum.

2064 Secundus eſt, quia vt Deus præmiaret præmio remuneratorio merita Chriſti, debebat videre Chriſtum, vt iam merentem (ſive in Cruce moriendo, ſive alibi in obſequium Dei Patris ſe exercendo). Si merentem: ergo exiſtentem; ergo & productum; ergo & per talem actionem productum (productio enim vaga repugnat à parte rei:) ergo à determinata Matre, & à determinata ſtirpe, & in loco & tempore determinatis: ergo hæc omnia iam prævidebantur vt executioni mandata, antecedenter ad omne decretum Dei præmiativum meritorum Chriſti, & ſic non potuerunt Patres ex meritis Chriſti habere, vt in iſta meritoriè influerent.

2065 Inſuper 3. quia contra rationem præmij eſt præcedere ad meritum, & cõtra rationem meriti eſt cauſalitatẽ ſuam in præteritū extendere. Probat ſic probatus quidam Auctor in manuſcriptis. Primo ex Auguſtino libro de Moribus Eccleſiæ cap. 25. ſic loquente: *Præmium non poteſt præcedere meritum, & prius homini dare quam dignus eſt.* Secundo, quia nulla cauſa, præterquam finalis, ſuam cauſalitatem exercet antequam exiſtat in ſe. Tertio, quia pręmium ſaltim condignum dicit rationem debiti: nihil autem debere poteſt, qui nihil accepit. Quarto, quia præmium redditur tanquam Corona Victoriæ iam obtentæ, & promittitur vt eſca, & ſtimulus obtinendæ: imò eſt compenſativum obſequij præſtiti, & excitativum ad idem præſtandum: quæ tamen omninò ceſſant, ſi præmium anticipetur, & præexiſtat ad meritum. Quinto, quia præmium habet rationem finis reſpectu meriti: fruſtra autem ponitur medium pro fine iam obtento. Sexto, quia retributio per ſe eſt effectus meriti: & in hoc differt à contractibus cõmutativis: nam de natura rei, quæ commutatur, non eſt dari ante, vel poſtea. Septimo vis demeritoria æquiparatur in vi cauſandi cum vi meritoria, at nulli vi demeritoriæ poteſt anticipari ſupplicium. Ergo neque præmium meritoriæ. Hæc ille.

2066 His argumentis convicti Recentiores (cum aliàs ſit fidei dogma nihil Ordinis gratiæ datum Patribus antiquis poſt prævifam Chriſti mortem, quod non fuerit ex merito Chriſti) excogitaverunt aliam meriti ſpeciem, ſcilicèt ſolutivi, de cuius ratione non eſt quod præcedat ante pręmium, ſed poteſt in re ad præmium ſubſequi, in quo differt a merito remunerativo. Pro cuius clariori notitia ſupponunt, meritum vt ſic ſtare *in obſequio ſupernaturali Deo facto, moventi qua tali ad collationem alicuius doni.* Dividitur in ſolutivum & remunerativum. Illud movet inſtar cauſæ finalis, quæ quidem ex proprio modo movendi, non movet vt eſt, ſed vt ſit, vel vt ipſi dicunt in ſpe certa quod erit. Vndè licèt pro illo tunc ſe habeat vt meritum conditionatum, ſed non movet vt præcisè conditionatum, ſed vt erit. Nec verè & in re ſolvit quouſquè erit, quia vſquè dum ſit, ſolutio non eſt exhibita.

2067 Iſtud vero movet inſtar cauſæ efficientis moralis obligando ad collationem donorum; non vt ipſa ſit, ſed quia iam eſt, ſive quia prævidetur vt iam eſſens. Vndè docent movere inſtar cauſæ efficientis (licèt efficientis moralis) quæ ex proprio conceptu petit præſupponi, & iam eſſe ad hoc vt cauſet efficienter. Tota ergo difficultas eſt: an meritum quod vocant ſolutivum, ſtrictè participet rationem meriti Theologicè loquendo? Negant plures Recentiores, & inter eos noſter Boneſpei in ſua Theologia tom. 2. tract. 2. diſp. 5. à num. 42. prætendens quod cum tale meritum ſe habeat vt quid conditionatum, ſapit placitum ſemipelagianorum aſſerentium Deum præmiare, vel punire merita conditionata.

2068 At Fautores talis meriti exiſtimant ei convenire eſſentialem rationem meriti Theologici, quia exiſtimant quod nec præmium ex ſuo conceptu petat ſubſecutionem ad meritum: ergo nec meritum ex ſuo, præcedentiam ad præmium. Cuius ratio à priori eſt, quod definitio meriti ſolum petit quod ſit obſequium movens qua tale ad collationem doni. Quæ motio cum præſcindat à motione per modum cauſæ finalis, & à motione per modum cauſæ efficientis, eo ipſo præſcindit à motione meriti ſolutivi, aut meriti remunerativi, & poterit ſalvari in aliqua ratione motionis communi vtrique.

Adverto

Digitized by Google

253

2069 Adverto 1. quod in explicatione meriti ſolutivi, æquivocatio latet, eaquè præbuit anſam iudicandi tale meritum poſſe verè participare rationem ſtrictam meriti. Æquivocatio autem ſtat in eo, quod pro eodem habeantur in tali merito cauſativo per modum cauſę finalis, quod cauſet & moveat *vt ſit*, & quod cauſet *in ſpe certa, quod erit* (certa in re.) Sunt enim iſta valdè diverſa, (& præcipuè ad hoc vt ſolutivum differat à merito ſemipelagiano.) Tenẽda eſt in memoria doctrina de diſtinctione linearum, & quod valdè diverſa ſit exiſtentia rei ſecundum ſe (de quo à nu. 348. de Scientia Dei) ſignata & vialis, ab exiſtentia exercita ſive involvente exercitam. Prima non extrahit rem à ſtatu conditionato, nec ponit in abſoluto ſed in tẽditivo ad viale exercitum. Sic diximus ſæpè quod reprobus poteſt, & tenetur ſperare ſuam Beatitudinem, eiuſquè futuritionem & exiſtentiam (poſsibilitas enim logica non ſperatur) actu ſuperno ſperandi, & procurare vt ſit & vt exiſtat. Hæc tamen exiſtentia eſt purè obiectiva & ſignata, & vialis ad exercitam; quæ tamen ſemper manebit intra cancellos ſignatæ. Imò & actui ſpei in prædeſtinato ex eſſentia ſua & ex proprio modo tendendi, ſola ineſt certitudo ſubiectiva & non alia (licèt habeat adventitiè & de per accidẽs exercitã & iure, à decreto ſalvationis) nec enim connectitur ex proprio conceptu ſuo cum ſalvatione vt in re exercita, cum ſint actus illi eiuſdem ſpeciei in eo & in reprobo. Cũ igitur ſpes illa certa in merito ſolutivo iuxta veſtram explicationem, ſimul involvat quod *res erit*, & ſic moveat, iam involvit quid diverſum, à proprio modo cauſãdi cauſę finalis nõ importãtis quod *res erit*, ſed quod *ſit*. Si enim movet quatenus importat quod res erit in re, iam involuit præſuppoſitionem rei, & differentiam propriam contractivam apud vos meriti remunerativi.

2070 Adverto 2. quod in Deo volitio dandi auxilia Patribus ob meritum Chriſti ſolutivum poteſt eſſe, ſic: ***Decerno auxilia Patribus pro merendis circunſtantijs Incarnationis, vt Chriſtus poſtea mihi ſolvat ea per obſequia quæ decerno, vel prædefinio vt faciat in Cruce.*** Iſtud autem decretum, licèt ex parte materiæ ſit oneroſum, tamen ex parte actus fortè eſt donatio liberalis, ſicut prædeſtinatio ſi ſit ante præviſa merita: ergo ex parte actus nihil habet ſpeciale meriti & pręmij (vt debebat habere iuxta Sacram Scripturam.) Anteced. patet, quia apud vos cum Chriſtus adhuc non exiſteret, non poterat ibi dari conſenſus ipſius, ac per conſequens nec vllus contractus, qui eſſentialiter conſiſtit in mutuo conſenſu contrahentium. Licèt enim in contractu commutationis præſcindatur, ab eo quod prius tradatur merces, & poſtea pretium, vel è contra; non tamẽ præſcinditur ab exiſtentia mutui cõſenſus, nec ſufficit vt vnus velit quod res ſit, ſed requiritur vtrinſq; pactio vt exiſtens, vel præviſa. Vt autem illud decretũ eſſet iuſtitiæ, debebat eſſe ex cõtractu ſive acceptatione, vt per ſe patet.

2071 Et cõfirmatur, quia ſalvatio antiquorum Patrum facta eſt iuxta Scripturam per ſtrictam redemptionem, vbi clarè importatur venditio auxiliorum ex parte Dei, & emptio per ſuum ſanguinem oblatum, ex parte Chriſti. Nemo autem admittet quod ſi ego mitto librum Paulo cum onere vt eũ ſolvat, ibi detur verus contractus per ly *ſolvat*, appoſitũ ex parte mei ſolum, ſive à me decretum & prætenſum, antequam Petrus acceptet. Atqui per vos tale decretum vt tale, antecedenter ad conſenſum Chriſti pręviſum, ſolum ſe habet vialiter ad illum: ergo pro illo, tunc autẽ conſenſum Chriſti, non intelligitur contractus: ergo nec ratio ſtricta veri meriti aut præmij ex præciſa vi meriti ſolutivi. Si autẽ meritũ & acceptatio iã ſint in previſione Dei, ſalvatur cõtractus vt dicemus.

2072 Adverto 3. generaliter non eſſe verum, quod meritum remuneratorium provt differt à ſolutivo, ſe habeat per modum cauſę efficientis in proportione ab adverſarijs aſſerta. Sed ſe habet cum ſaporibus ſimul cauſæ efficientis & finalis temperatis inter ſe. Habet enim de efficienti provt differt à finali, præcedentiam exercitam (non quæ ſit temporis, ſicut eam poſtulat rigoroſa cauſa efficiens.) Sed habet præcedentiam exercitam pro certo tempore, ſed quæ in ratione præcedentiæ ſit præviſionis, & in hoc participat de cauſa finali, quatenus eius immediata motio non eſt phyſica, ſed affectiva & bonitatis repræſentatæ, licèt non ſit ſicut in finali motio illa *vt ſit*, ſed quia *eſt*, & quia *prævidetur eſſe*.

2073 Sequitur tàm cauſalitatem finis quam cauſalitatem meriti eſſe morales atquè inter ſe valdè diverſas, ſiquidem finis cauſat movendo *vt ſit*, & meritum cauſat movendo *quia eſt*. Dixi *quia eſt*, non autem dixi *quia erit*. Datur enim in hoc diverſitas, nam ly *quia erit* dicit in recto non eſſe, & in obliquo eſſe. *Quia eſt* dicit in recto *eſſe*. Dupliciter enim poteſt quis aliquid conſiderare, v.g. iudicium finale. Primo conſiderando quod *erit*. Secundo meditando *quod eſt*. Sic Magiſtri orationis mentalis inter alias regulas datas meditaturo, docent illum de loci compoſitione, ſcilicèt quod proponat ſibi iudiciũ finale vt ſit in certo loco, & ſe conſideret ibi præſentẽ, illudquè quaſi ſuis oculis intuentem. Hoc pacto omnia futura vt ſuo tempore eſſentia, ſunt ante oculos Dei. Sicut autem meditator iudicij modo dicto, non meditatur de illo *quod erit*, nec quod *futurum ſit*, ſed potius intuitum ſuum ponit in ipſo iudicio vt præſenti pro ſuo tempore (non curando de intervallo futuritionis, ſive de non eſſe pro nunc tenditivo ad eſſe pro tunc) ſic Deus premiaturus meritum, ponit immediatum intuitum ſuum in ipſo merito vt exiſtente corã ſe, & facto pro ſuo tempore (quaſi non curet de intervallo futuritionis) & propter illud vt ſic præviſum & intuitum, movetur ad dandum præmium. Non ergo movetur à merito *vt ſit*: imò nec *quia erit* (quia hoc ſonat quod nondum eſt) ſed à merito quia pro ſuo tempore & coram ſe, *iam eſt*. Vt autẽ iam eſt, & modo quo eſt in præviſione Dei, hoc pacto movet.

§. II.

NOSTRA SENTENTIA.

2074 QVOD ſufficiat exiſtentia meritorum Chriſti pro ſuo tempore exercita, & ab æterno præviſa, vt Deus decernat in præmium eorum, dare tempore multo antecedenti, auxilia Patribus antiquis, nobis ſemper arriſit, proptereaquè meritum ſolutivum nullatenus admittendum. Ita tenẽt citatus Boneſpei, Martinez de Ripalda to. 2. diſp. 86. nu. 61. & diſp. 72. nu. 7. Godoi & plurimi alij Docti Recẽtiores. Et ſanè admiſſo merito ſolutivo, non eſſet cur Chriſtus non meruerit ſtrictè ſuam Incarnationẽ per opera ſubſequentia iuxta illud Pſal. 44. ***Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea*** (ideſt, ***propterea*** vt diligeres & ſolveres) ***vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, &c.***

2075 2. Probatur, quia meritũ conditionatũ, ſive abſolutum quod non eſt, pro eo ſigno pro quo non eſt, vel pro quo non videtur à Deo vt eſſens, nequit movere Deum ad hoc vt pro illo det præmium. Patet, quia ſolum poteſt movere vt meritum, ex præviſione obſequij facti Deo quatenus obſequium Dei eſt (etiam iuxta veſtram definitionem) & vt obſequium Dei concipitur, ſive quatenus concipitur vt aliquid per quod creatura obſequitur Deo. Atqui donec obſequium eſt in ſola ſpe & purè in via vt ſit, nequit cõcipi vt obſequium factũ (imò nec pactatum) & per quod creatura obſequitur Deo, ſicut per vos nec cõcipitur pretiũ vt ſolutũ, donec verè ſolvatur, etiã ſi cõcipiatur in via ad ſolutionẽ: ergo provt in talibus cancellis, licèt moveat vt finis, nequit movere Deum vt meritum præmiabile à Deo, niſi vlterius proponatur Deo quatenus obſequium iam factum ipſi, ſive vt tale præviſum. Confirmatur, quia à ratione obſequij facti Deo, non minus præſcindit quod concipitur in via vt ſit, ac quod concipitur eſſe poſsita tali conditione, ſiquidem neutro modo proponitur ante oculos Dei & vt Deum moveat ad tale præmium,

tanquam quid factum. Atqui meritum conditionatum nequit admitti, ſapitquè ſemipelagianiſmum, eo quod dum nondum eſt, verè meritum non eſt: ergo ſi dum meritum ſolutivum ex conceptu ſuo eſt præciſè in via vt ſit, verè provt ſic nondum eſt: ergo provt ſic verè meritum non eſt.

2075 Si autem reſpondeas, iam eſſe pro poſteriori (in quo differt à ſemipelagiano conditionato). Contra; quia licèt ſit pro poſteriori eſſens quoad eſſe, ſed non eſt eſſens ad movere vt eſsēs, nec habet vllā diverſitatem propriam eſsētis; vel enim vt eſt pro poſteriori prævidetur præviſione movente ad præmium vt eſſens, vel non prævidetur? Si primum. Sub eo conceptu iam non eſt ſolutivum ſed remuneratorium, quia non manet in terminis de *vt ſit*, ſed de *vt iam eſt*, in præviſione. Si non: ergo ſolum movet quatenus ſe habens in via vt ſit, & vt præſcindens ab eſſe, (quātum attinet ad exercitium movendi). Vt autem concipitur in via vt ſit, non importat differentiationem à merito conditionato, cum neutrum moveat quia eſt, ſed illud quia fuiſſet, & iſtud quia eſt in via vt ſit.

2076 Tota autem difficultas ſtat in declarando quomodo merita Chriſti vt ſuo tempore exercita, & vt à Deo ab æterno præviſa, poſſint movere Deum, vt det in re præmium, antequam in re ponatur meritum? Aliqui Recentiores docti docent, meritum Chriſti cum ſit valoris ſimpliciter infiniti differre à quolibet merito finito, in eo quod illud poſſit extendi ad cauſandum præmium excedens multo tempore ſe, quia licèt meritum ſecundum ſe totum, nondum exiſtat, exiſtit tamen forma talis meriti valorativa ipſius, & quæ eſt melior eius pars, nempè ipſa Deitas ab æterno. Et ſic meritum Chriſti ratione ſuæ formæ, licèt non ſe toto, præcedit phyſicam exiſtentiam præmij, & ſic non eſt poſterius, ſed anterius ipſi præmio: & inſuper quia meritum infinitum ſuo valore non ſolum excedit omnia præmia purè creata, ſed etiam omnem anticipationem, quæ etiam ponatur in præmium, quod nequit verificari quando meritum eſt finitum.

2077 Hæc ſolutio nec eſt ſufficiens animum quietare, nec eſt neceſſaria ad intentum. Prima pars probatur, quia ſi tota difficultas ſtat in eo quod ſit inintelligibile, quod præmium ſit prius tempore quam meritum, & Deitas non ſit meritum ſed forma meriti importata in obliquo, & exiſtens ſine illo; quid prodeſt quod ipſa exiſtat ante præmium, vt propterea verificetur quod iam meritum exiſtit ante præmium? Ex hoc enim fieret quod ſicut Deitas phyſicè, & in re exiſtit ab æterno, etiam meritum phyſicè & in re exiſteret ab æterno. Non enim valet verificatio propoſitionis ab incluſo ad includentem, aliàs ſicut anima rationalis eſt immortalis, & ſemper exiſtens, ita & homo eam includens vt formam, eſſet immortalis, & ſemper exiſtens. Vndè ſi apud vos, tunc meritum non eſt, nec valor infinitus adhuc eſt; ac per conſequens cum ruat vaſis valoris & dignificationis, totum ruere videtur. Inſuper quia pro opere quod iuſtus faciet poſt annum, poſſet Deus anticipare hodie præmium, quia licèt forma ſanctitatis ſit finita, eſt melior pars meriti futuri & poteſt eſſe valdè excedens opus futurum. Hæc & alia abſurda ſequuntur ex prædicta ſolutione, ac per conſequens non eſt ſufficiens ſolutio.

2078 Nec item eſt neceſſaria, ſiquidem abſque infinitudine meriti ſalvari poteſt, quod præmio non repugnet tempore præcedere meritum, generalitèr loquendo. Probatur, quia negari non poteſt quod amor amicitiæ Dei erga iuſtos, computetur inter præmia iuſtorum. Magna enim remuneratio Dei eſt, & valdè honorifica operibus iuſti, quod iſte propter illa admittatur in amicum Dei, ſicut inter pœnas peccatoris cōputatur odium inimicitiæ Dei erga ipſum; Atqui in communiori ſententia iſti affectus amicitiæ ſunt ab æterno in Deo ex præviſione meritorum, vel demeritorum hominis, provt exiſtentium ſuo tempore. Confirmatur, quia decretum Dei de glorificando Petrum, provt præviſum mortuum in gratia, eſt redditio activa executiva ex parte Dei coronæ iuſtitiæ, quæ eo ipſo eſt de linea præmij, ſicut & decretum damnandi Iudam præviſum vt morientem in culpa, eſt de linea pœnæ. Et tamen cum vtrumque decretum vt tale, ſit ab æterno, clarè conſtat, meritis aut demeritis puri hominis non repugnare, quod aliquid de præmio, aut de punitione, fundatum in ipſis vt præviſis, præcedat ab æterno. Quæ quidem decreta nequeunt reſpicere opera hominum vt aliquid ſolutivum, ſed vt remunerabile, cum non ſint de ipſis *vt ſint*, ſed de ipſis *quia iam ſunt*, & vt in præviſione præcedunt.

2079 Dices: Hoc provenire, quia talia decreta cum ſint Divina, eo ipſo debent, & repugnat eis non præcedere ab æterno, quod tamen non verificatur de auxilijs datis Patribus ad merendas circunſtancias Incarnationis, quæ eis data ſunt in tempore. Contra. Ergo iam veriſſima eſt propoſitio illa formaliſsima noſtra, de eo quod non ſit contra rationem & eſſentiam meriri quod præmiū præcedat ipſum præcedentia temporis, ſiquidem abſque ea ſalvatur in rigore, ex quocumque capite id proveniat.

2080 Contra 2. quia etiam præmia temporalia non repugnat quod præcedant tempore meritum. Probatur: ideò Deus poteſt ab æterno decernere gloriā iuſto propter meritum mortui in gratia, quia licèt meritum nondum in re ſit, tamen pro Deo, eiuſque præviſione, & Divinæ voluntatis motione, iam eſt: id eſt quantum ad prævideri & movere iam eſt. Atqui ſivè præmium temporale dandum ſit poſt meritum, ſivè ante illud, quoad prævideri & movere ad decretum dandi & ad volūtatem efficacem præmiandi, iam eſt coram Deo & æquè præſens & præcedens in præviſione, & motione ad decretum de præmio præcedenti meritum, ac de ſubſequenti: ergo quoad hoc, æque iam eſt. Confirmatur: ideò non repugnat decretum ab eterno de gloria poſt meritum (quod quidem decretū ſit præmium) quia tale meritum in prævideri, & movere non ſe habet vt ſit, ſed vt iam eſſens, & quatenus attinet ad Deum, cui nihil eſt verè futurum, ſed ſe habet vt omninò præſens & factum. Atqui hoc eodem modo ſe habet reſpectu decreti de præmijs anticipate dandis, ſivè de auxilijs datis Patribus cum præcedentia temporis ad merita Chriſti, ſiquidem iſta apud Deum, & pro motione non ſe habent vt ſint, ſed vt iam ſunt: Ergo tale decretum, & talia auxilia verè poſſunt habere rationem præmij.

2081 Aſſero 2. (& hæc eſt via ſpecialior, de qua latius quæſt. ſequenti) quod contractus Chriſti cum Patre de morte & meritis ſuis iam eſt verè celebratus ab æterno per Verbum ipſum Divinum, tamquam legitimum ſuæ humanitatis procuratorem & caput ipſius morale, quod vt tale mortē acceptabat, & cū Patre contrahebat. Et ſic merita Chriſti, non ſolum erant Patri in præviſione, ſed etiā in actuali contractu. Vide Latius quæſtione ſequenti, art. 3. vbi de Chriſti oratione.

§. III.

ARGVMENTA POSITA, A NV. 2063. SOLVVNTVR vbi iterum de decreto intentivo.

2082 AD 1. de inconvenientibus adductis à n. 2063. (quæ ſtant in eo quod Chriſtus applicaret ſua merita & oraret pro re iam facta) reſpōdetur 1. negādo aſſumptum, nam ab æterno applicabat ſua merita per procuratorem, & ſic antequam fierent. Aliter 2. reſpondebitur vt in reſponſione ad 3.

2083 Pro reſponſione ad 2. nodum. Nota 1. dari decretum intentivum in Deo non egens vllo pacto differre ab executivo, adhuc virtualiter. Quod quidem locum habet

bet in his, quæ Deus à ſe ſolo facturus eſſet, independenter à motione aliqua extranea. V.g. ſi Deus vellet creare genus humanum propter ſuam gloriam, independenter omninò à merito alicuius, tunc poſſet id cum omnibus circunſtantijs decernere, & ſic tale decretum adhuc virtualiter eſſet ſimul intentivum & executivum. Nec propterea ordo intentionis, & ordo executionis deſinerent eſſe diverſi, ſiquidem ille eſſet æternus, & iſte temporalis: ſed nos in prædicta doctrina ſolum negamus diverſitatem in decretis, ſecus in ordinibus.

2084 Nota 2. decretũ intentivũ efficax dum differt ab executivo differre. 1. quia efficacia illius proximè & immediatè ſolũ eſt affectiva, & pro intendi (licèt cũ pignore ad exequi) non verò immediatè pro exequi. 2. quia illud habet pro obiecto iſtud, & pignorat atq; obligat ad eliciẽdũ iſtud. Licèt autẽ dixerimus à nu. 701. in Deo ſolum eſſe vnicum decretũ, habet plures virtualitates cõnexas, ratione cuius cõnexionis eſt vnicũ. Vide de hac vnitate hic §.6.

2085 Nota 3. duplex dari intentivum; vnum quod formaliter expreſſè & obiectivè intendat quidquid poſtea exequendum eſt per decretum diſtinctum executivum, quin iſtud ex parte rei faciendæ, exercitè addat aliquid ſupra intentatum efficaciter ab intentivo. Aliud verò, quod licèt intendat ſubſtantiam rei faciendæ, ſed non omnia omninò requiſita & circunſtantias quibus facienda eſt res, ſed illæ relinquantur decernendæ per aliud novum decretum. Exemplum prioris ſit prædeſtinatio Petri ad gloriam vt coronam, & tantam coronam per talia & talia merita vt media antecedenter ad prævifionem eorum vt meritorum; quæ media poſtea decernantur exequi, eiſq; prævifis, ex motivo eorum decernatur poſitio coronæ exercita & exequẽda. Quod decretum, licèt addat novum modum attingendi ex novo meriti motivo, ex parte tamen rei decretę, nihil addit. Exemplum ſecundi eſt quãdo res intenta, ita eſt independens ex parte ſua in decerni, & in poni, à modo illo & circunſtantijs cum quibus poſtea ponetur, vt omninò ſine illis res intenta poſſit non ſolum decerni, & prævideri, ſed etiam à parte rei exiſtere. V. g. potuit Deus decernere Adamum vt exiſtentem & productum omninò independentem ab eo quod productio eſſet extra Paradyſum, & quod poſtea poneretur in Paradiſo. Hoc etiam pacto potuit decerni Chriſtus vt exiſtens, & vt merens, imò & omninò independens ab hac, vel illa entitate productionis, cum à neutra penderet eſſentialiter, & ſit valdè diverſa linea de intendi, ſivè obiectiva, à linea de materialitèr & circunſtantialiter exiſtere, & ſic poteſt exiſtentia Chriſti iuxta illam decerni & prævideri omninò independenter à determinatione huius actionis præ alia. Sic in ſententia D. Thomæ, iuxta quam corpus hominis importat materiam & formam ſubſtantialem (vel rationalem, vel cadavericam) verba conſecrationis ex ſua vi & efficacia ponunt corpus cum forma in Hoſtia, præſcindendo omninò in ſignificari, à determinata forma (ſecus in poni groſſo & materiali.)

Ex his ſolvitur ſecundus ille nodus, ſivè argumentum adductum à nu. 2064. iuxta duplicem modum decreti in Deo nuper adducti. Nam iuxta 1. dicimus quod Chriſtus prævidebatur vt merens & exiſtens & productus, & ex parte obiecti executioni mandatus; ſed remotè ſivè per cauſas remotas, atque ſolum in ordine intentivo, ita vt adhuc reſtaret quod ex meritis Chriſti iam ſic prævifis, moveretur Deus ad aliud decretum de illis effectivè, & in genere cauſæ efficientis executivę ponendis. Et ſic quæ ſolum obiectivè proponebantur intẽtivè exiſtẽtia, de novo materialiter & in re per ſuas cauſas & decretum proximũ, executioni mãdentur, iuxta inſinuatá ſupra à nu. 2055.

2086 Iuxta ſecundum modum decreti. Reſpondetur iterum concedendo quod vt Deus præmiaret merita Chriſti præmio remuneratorio, debebat videre Chriſtum vt merentem, & etiam vt exiſtentem. Ad illam autem illationem: *Ergo & vt productum, & vt determinata actione productum*: poteſt reſponderi negando conſequentiam, quia in prævideri, licèt requiratur determinata exiſtentia entitativa Chriſti, & executioni mandata terminativè & repręſentativè, ſecus determinata productio Chriſti; ſufficit enim pro illo ſigno productio vaga, quia Chriſtus vt principium exiſtens & merens adhuc exercitè & in re merens, non indiget hac productione præ alia, cum quælibet ſufficiat, & neutram determinatè exigat, vtpote ſe habentem quaſi à remotis. Vndè illa exiſtentia executioni mandata, quæ à nobis aſſeritur requiſita, intelligenda eſt de exiſtentia executa entitativè & per modum termini, non autem de executa executione extrinſeca viali & productionis, remotè ſe habente ad exercitium merendi. Et ſic, vt exercitè exiſtens & merẽs per modum termini prævifus, potuit movere Deum ad determinandam productionem hanc præ alia, per quam tanquam per extrinſecam executionem exiſtentia intrinſeca producenda erat. Sic huic argumento reſpondimus ſupra à num. 718. non obſtanti vnitate decreti. Vide infra §.6.

2087 Vt reſpondeamus ad 3. Nota 1. In humanis fere impoſſibile eſſe, quod datum antecedenter ad meritum in re, detur ſtrictè vt præmium (& propterea nobis aſſuefactis eis, ſit perceptu difficile præmium ante meritum.) Ratio eſt quia pro nobis obſequium antequam factum ſit, non eſt obſequium certum, nec certo eſſens in pręviſione. Eſt autem contra rationem præmij dare niſi ex prævifione & motione rei quæ eſt, & non ſufficit rei vt ſit. At reſpectu Dei res quæ verè erit, iam eſt facta, & ita præſens & coram eo ac ſi iam facta eſſet. Cum ergo cauſalitas propria meriti ſtet eſsẽtialitèr in movere ex pręviſione eſſentis & iam facta, indè eſt quod pro Deo iã obſequium induit rationem meriti, & datum pro illo, rationem præmij.

2088 Nota 2. hanc eſſe differentiam inter præmia & inter pœnas, quod iſtæ anticipari nequeunt iuſtè (niſi repugnet eius poſitio ſine anticipatione, eo quod talis pœna, vel non erit, vel debet eſſe ab æterno, vt decretum damnationis) ſecus præmia. Ratio eſt, quia licèt de per ſe & ex conceptu ſuo non repugnet anticipatio pœnæ, dummodo prævifa ſit culpa, & ratione anticipationis minuatur pœna ne excedat. At cum ex parte infligentis ſapiat crudelitatem, repugnat reſpectu providentiæ Dei; ad modum poſsibilium ex ſe, & impoſsibilium ex capite Divinæ providentiæ ex dictis à num. 1794. At anticipatio præmij nec ex parte Dei repugnat, imò potius ſapit liberalitatem ſi anticipetur ſupra condignitatem: & ſapiet iuſtitiam ſi meritum vltra præmij ſubſtantiam ſit condignum anticipatione ipſa, & alijs præmijs, vt patet in merito Chriſti. Dicta, adducta ſunt iuxta communes doctrinas, & ſic proſequendo iuxta eas.

2089 Reſpondetur ad 3. nodum adductum, à nu. 2065. qui eſt de impotentia præcedendi præmium ad meritum. Et vltra ſolutionem datam de contractu Dei, & Chriſti ab æterno inito (propter quem excluditur pręcedentia temporis in præmio reſpectu meriti, prout importantis acceptationem) aliter ſivè via communi reſpondetur, ad 1. ex D. Auguſtino dicente non poſſe homini dari præmium prius quam dignus ſit, vel loqui in humanis, vel loqui de antequam dignus ſit in certiſsima prævifione, vel loqui de præmio gloriæ, quod iuxta pręſentem Providentiam ſubſequi debet ad meritum. Ad 2. reſpondetur cauſam finalem cauſare antequam ſit in prævifione, ſive quando eſt ſolum in via, vt ſit. Datur tamen alia cauſa cauſans moraliter antequam ſit in re, dummodo iam ſit exiſtens in prævifione, & hæc licèt non ſe habeat vt finalis, participat aliqualiter de finali modo explicato à num. 2072.

2090 Ad 3. reſpondetur, non ſolum eſſe debitorem qui obſequium accepit, ſed etiam illum qui ita accipiet, vt quaſi iam acceperit, & coram Deo quæ prævifa ſunt vt in ſuo tempore accepta, quaſi iam accepta habentur,

ſicut

Digitized by Google

ſicut ille cui ſit conſignatio ceſualium redditũum futurorum,poteſt in ipſo contractu cõſignationis anticipare talẽ redditũum valorem, vel merces, vel præmia, Deo autem obſequia præviſa vt ſuo tempore facienda, certiora ſunt quavis conſignatione, ſiquidem ſcriptura Deo certior, eſt ſua ſcientia viſionis. Inſtatur etiam argumentum; quia nemo iuſtè deſtinat ad pœnam, niſi eum qui commiſsit culpam,& tamen Deus Iudam non committentem ab æterno, deſtinavit ab æterno, quia videre committentem culpam finalem, eſt pro Deo quaſi iam commiſſerit.

2091 Ad 4. dato quod præmium ſit eſca,& incitamentum ad meritum ſi ſummatur præciſsè in ratione cauſæ finalis, reſpondetur concedendo in ratione ſpecifica præmij remunerativi eſſe coronam victoriæ obtentæ, imò & vt obtentæ:vt obtentæ tamen ſuo tempore prout in præviſione, quia ſub ratione ſuo tempore exercitæ, & vt ſic præviſæ, habet ſufficientem vim motivam vt detur præmium propter ipſum tanquam iam factum, quia apud Deum vt diximus iam eſt factum.Hinc reſpondetur ad 5. opponens,premium habere rationem finis reſpectu meriti tanquam medij, (fruſtra autem ponitur medium ad finem iam obtentũ.)Reſpondetur enim negando aſſumptum.Tum quia nihil ſolemnius apud Theologos diſtinguentes in divinis decretis ordinem intentionis, & executionis, quàm docere decretum intentivum attingere gloriã vt finem,& merita vt media & non attingere merita, vt merita. Tum quia ſuppoſita intra cancelos movendi intentionalitèr diſtinctione allata à num. 2071. inter motionem finis ad medium, & meriti ad præmium, ex proprio conceptu eſt magna diverſitas ſiquidem ille movet vt ſit; meritum verò quia eſt.

2092 Ad 6. concedo, quod retributio eſt effectus meriti,& iſtud differre à contractibus commutativis,quia de natura rei quæ commutatur,non eſt dari ante,vel poſt,ſed dari. Reſp. igitur naturam meriti ſtare in eo quod detur ante; ſed in præviſione. At de natura contractus commutativi non eſt quod res commutabilis detur ante,vel poſt, adhuc in præviſione.Sed contractus ipſe debet dari ante ſaltim in præviſione.Ad 7.reſpondetur concedendo equiparantiam in merito ad præmium,& in demerito ad ſupplitium quantum attinet ad conceptum & lineam eorum. Et nego demerito repugnare anticipationem decreti de ſupplicio, eſſentis etiam de linea ſupplicij. Quod ſi ſupplicium ipſum repugnet in re ante demeritum in re, hæc repugnantia provenit ab alia linea, extranea demerito præviſo, nempè à linea ſapiente crudelitatem.

2093 Sed contra omnia dicta replicabis 1. ergo merita Chriſti quoad Deum æquè erant exhibita ab initio mundi, ac quando expiravit in Cruce. Quomodo ergo ſortitus eſt mundus, tam diverſos effectus poſt Chriſti mortem ac antea? 2. quia Sacramenta veteris legis (illa nempè per quæ homines in re ſanctificabantur) æquè continebant merita Chriſti exhibita apud Deum, ac contineant Sacramenta novæ legis. Ne autem iſta dicantur,recurri debet ad meritum ſolutivum, id eſt quod antea, merita Chriſti continebant prætium, non quidem iam ſolutum & eſſens nec eſſens apud Deum, ſed ſolvendum.

2094 Reſpondetur tamen ad 1. diſtinguendo ly, *æque erant exhibita apud Deum.* Vel Sermo eſt quoad decreta, vel ſermo eſt quoad complacentias, quæ in noſtra ſententia poſſunt quo ad terminationem, & virtualitatem incipere in tẽpore vt diximus in tractatu de voluntate Dei à num. 391. Quoad complacendũ Patri in tẽpore,non dicimus æque fuiſſe iam apud Deum merita ab eterno ac fuerunt in Cruce.Adde negantes complacentias poſſe incipere in tempore, concedent etiam æque fuiſſe ab æterno quo ad hanc partem. Et fortè hoc indicat illa fraſis Æterni Patris in Iordane, & in Tabor: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Non dixit *in quo complaceo*, ſed *in quo complacui*, denotans æternitatem complacentiæ.

2095 Quoad decreta verò ex parte decretorum concedimus; ex parte autem decernendorum dicimus valdè diverſos effectus proceſſiſſe ex meritis Chriſti præviſis, ante,& poſt paſſionem executam. Sed hoc non proveniebat ex defectu ſufficientiſsimæ exiſtentiæ ex parte meritorum ad movendum,media præviſione ſui, ad eoſdem effectus, ſed ex ſpeciali diſpoſitione divinæ providentiæ, & pacto inter Deum, & Chriſtum vt more Solis aliquos, ſed pauciores effectus, & radios præmitteret in nocte,aut aurora ante adventũ ſuũ,plures autẽ,& mirabiliores poſtquam iam advenit,& ad meridiem aſcendit. Ad 2.de Sacramentis reſpondetur,Sacramenta veteris legis,ſi Deus & Chriſtus voluiſſent ita paciſci, potuiſſent habere eandem vim & efficaciam, ac Sacramenta novæ, ſiquidem merita Chriſti ſufficientem vim motricem ad id habebant in actu 1. præviſionis eorum. Sed de facto non fuit ſic. Sed Deus ex ſua providentia ex meritis Chriſti ſuo tempore ſolutis in præviſione, dedit veteribus quod eſſent, vel cauſæ purè morales, vel ſaltim conditio ſine qua non; ad quorum præſentiam Deus daret gratiam ex meritis Chriſti præviſis. At Sacramenta novæ legis habent ex pacto quod ſint pro maiori ſua dignitate, cauſæ phyſicæ gratiæ, plenaque virtute inſtrumentali effectrice ipſius,& ex defectu talis virtutis phyſicæ vetera vocata ſunt à Paulo egena & vacua elementa, non autem ex defectu ſufficientis ſolutionis pretij ex parte Chriſti.

§. IV.

SOLVITVR ARGVMENTVM DE *milite.*

2096 CElebre eſt Simile illud de milite apud RR. præcipuè Herice diſp.28. cap.13. & ante illum apud Suarez tom.1. in 3.part. diſp. 10. ſec.4. Apud Bernal diſp.17.de Incar.à n.32.& multos alios,quibuſdam illud vrgentibus in favorem meriti ſolutivi,alijs verò refragantibus,& ſolventibus. Tranſcribo ex eis.

2097 Sit princeps qui præſciat, ſi anticipet militi annonam, equum, & arma, imò & Officium Centurionis in exercitu, fore, vt ſibi magnas victorias obtineat, quæ nẽpè pares omninò ſint rebus,& dignitati quas anticipat.Nũc ſic: poteſt hic princeps dare hæc omnia in ſpe futuri, quod præſcit obſequij, militi ea ſingula facturo per obſequium ſua, cum vincat: quid in hoc poteſt abſurdi miſceri? At Rex neque gratis anticiparet neque miles gratis acciperet: ergo Rex anticiparet in præmium,& miles ſimpliciter vincendo mereretur.

2098 Quæ ſingula patent: nam Rex intuitu, & ſub onere obſequij tantundem valentis,militi anticipat ea dona: & miles vincendo quaſi ſolvit,& facit ſua. At hæc eſt natura meriti ſolutivi: vt enim Rex in prædicto caſu moveretur prælucente præſcientia obſequij militaris ſub conditione, ex ipſa militaris obſequij exiſtentia quam optat: & anticiparet dona propter obſequium militare, non quia exiſtit,ſed vt exiſtat,nec quando eſt,ſed in ſpe quod erit, & recompenſandus, quando ſit: & ſic miles accipit dona non gratis,ſed propter obſequium,non quidem præſens, ſed præſtandum, atque adeo facit ſua dependenter ab obſequio, per quod ſolvet abundè cum obſequatur:ſic dicimus poſſe anticipari à Deo dona ſecuro de obſequio donatarij,& quaſi in ſpe, dando, non quia Donatarius eſt dignus quando exhibetur donum, ſed in ſpe quod erit,vt ſit dignus: quo nempè onere ſolvendi ſit præſens anticipatio. Per quæ ſatis dilucidati manent ſtatus,& proprietas meriti ſolutivi, de quo loquimur.

2099 Hæc confirmant alio argumento, quod ſimiliter tranſcribo. Modus ille movendi adiunctus obſequio honeſto,& condigno,ſufficiet ad propriũ meritum,qui per ſe ſufficit ad hoc vt collatio doni intuitu eius facta,iam ſit,& ma-

Digitized by Google

maneat de iuſtitia,ſed ſimpliciter gratuita,& liberalis;atqui modus ille movēdi,explicatus in merito ſolutivo,ad id per ſe ſufficit: ergo ſufficit ad proprium meritum. Difficultas eſt in præmiſsis : quarum maior eſt certa ex ipſis terminis. 1. nam collatio talis doni eſt empta obſequio; atque adeo præmiativa ; repugnat autem rem eſſe præmium,aut emi, obſequio non habente rationem meriti. 2. quia nequit obſtare gratuitati , & liberalitati ſimpliciter, niſi ratio pretij condigni , ex donatario ; pretij autem ratio in obſequio,ratio meriti eſt. 3. quia non aliunde poſſumus oſtendere rationem meriti remunerandi in operibus noſtris. Minor autem eſt illis etiam evidens : 1. quia contractus, do vt facias, eſt ſimpliciter onerolus, non minus, quam contractus, do quia facis: modus autem meriti ſolutivi eſt imitatio contractus , do vt facias. 2. quia qui dat ex fine tantundem accipiendi , non dat gratis ſimpliciter,vt patet in anticipante merces pro pecunia credita: atqui modus meriti ſolutivi id habet , vt qui donum anticipat,id præſtet ex fine tantumdem accipiendi. Veræ ſunt igitur præmiſſæ, ex quibus legitimè convincitur rigor, & proprietas merti ſolutivi.

2100 Pro ſolutione nota 1. diverſum quid eſſe materias commutabiles contractuum,& ipſos cōtractus;ideſt materias ſecundum ſe , & eaſdem vt veſtitas contrractibus. Cum enim iſti conſiſtant in affectibus & ordinationibus, quales fuerint volitiones, & motiva quibus ducuntur, tales erunt contractus, & non quales materiæ ſecundum ſe: Super eaſdem enim poſſunt verſari, venditio & donatio, & gratitudo & ſimilia.

2101 Nota 2. donationem liberalem & gratuitam,prout contraponitur donationi de iuſtitia,generaliter in rigore eſſe illam per quam quis dat aliquid ſine obligatione iuſtitiæ ex parte dantis,ſivè ex parte ſubiecti. Hæc eſt triplex. Prima dat propter dare,ſive dat ex liberalitate,miſericordia aut charitate. Et iſta eſt purè liberalis & gratuita , quia eſt talis omninò ex parte ſubiecti & obiecti. Secunda dat propter dare , ſed dat cum aliquo onere & conditione. Et hæc eſt abſolutè, & ſimpliciter liberalis & gratuita ex parte ſubiecti & obiecti,licèt ſecundum quid, & cum addito ſive ratione materiæ , aut conditionis, importet materialiter aliquem ſaporem iuſtitiæ, & propter hoc licèt ſit ſimpliciter & abſolutè gratuita, ſed non purè. Talis eſt in Deo intētio ante prævisa merita dandi Petro gloriam vt coronā, quæ intentio ex parte Dei eſt abſolutè liberalis etiā ex motivo,ſed non ex materia. Et hæc vocatur à Canoniſtis donatio ſub modo. Donat enim propter donare,ſed ſub modo & conditione , vt Petrus illam mereatur. Reſpectu enim talis intentionis,quod merita ponantur, ſe habet purè vt conditio & modus donandi , non vero vt motivum. Tertia donatio liberalis ex parte dantis ſive ſubiecti, poteſt eſſe oneroſa ex parte obiecti motivi,ita vt motivum ipſius ſit impoſitio obligationis reſpectu recipientis, licèt nulla præcedat ex parte dantis. Talis eſt volitio illa, *do vt des : do librum vt ſolvas*. Tunc enim cum motivum dandi ſit ſolutio impoſsita & intentata, talis donatio ſolum erit gratuita ex parte ſubiecti, ſecus ex parte obiecti & motivi.

2102 Nota 3 Hanc donationem oneroſam antecedenter ad acceptationem donatarij , licèt forte pertineat ad amorem iuſtitiæ , non propterea eſſe iuſtitiam formalitèr (niſi ad ſummum diſpoſitivè , & quaſi in ſemine) ac per conſequens, non fieri formalitèr per illam de iuſtitia id quod ex vi & proprio conceptu eius inducitur; ſicut ſunt iuſtitia;emptio & redemptio,meritum, & præmium.Sicut enim amor amicitiæ non eſt amicitia,quia iſta vltra amare aliam Perſonam propter ipſam, imbibit mutuam redamationem ex parte ſubiectorum(imò imbibit vlterius quod Suppoſita ſint rationalia, & quod participent eandem naturam,propter quod licèt homo & Deus ſe amant mutuo, non datur amicitia,vſq; dum intret gratia ſanctificans) ita etiam iuſtitia vltra amorem oneris , imbibit ius præſens ex parte vnius , ac per conſequens obligationem præſentem illud ſervandi ex parte alterius , ſiquidem ex eſſentia ſua iuſtitia eſt: *Conſtans, & perpetua Voluntas conſervandi vnicuique ius ſuum.* Cum autem donatarius non adquirat ius ad rem donec acceptet , nec vſque tunc detur contractus; ſequitur quod talis volitio dandi antecedens acceptationē,licèt ſit amor iuſtitię,pro nūc tamē adhuc nō eſt iuſtitia.

2103 Addo non ſolum non eſſe iuſtitiam ex parte ſubiecti dantis , ſed nec eſſe propriè iuſtitiam ex parte obiecti motivi pleni,& integri proprij iuſtitię,ſiquidē aliud eſt inductio activa iuris,ſivè volitio diſponēs *vt ſit ius*,& aliud eſt conſervatio iuris , quæ ex proprio conceptu ſupponit ius, & *quia iam eſt ius*, ideò nititur illud conſervare.

2104 Motivum autem ſpecificativum iuſtitię nō eſt inductio iuris, ſed conſervatio iuris,& ſic refunduntur,& intrant in motivum ius donatarij , & obligatio ipſa ſubiecti dantis,ſicut in motivum caſtitatis,& ieiunij non ſolum intrant caſtitas corporalis amata,& ieiunium corporale amatū,ſed debēt eſſe amata provt in proprio ſubiecto tēperabili per eas. Ex quibus patet,quod aliud ſunt caſtitas,tēperantia,& obedietia,& aliud ſunt amores caſtitatis,temperantiæ , aut obedientiæ , ſiquidem iſti amores reperiri poſſunt in Patre Æterno in quo reperibiles nō ſunt prædictæ virtutes. Applica hæc ad iuſtitiā,& ad amorē iuſtitiæ.

Ex his ſequitur quod aliud eſt, *Theologicè loqui*. Aliud vulgariter. Gratuitati Theologicæ,opponuntur obligatio ſubiecti, iuſtitia, ſivè ſtrictum ius aut contractus. Vulgari vero opponitur compenſativum , abſque contractu. Si enim Petrus laboret hodie in vinea mea abſque contractu, & do denarium equalem quia laboravit , Theologicè do gratis , licèt non vulgariter. Si Petro do librum expectans retributionem , poſſum ſperare ex gratitudine, vel poſſum ſperare ex debito , quod ſit tale quando acceptet,& non antea. Omnes iſtæ volitiones donandi,etiam vltima,dū non advenit contractus,excluduntur à gratuitate vulgari,ſed nō à gratuitate theologica,quia verè qui ſic dat , non dat vt debitor de iuſtitia. Vide alia §. ſequenti. His præiactis.

2105 Reſpondetur ad argumentum de milite. Concedendo poſſe ea dona dari ei à Rege ſub ſpe , vt vincat. Nego tamen , quod Rex non daret ea gratis ſimpliciter & abſolutè theologicè loquendo, provt ly *gratis* contraponitur donationi ex iuſtitia, ſiquidem ex parte donantis nulla ſupponitur obligatio,nec ex parte accipientis vllum ius dum Rex dat, nec ibi Rex eſt debitor ; & ſic non eſt verè in re præmiator. Loquendo autē de *gratis* ex parte obiecti dicimus, ſi dat ſub ſola ſpe,& non ſub onere,imò ſi dat ſub onere,& nō ſub motivo ſolutionis per victoriā,dat gratis, etiā ex parte obiecti,& motivi adhuc vulgariter. Si tādem dat ex motivo ſolutionis,tūc nō dat gratis omninò vulgariter,ſed ex amore ſolutionis,qui eſt amor iuſtitię. Adhuc tamē dat gratis formaliter Theologicè provt hoc cōtraponitur iuſtitiæ,quia cum donatio præcedat acceptationem,& ante iſtam non præcedat obligatio ex parte dantis , nec ius conſervabile ex parte accipientis , ex vtroque capite ly *gratis* contraponitur iuſtitiæ, & ſic ibi nihil apparet de proprietate meriti,& præmij,quæ ſunt commutatio propria iuſtitię. Munus enim prēmiādi eſt exercitiū debitoris

2106 Ad rationem autem reſpondetur , ad maiorem: Ille modus movendi adiunctus obſequio honeſto , & condigno ſufficit ad proprium meritum , qui per ſe ſufficit, vt collatio doni intuitu eius facta , non ſit ſimpliciter gratuita,& liberalis, deſtingo maiorem , non ſit gratuita , & liberalis theologicè (ex parte dantis , & ex parte iuris conſervabilis in recipiente) concedo maiorem, Non ſit gratuita & liberalis vulgariter (ob diſponere ad ius introducendum ,) nego maiorem ; quia ſub hac ratione non ſufficit , quia non attinet ad iuſtitiam. Nego autem minorem , nempè modum movendi in meriti

natio armorum præcedens, non tradit arma militi tanquã donata pro illo ſigno, ſed purè tanquam credita, vſque dum adimpleatur conditio. Cum autem premium victoriȩ non ſit traditio armorum ſecundum ſe, præcedens victoriam, ſed ſit ſuitas armorum, & iſta ſubſequatur victoriam, iſte modus merendi vt ſit verus, jam attinet ad remuneratoriũ, & non ad ſolutivum: dare enim vt ſolvat & non quia ſolvit, cum ab obligatione præſenti præſcindat, etiam à ratione vera meriti præſcinderet.

2112 Dices 2. ergo victoria vt præviſa per arma in intentione, poteſt mereri donationem eorum in executione ſicut Chriſtus præviſus meretur productionem ſui in executione ex num. 2086. Nego conſequentiam de traditione armorum ſecundum ſe (concedam de donatione ſuitatis) quia ſi ipſa victoria eſt actio expugnandi Civitatem per arma illa, eo ipſo in tali victoria prævidentur incluſa illa, ſecus productio extrinſeca Chriſti in Chriſto præviſo, quia non eſt incluſa in illo, ſed ille eſt omninò independens à determinata productione.

2113 Nota 3. doctrinam de eo quod cauſalitas meriti ſtet formaliſsimè in movere quatenus iam eſt, eſſe expreſſam D. Thom. in diſputatis, quæſt. 29. de veritate, artic. 6. in corpore, vbi reſpuit meritum ſolutivum, dum negat (quod aliqui affirmabant) nempè Angelos potuiſſe mereri ſuam beatitudinem per opera ſubſequentia; aſſerens id eſſe contra rationem meriti; proſequiturque ſic dicens: *Meritum eſt cauſa præmij non quidem per modum cauſæ finalis, ſic enim magis præmium eſt cauſa meriti, ſed magis ſecundum reductionem ad cauſam efficientem in quantum meritum facit dignum præmio & per hoc ad præmium diſponit.* Addit ſtatim. *Quod autem in humanis aliquis pro accepto beneficio Domino ſuo ſervit, magis habet rationem gratiarum quam meriti.* Ecce quomodo non admittit meritum ſolutivum. Nec obſunt verba quædam Sancti Doctoris ibi dicentis (id quod eſt cauſa per modum efficientis, nullo modo poſſe eſſe poſterius tempore eo cuius eſt cauſa. Vndè non poteſt eſſe quod aliquis mereatur quod iam habet.)

2114 Reſp. enim 1. ibi loqui Sanctum Doctorem de merito propriæ beatitudinis, & hec nequit eſſe promerita ab habente, antequam habeat meritum, vt num. 2089. reſpondimus ad Auguſtinum. Vel 2. reſpondetur, ibi D. Thomam loqui de merito cauſanti vt præſenti in tempore, contrapoſitè ad cauſare finaliter, non autem contrapoſitè ad cauſare præſenter in præviſione præmiantis. Quo pacto meruit Chriſtus bona antiquis Patribus.

2115 Nota 4. nos ſæpè ſtetiſſe pro vnitate decreti in Deo, quod quidem licèt habeat plures virtualitates, cum iſtæ ſint connexæ inter ſe, non impediunt, quod decretum ſit formaliter vnicum. Sed hanc reſolutionẽ intelligimus de decreto Dei circa ea quæ ab ipſo facienda, vel inducenda ſunt. Decretum enim de permiſſione vnius peccati in pœnam alterius, ab hac decreti vnitate excluſum fuit ſupra à num. 703. Non enim decet quod Deus à ſe ipſo, nec formaliter, nec in pignore habeat ſimilia decreta, ſed ſolum vt provocatus, quia illud crudelitatem ſapere t.

2116 Adverte tãdẽ pro dictis à n. 2056. ex V.M. de Agr. de auxilio gratiȩ negato crucifixorib⁹ ad deſiſtẽdũ ab interfectione Chriſti (vt ſedetur cuiuſdã ſtudioſi ſcrupul⁹) id nõ fuiſſe negare auxiliũ ſufficiens ad non peccãdũ, ſivè ad deſiſtendum. Siquidem natura ipſa præſtabat ex dictamine rationis ſufficiens medium ad deſiſtendum à facto tam atroci, irrationabili, & retrahente, vtpote tam oppoſito legi naturali. Si enim apud Gonet diſp. 1. de neceſsitate gratiæ, art. 5. §. 1. propè finem, docuerunt Auctores graves (ſcilicèt Abulenſis in caput 19. Matthæi quæſt. 177. & 178. Scotus in 2. diſt. 28. quæſt. 1. Ibidem Gabriel, quæſt. 3. & 5. Et iterum eos refert art. 6.) ad non peccandum mortaliter contra legem naturalem, naturam ſibi ipſi ſufficere abſque vllo gratiæ auxilio ordinis naturalis. Sententia autem communis licèt id non admittat per totam vitam, nec per multum tempus; admittit tamen ſufficere ſibi naturam ad id, per aliquod tempus, & vna, vel altera vice poſſe reportare victoriam etiam honeſtam, licèt non meritoriam vitæ æternæ, nec conducentem ad illã (Gonet art. 3. §. 7.) hæc confirmant noſtrum aſſertum.

2117 Sed quomodo poterit victoria honeſta obtineri etiam non meritoria ſolis viribus naturæ; cum videatur eſſe contra celebre illud dictum Concilij Arauſicani: *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum*? Reſpondet 1. Gonet §. 6. *ly de ſuo*, idem ſonare ac ſine auxilio Dei, adhuc generali. Vel 2. peccatum, & mendacium ſumi impropriè pro actu defectuoſo, id eſt cui deficiat meritum, & conducentia ad vitã æternam. Reſpondetur melius per *ly de ſuo* intelligi quod totaliter, & moraliter ſit ſuum, ſive ipſius hominis, prout diverſi à Deo, ſivè illud cuius homo ſe habeat vt tota cauſa. Et hoc ſolum eſt malitia & falſitas. Hoc enim eſt propriè & plenè de ſuo.

2118 Ex quibus ſequitur, quod in aliquibus factis & operibus infidelium, in quibus licèt raris, ſtrenuiſſimè, & honeſtè (imò & fortè vincendo tentationem gravem contra præceptum naturale) operati ſint, tunc ad talẽ facinus, nõ eſſe dubiũ, accepiſſe a Deo gratiã ordinis naturalis adhuc qua parte honeſtũ eſt (præſcindendo à conducentia ad vitam æternam) ſiquidem vt hominis inertia vincatur, & animus erigatur ad re ipſa vincendam tẽtationẽ difficilem, ex hoc præciſè capite gratia ſaltim ordinis naturalis neceſſaria eſt. An autem quoties illis data eſt, data fuerit ex conducentia in vitam æternam, ſaltim vt removeat prohibens, Deus ſcit, & non eſt huius loci examinare.

QVÆSTIO XXXV.

DE ORATIONE CHRISTI.

ARTIC. ET §. I.

ALIQVA DVBIA AN ORAVERIT, ET NVNC ORET.

2119 QVÆRITVR 1. an Chriſtus oraverit in hac vita. Affirmo cum communi ſententia, & exiſtimo cum P. Bernal eſſe de fide ex Lucæ 6. *Exijt in montem orare, & erat pernoctans in Oratione Dei.* Conſtat etiam ex Evangeliſtis oraſſe ter in horto, poſitus in agone. Item ad Hebreos 5. *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido, & lachrimis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.*

2120 2. Probatur. Tum quia oratio eſt actus perfectus Religionis, dans Deo debitum cultum, vt docet D. Thomas 2.2. quæſt. 83. art. 3. & oratio pro alijs eſt actus charitatis procurans illis bona, vt ait art. 7. & 11. Tum, vt nobis daret exemplum orandi. Tum, vt omnibus modis operaretur omnium ſalvationem, ſcilicèt ſatisfaciendo pro offenſis, merendo gratiam & gloriam, & iſta bona multaque alia, oratione ſua impetrando. Tum denique, vt per talem orationem, quæcumque petebat obtinendo à Patre ſuo, & ſe hominem per ſummiſsionem petendi probare, & ſe ſimul Filium Dei per ſecuritatem & vniverſalitatem obtinendi, monſtrare poſſet.

2121 Tertio, quia oratio eſt explicatio proprij deſiderij implendi per alium. Chriſtus autem ſecundum quod eſt homo, cum eſſet minor Patre, & non omnipotens vt homo, prudenter petebat, vt Pater opere impleret deſiderium ipſius. Vndè videtur quod oratio ipſius, non ſolum eſſet elevatio mentis in Deum & meditatio divinorum (vtique actibus ſupernæ ſcientiæ infuſæ, vel alijs

per

per beatam enim non aſcendebat, quia ſemper cum Deo erat.) Sed etiam oratio petitiva iuxta illud Lucæ 22. *Ego rogavi pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Ex iuxta illud: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.*

2122 Nec obeſt 1. quod omnia dedit ei Pater in manus; ergo inutile erat orare. Reſpondetur 1. negando conſequentiam, quia id quod Pater dedit in manus Chriſti, erat poteſtas gubernativa, & iudiciaria, ſecus poteſtas omnium factiva, quæ erat propria omnipotentiæ, & hæc forte aligabatur voluntati Chriſti media Oratione. Reſpondetur 2. conceſſo antecedenti negando conſequentiam; quia id ipſum quod inſtrumentaliter habebat in manu ſua, oportebat vt peteret, ex decentia, & reverentia ad Patrem, atque ex bono exemplo. Sic oravit in ſuſcitatione Lazari, dixitque inſtantiam illam feciſſe propter populum præſentem. Nec obeſt 2. quod Chriſtus ſciebat eſſe implenda omnia, quæ efficaciter peteret. Ergo impertinenter orabat. Negant communiter conſequentiam, quia ſciebat eſſe implenda dependenter ab illa oratione, vt medio ſtabilito à Deo. Nec obeſt 3. hanc indigentiam non coerere cum Dignitate Chriſti, & poteſtate excelentiæ, quam habebat. Negant communiter. Tum, quia non eſt propriè indigentia, cum poſſet omnia obtinere per ſolam meritorum applicationem abſque oratione, ſi iſta non eſſet decreta vt medium libere ponendum. Tum, quia ſolum eſt indigentia conſequentiæ, nempè ex ſuppoſitione, quod ipſe, ex decreto Dei ſivè ex prædiffinitione, elegit libere tale medium.

2123 Nec obeſt 4. quod Damaſcenus lib. 4. de fide, cap. 19. poſt medium dixit: *Chriſtum non tam oraſſe, quam orationē ſimulaſſe.* Reſpondetur enim, in oratione provt à nobis fit, non ſolam dari mentis elevationem, & petitionem, ſed indigentiam petendi, & carentiā eſſendi in noſtrā manu, in noſtro iure, & merito. Chriſtus ergo ſimulabat orationē, qua parte in hominibus regulariter dicit omnia hęc. Sic videtur interrogatio ſimulara illa Dei: *Adam vbi es?* Et illa Chriſti de Lazaro: *Vbi poſuiſtis eum?* Vbi interrogatio in ſubſtantia erat vera, ſed ignorantia importata per eam, erat ſimulata.

2124 Quæres 2. An Chriſtus oraverit etiam pro ſe? Affirmo cum communi ſententia. Nam Marci 14. dicitur: *Procidit ſuper terram, & orabat, vt ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora.* Item Ioannis 17. *Pater venit hora clarifica filium tuum.* Idem docet D. Thomas hic quæſt. 21. art. 3. in cor. vbi expreſsè docet: *Chriſtum orando petiſſe à Patre ea quæ ſibi deerant, ſecundum humanam naturam, puta gloria corporis, & alia huiuſmodi.* An autem hæc oratio in horto fuerit ſecundum ſenſualitatem, id eſt ſecundum partem ſenſitivam? Negat D. Thom. & bene, quæſt. 21. art. 2. quia actus orationis, cum ſit elevatio mentis in Deum, non elicitur à ſenſitiva parte, ſed à rationali. Quæ tamen aliquando exprimit affectus apetitus ſenſitivi, tanquam advocata ipſius, vt quando refugiente calicem parte ſenſitiva, oravit Patrem, licèt hæc oratio dirigeretur ex affectu rationali portionis inferioris.

2125 Quæritur 3. an Chriſtus modo oret in Cœlo? Duplex eſt ſententia. 1. & communior affirmat, & eſt inter Sanctos Patres receptiſsima. Probari poteſt 1. ſcriptura. Nam prima Ioannis 2. dicitur: *Advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtū iuſtum.* Ad Romanos 8. *Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Super quæ verba inquit Ambroſius: *Chriſtus reſurgens, ſemper cauſas noſtras agit apud Patrem, cuius poſtulatio contemni non poteſt, quia in dextera Dei eſt.* Item Gregorius Magnus ſuper Pſalmum 5. pœnitentialem, ait: *Quotidie Chriſtus orat pro Eccleſia, de quo teſtatur Apoſtolus Paulus, quia ſedens ad dexteram Patris, interpellat pro nobis.* Id ipſum repetit Apoſtolus ad Hebreos 7. ver. 25. dicens: *Quod Chriſtus eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium, &c. Semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex, &c.* Ex quo arguitur. Chriſtus in Cœlo eſt etiā Sacerdos. Sacerdotis autem proprium munus, non ſolum eſt ſacrificare (vt ſacrificat in terra influendo in conſecrationem nobiſcum ita vt ſit principalis offerens,) ſed etiam eſt orare, & offerre Deo præces pro populo.

2126 2. Probant, quia Chriſtum in Cœlo non dedecet orare, ſivè manifeſtare Patri pro nobis tanquam ſuperiori, ſua deſideria, nec quia Deus eſt, cum ſi etiam homo & oraret in terra ob multas cauſas, vt probavi. Nec item dedecet eum, quia beatus eſt, cum certum ſit beatos in Cœlo orare pro nobis. Imò valdè decet quod actu Religionis honoret Deum, ſicut honorat adoratione, & cultu Latriæ. Item decet, quod noſtram ſalutem operetur tali medio, ſi ex alio capite repugnātia nō appareat. Nec obeſt 1. vſus Eccleſiæ, quæ numquàm petit à Chriſto, quod oret pro nobis. Reſpondent enim, Eccleſiam abſtinuiſſe à petendis Chriſti orationibus apud Patrem, ne Arrianis, alijſque hæreticis anſam præberet fovendi errores ſuos, de eo quod Chriſtus non eſſet verè Filius Dei naturalis, ad quē quidem (iuxta D. Thomam in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 6. quæſt. 2. ad 1.) ſpectat adiuvare, non autem orare.

2127 Hanc ſententiam nuper tenent ex Carmelis Calceatis Orlando diſp. 7. quæſt. 5. Boneſpei diſp. 16. n. 4. Auguſtinus à Virgine to. 2. hic diſp. 14. quæſt. 3. Aitque Orlando, qui præſcinderet inter Chriſtum vt Deum, & vt hominem, poſſe rogare privatim vt oret pro nobis. Nec obſunt 2. Patres negantes. Nam ex Boneſpei ſolum negant de oratione facta modo ſervi (ideſt flexis genibus, vel cum lachrymis, vel alio ſimili dedecenti ſedentem à dexteris Dei. Nec obeſt 3. in Cruce iam omnia conſummaſſe. Concedunt quoad ſufficientiam ſuperabundantem. Sed non quoad omnem applicationem. Nec 4. quod omnis oratio eſt meritum. Negant vt patet in Beatis, ſed ſola quæ fiat in via. Quod etiam in Chriſto locum habet ex illo Ioannis 9. me oportet operari dum dies eſt. Venit nox quando nemo poteſt operari.

2128 Oppoſita ſententia de eo quod in Cœlo propriè non oret, plures etiam habet Patronos, nempè Bazquez, Medinam, Aragon, Alvarez, Becanum, Meracium, Gaſparem Hurtado, Cardinalem de Lugo, & alios. Probari poteſt. 1. ex illo ad Hebreos 10. vbi dicitur: *Quod Chriſtus vna oblatione conſummavit in æternum ſanctificatos.* Quæ oblatio fuit oblatio Crucis, vbi pro nobis oravit. 2. probari poteſt, quia textus ille ad Hebreos 7. de Sacerdotio, atq; interpellatione pro nobis, ſic proſequitur: *Non habet neceſsitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro Populi, hoc enim fecit ſemel ſe ipſum offerendo.* Nota ly *ſemel* Item quia interpellatio illa de qua ad Romanos 8. iuxta Rupertum, Hieronymum, Chriſoſtomum, & alios, intelligitur de interpellatione per repreſentationem ſuorum meritorum, & non per petitionem. 3. quia vox, conſummavit omnia (quod dicitur per redemptionem in Cruce) ſatis indicat poſtea non appoſuiſſe novam diligentiam, nec motionem, nec medium obtentivum alicuius doni, qualis eſſet oratio petitiva. 4. quia inter orare in via, & orare in Patria colligitur ex ſcriptura diſparitas, ſiquidem per mortem obtinuit, quod data eſſet illi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra. Si autem ſic omnia erant in ſua manu, valdè ſuperflua eſt in Cœlo oratio petitiva. Vſus autem Eccleſiæ non petendi vt Chriſtus oret pro nobis, licèt ipſum non orare in Cœlo non convincat, ſatis veroſimile facit, quod pro hac ſententia ſtet Eccleſia.

2129 Vt autem oppoſitis auctoritatibus, & rationibus ſatisfiat, Auctores 2. Sentētię, diſtinxerūt duplicē orationē. Vnā formalē, & aliā interpretativam: & ſic docuerūt Chriſtum, licèt non oret nunc oratione formali, & expreſsè petitiva, orare oratione virtuali interpretativa, & tacita, cō-

ſiſtente

Digitized by Google

ſiſtente in ſola meritorum repreſentatione. Cum enim Chriſtus omnia haberet in ſua manu vt faceret(& iuſtiſſimè ad eum pertineat vt faciat, quia ita ſua merita petebant) non egebat à Patre petere, ſed Patri repreſentare cur faceret, ſivè merita ſua, vt digna poteſtate faciendi: & de iſta oratione virtuali explicantur ſufficienter auctoritates adductæ pro 1. ſententia. Ad illud autem de eo quod non dedeceat Chriſtum orare in Cœlo, reſpondent, dari indecentiam licèt ſolius inutilitatis, & ſuperfluitatis petendi, quod iam in Cruce obtinuerat, & ob id in ſua manu à Patre poſitum erat.

§. II.

QVID SENTIENDVM DE HIS. VBI ALIA.

2130 SANE hæc quæſtio mihi eſt difficilis reſolutionis valdè, non tantum propter hic ex vtraquè parte allegata, quam propter difficultatem quam reperio, in eo quod Chriſtus inſtanter petat à Patre, & nitatur movere eius voluntatem quam Beatificè videt iam motam, & ab æterno iam volentem facere, quod rogatur vt vellit. Difficulter enim concipitur petitio efficax ſine ſpe obtinendi. Paulus autem ad Romanos 8. dixit: *Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat*? Inſuper quia petitio vt vellit Deus, eſt manifeſtatio deſiderij, vt vellit. Quod vidét autem quis, quid deſiderat? Nec ab hac difficultate ſe ſufficienter eximit ſententia negans, ſiquidem interpellatio illa per vulnerum, & meritorum manifeſtationem, eſt exercitium quoddam Advocati, ac per conſequens eſt ad movendum Deum, vt propter merita à Chriſto tunc repræſentata, non ſolum det, ſed vellit dare nobis talia, & talia bona. Cauſalitas enim propria meriti eſt movere voluntatem ad præmium. Vndè interpellare eſt ſpecies quædam petitionis, & ſic ad Romanos 8. in Biblia maxima, vbi vulgata legit *interpellat*, Arabica verſio legit, *precatur pro nobis*. Germanus Brixius legit *intercedit*. Et Menochius: *Tanquam perpetuus advocatus, & Patronus noſter cicatrices ſuas Patri oſtendit, ac conſequenter orat, ſua merita, ſuos labores, ſuas paſsiones allegando divino conſpectui.* Vndè Calepinus inter alias ſignificationes ait, quod interpellare, aliquando eſt *rogare*, & aliquando eſt *debitum petere.* Et ſanè quoad munus movendi pro eodem ſumi debent.

2131 Hinc nota pro 1. ſentent. quod in memoriali Regi præſentato, aliud eſt merita & obſequiorum conſummatio, & hæc à bono milite fit in bello, & aliud eſt eorum repræſentatio, & ſupplicatio vt præmientur in hoc, & in hoc. Licèt autem Militi pro præmio obtinendo, reſtet poſt bellum ſupplicatio ad Regem, vt quaſi aliqualis conditio, non propterea merita deſivere eſſe perfectè conſummata in bello ipſo, quia explicatio meritorũ in quibus eſt tota virtus movẽdi ex contractu, non attinet ad iuſtitiã cauſæ, nec auget illam, ſed ſolum ad ipſius allegationem.

2132 Ex his ergo ad argumenta ſecundæ ſententiæ facilè reſpondetur. Ad primum, vna oblatione conſummaſſe in Cruce omnia, quantum attinet ad iuſtitiam Cauſæ, ſecus ad allegationem eius aut applicationem meritorũ, & petitionem pro nobis. Et ex his patet ad ſecundum de ſemel ſe offerendo. Sicut autem ly *ſemel* ſolùm fuit de ſe offerendo meritoriè (quin propterea tollat ſe iterum offerre in Miſſa allegativè & impetrativè), ſimiliter non tollit allegationem in Cœlo ad movendum, interpellando, ſive ſua merita vt iuſtitiam Cauſę pro donis rogatis, allegando. Ad tertium concedimus conſummaſſe iuſtitiam Cauſæ, ſecus talis iuſtitiæ allegationes petitivas vt illa præmietur in nobis, quæ allegatio non ſe tenet vt meritum movens, ſed vt iuſtitiam Cauſæ Crucis, petendo repræſentans. Ad quartum reſpondetur 1. de Chriſto in Cœna ante Paſsionem, etiam fuiſſe dictum: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Ioannis cap. 13. & multo ante, Mathæi cap. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Si autem his non obſtantibus, orabat ante mortem, etiam poterat poſt ipſam. Ex quibus ſequitur, quod non ſola oratione interpretativa poſsit orare in Cœlo pro donis à Deo conferendis, ſicut orabat in terra. Optimè autem dixit Boneſpei, quod ſi Chriſtus omnia omninò in Cruce perfecit, etiam quoad omnimodam applicationem & diſpoſitionem, recurſus noſter ad ipſum ceſſaret. Dicerent enim homines. A Chriſto quid petam, cum nihil poſsit præter id quod iam in Cruce diſpoſitum eſt. Vbi functus eſt officio ſuo.

2133 Fortè autem aliter dici poteſt, notitiam de voluntate Patris nullo pacto impedire exercitium orationis ad Patrem ex alio capite, & pono exemplum declarativum in humanis. Concedat Rex Filio ſuo, quod diſponat de tali & tali bono, & de pluribus ſui Regni in talibus, & talibus ſervis ſuis. Per hanc paternam conceſsionem filius habet iam plenè in ſua manu diſponere de illis bonis. Evenire poteſt nihilominus, quod filius ſit Patri tam attentus, & tantæ erga ipſum reverentiæ, vt quotieſcumquè accedat tempus dandi aliquod donum, filius ex reverentia & cultu erga Patrem, & ex bono exemplo erga alios, adeat Patrem, dicatquè ei: *Dare volem Petro hoc donum. Oro Pater vt annuatis, ſiquè hoc placitum ante Vos &c.* Pater tunc de novo annuit. Quæ oratio ex proprijs terminis patet, quod non fit ad Patrem ex indigentia, ſed ex venerationis ſuperabundantia. Idem potuit evenire in Chriſto, circa ea quæ in Cœlo repræſentabantur vt iam à Patre volita. Vndè illa oratio prout talis non erat de prima volitione, ſed de annuitione & complacentia in tali executione. Erat tamen vera petitio, in terminis vrbanitatis & reverentiæ, illius annuitionis. Dixi in Cœlo: de oratione enim in via vbi nõ repugnabat illa quaſi interpoſitio parietis, de qua à n. 1907. fortè aſſeremus quod potuerit eſſe ſtricta oratio primo petitiva. Sed de his rerum infra art. 4. latius.

2134 Quæritur 4. an oratio efficax Chriſti ſemper fuerit exaudita. Affirmo de abſoluta & efficaci. Negat de inefficaci D. Thom. hic art. 4. & cõmunis. Prima pars patet, tũ ex Paulo ad Hebræos 5. *Exauditus eſt pro ſua reverẽtia*, ideſt, debebatur ei pro ſua dignitate vt exaudiretur. Tum quia oratio exauditur cum obtinet quod petit, Chriſtus autem ſemper obtinuit, quia ſemper petivit efficaciter quod ſciebat Deum velle facere petente ipſo. Fuit enim voluntas humana Chriſti efficax ſummè conformis Divinæ, & cum Chriſtus ſciret omnia, imprudens eſſet ſi peteret efficaciter & abſolutè, quod neſciret an concedendum. Secunda patet, quia oravit vt tranſiret Calix, & vt omnes homines ſalvarentur, non tamen pro omnibus obtinuit, quia petebat inefficaciter.

2135 Nec obeſt contra primam partem, ſi dicas; Chriſti voluntatem non ſemper fuiſſe Divinæ conformem: ergo nulla eſt ratio. Ant. patet de voluntate efficaci ex Agato. Papa in Epiſtola decretali quæ refertur in ſexta Synodo ſeſſ. 4. Vbi probat in Chriſto dari voluntatem humanam diſtinctam à Divina, quia Chriſtus Marci 7. voluit latere & non potuit; atqui ſi volitio latendi eſſet inefficax, nihil probaret, quia volitio inefficax Dei ſæpè non impletur, vt patet in volitione ſalvandi omnes: ergo fuit in Chriſto volitio efficax humana quæ non eſt impleta, ac per conſequens difformis Divinæ, quæ volebat eum non latere.

2136 Reſpondent eam volitionem latendi non fuiſſe efficacem finis: (eſſet enim imprudentia & impietas efficaciter velle aliquid quod ſciebat Deum efficaciter nolle) ſed fuiſſe ſolum efficacem mediorum naturalium ſibi pro tunc poſsibilium vt lateret, & per illa media non potuit. Volitio autem applicandi omnia media ſibi naturaliter poſsibilia ſi finem non conſequitur, eo ipſo convincitur eſſe humana; nam Divina finem obtinet, ſi applicat omnia media ſibi naturaliter poſsibilia. Videatur Bernal diſp. 53. ſect. 2.

2137 Replicabis: potuit tunc efficaciter orare, & non applicavit hoc medium: ergo non applicavit omnia. Cum autem non applicantur omnia media, nec Dei voluntas impletur: ergo ex hoc non ſequitur quod illa voluntas Chriſti fuerit humana. Reſpondent, ſi Chriſtus per orationem lateret, non lateret naturaliter ſed miraculosè. Applicavit ergo omnia media ſibi naturaliter poſsibilia. Nec item dicas; proprium eſſe ſolius voluntatis Divinæ poſſe quidquid efficaciter vult, vt ait Propheta de Deo: *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in Cœlo & in terra*: ergo id non competit voluntati humanæ. Diſtinguunt anteced. poſſe à ſe, & per efficientiam ſibi propriam, concedo, poſſe ab alio, nego. Hæc dicta ſint pro ſent. communi.

2138 Ex dictis ſequitur contra plures, benè poſſe dari veram orationem, quæ non procedat ex deſiderio efficaci finis ſed ex inefficaci, ſerio tamen: ad efficax enim non ſufficit ponere aliqua media ad finē, ſed requiritur quod omnia ponat re ipſa obtentura finē, ſicut Deus ſerio dat auxilia reprobis, volens eos ſalvos fieri, non tamen efficacia, quia ex alia ratione ſuperiori detinetur. Si autem verè datur Imperium inefficax & ſerium per ſufficientia ad operandum, cur non petitio inefficax & ſeria per ſufficientia ad movendum, & ex deſiderio movendi quantum eſt ex ſe, niſi detineretur ex alio capite? Dices: ly *Pater ſi poſsibile eſt, tranſeat &c.* non potuit eſſe vera oratio ſed ſimulata, quia eſſet imprudens, cum ſciret eſſe impoſsibile. Reſpondetur 1. fortè Parietem illum de quo ſupra à num. 1907. impediviſe pro tunc certitudinem impoſsibilitatis evidentem, ſuſpendendo illam. Reſp. 2. id non fuiſſe impoſsibile de per ſe, cum poſsibilis eſſet alia via redimendi, & ſic potuiſſe prudenter orari & peti inefficicater & ſub conditione.

ARTICVLVS II.

DE PETITIONE VERBI AB ÆTERNO NOMINE Humanitatis.

AD REVERENDISS. ET SAPIENTISSIMVM P. M. Fr. IOSEPHVM Saenz de Aguirre, Benedictinæ Congregationis Hiſpaniarum Magiſtrum Generalem, Regij, ac Supremi Fidei Senatus Theologum à Secretioribus Conſilijs; in Salmanticenti Academia Theologicæ Cathedræ S. Thomæ Laureatum Anteceſſorem; Inſignis Collegij S. Vincentij, ſeptem olim annis, Studiorum Præſidem, ac Primarium Profeſſorem, ſemel & iterum Abbatem, Virum Naturalis, Ethicæ, Sacræ, & Theologicæ Encyclopediæ Fama, Scholis, & Orbi notiſsimum, &c.

AD Reverendiſſ. Veſtræ Paternitatis Pennam, Omnigenæ Sapientiæ vel Radium, vel Canalem evolat Gratitudinis, & Reverentiæ quaſi duabus Alis hæc Quæſtio. Gratitudinem ſibi vindicat ea magni erga Me honoris plena provocatio, quâ, Tenuitati Mei Nominis, ingenti elogiorum exageratione, de Reverendiſsimæ V. P. affectu, creſcenti, dignata eſt publicis typis inſcribere ſexageſimam ſecundam Anſelmianæ recens editæ Theologiæ Diſputationem de Verbo. Reverentiam ipſa Quæſtionis de Verbo novitas & arduitas, me tacente, præſeferunt. Satis memor debiti jam diu erga Reverendiſſ. V. P. Obſequij, nactus tandem ſum Materiam præſentis Controverſiæ, de æterna acceptatione, & petione Divini Verbi nomine Humanitatis, *hucuſque controverſam à nemine, (quod ſciam,) & novitatis æquè ac arduitatis plenam. Quare neceſſe fuit, naſcenti in Scholis Controverſiæ, parare Patronum, & Scholis, & Orbi notiſſimum. At quem alium, quàm Rever. V. Paternitatem aut deberem, aut poſſem? Tot, tantorumquè Sapientiæ Omnigenæ voluminum Soboles, Parentem ſuum & Orbi, & Scholis adeò celebrem reddidit, ut Solius Inſcriptio Nominis, cuicumquè Litterariæ Controverſiæ certum poſſit facere Patrocinium. Nolo tamen ſalutationis prætergredi lineam, inducta Panegyri. Vale ſapientiſſimè vir.*

§. I.

§. I.

PARATVR VIA TANTÆ DIFFICVLTATI, examinando an Chriſtus vt homo oraverit pro Patribus tempore ſe præcedentibus.

2139 GRAVISSIMI aliqui Doctores, ex vna parte non invenientes quomodo præmium poſsit tempore præcedere meritum, nec res petita orationem petitivam; & ex alia non potentes negare Chriſtum ſuis meritis, & mortis acceptatione, ſatisfeciſſe pro antiquis Patribus, eiſquè auxilia meruiſſe: pro defendendo merito, vtpotè de fide requiſito ad redemptionem, excogitaverunt ſolutivum, vt diximus & impugnavimus à num. 2063. Cum autem oratio petitiva non ſit ad redemptionem ſimpliciter neceſſaria pro auxilijs antiquorum, & aliàs iſta ſummas habeat difficultates, ideò eam.

2140 Negant docti Recentiores, Bazquez in 1. p. diſp. 94. Godoi diſp. 56. num. 107. & alij, quia vt ponderatum fuit num. 2130. petere affectu abſoluto & efficaci vt fiat, id quod iam factum eſt, atquè habere deſiderium efficax vt res fiat, & illud manifeſtare, nequit excuſari vel ab ignorantia, de eo quod res iam facta ſit, vel ab imprudentia inſtanter petendi, quod ſcit iam diu eſſe factum, & res facta cum non ſit abſens, non eſt obiectum deſiderij. Idem dicent de efficaci applicatione meritorum pro ipſis. Propterea docent orationem factam a Chriſto pro eis, non fuiſſe per modum petitionis, ſed vel per modum laudis vel ratificationis, vel compenſationis ſive ſolutionis oblatæ. Ita loquuntur conſequenter ad ſuam doctrinam de merito ſolutivo.

2141 Contraria tamen & communior ſententia reſpōdet Chriſtum vera oratione petitiva oraſſe pro omnibus prædeſtinatis & pro donis eis datis, applicando efficaciter ſua merita pro illis. Et ſolvit argumentum factum, primo negando eſſe imprudentiam petere quod fiat id quod quis ſcit factum eſſe, ſi ſimul ſciat decretum fuiſſe vt fieret dependenter à tali petitione, ſive cum onere (vt alius dicet) talis petitionis. Sic reſpondit Gonet & alij.

2142 Sed contra replicat prima ſententia. Repugnat quod Deus decreverit dare auxilia Patribus dependenter à tali petitione Chriſti. Ergo nulla eſt ſolutio. Probatur antecedēs, quia petitio vt fiat res, quàm quis ſcit eſſe iam factam, talis inquam petitio provt ſub his terminis, erat non ſolum inutilis, ſed omninò imprudēs (imò impoſsibilis quia ſupponit deſideriū poſſe eſſe de re præſenti, cū debeat eſſe de abſenti.) Deus autem non poterat decernere nec imponere Chriſto obligationem conditionis omninò imprudentis. Atqui in quocumque caſu apponeretur à Chriſto talis petitio, neceſſe erat apponi in ſenſu compoſito ſcientis per ſcientiam Beatam & infuſam, illam rem iam diu factam eſſe: ergo non potuit talis res decerni à Deo dependenter à tali petitione.

2143 Sententia communis docet talem petitionem eſſe prudentem. Et arguit 1. pro caſu quo talis petitio fiat per modum ratificationis ſeu repetitionis, vt ſi quis Matrimonium contractum per Procuratorem, poſtea illud ratificet, imò & petat vt publicè fiat. Quod quidem poteſt evenire ſic. Sit celebrandum Matrimonium Perſonarum nobilium in ſecreto, quia eſt periculum in mora. Poſſunt tunc tales Perſonæ paciſci, vt ſemel fiat in oculto cum onere vt poſtea, ſervatis omnibus ceremonijs aſſuetis inter tales contrahentes, (& inter eas quod ex parte viri mittantur legati ad Parentes, tes, petendo vt annuant Matrimonio filiæ ſuæ celebrando cum tali viro) ſolemniter iterum celebretur. Vbi apparet ex pacto conditio petendi rem cognitam vt iam antea factam.

2144 Probāt 2. ad ipſum generaliter, quia Eccleſia toto tēpore adventus enixe poſtulat à Deo incarnationē Verbi eiuſquè executionem, quàm tamen fide divina noſcit & credit iam diu factam & executam. Item patet in offertorio Miſſæ de *Requiem* vbi poſtulat pro animabus defunctorum vt Deus *liberet eas de pœnis inferni, & de profundo lacu ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in obſcurū.* Nomine autem tartari abſorventis non intelligitur Purgatorium ſed infernus: à quo tamen eas iam ſupponit liberatas; aliàs non rogaret pro eis. Item in Canone Miſſæ immediatè poſt Pater noſter, orat Eccleſia ſic: *Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis præteritis præſentibus & futuris.* Ergo rogare vt fiat quod ſupponitur iam factum, poteſt eſſe petitio Chriſtiana & valdè prudens.

2145 Sed re vera iſta difficultatem non habent contra primam ſententiam. Primo, quia petitio Chriſti pro antiquis Patribus in communi Theologia debet eſſe efficax & abſoluta & obtinens à Deo vt primo res fiat, & ſic ita vt non ſupponatur iam facta. Atqui repugnat petitio efficax de præteritis, vt probatum eſt, ergo. Vndè Exempla adducta de Matrimonio, &c. non ſunt ad rem: vel quia ſunt de re, non vt primo facta, ſed vt repetita (quæ repetitio eſt poſterior petitione) vel ſunt petitiones alicuius circunſtantiæ ponendæ ad diſimulandum & ocultandum rem eſſe iam factam, & non ſunt de ipſa re vt primo facta, ſicut eſſent auxilia Patrum à Chriſto petenda.

2145 Itē ad orationes Eccleſiæ reſpōd. nil probare, quia ſunt petitiones quædā, ſolū conditionatæ & inefficaces de re (licèt valdè vtiles ad manifeſtandum affectum & anxietatem conditionatam circunſtantium vel intervenientium in ipſo negotio) procurativam rei vt fieret, caſu quo facta non eſſet. Vel ſi ſunt petitiones efficaces & abſolute illæ deprecationes adventus, non ſunt de adventu Chriſti corporali, ſed de ſpirituali in noſtras animas, ſub velamine corporalis ſignificato.

§. II.

PROSEQVVNTVR SOLVTIONES.

2147 AD inſtantiam quę ſumitur ex prędicta Eccleſię praxi retundendā, reſpōdet prima ſentētia dicens, duplicem dari modum petendi in aliquo Oratore. Vnus eſt perſonalis & factus nomine ipſius perſonæ ſecundum ſe. Alius vero figurativus alterius perſonæ, quā ſe indutum repræſentat, & nomine illius loquitur & petit. Et ſic petitio quæ ſub propria perſona eſſet imprudens, poteſt in perſona alterius eſſe prudens & cordata. Sicut plura ſunt cordata in plebeio faciente in comedia perſonam Regis, quæ in propria eſſent irriſoria Igitur Eccleſia in adventu dum petit executionem Incarnationis, non petit eam nomine ſuo, (eſſet enim petitio ſapiens Iudaicam infidelitatem expectandi Meſsiam) ſed introducit ſe Eccleſia ante Deum quaſi in Comedia ſacra vt repræſentans Sanctos Patres antiquos, vel ipſam Sinagogam; & nomine ipſius pro Incarnationis executione inſtat.

2148 In Officio autem Defunctorum etiam Eccleſia in aliquibus clauſulis orat veſtita Perſona aliena, nempè in Offertorio Miſſæ, repræſentando Perſonas commitantes moribundum in circuitu lecti, [illegible] inſtat iam mors, & exitus eius ex hac vita; earum ergo perſonam gerens, enixè poſtulat à Deo vt animam illam Tartarus non abſorveat, nec ipſa in [illegible] Similiter in Lectionibus primi Nocturni dum ait: *Parce mihi Domine, &c.* repræſentat perſonam defuncti dum iam egreditur ex hac vita, vel dum ſe præſentat ante Tribunal Supremi Iudicis. Comparativè autem ad tales perſonas & tempora, tales petitiones repræſentativè retrotractæ, prudentes ſunt. Quia repræſentatio illa fit per modum ſcenæ, ſive come-

comœdiç, ob quas tunc verificatur, quod ſapientia ludit coram eo omni tempore, & ludit in Orbe terrarum; non autem eſſent tales, ſi in propria Perſona dicerentur. Atqui Chriſtus petendo pro antiquis Patribus & ſua merita applicando pro eis, id deberet prçſtare in propria Perſona hominis Dei: ergo eum reſpectivè ad ſuam perſonam & ſcientiam, talis res iam eſſet facta, non poſſet talis petitio, via prædicta ab imprudentia excuſari.

2149 Aliter etiam reſponderi poteſt ad illud de Offertorio in Miſsis Deffunctorum ex alijs Doctoribus, Eccleſiam ibi nomine inferni ſive tartari, non intelligere ſinum ſive locum damnatorum, ſed locum Purgatorij, ſiquidem nomine inferni etiam iſte cōprehenditur, non minus quam limbus Patrum iuxta illud de Chriſto: *Deſcendit ad inferos.* Nec obeſt petitio de non abſorvitione Tartari (quæ eſt inferni potius quam Purgatorij.) Reſpōdetur enim intentum Eccleſiæ eſſe petere quod non tanto tempore detineātur, quaſi videatur quod eas locus ille quaſi abſorbuerit more Tartari. Ad illud tandem de liberatione à malis præteritis, petita in Canone Miſſæ, reſpondetur loqui reſpectu maiorum futurorum ex malis iam præteritis reſultantium. Vel aliter dic, quod poſtulat liberationem à peccatis & offenſis à nobis factis, à quibus petit vt liberemur à Deo, ea deſtruente per infuſionem gratiæ. Et hæc fraſis & petitio vt nobis peccata commiſſa dimittantur, ſatis communis & prudens eſt. Quod autem ibi poſtulatur, eſt liberatio, per gratiam, quæ non eſt facta ſed facienda.

2150 Sed contra hoc replicat ſententia communis, inſtando, Eccleſiam poſtulare rem iam factam, ſiquidem poſtulat liberationem animarum omnium fidelium Deffunctorum à Purgatorio, quæ tamen de multis neceſſe eſt quod iam ſit facta. Sed reſpondet prima ſententia, eam liberationem, quàm petit Eccleſia non eſſe factam, ſiquidem petendo liberationem à Purgatorio, ſupponit ibi eſſe eas de quibus loquitur (nam de alijs non loquitur). 2. inquit, adhuc eſſe aliam magnam diſparitatem in hac petitione, à petitione Chriſti de re facta, quia dum Eccleſia ſic petit, petit pro his de quibus non conſtat ei, an ſit factum, ſicut conſtabat Chriſto.

2151 Inſuper arguit 3. communis ſententia fulciendo inſtantiam, nos ſæpè petere à Deo quod ſcimus iam factum, vt quando ſperantes Nuncium, & dubitantes an erit bonum vel malum, ſi accipimus Epiſtolam tractantem de eo, ſolemus ante apertionem eius orare Deum quod tale Nuncium ibi incluſum, ſit bonum. Cum tamen ſi bonum eſt, & debet vt bonum nobis innoteſcere, id iam eſt factum antequam ſcriberetur Epiſtola. Ergo non ſolum prudenter, ſed etiam Religioſè poſſumus à Deo petere quod ſcimus eſſe factum. Sed reſpondent 1. nos tunc non tam petere rem bonam, quæ iam eſt facta, quàm bonam innoteſcentiam, quæ non erat facta. Et licèt, re benè examinata, nequeat innoteſcentia petita eſſe bona, niſi & res ipſa antea ſcripta, fuerit bona; ſed tunc non eſt locus in mente tanto examini & ponderationi. Et ſic petitur quod non proponebatur evidēter vt factum. Reſpondēt 2. illam in rigore non eſſe orationem petitivā, ſed eſſe illam partem orationis Grammaticalem, quæ appellatur interiectio deſiderantis, & explicatur per: *O vtinam Deus fecerit nobis bonum Nuncium.* Et tandem adhuc eſt alia diſparitas, quia illa determinatio ad bonam partem erat nobis ignota, ſecus Chriſto. Imprudentia autem petitionis ſtat in eo quod petatur res iam facta, & ſcita vt iam facta.

2152 Sed argumentatur ſententia communis 4. quod Chriſtus petendo à Patre in Cœlo, v.g. auxilia pro converſione Divi Pauli, eo ipſo petebat oſtenſis meritis, & cicatricibus ſuis, quod voluntas Patris vellet talia auxilia dare, & tamen videbat in Patre volitionem ipſam vt exiſtentem ab æterno. Ergo res iam facta poteſt à Chriſto prudenter peti, & procurari. Reſpondet prima ſententia eum qui petit aliquam rem futuram, ſolum curare de re ipſa quam nititur obtinere, non autem de voluntate quæ iam erat ab æterno. Si autem res adhuc non eſt facta, nec præſens ſed abſens, eo ipſo poteſt eſſe obiectum deſiderij, ac per conſequens & orationis petitivæ prudentis.

2153 Sed tandem communis ſententia replicat, quod Chriſtus erat plenus omnimoda ſcientia à differentia noſtri. Nos autem poſſumus deſiderare, & prudenter petere converſionem noſtram, imò & inclinationem divinç voluntatis ad eam concedendam, quia cognitio dirigens noſtras petitiones re vera præſcindit à multis, ſcilicèt ab exiſtentia æterna divinæ voluntatis, à quibus nequibat præſcindere cognitio Chriſti, & talis præciſsio eſt tota vaſis in qua fundetur noſtræ petitionis prudentia. Primo enim Chriſtus intuebatur quod voluntas Dei de converſione Pauli iam erat ab æterno. Inſuper 2. ſciebat quod medium ſuæ orationis ad converſionem Pauli non poterat iſtam cauſare, aut procurare tanquam cauſa phyſica, ſed tanquam moralis, quæ tamen non habet alium modum cauſalitatis, niſi præciſè movendo voluntatem Colatoris doni, & inducendo vt determinet dare. A quibus omnibus præſcindit cognitio directiva noſtrarum petitionū ad Deum. Ergo ſi præciſsio eſt quæ petitiones noſtras excuſat ab imprudentia, & illa non datur in Chriſto, ſemper manet, quod vel res cognita vt iam facta, poteſt nihilominus prudēter peti (& hic eſt Scopus ſentētiæ cōmunis) vel quod Chriſtus non potuerit de rebus faciendis orare Patrē oratione petitiva. Cuius Scopus eſt flectere voluntatem Donatoris, quàm tamē ſupponebat, & videbat vt iam ab æterno flexam & determinatam. Propter hæc iterum atquè iterum repeto, quod res hæc mihi eſt ſummè difficilis, & quod poſsitus in medio quo me vertam neſcio. Quæramus viam novam.

ART. III. ET §. I.

ELIGITVR VIA FORTE IN SCHOLIS NON trita de acceptatione & petitione Verbi ab æterno nomine Humanitatis. Ex noſtra Sancta & Extatica Virgine Magdalena de Pazzis Carmelita. Vbi aliqua ex V. M. M. de Agreda.

2153 VIA facilior hanc difficultatem extricandi, erit, ſi potuerimus ſtabilire quod Chriſtus ab çterno actuali quadam voluntate inierit cum Patre Æterno contractum ex tūc exercitè actualem, & prçſentem de ſuç mortis acceptatione, de hominumq; per ſua merita redēptione, præmiorumquè à Patre Æterno de iuſtitia donatione, ſimulquè exercuiſſe petitivam orationem pro beneficijs creaturis rationalibus conferendis. Sic enim non præmia præceſſiſſent contractum Chriſti meritorium, nec dona vlla hominibus data: imò nec decreta dandi præceſſiſſent orationem, ſed potius contractus & petitio fuiſſent ante illa, & cauſæ morales illorum.

2154 Probare iſta ſic de facto contingere potuiſſe, haud difficilè erit, ſi ſupponamus ex tractatu de voluntario & involuntario, duplex dari voluntarium: vnum per ſe, & eſt quod quis propria voluntate elicit: & alterum per aliud, & eſt quod quis elicit non per ſe nec propria voluntate, ſed per aliud, in quo voluntas iſtius legitimè colocata eſt, ita vt quod alter fecerit nomine iſtius, iſte (licèt non animaſticè, aut philoſophicè) verè moraliter, juridicè, & ſæpè Theologicè fecerit, præcipuè quoad contractus & iura. Hoc patet in pupilo qui media voluntate præſenti ſui Tutoris, abſquè ſua phyſica, celebrat præſentes, & legitimos contractus de iuſtitia civiliter & iuridicè. Idem poteſt Theologicè evenire. Sic nos licèt nondum exiſteremus, peccavimus in Adam, dum ipſe peccabat, quia erat caput morale noſtrum, & voluntates noſtræ legitimè fuerunt colocatæ in voluntate ipſius, & per ipſius actum peccaminoſum facti ſumus rei culpæ originalis,

Digitized by Google

is,ſicut facti fuiſſemus ex pacto conſortes originalis iuſtitiæ,ſi ipſe perſeveraſſet in illa.

2155 Sed quia diſputantes de Merito ſolutivo ſæpè à nobis repetita eſt à num.2070. neceſsitas conſenſus pro contractu,& acceptationis rei donatæ,vt Donatarius illam faciat ſuam , & hoc ipſum requiratur in Chriſto vt homine,vt poſſet ab Æterno contrahere cum Patre, cum tamen vt homo non exiſteret tunc: vt videamus quis poſſet legitimè conſentire & acceptare de præſenti pro ipſo,prænotandum eſt, quis poſsit ſtipulari , vel acceptare rem pro Donatario quando iſte abſens eſt.Optimè ad noſtrum intentum Pater Leonardus Leſſius de iuſtitia & iure Lib.2.cap.18.dubit.7.nu.47. ſcripſit verba ſequentia: *Reſpondeo primo id poteſt omnis , qui ab altero generalem , vel ſpecialem habet commiſsionem.Secundo,&c. 3 Qui alterum Curam gerunt,vt Tutor pro pupillo,Curator pro furioſo.Item Princeps pro ſubdito : quia cum hic alteri poſsit facultatem facere ſtipulandi pro altero , multo magis ipſe eam habet.* Hæc ille.

2156 Ex his facilè colligitur,quod Verbum ipſum ab Æterno potuerit acceptare & contrahere pro ſua Humanitate,multo ſtrictius quam Adam pro nobis,& quam Tutor pro pupillo,cum non ſolum fuerit poſt Incarnationem decretam, caput morale ſuæ Humanitatis,ſpecialiſsimuſquè ipſius quaſi Tutor conſtitutus ex vi decreti Incarnationis , ſed vnum idemquè ſuppoſitum cum illa , ita vt voluntas Verbi ſpecialiſsima (& prout addens aliquid ad voluntatem communem Trinitati) fuiſſet moraliter quoad contractum,& acceptationem,voluntas Humanitatis ſtrictius quam voluntas Adami fuerit voluntas noſtra. Sic meo videri intelligitur locus ille Pauli 1. ad Corinthios 11: v.3. dicentis: *Volo autem vos ſcire,quod omnis viri caput Chriſtus eſt ; caput autem mulieris,vir : caput vero Chriſti Deus.* Vbi ly *Caput Chriſti Deus* videtur intelligendum de Verbo vt Capite morali ſpeciali Chriſti vt hominis(ſicut maritus eſt caput morale ſpeciale mulieris)ſpecialiterquè obligato vt curet de illo tanquam de aliquo eiuſdem ſuppoſiti.Si enim ſolum intenderet , quod Deus eſt Caput Chriſti generaliter,ſicut & aliarum rerum, ſuperflua videretur monitiuncula illa, *ſcire autem vos volo, &c.* His præiactis.

2157 Aſſero 1.Verbum divinum ab Æterno vt ſpeciale Humanitatis Caput , eiuſquè Tutor ſtipulationem fecit pro ſua Humanitate, acceptando ex tunc mortem nomine ipſius , & ex tunc fuit celebratus de præſenti contractus redemptionis,de Meritis à Chriſto ponendis,præmiiſquè à Patre propter illa conferendis. Ductus ſum in hanc cogitationem à Sancta Magdalena de Pazzis in lib.4. divinarum intelligentiarum cap.7.nu.2.quæ (poſt oblatas aquas hauriẽdas in gaudio de fontibus Salvatoris per ſuos Canales) in extaſi in Perſona Æterni Patris ſic loquitur: *Primus Canalis procedens à mortuo Verbo in meo ſinu, quia hic ab Æterno mortem acceptavit, eiquè ſe obtulit, ſunt eiuſdem Verbi verba ab ipſo,& per hos ſuorum divinorum Prophetarum prolata,quorum aliqua,operationes quæ in Cœlo ſũt manifeſtant: alia quæ ſuper terram,&c.* Vbi nota quod Pater Æternus docet plura verba Prophetarum Sanctorum dicta ab ipſis nomine Chriſti habuiſſe originem à Verbo non vtcumquè , ſed ab ipſo vt iam ab Æterno in ſinu Patris mortem acceptante, eiquè ſe offerente tanquam patiendæ in proprio ſuppoſito & Perſona , & hoc pacto de præſenti cum Patre contrahente ſuper morte , & meritis ab Æterno pactatis,& in tempore exercendis.

2158 Sanè vltra fulcimentum tantæ auctoritatis,habet hæc doctrina maximam congruentiam , non ſolum ad vincendas difficultates articulo antecedenti propoſitas , ferè inſuperabiles aliàs.Sed etiam ad explicanda aptiſsimè aliqua Sacræ Scripturæ loca. Apocalipſis enim 13. *Vocatur Chriſtus; Agnus qui occiſſus eſt ab origine mundi.* Quod quidem non poteſt aliter intelligi , quàm quod ſit occiſſus ab Æterno ex actuali acceptatione & contracta: Ex præviſione enim,etiam muſca occiſſa hodie,erat occiſſa ab origine mundi. Secundo, quia ſic optimè intelligitur quomodo Chriſto pro hominibus redimendis,data fuerit optio carnis paſsibilis vel impaſsibilis , & ipſe paſsibilem elegerit ex Paulo ad Hebræos. Poſt decretam enim Incarnationem à tota Trinitate,& genus humani,decreto intentivo, & præviſo eius lapſu proponi potuit à Patre Verbo vt Humanitatis Tutori , an vellet homines redimere per Paſsionem & mortem,an alia via;& Verbum nomine Humanitatis elegit tunc,& acceptavit mortem.

2159 Item 3. quia ſic optimè intelligitur textus ille Iſaiæ 53.verſ.10: *Et Dominus voluit conterere eum : ſi poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laboravit anima eius, videbit & ſaturabitur: in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſervus meus multos , & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideò diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo quod tradidit in morte animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt,& ipſe peccata multorum tulit,& pro tranſgreſſoribus rogavit.*

2160 Circa quæ verba notandum 1. quod ibi expreſſatur clarè contractus ab Æterno initus cum Patre,& ſuppoſito Chriſti in prima clauſula.Inquit enim quod volente Deo conterere Chriſtum in infirmitate, ideſt in natura humana defectibili,ſive quod moreretur;ad alliciendũ ipſum vt acceptaret mortem,propoſuit ei , quod ſi poneret pro peccato vitam ſuam , daretur ei in præmium ſemen longevum,& quod voluntas Domini per manum & petitionem ipſius dirigeretur in prædeſtinandis iuſtis,vt dicebamus ſupra à num.2010. Licèt autem dicas, quod conſtat de paterna promiſsione , ſed non videtur conſtare ex hoc textu, de acceptatione ab Æterno (quæ tamen pro celebratione contractus neceſſaria erat) dicimus etiam acceptationem in tali textu inſinuari.Nota illa verba de præterito ,*pro eo quod laboravit anima eius. Saturabitur , &c.* Inſuper : pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam. Vtriquè ly *tradidit* de præterito dicitur,& fraſsis Scripturæ ſummenda eſt vt ſonat,in quantum fieri poteſt. Si autem ſermo ſit de traditione per acceptationem , & contractum ab Æterno, multo ſtrictius verificatur quam quovis alio modo.

2161 Si reſpondeas,ſtylum Sacræ Scripturæ eſſe loqui de rebus futuris per fraſsim præteritorum,videtur in præſenti parum ad rem.Tum quia talis ſtylus in aliquo debet fundari.Tum quia illa ſolutio valebit quoties non inveniatur in præteritis aliquid in quo ſolidè fundetur , vt verè invenitur hic traditio ſui ad mortem per contractum ab Æterno. Tum tandem,quia Sancta Pazzis non eſt contenta dixiſſe Verbum ab Æterno acceptaſſe mortem, ſed addidit verba à Prophetis prolata, & à Verbo dictata eſſe Canalem à Verbo mortuo in ſinu Patris , ideſt ab Æterno mortem acceptante,procedentem.Vt ſic autem in ſenſu de præterito , verificari poſſunt & debent. Nullibi autem hoc altius verificatum videtur quam in præſenti Iſaiæ textu.

2162 Confirmo ex eadem Sancta Pazzis lib.4.cap.28. num. 1. vbi hæc habet,loquendo in extaſi cum Verbo divino: *Quid in Cruce agis? Sanguinem fundis,ſeptemquè verba profers.Totum hoc in Patris ſinu, & in Mariæ ventre.In Patris ſinu ſanguinem quodammodo fundis , creaturam tibi ipſi ſimilem efformando,& vt ita dicam,te ipſum ad creaturæ ſimilitudinem ideando,in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus vt homo.* Ex quibus conſtat quod in ſinu Patris ab Æterno ſanguinem fundebat,nõ quidem exercitè,benè vero in ideatione, ſive actibus internis ipſius Verbi. Quod clarius patet in Verbis immediatè ſequentibus de petitionibus ad Patrem factis ab Æterno,quæ ſtatim in fine ſequentis §. adducemus.

2163 Confirmatur prędicta acceptatio ſive contractus,

Digitized by Google

vel quaſi contractus inter Verbum & Patrem ab Æterno ex verbis Venerabilis Mariæ de Agreda tom. 1. de Miſtica Civitate Dei num. 45. vbi loquens de ſigno in quo decreta fuit Mater Dei poſt Verbum, verba ſequentia habet: *Aqui (a nueſtro entender) ſe le diò palabra al Verbo, y ſe le hizo como contrato de la ſantidad, perfeccion, y dones de gracia y gloria, que avia de tener la que avia de ſer ſu Madre, y la proteccion, amparo, y defenſa que ſe tendria de eſta verdadera Ciudad de Dios, en quien contemplò ſu Mageſtad las gracias y merecimientos, que por ſi avia de adquirir eſta Señora, y los frutos que avia de grangear para ſu pueblo con el amor y retorno, que daria a ſu Mageſtad.* Hic autem contractus intelligi debet quod fundetur in meritis Verbi Humanati, vt ratione talis contractus tanta dona Beatæ Virgini donarentur.

§. II.

DE PETITIONE VERBI AB ÆTERNO nomine Humanitatis.

2164 ASSERO 2. non ſolum contractus, ſed & oratio petitiva poteſt cadere in Verbum ab Æterno, tanquam in Caput morale & Tutorem Humanitatis, ſive nomine non ſuo, ſed Humanitatis. Hoc probo 1. ex Sancta Pazzis lib. 4. cap. 18. num. 1. vbi loquendo in extaſi cum Verbo hæc habet: *Primum verbum quod in Cruce dixiſti, fuit. Pater ignoſce illis. Quomodo hoc dicis Verbum in ſinu Patris, nondum carne noſtra veſtitum, in omnibus illi conforme, cum nulla poſſit eſſe difformitas, vbi eſt vnitas & æqualitas perfectiſſima? Formando, plaſmandoque creaturam, dicis, Pater: eum reddens Patrem, & te ipſum Patrem. Vocando, & inquirendo. Adam vbi es? Dicis, ignoſce. Abelem tanquam iuſtum acceptando dicis, illis; dicendo, Adam terra es, & in terram ibis, & in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, dicis, quia neſciunt quid faciunt. Dicendo, quod neſciunt, quia ab ignorantia oritur culpa, cum culpa pœnam eis oſtendis, & neſcio quid illam pœnam, quam pro ipſis in culpa remedium aſſumere debebas.* Quæ quidem verba ſatis clarè adſtruunt in ipſo Verbo quod prout in ſinu Patris exerceat munus petendi à Patre, antequã Incarnaretur. Quod quidem nõ eſt attribuendum Verbo ſecundum ſe, & præcisè vt Verbo, ſed Verbo prout aſſumpturo Humanitatem, & prout ſic iam conſtituto caput morale, Tutor & Comiſſarius Humanitatis. In cuius nomine illa ideabat.

2165 Imò quod poſtquam Incarnatus eſt, exerceat munus petendi, non ſolum voluntate Humanitatis, ſed etiam ſua, prout eſt ſuæ Humanitatis Curator & Patronus, conſtat latius ex lib. 4. cap. 9. vbi ex profeſſo agit de petitionibus Verbi ad Patrem Æternum. Vbi cum dubitaſſet, quonam modo poſſit Verbum à Patre petere cum ſit eiuſdem ſubſtantiæ & voluntatis cum illo? Reſpondet, quod *agit hoc, Humanitate mediante.* Nam cum Humanitas ipſa vellit communicare ſuam æqualitatem Beatis, videatquè nequaquam poſſe hanc communicationem ex ſe efficere, ait quod; *Ad ſuum Verbum Divinum accedit, ſciens quod propter incomparabilem, inſuperabilemquè erga eos amorem, exaudietur, cum idem ſit velle Patris & Verbi. Vndè concordes ſimul benevolo, & concordanti affectu, & voluntate conformi ad Patrem accedunt, talemquè petionem efficiunt.* Id ipſum de ſimultate vtriuſque, ſimul petentium repetit in eodem capite.

2166 Eadem habet, eademquè fraſi petitionis Verbi ad Patrem ante Incarnationem, vtitur Venerabilis Maria de Agreda 1. p. de Miſtica Civitate Dei à num. 111. dicens: *Fue eſta vez del Hijo en nombre de la Humanidad que avia de tomar, pidiendo al Eterno Padre fueſſe hecha la ſalud, &c. y fue como vna peticion ante el Trono de la Santiſſima Trinidad, &c.* Et num. 112. addidit: *Eſta fue la primera vez, que el Verbo en nombre de la Humanidad intercediò por los hombres ante el Trono de la Divinidad; y a nueſtro modo de entender, el Padre Eterno confiriò eſta peticion con las Perſonas de la Santiſſima Trinidad, &c.* Ex quibus ſequitur, non dari repugnantiam, in eo quod Verbum vt Humanitatis caput & Curator, petat aliquid à Patre nomine ipſius antequam Incarnaretur.

§. III.

ARGVMENTA CONTRA PRÆDICTAM ACCEPtationem Verbi ab Æterno.

2167 OBIICIES 1. In Verbo non datur alia voluntas, nec alius actus volendi ab actu Patris, nec alius niſi ille quem habet vt Deus, & ob id eſt ſumma concordia inter Divinas Perſonas. Atqui contractus & acceptatio mortis requirunt diverſas voluntates. Ergo. Reſpondetur in Deo dari ſummam Vnitatem & Concordiam voluntatis, quæ tamen non tollit in Perſonis actus notionales diverſos, & cuiuslibet Perſonæ proprios. Summa autem Concordia ſtat in obiectis volitis. Nil enim poteſt vellè Pater, cuius oppoſitum vellit Verbum. Hæc actuum notionalium diverſitas, ſuaderi poteſt ex dictis à nobis à num. 312. de Trinitate, vbi probavimus, quod iſte actus ſub iſto modo datur in Patre: *Ego genero Filium, ſive, qui generat Filiũ individuis ſum ego.* Qui tamen repugnat Filio, in quo pro æqualitate ſciendi, datur alius in Filio compenſativus illius, nempè *ego generor.*

2168 Similiter evenire poteſt in actibus voluntatis, dum enim Pater dixit in Tabor: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Vox illa propiſſimè erat Patris Æterni, vt communiter aſſeritur à Patribus, & non Spiritus Sancti, nequè Filij: habebat autem triplicem reſpectum: primum phyſicæ cauſationis ad Omnipotentiam, & in hoc ſenſu fuit effectivè à tota Trinitate, vt productio cuiuslibet alterius entis. Secundum ad rem prolatam & ſignificatam, quæ quidem erat Filiatio Æterna & complacentia Paterna. Quæ quidem prout ſic ſignificata, non erat communis toti Trinitati ſed Patri. Erat enim complacentia de illo Filio vt ſuo, quo pacto erat ſolius Patris. Tertium ſuppoſitivum & vocis proprijſſimum, quæ quidem ſupponit pro conceptibus, ita vt vox directè exprimat exterius, id ipſum quod conceptus repræſentabat interius. Sic ſignum ſive Leo vocalis, ſupponit pro ſigno & Leone mentali, geritquè vices ipſius. Si ergo vox in Tabor exprimebat Filium Patris, & complacentiam de eo vt Filio Patris, de iiſdem erant in mente Paterna notionales conceptus & tendentiæ. Vndè in Patre eſt complacentia de eo quod ipſe generet: in Filio autem non eſt complacentia de eo quod generet, ſed de eo quod generetur.

2169 Hæc doctrina ſuaviores reddit aliquas veritates Theologicas, aliàs explicatu difficiles V.g. quomodo Pater Æternus mittat Filium & Spiritum Sanctum, & non ipſi ſe? Miſſio enim conſiſtit in deſtinatione Perſonæ Divinæ ad effectum ad extra. Si ergo deſtinatio fit per actum voluntatis, & omnes 3. Perſonæ eodem modo vellent, omnes deſtinarent & mitterent Perſonam ab alia procedentem, & miſſibilem. Quomodo ergo non omnes mittunt? Reſpondetur, quod Pater vult & deſtinat Filium vt veniat & Spiritum Sanctum, ipſiquè æquali auctoritate & libertate conſentiunt, voluntate eis à Patre communicata, media æterna productione. Sic etiam intelligitur doctrina Patrum frequentiſſima, tribuentium Divinis Perſonis proprias, & notionales affectiones. V.g. quod in Aſſumptione & Coronatione Beatæ Virginis, vocata fuerit in illo loco Canticorum: *Veni de Libano, ſoror mea Sponſa veni de Libano, veni Coronaberis.* Docent autem vocari per triplex *veni* à tribus Perſonis, & quod Pater Æternus in gloria, (vbi hæc videbantur per viſionem Beatificam, ac per conſequens, in Deo ipſo & non per figuras aut enigmata) Pater in eam oſtenderit ſpecialem charitatem, vt in Filiam: Filius ipſe, vt in Matrem: & Spiritus Sanctus, vt in Sponſam.

Digitized by Google

ſam De quo V.M M. de Agreda tom.3. de Miſtica Civitate Dei num.769. Quæ locutiones, niſi ſupponantur in Perſonis actus & complacentiæ notionales, non æquè benè explicantur. His autem ſuppoſitis, facilius eſt, quod Verbum actu notionali nomine ſuæ Humanitatis, tanquam caput morale ipſius, & mortem acceptaret, & pro nobis peteret.

2170 Obijcies 2. ſi Verbum ab Æterno acceptaſſet mortem, ſequitur Humanitatem non potuiſſe mereri per mortis ſuæ acceptationem. Probatur, quia non liberè in tempore acceptavit, ſiquidem erat ei impoſsibile, ipſam reſpuere, vtpotè iam acceptatam ab Æterno à Verbo nomine ipſius. Ad eum modum quo, Pupillo eſt impoſsibile reſilire à contractu celebrato per Tutorem nomine ipſius. Reſpondetur enim 1. negando quod Humanitas non meruerit, licèt verum ſit, impoſsibile ei eſſe quod reſiliret à contractu. Ratio eſt, quia impotentia non acceptandi reſultans à contractu erat impotentia conſequens. Etenim acceptatio Verbi ſupponebat acceptationem Humanitatis vt à Deo prædefinitã, ac per cõſequẽs & prævìſam vt ſuo tempore exiſtentem liberè, & antecedenter & independẽter à Verbi contractu. Qua poſsita prævisione, intravit acceptatio Verbi nomine Humanitatis, prævìſę vt acceptantis.

2171 Nec dicas, adhuc non ſalvari libertatem in acceptatione exercita Humanitatis, ſiquidem modus operandi Humanitatis immutatus eſt, nam quando prævidebatur vt acceptans, prævidebatur acceptans vt non obligata ex contractu. At quando acceptabat prævidebatur vt ſciens contractum, ac per conſequens vt impotens reſilire. Reſpondeo enim, quod quando in re Humanitas acceptavit, non erat immutatus in ipſa modus operandi, quia pro eo tunc propoſita eſt illi caro paſsibilis & mors, modo omninò indifferenti in actu primo, ac per conſequens, abſquè notitia talis contractus, qui vt dictum eſt non ſe tenebat ex parte actus primi ad acceptandum.

2172 Obijcies 3. Auxilia data antiquis Patribus data ſunt ex meritis Chriſti vt præcedentibus, & vt moventibus Patrem Æternum ad illa danda; atqui hoc non verificatur ſufficienter per Verbi acceptationem, quia iſta non erat meritoria: ergo quod daretur ex iſta vt actuali, non ideò dabatur ex meritis. Reſpondetur: aliud eſſe dari ex meritis vt actualibus, & aliud eſſe dari ex contractu meritorum, vt ſuo tempore prævìſorum. At vt præmia dentur ex iuſtitia vt nos contendimus, ſufficit dari ex actuali contractu meritorum ſive ex meritis vt pactatis, & vt prævìſis in ipſo actuali contractu. Patet, quia contractus iuſtitiæ & obligans ex illa, non ſemper fit per traditionem actualem materiarum commutabilium, ſed ſæpiſsimè traditur ius per ſcripturam autenticè celebratam; v.g. de eo quod Petrus tradet vineam Ioãni poſt ſex menſes, propter pretium centum ſcutorum quod Ioannes ſe obligat dare ei poſt vnum annum. Vndè per hunc contractum actualem, quilibet acquirit ius de iuſtitia contra alterum, ita vt quilibet adimplens ſuo tempore, adimpleat ex iuſtitia, & non adimplens peccet contra iuſtitiam. Sic Pater & Verbum vt Humanitatis Curator pacti ſunt, quod Pater daret antiquis Patribus intuitu Chriſti vineam ſive auxilia & fructus ipſius, & quod Chriſtus multo poſt tempore, daret pretium ſuorum meritorum, & ſic Pater dabat ex tali pacto & cõtractu ſive ex meritis vt prævìſis ſuo tempore, & vt de præſenti iam pactatis. In forma ergo reſpõdetur ad maiorem, quod Pater in toto rigore dabat ex meritis Chriſti, non vtcumquè vt ſuo tempore prævìſis, nec vt de præſenti exiſtentibus, ſed vt de præſenti pactatis. Et in hoc ſenſu conceſſa maiori & minori, de eo quod acceptatio non eſſet meritoria in Verbo, nego conſequentiam, quia cum ſufficiat acceptatio ad dandum ſtrictum ius, ſufficit etiam vt præmia dentur in rigore ex meritis, videlicèt vt pactatis.

2173 Obijcies 4. ſpecialiter contra Verbi petitionem ab Æterno; quia petitio eſt actus quidam ſummiſsionis; atqui in Verbo omnis actus internus ipſius eſt æqualitatis cum actibus Patris, vt expreſsè notavit Sancta Pazzis cap. 19. à num. 2165. loquendo de petitione, & implicat eſſe ſummiſsionis: ergo in Verbo repugnat petitio. Reſpondetur: diſtinguendum eſſe inter Curatorem petentem nomine Pupilli & inter Pupillum, vel alium petentem nomine proprio. Petitio nomine proprio debet eſſe cum ſummiſsione perſonali ſua. At Procurator petens nomine Pupilli debet quidem repræſentare ſummiſsionem Pupilli petentis, non autem ſummiſsionem perſonalem ſuam. Et iſte eſt mos inviolabilis Procuratorum in ſchedula præſentata ante Tribunal Regum, dum petunt pro ſuo principali hac fraſsi vtentium. Petrus vt Procurator Franciſci nomine ipſius dicit & proponit. Quod, &c. & propterea humiliter petit & ſupplicat, vt ei hoc & hoc concedatur. Verbum ergo per actus notionales ſuos (qui vt ſupra, ſunt æqualiſsimæ dignitatis cum Paternis) repræſentans Humanitatis merita, ſimul ponit ante oculos Patris humilem petitionem ſuam nominè ipſius.

2174 Sed fortiter replicabis. Hæc petitio in Verbo ab Æterno, introducitur à nobis pro præcedentia temporis ad reſpondendum quomodo Chriſtus vt homo potuerit petere, quod iam videbat factum. (Per hanc enim doctrinam ſalvatur quod petijt antequam eſſet factum, imò quod factum ſit per Chriſti orationem). Atqui nodus hic per iſta non ſolvitur. Ergo. Probatur minor, quia ſicut acceptatio Verbi ab Æterno non liberat Humanitatem ab acceptatione exercita ſua perſonali in tempore, ita nec petitio Verbi eam eximit à ponenda petitione ſua formali in tempore, imò illa videtur pignus ad iſtam. Atqui quando peteret in tempore, peteret quod iam erat factum. Ergo nũquam liberatur Humanitas à ſcopulo ignorantiæ, vel imprudentiæ petendi quod iam erat factum.

2175 Reſpondetur 1. ſupponendo cum multis, Chriſto fuiſſe neceſſariam ad redemptionem & obtentionem donorum pro nobis, mortis acceptationem, eiuſquè meritum; ſed non fuiſſe neceſſariam ad hoc orationem vel petitionem; ſufficiebat enim contractus. Oratio ergo poſsita eſt ex ſuperabundantia & reverentia & bono exemplo. Vndè poſſemus reſpondere, quod ſicut Tutor facit apud Tribunal petitiones nomine Pupilli, quas tamẽ Pupillus numquam eſt facturus, & hoc non eſt anticipare petitiones Pupilli, ſed facere petitiones de his quæ Pupillus prudenter creditur facturus, ſi adeſſet. Idem potuiſſet facere Verbum ab Æterno nomine Humanitatis, quamvis iſta numquam eſſet petitura. Nec valet paritas de acceptatione mortis. Tum quia in iſta non eſt inconveniens allegatum deſiderandi obiectum non abſens, ſicut in petitione. Tum quia oratio non fuit neceſſaria ad redemptionem, ſicut acceptatio exercita mortis.

2176 Reſpondetur 2. diſtinguendo duas orationes. Vna abſolutè petitiva, altera eſt abſolutè ratificativa vel gratificativa (& pro bono exemplo, & reverentia hæc ſufficeret) conditionatè autem quaſi petitiva; vt ſi Procurator petens nomine Pupilli Infantis modo iam dicto, promitteret Regi vel Iudici in ipſa petitione, *quod cum Pupillo adeſſet vſus rationis, ipſe accederet ad petitionem ratificandam*, & quod tunc Pupillus diceret: *Si ego adfuiſſem dum Procurator meus petebat, humiliter petijſſem, & ſic venio rat ficãs & gratificans.* Idem potuit accidere in Chriſto. Et tandem 3. reſpondetur quod Humanitas dum iam aderat, potuit orare oratione abſolutè petitiva, modo quo declarabimus articulo ſequenti.

(✝)

ART. IV.

Digitized by Google

ART. IV. ET §. I.

APERITVR VIA PRO ORATIONE PETITIVA Chriſti vt hominis. Vbi de iudicio indifferenti pro libertate.

2177 ADVERTE 1. deſiderio rei & orationi petitivæ rei deſideratæ, non officere, quod res iam ſit facta, ſed ſolò officere quod proponatur vt facta. Si enim propoſitio ipſius rei præſcindat à ratione iam factæ, prudenter peti poteſt; ſic Eccleſia petit à Deo non ſolum res fiendas, ſed etiam affectus internos Dei etiam practicos & effectivos, dum ait: *Dignare Domine die iſto ſine peccato nos cuſtodire* dignatio autem eſt actus internus & exiſtens iam in Deo; proponitur tamen ab intellectu præſcindendo ab exiſtentia.

2178 Vndè non obeſt ſcientia in habitu, de eo quod res ſit iam facta; ſed requiritur advertentia expreſſa in actu, vt poſſit officere petitioni. In habitu enim quilibet mediocriter Theologus habet ſcientiam, de eo quod omnis affectus internus Dei practicus & effectivus exiſtat ab Æterno, & nihilominus non excitatur talis ſpecies impreſſa regulariter, & propterea nitimur noſtris petitionibus divinam voluntatem inclinare, vt vellit nobis miſereri. Idem evenire poteſt quoties cognoſcimus rem iam factam, tamè neſcimus an in partem nobis bonam vel malam, facta ſit. Ratione enim illius diſiunctionis, poſſumus petere & conari pro determinatione in partem favorabilem. Sed quomodo id poteſt venire in mentem viro Theologo verè ſcienti, quod non potuerit res eſſe iam facta, quin ſit facta in parte determinata? Reſpondetur id benè poſſe evenire, ſi ex aliqua inconſideratione vel imponderatione repugnantia illa non appareat, vel non ponderetur, de quo ſtatim.

2179 Adverte 2. quod licèt Chriſtus Dominus vt homo fuerit plenus omnibus ſcientijs, ac per conſequens infuſa, non tamen propterea circa omnia obiecta talis ſcientiæ fuit ſemper in actu cognoſcendi ea, ſed modo excitabatur ſpecies ad cognoſcendum vnum obiectum, modò aliud provt ſe offerebat occaſio. Vel provt petebat ſtatus rerum. Et hoc habet verum ſive ſpecies impreſſa de illis eſſet realiter multiplex, ſive realiter vna & virtualiter multiplex. Eſſet enim intolerabile Chriſto vt homini pondus tantarum ſimul vel tantæ cognitionis, & ita defatigaret caput, vt ſine miraculo ſuſtinere non poſſet. Hoc intellige de ſcientia infuſa. (De Beata autem quid ſentiendū, ſtatim.) Vndè quod Chriſto proponeretur vnum obiectum, quin pro tunc proponeretur aliud, neque excitaretur ſpecies de alio (ſive hoc poſſit provenire ex natura rei, & ex communi providentia, ſive ex ſpeciali vt de Beata Virgine diximus cum Maria de Agreda à nu. 689. de Fide) in hoc nulla apparet repugnantia.

2180 Adverte 3. iuxta dicta ſupra à num. 1816. valdè curandum Theologo pro actibus liberis Chriſto poſſibilibus ſtabilire ex parte intellectus humani Chriſti benè atquè cordate diſponere cognitiones directivas talium actuum; præcipuè autem iudicium indifferens, quod quidem apud omnes eſt radix libertatis Et propterea de tali iudicio indifferenti quomodo ſit ita temperandum circa obiecta vt conformia Divino beneplacito cognito per ſcientiam Beatam, vt non rapiat voluntatè Chriſti, egimus (& invenies ſatis Theologicè ponderatam difficultatem conſervandi in Chriſto iudicij indifferentiam) ſupra à nu. 1830 vbi inter Chriſtum vt Beatum, & vt Viatorem appoſuimus quaſi parietem interdicentem influxum directivi illius in iſtum. Itē, quia adhuc reſtabant aliæ difficultates ortæ ex alijs cognitionibus Chriſti, quaſi opprimētes iā differentiam iudicij, iterum à num. 1851. & 1872. temperavimus in Chriſto tales cognitiones, vt indifferentia iudicij poſſet ſalvari illæſa, abſtinente Chriſto à ponderatione alicuius veritatis, ſive præſcindente ab illa, vel pro ſuo libito nolendo ſe applicare. Vel Deo negante ſpeciei excitationem.

2181 Aſſero 1. Chriſtus in via potuit petere à Patre res faciendas eaſquè deſiderare, vtporè propoſitas tanquam abſentes. V. g. auxilia danda Divo Petro pro converſione. In hac concluſione conveniunt omnes; eo quod tale deſiderium erat rei propoſitæ vt abſentis, & vt factibilis. Nec pro hac petitione elicienda, neceſsè erat quod Chriſto repræſentaretur, quod illa petitio erat ad inclinandam & determinandam divinam voluntatem, quæ tamen iam ab Æterno erat determinata. Nulla enim eſt repugnātia in eo quod Chriſto pro tunc nil de his quæ ſciebat in habitu, repræſentaretur in actu & expreſsè. Et ſic poterat petere ſicut nos petimus.

2182 Aſſero 2. Chriſtus in via potuit petere auxilia data antiquis Patribus oratione petitiva. Ita communior ſententia. Probatur 1. quia potuit offerre ſatisfactionem condignam pro eorum peccatis, ita vt intuitu talis ſatiſfactionis vt prævisę, Pater remitteret eis peccata. Item potuit eis mereri merito remunerabili talia auxilia, ſua merita applicando, vt propter illa Pater in præmium ipſorum, daret illis auxilium. Ergo etiam potuit pro eis ſalvandis rogare oratione petitiva. Conſequentia probatur, quia non minus ſatisfactio & merita, eorumquè applicatio pro præmio, habet prioritatatem motionis reſpectu præmij, poſtulatquè vel abſentiam præmij vel ſaltim præciſionem à præſentia, quàm eas poſtulent affectus deſiderativi, atquè oratio petitiva. Ergo ſi hoc non obſtanti ſatisfecit, & meruit auxilia multo ante Patribus data, ergo etiam potuit ea deſiderare & petere.

2183 Secundo probatur, quia ſi Chriſto proponerentur ſua mortis acceptatio vt præſens, tanquam meritum, & auxilia antiquorum Patrum ſecundum ſe & omninò præſcindendo à prȩteritione; tunc ſine vllo inconvenienti poterat Chriſtus ea deſiderare & petere. Atqui nulla eſt repugnantia in eo quod Chriſto tali modo proponerentur, per ſpeciem ſcientiæ infuſæ: ergo nec in eo quod propter merita præſentia ſic ea petierit. Minor probatur, quia poſſibilis eſt ſpecies impreſſa repreſentans quidditativè talia auxilia vt actualia, & exiſtentia, quin repræſentet tempus determinatum in quo exiſtant. Vndè ſi talis ſpecies poneretur à Deo in Angelo in die in quo creatus fuit, vel in Chriſto ſi productus fuiſſet in initio mundi, repreſentaret eis auxilia illa ſecundum ſe, ita vt licèt alia cognitio poſſet ea repræſentare eis vt futura vel præterita, ſecus hęc. Ablata iſta cognitione de futuritione, prior illa repræſentaret ea ſecundum ſe, pręſcindendo à futuritione vel prȩteritione.

2184 Et confirmatur hoc, quia Chriſtus certè oravit & petivit à Patre auxilia, vt ponerētur à Deo pro converſione Petri. Licèt autē iā eſſent abſolutè futura, præſcindebat tamē illa repræſentatio à futuritione abſoluta eorum. Nō obſtāte quod ſciētia infuſa Chriſti, vtporè intuitiva, poſſet non minus, quàm ſciētia viſionis Dei, intueri converſionem Petri, vt exiſtentem pro ſuo tempore. Suſpendebatur tamen vel ſpecies, vel concurſus, ne intueretur vt exiſtentem ſuo tempore, ſed præſcinderet ab exiſtentia. Nullum autem eſt inconveniēs quod talis ſpecies reperta eſſet in intellectu Chriſti, & quod ea repręſentaverit actualiter illa præmia provt ſecundum ſe: vt ſic autem repræſentata nullum important impedimentum ad affectum deſiderativum aut petitionem.

2185 Tertio alia via & exemplo ſupra adducto à num. 2073. de eo qui ad meditandam v.g. Nativitatem Chriſti in Bethlem, prius præparat compoſitionem loci, figurando ſe quaſi præſentem ibi in diverſorio illo; in quo parituram conſiderat Beatam Virginem, ibiquè meditatur partum ſpectatum & modum eius, non quidem vt factos,

ſed

Digitized by Google

ſed quaſi tunc ipſo præſente fiant,& Beata Virgo puerum pannis involvat, ipſeque ex deſiderio vt puer adoretur à IOSEPH, & ab animalibus ſuo alitu foveatur, roget Virginem,vt ponat eum in præſepio. Si ergo iſta omnia licet iam facta,poſſunt Meditatori ita proponi, præſcindendo à præteritione,vt poſsint deſiderari, & peti quod fiant, cur non idem poterit evenire in Chriſto reſpectu præteritorum? Semel enim probato & admiſſo quod non ſit neceſſe Chriſtum vt hominem ſemper cognoſcere omnia obiecta ſcientiæ infuſſæ in actu; ſuppoſito etiam quod ad Deum attineat excitatio ſpecierum, velut ad cauſam generalem, vel vt ad ſpecialem excitando hanc, & ſuſpendendo illam pro exercendis actibus meritorijs vt diximus à num.689. de Fide,in prædicta cognitionum diſpoſitione & iudicij indifferentis præparatione nullum eſt inconveniens. Vndè potuit Chriſto infundi à Deo ſpecies impræſſa, per quam (ad inſtar compoſitionis loci)intellectus Chriſti retrotraheretur ad repræſentandum Chriſtum quaſi eſſet præſens in initio temporis (vel fortè melius ab Æterno) & ibi ſic poſitum cum acceptatione exercita mortis, tanquam repræſentativè priorem auxilijs Patrum, imò & decreto de illis, petentemque pro illis,quo pacto nihil repræſentaretur vt prius factum, ſed vt faciendum, ac per conſequens nihil proponeretur quod poſsit petitionem impedire.

2186 Confirmatur,quia nulla eſt repugnantia in eo quod detur Chriſto in via ſpecies impreſſa exemplata ab eſſentia Divina,repræſentans ea quæ propoſita fuerunt Verbo de meritis & præmijs dum ab æterno acceptabant nomine Humanitatis & petebant: ergo poſſet repræſentare Chriſto illam ſeriem vt ponibilem, & itam poſſet petere poni exercitè.

2187 Imò ſuppoſito Divino decreto de eo quod Chriſtus eſſet Viator,& quod vt talis liberè applicaret ſatisfactionē & merita pro antiquis Patribus,vt eis mereretur ſalvationem,tenebatur Deus ex lege primæ cauſæ diſponere Chriſto vt Viatori media ſimpliciter neceſſaria,vt poſſit liberè mereri talia præmia. Cum autem vnum ex medijs neceſſarijs ſit iudicium indifferens & repræſentatio prēmij provt donabilis,& præſcindendo à iam donato,debebat hoc pacto Deus attemperare ſpecierum excitationem,imò & impedire quod excitarentur illæ quæ huic intento officere poſsint. Si autem talis ſuſpenſio poterat & debebat fieri in ordine ad meritorum ſuorum applicationem pro merito faciendo, & pro præmio decernendo, & pro poſteriori dando, non eſt cur non dicamus idem de impeditione excitationis ſpecierum quæ officiant orationi petitivę.

§. II.

ARGVMENTA SOLVVNTVR VBI ALIA VALDE notanda.

2188 OBIICIES 1. contra talem ſpeciem impreſſam poſitam in tempore in intellectu Chriſti, repræſentantemque ſeriem rerum, ſicut ſi Chriſtus fuiſſet productus ab æterno eique data talis ſpecies. In eo caſu talis cognitio Chriſti in tempore non potuiſſet excuſari à falſitate, quæ in Chriſto admitti non poteſt. Probatur aſſumptum.Quia tunc repræſentaret Chriſto ſeriem illam vt futuram comparativè ad Chriſtum cognoſcentem,ſicut repræſentaret eam vt futuram Chriſto ſive Angelo productis in initio temporis vel ab æterno, cum tamen magnam partem ipſius deberet repræſentare vt præteritam: ergo eſſet inexcuſabilis à falſitate.Ad eum modum quo ſi ſpecies illa Iſaiæ per quam dixit: *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium*: infunderetur hodie alicui,qui per eam idem diceret,non poſſet excuſari talis cognitio,non ſolum à falſa,ſed neque ab hæretica.

2189 Pro reſponſione nota 1.ſolum reperiri falſitatem in iudicio,non autem in appræhenſione, neque in ſimplici intuitu non aſſertivo,nec affirmante aut negante. Nota 2. ad deſiderium ſive ad petitionem non requiri propoſitionem affirmativam rei,ſed ſufficere ſimplicem propoſitionem rei repræſentatæ vt poſsibilis & bonæ, vt dicitur communiter in tractatu de actibus humanis pro elicienda intentione,etiam efficaci rei. Adverte 3. ſpeciem impræſſam,licèt repræſentet obiectum, ipſam tamen ex ſe non eſſe affirmativā,ſed nude proponere obiectum ſecundum eſſe obiecti: modus autem tendendi in illud appræhenſivè vel iudicativè, eſt quid proveniens ſpecialiter ab intellectu & proprio modo tendendi ipſius. Vndè Pater Arriaga in curſu Philoſophico benè docuit propoſitionem affirmantem à non affirmante differre, in eo quod affirmans non ſolum repræſentat rem eandem, ſed etiam inſtans temporis determinando v.g. *Petrus currit*: determinat inſtans præſens,ita vt propterea doceat propoſitionem non poſſe tranſire de vera in falſam, quia ceſſante curſu Petri,ſi propoſitio ſemel vera perſeveret,vera perſeverat, quia repræſentat inſtans illud in quo fuit producta,& reſpectu illius ſemper eſt vera: idem dic de *Petrus cucurrit*,& etiam de: *Petrus curret*. Vndè ſi modo quis dicat in mente *Petrus currit*, & hæc propoſitio duret per vnum annum, & interim Petrus ceſſet à curſu, adhuc illa propoſitio, *Currit* perſeverat vera, quia comparativè ad tempus,in quo producta eſt,verum eſt quod currit. Vndè tenenda eſt in memoria valdè diverſitas illa Sumuliſtica Nominis & Verbi. Verbum enim ſignificat cum tempore ſive determinat tempus.Nomen autem licèt ſignificet tempus,tamen non determinat illud. His poſitis.

2190 Reſpondetur ad argumentum negando, quod talis cognitio eſſet falſa, licèt repræſentaret ſeriem illam factibilium ab initio mundi vſque nunc, & vltra; ac per conſequens repræſentaret etiam omni a tempora;tamen vel non repreſentabat cum tempore, id eſt determinando tempus hoc præ alio. Vel ſi repræſentabat cum tempore, ſive tempus determinatum, & futurum,repræſentabat vt futurum comparativè ad æternitatem, ſive,vt ita dicam more noſtro imperfecto ad compoſitionem loci pro tali quaſi meditatione. Sic enim propoſita ei tali ſerie rerum ſicut pro omnibus applicabat ſua merita vt fierent,ita poterat orationem petitivam.

2191 Vndè ad probationem negamus quod talis ſpecies repræſentaret ſeriem illam vt futuram comparativè ad Chriſtum provt in tali tempore;nam vel non repræſentabat vt futuram,nec cum tempore ſed ſecundum ſe; vel ſi repræſentabat cum tempore,non comparativè ad tempus Chriſti,ſed comparativè ad inſtās æternitatis,in quo ſigebat obtutum ad inſtar compoſitionis loci. Ad illud de ſpecie Iſaiæ reſpondetur, quod in Iſaia non repræſentabat adventum Meſiæ ſecundum ſe,ſed cum tempore,id eſt determinando ſimul tempus futuritionis comparativè ad tempus cognoſcendi.Et hoc pacto ſi talis propoſitio produceretur nunc,eſſet falſa.Secus ſi talis ſpecies repræſentaret adventū ſecundum ſe,& per illam quis meditaretur adventum ſecundum ſe præſcindendo à tempore. (Talis enim meditatio nō eſſet affirmativa nec ſignificativa cum tempore) vel ſi facta compoſitione loci per obtutum purè appræhenſivum pro tempore Iſaiæ,comparativè ad illud affirmaret futuritionem.Et ſic eſſet vera.

2192 Obijcies 2. ſaltem propoſitio illius ſeriei,vel ſecundum ſe,vel comparativè ad inſtans æternitatis, eſſet quædam ſpecies quaſi deceptionis, licèt non falſitatis, deciperetur enim humanitas,ſe ipſam in confinio æternitatis conſiderans,vt ex illo,tanquam ex alta turri illius ſeriei,futuritionem meditaretur. Reſpondetur negando talem deceptionem. Quia aliud eſt Humanitatem per ſpeciem repræſentativam Æternitatis & ſeriei vt poſterioris illa, repræſentare Æternitatem & ſeriei poſterioritatem ad illam, & aliud eſt repræſentare ipſam Humanitatem

Digitized by Google

tatem vt in Æternitate præſentem, ibi quæ talia cognoſcentem, vt illam ſeriem peteret. Optimè enim poteſt primum abſq; ſecundo repræſentate. In illo autẽ primo nulla datur deceptio, vt per ſe patet. Beati enim vident Beatificè in Deo inſtans Æternitatis & poſterioritatem ſeriei ad illud (licèt hæc ſcientia differat ab infuſa, quia illa repræſentat cum tempore, infuſſa vero præſcindẽdo à tempore.

2193 Nec item in ſecundo datur deceptio: plenæ enim ſunt hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, de eo quod plurimę animæ iuſtæ deportatæ fuerint in ſpiritu in Bethleem in Nocte Nativitatis, vt viderent progreſſum ſucceſsivum Nativitatis Chriſti, involutionem in pannis, & reclinationem eius in præſepio, quaſi tunc eveniret. Idem de aſportatione earum in ſpiritu vt aſsiſterent Chriſto in ſua flagelatione vel coronatione, alijſquè ſimilibus Myſterijs. Ipſis autem tunc talia Myſteria ita repræſentabantur, vt tunc evenientia (non obſtante præcedentia temporis ad ipſos in tanta annorum multitudine) ac ſi poſt ipſos iam exiſtentes eveniret. Eodem pacto potuit Chriſtus vt homo poni in ſpiritu pręſens ſtatui illi rerum præcedenti ſeriem omnium faciendorum, imo & decreta ipſa de illis, ita vt proponeretur Chriſto à Patre creatio omnium & lapſus generis humani, & præceptum moriendi pro ipſo, & quod ſi poſſuerit pro peccato animam ſuam, Pater promittebat ei ſemen longevum, & quod voluntas Patris decerneret ea quæ ipſe vellet petere: hoc enim ſonat illud Iſaiæ 53. *Voluntas Domini per manum eius dirigetur.*

2194 Replicabis hoc non poſſe excuſari ſaltim à deceptione, ſiquidem cum re vera vt homo cepiſſet eſſe homo in tempore, repræſentatio ingerebat ipſum vt hominem æternitati ab Æterno. Reſpondeo 1. inſtando replicam. Vel enim Sancta Pazzis (& aliæ animæ iuſtæ) dum in ſpiritu aſsiſtebat præſens flagellationi Chriſti, patiebatur deceptionem, vel non? Qui deglutiat quod patiebatur eam, cum non poterat ipſa eam pati, niſi Deo ſpecialiſsimè in illa extaſi, vel tranſportatione in ſpiritu deceptionem inducenti, deglutiet, quod Chriſtus etiam poterat illam pati in re non officienti, imò vt conditione ad meritum proficienti. Multo enim minus importat imperfectionis pati deceptionem phyſicam, quàm eſſe cauſam ſpecialem moralem deceptionis.

2195 Qui autem in Sancta Pazzis deceptionem non admittat, multo minus in Chriſto admittere debet. Ratio autem cur non datur deceptio in eo qui aſsiſtit in ſpiritu rei præteritæ eſt. Primo, quia talis Perſona cognoſcit illam rem quaſi fuiſſet ibi dum fiebat, non tamen cognoſcit ſe vt eſſentem ibi. Non enim reflectit ſupra ſuam pręſentiam, aut modum eſſendi ibi: ob cuius reflexionis defectum Sanctus Paulus poſtquam reverſus fuit ex raptu, non potuit atteſtari an in Cœlo fuerit in corpore, vel extra corpus, & ſic dixit quod ipſe hoc neſciebat. Reſpondetur 2. quod licèt faceret reflexionem ſupra ſe vt præſentem ibi (nulla facta mentione, nec cognitione de loco, & tempore realibus in quibus talis Perſona phyſicè tunc exiſtebat in corpore) cum ipſa reflexio eſſet ſupra ſe præſentem ibi per puram appræhenſionẽ & ſimplicem intuitũ, & omninò præſcindẽdo à præſentia phyſica, & in corpore, hinc fit quod ibi nulla erat deceptio, ſed pura præciſſio ab omni obiecto aliter ſe habẽte. Vid. à n. 312. de Fide.

2196 Replicabis 2. quod in extaſi & raptu nullum datur meritum, quia voluntas tunc operatur vt rapta. Atqui acceptatio & petitio Chriſti, modo & ſecundum ſtatum quo à nobis pſantatę ſunt, fuerunt factæ in extaſi vel raptu. Ergo ſine Chriſti merito. Reſpondetur in primis negando maiorem cum Gravina in Lapide Lidio lib. 2. c. 18. vbi ex profeſſo defendit nec extaſim, nec raptum, licèt adferant ligationem ſenſuum, impedire vigilias rationis (vt loquitur Rupertus) nec vſum libertatis. Vndè Prophetæ in aſſentiendo his quæ interius ipſis à Deo revelabantur, exercuerunt fidem & meritum.

2197 Reſponderi poteſt 2. negando Chriſtum in prædictis cognitionibus paſſum fuiſſe raptum (iſte enim ſupra extaſim addit violentiam ab extrinſeco, quam Chriſtus paſſus non eſt). Nec item extaſim, quia ex Gravina citato cap. 28. extaſis eſt alienatio à ſenſibus in aliquod intelligibile, vel ſupra ſenſum & rationem, vel extra cognitionem ſibi propriam. Chriſto autem quælibet cognitio ſcientiæ infuſæ, & præcipuè prędicta erat maximè propria, nec poterat eſſe ſupra ſe, ſed valdè iuxta ſe.

2198 Obijcies 3. hic modus operandi in Chriſto non poteſt ſalvari niſi ex eo quod res facta non proponatur ei vt res iam facta. Hoc autem debet provenire ex quadã incõſideratione. Atqui hęc repugnat in Chriſto. Ergo. Maior patet exemplo Luciferi, qui appetivit & deſideravit quod erat impoſsibile, nempè contra voluntatem Dei, conſcendere in Cœlum, & eſſe ſimilem Altiſsimo. Quod tamen invito Deo erat ei lumine naturę evidenter in habitu impoſsibile; non tamen pro tunc fuit in actu eo quod conſiderationem diverterit ad pulchritudinem, & perfectionem ſuam, abſtinendo à conſideranda Omnipotentia Dei, cui nemo valet reſiſtere, de quo diximus à num. 726. de Fide. Cum autem res iam primo facta impoſsibile ſit quod primo fiat, ſi Chriſtus offerebat ſua merita, & petebat vt primo fieret, hoc non poterat provenire niſi ex inconſideratione de eo quod eſſet facta, vel quod poſſet primo fieri. Minor autem probatur, nempè quod inconſideratio repugnet Chriſto: quia talis inconſideratio eſt cognitio imperfecta attenuata & repræhenſibilis, & qui ſic operatur, notari ſolet quod inconſideratè procedat, quod Chriſtum multum dedecet.

2199 Reſpondetur tamen negando ſuppoſitum ſecundæ partis maioris. Fatemur enim quod Chriſto res facta non proponebatur vt facta, ſed id non proveniebat ex inconſideratione, ſicut in Lucifero voluntariè non ſe applicante ad conſiderandum, ſed procedebat ex non excitatione ſpeciei impreſſę, ſive ex divina impeditione de re vt iam facta, ſicut diximus de Beata Virgine à n. 689. de Fide. Quod ſi ſupra hic à n. 1879. admiſsimus in Chriſto impõderationem, ſive defectũ ponderationis, qui videtur inconſiderationi æquivalere. Reſpondetur, illum defectum conſiderationis potuiſſe eſſe phyſicum, & non moralem; quia ſpecies, ne impediret indifferentiam iudicij, non excitabatur pro plus diſtincto. Et ſic nõ æquivalet incõſiderationi, quę cõmuniter ſumitur pro defectu morali cõſiderationis.

2000 Reſpondetur 2. negando omnem imponderationem aut inconſiderationem etiam voluntariam eſſe reprehenſibilem. Sæpè enim obiectis malis, & fugiendis diverſio ab eis ad alia obiecta retrahentia (ideſt illorum imponderatio, & inconſideratio) aſſumitur honeſtè vt medium ad benè operandum, & malum fugiendum. Sic potuit Chriſtus, vt daret locum ſuę liberati, & merito, vti prædicta imponderatione, ſive diverſione voluntariè, quantum fas erat pro libertate exercenda meritoriè, & hæc, quando eſt in bonum, non vocatur inconſideratio.

2001 Ex his patet ſolutio ad argumenta adducta à num. 2139. concedimus Chriſtum meruiſſe, & oraſſe pro Patribus antiquis petendo res iam phyſicè & exercitè factas, ſed non propoſitas provt factas, ſed provt factibiles pro poſteriori. Dabatur enim in intellectu Chriſti propoſitio decretorũ & rerum præſcindẽdo ab eorum exiſtentia. Dices. Ergo illa oratio non erit efficax, ſiquidem ſupponit res factas. Nego conſequentiam, quia ſupponit eas tempore, ſed non cauſalitate: nam factæ ſunt à Deo, quia prævidit Chriſtum poſitum in ſpiritu (non corpore) quaſi in culmine æternitatis, & inde prudenter petentem, eo quod non proponebãtur vt facta, & ideò fuerũt à Patre decreta.

§. III. *QVID DE CHRISTO IN COELO.*

2002 OBIICIES tandem quod hæc præciſio ab exiſtentia decretorum incredibile eſt quod detur

in

in Chriſto exiſtente in Cœlo. Ergo ibi nec poteſt petere formaliter à Patre res faciendas, nec petere interpretativè per oſtenſionem vulnerum. Tum quia vtroquè modo intenditur inclinare & movere Divinam voluntatem, quàm iam videbat motam ab Æterno. Tum quia vtraquè ſcientia in Cœlo, Beata nempè, & infuſa eſt inſtar ſcientiæ viſionis de rebus, provt iam ſuo tempore factis. Cùm qua præviſione incompatibilis eſt petitio vt fiant, ſiquidem prævidentur iam facta. Antecedens autem videtur patens, ſiquidem ſtatus Patriæ tam plenus divino lumine non patitur præciſiones, nec permittit volubiles cogitationes, vt dixit Auguſtinus. Eſſent autem volubiles, ſi vna cognitio repræſentaret rem præſcindendo eam à facta, & alia repræſentaret poſteà vt iam factā. Si dicas id eſſe verum de ſcientia Beata, ſecus de infuſa. Contra, quia ſi Beata repræſentat voluntati vt iam factas, voluntas non poteſt petere vt fiant, niſi interponatur paries, vel velum ocultans vni ſtatui, quæ ſunt alterius ſtatûs. Quod in Patria non habet locum, cum iam non detur ſtatuum multiplicitas, nec meritum, propter quod introducta eſt ipſa, & velum eos dividens; neceſsitas autem petionis non eſt tantà vt propter rigorem ipſius ſit velum conſervandum.

2003 Grave mihi eſt hoc argumentum. Reſponderi poteſt tamen 1. in Chriſto in Cœlo non dari ſtrictam orationem petitivam voluntatis vt fiat, ſed ſolius annuitionis de executione hic & nunc, ſive beneplaciti & complacentiæ paternæ, vt diximus ſupra à num. 2133. Si autem replices quod illa annuitio & complacentia, cum ſit actus voluntatis, iam videtur à Chriſto vt exiſtens ab Æterno. Negamus tamen, quia vt diximus à num. 1094. & ex profeſſo in tractatu de voluntate à nu. 391. complacentia divina poteſt non præſupponi, ſed induci in tempore.

2004 Reſponderi poteſt 2. (incedendo via aſperiori & difficiliori, non tamen improbabili) fortè non repugnare adhuc reſpectu ſcientiæ Beatæ præciſionem & ocultationem ſupranoſi as (& ſi hoc eſſet verum, multo minus reſpectu ſcientiæ infuſæ, atquè portionis liberæ Chriſti in Patria, nec repugnare interpoſitionem velaminis aliquando). Nota autem pro eo quod attinet ad ſcientiam Beatam, noſtrum Cornexo tom. 2. tract. 2. de Incarnat. circa quæſt. 10. diſp. 1. dub. 4. fol. 172. diſputare vtrum anima Chriſti hos effectus quos videt in Verbo formaliter, videat æqualiter & ſimul; an non, niſi ſucceſsivè & habitualiter? P. Vazquez tom. 1. in 1. p. diſp. 54. cap. 1. defendit Chriſtum per viſionem Beatam non ſimul omnia videre actu, ſed ſucceſsivè. Pro qua ſententia citat Scotum, Marſilium, Almainum, Cayetanum, Ferrarienſem & alios. Imò & D. Thomam 1. p. q. 57. art. 5. vbi docet de Angelis Beatis, quod viſione Beatifica, viderint in verbo aliqua Myſteria gratiæ, quę non viderant per eam ab initio creationis. Et idem ait Venerab. Maria de Agreda tom. 3. de Miſtica Civitate Dei à nu. 769. manifeſt. 21 ſcilicèt fuiſſe Beatis à Deo in ſe ipſo quædam decreta circa gloriam Virginis in die Aſſumptionis ipſius. Et licèt D. Thomas 1. p. quæſt. 12. art. 10. quem communiter Thomiſtæ ſequuntur, & etiam Cornexo citatus, docuerit Beatos ea quæ vident in Verbo, videre omnia ſimul, fortè fuit problematicè in vtraquè ſententia.

2005 Diſputat autem Vazquez citatus, an hæc ſucceſſivo cognoſcendi in Verbo fiat per viſionem illam Beatificam ſemper permanentem, vel per aliam, quæ etiam ſit in Verbo, priori adiūctam, & ab ea ſaltim numero diſtinctam? De hac 2. intelligit & explicat prædictos Auctores, idquè ſequitur ipſe; quia impoſsibile ei videtur, quod eadem viſio manens eadem numero, repræſentet modo vnum, modo aliud. Et ſanè cum repræſentatio debeat eſſe vitalis, apparet non parum difficile. Nihilominus Ferrarienſis apud ipſum Vazquez defendit hanc ſucceſsionem repręſentandi convenire de facto eidem numero actui. Villar autem controv. 34. aſſert. 3. defendit hanc ſucceſsivam variationem eidem numero viſioni Beatæ non repugnare cum ſit circa obiecta ſecundaria, & in viſionibus ocularibus idem admittit de facto. V. g. in viſione albedinis mutantis diverſas figuras trianguli aut quadranguli, vel ſortientis diverſos motus, quæ viſio immutata perſeverans ob permanentiam obiecti eſſentialis ſpecificativi & potentiæ, ſivo luminis, mutationem habet in ſecundarijs.

206 Quod autem hoc poſsit habere locum in Deo, probat, & explicat ratio ſpeculi voluntarij ſic. Ponat ſe Petrus ante ſpeculum clariſsimum reſpiciendo illud, & ſe in illo intuitu fixo. Hæc eadem viſio ſui in ſpeculo immutata perſeverans repræſentat Petrum immobilem dum immobilis perſeverat; mobilem vero ſi caput moveat. Item repræſentat Petrum ſolum, dum Petrus ſolus eſt ante ſpeculum. Si autem vel homo, vel muſca adveniat à tergo, eos videt in ipſo ſpeculo, eademquè viſione qua videt ſpeculum, & abſquè eo quod ipſe ceſſet, vel divertatur à viſione ipſa ſpeculi. Perſeverando enim in viſione ſpeculi tanquam obiecti primarij, ſi modo in ſpeculo repræſentetur vnum, & poſtea aliud, modo videt vnum ſecundario, & modo aliud. Sic Beatus, quin deſiſtat vnquam à viſione Beatifica eſſentialiter ſpecificata à Deo, poteſt modo de obiectis ſecundarijs videre vnum, & modo aliud, qua poſſunt ſic ex divinæ voluntatis diſpoſitione modo repræſentari vnum, modo aliud in ipſa eſſentia divina, vtpotè ſpeculo propterea appellato voluntario.

2007 Nec obeſt 1. quod hæc ſucceſsio in ſtatu Beatificō eſt contra Auguſtinum dicentē *quod ibi non erunt volubiles cogitationes noſtræ euntes atquè redeuntes.* Reſpondetur enim loqui de ſola viſione Beata comparata cum Deo vt ſpeculo, & vt obiecto primario, circa quod non dabitur ire & redire cogitationis, quia licèt obiectis ſecundarijs competat in ſpeculo ire & redire, ſecus viſioni quæ ſemper ibit in idem. Nec obeſt 2. illam terminationem vtpotè repræſentativam & vitalem, eo ipſo variare viſionem & facere quod ſit diverſa. Reſponderi poteſt facere eam diverſam accidentaliter abſquè variatione ſubſtantiali adhuc numerica; ſicut homo debilis qui pingueſcat, non propterea mutatur adhuc numericè per illam additionem. Poteſt autem fieri viſioni adhuc numero immutatæ aliqua additio ſecundaria vel ab adventu luminis, vel ab adventu ſpeciei, vel auxilij, vt inquit Villar.

2008 Nec obeſt 3. non apparere quomodo viſio perſeverans ſubſtantialiter immutata, poſsit repræſentare de novo aliud obiectum adhuc ſecundarium. Nam vel id eſt per novam terminationem purè, vel per novam formalitatem. Non per 1. quia talis terminatio eſt Myſterium proprium actus liberi Dei non admittendum in creaturis. Non 2. quia additio novæ formalitatis identificatæ cum præcedenti, repugnat de novo, nam eſt ſignum diſtinctionis realis viſionem potuiſſe eſſe ſeparatam à tali formalitate. Reſponderi poteſt 1. quod cum viſio Beata exemplетur, & ſit nobiliſsima participatio divinæ ſcientiæ quoad neceſſaria & libera, etiam exemplatur à ſcientia Dei, non ſolum vt neceſſaria, ſed etiam vt libera, & poteſt ipſam participare per eam, ac per conſequens ſufficit nova terminatio abſquè nova formalitate. Si quis autem addendam novam formalitatem aſſerat, diſcurrat de ea, ſicut diſcurri ſolet de nova additione per intenſionem, quæ quidem diſtincta eſt ab ipſo actu intenſibili, ſeparabiliquè ab illa. Hæc dicta ſint iuxta ſententiam Ferrarienſis, & Villar Thomiſtarum in vnitate numerica eiuſdem actus prædictam ſucceſsionem admittentium.

2009 Sed pro noſtro ſcopo ſola facit ſucceſsio cognoſcendi de novo aliquid formaliter per viſionem Beatam, ſive id eveniat per vnum, ſive per duplicem actum. Semel enim admiſſo quod Beatus per viſionem Beatam non ſit ſemper in actu vidēdi omnia ſecundaria, potuit à Chriſto non cognoſci in actu in Deo decretū de aliqua re pro tūc, & ſic moveri ad petendam illam, atquè ad divinam volun-

tatem

atem inclinandam, vt dignetur & complaceat in eo quod talis res petita, fiat. Dum enim res non proponatur vt facta; ſatis ſuperquè probatum eſt, dari locum vt prudenter petatur & procuretur quod fiat. Quin obſit D. Thom. hic quæſt. 21. art. 1. ad 2. dicens: *Inter alia quæ Chriſtus ſcibit futura, ſci bis quadam eſſe fienda propter ſuam orationem, & huiuſmodi non inconvenienter à Deo petijt.* Reſpondetur ea petijſſe quæ aliàs ſciebat futura: ſciebat inquam in habitu, vel actu preterito, ſed non propoſita pro tunc in actu vt futura, ſed præſcindendo à futuritione, modo iam explicato. Vel petebat executionem, à qua præſcindebat.

2010 Confirmatur inſuper, quod ſit Dei tam excitatio quam impeditio ſpecierum. Nam auxilia gratiæ internæ inſpirationis, ſtant in excitatione ſanctæ cogitationis; gratia externæ protectionis ſæpè ſtat in inexcitationis diſconvenientis impeditione, provt intento & fini Dei expediunt.

2011 Quia doctrina in quæſtione hac allata, nova eſt, & nec vcuſquè Theologorum iudicio approbata, non ſine aliqua formidine in Scolaſticum forum emititur à nobis, vt à Doctioribus emendetur, vel via alia facilior pro tanta difficultate ſolvenda, ab ipſis reperiatur.

QVÆST. XXXVI. ET §. I.

DE CHRISTO VT SACERDOTE & REGE.

2012 CHRISTVM eſſe Sacerdotem & Hoſtiã, eſt de Fide. Eſt enim Sacerdos, quia ſacrificavit ſeipſum. Hoſtia, quia ipſe eſt quod ſacrificatur. Sacrificavit ſe incruenter in vltima Cœna in pane & vino, & quotidie in Miſſa ſe ſacrificat, & eſt principalis offerens, & ideò dicitur: *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, quia obtulit panem & vinum.* Quæ convertit ipſe in corpus & ſanguinem ſuum.

2013 Ratione autem prob. tũ quia Sacerdos eſt qui publica authoritate deſtinatur ad ſacrificandũ Deo. Chriſtus autẽ ex divina inſtitutione (& nõ præſcìſſe ex gratia vnionis) conſtitutus eſt Sacerdos iuxta illud: *Iuravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos. &c.* licèt enim dignitas mediatoris importata in Sacerdotio, fundetur in vnione hypoſtatica inter Deum & hominem, quia medians debet participare de vtroquè extremo, fundatur tamen radicaliter. Tum quia vt ait D. Thom. q. 22. art. 1. in corpore: proprium Sacerdotis munus eſt, eſſe mediatorem inter Deum & populum. Chriſtus autem fuit principaliſſimus mediator, vt dicitur ad Thimot. 2. *Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus*, ideoquè vt mediator pro omnibus ſatisfecit, oravit, ſe ſacrificavit, nã hoc eſt præcipuũ munus mediatoris, nõ generaliter, ſed ſpecialiter ſumpti vt Sacerdos eſt. Sic autem eſſe mediatorem competit Chriſto vt homini, vt contra Calbinum docet Eccleſia; non vt Deo; quia vt Deus eſt, eſt extremum inter quod & populum mediat. Item vt homo ſacrificavit, quia ſacrificium vt tale eſt cultus quo colitur, & adoratur divina excellẽtia ab aliquo inferiori, quod ſolum competit Chriſto vt homini.

2014 Fuit Chriſtus vt homo non ſolum victima, ſed etiam Templum & Altare, quatenus corpus ipſius habuit rationem loci, in quo vita adempta eſt per mortem ibi introductam. Et ſicut Altare perfundebatur ſanguine victimæ, ita etiam corpus Chriſti proprio ſanguine perfuſſum eſt. (Crux autem ob eandem rationem à Patribus ſolet etiam vocari Altare ſatis congruè). Ex quibus Sacerdotium Chriſti differt à Sacerdotio cuiuſlibet noſtri. Primo, quia ipſe eſt Sacerdos & eſt, victima. 2. quia poteſtas ipſius, non ſolum eſt Pontificia, & ſummè illimitata ad omnia, ſed etiam eſt poteſtas excellentiæ; non ſolum ad facienda, ſed & ad inſtituenda Sacramenta. Tertio, quia ab inſtanti Conceptionis inſtitutus eſt Sacerdos, vtporè ibi vnctus non ſolum vnione hypoſtatica, & omni Chariſmatè, ſed etiam eſt futurus Sacerdos in æternum, id eſt ſemper quovſquè mundus duret: vel in æternum, quia licèt poſt mundum finitum non ſacrificet, tamen in æternum orabit & mediabit obtinendo nova beneficia Beatis. Vel ſi verum eſt, quod hoſtia conſecrata permanebit in Cœlo per totam æternitatem, vt aiunt Neriembergius & alij, Chriſtus qui ibi eſt victima, erit conſervator ipſius influxu ſpeciali Sacerdotij ſui.

2015 Item in Ara Crucis fuit Sacerdos, vbi in proteſtationem ſupremę excellẽtiæ Paternę, ſeipſum per mortem immutavit, & ſeipſum obtulit agnum immaculatum Deo pro peccatis noſtris vt loquitur Scriptura, quod etiam eſt de Fide. Et licèt Chriſtum in Cruce fuiſſe ſtrictè Sacerdotem, & ſacrificium, non ſit expreſsè definitum vt advertit Bernal; tamen eſt communis ſenſus Eccleſiæ. Nec obeſt 1. Martyres non eſſe Sacerdotes dum patiantur. Diſparitas eſt, quia non erãt inſtituti authoritate publica ad ſeipſos ſacrificandos. Tum quia non fuerunt cauſa efficiens adhuc moralis ſuæ immolationis, ſicut fuit Chriſtus.

2016 Nec 2. ſacrificium requirerę tempus & locum ex publica authoritate inſtitutum, ſicut inſtrumẽta Scripturę authenticę ſæpè illum requirunt. Chriſtus autem neutrum ſervavit. Non locum quia iſtę erat Templum. Nec tempus erat conſtitutum, nam non conſtat de tali conſtitutione. Reſp. ſervaſſe vtrumquè; quia paſſus eſt in Paſchate, vt decreverat Deus in figura Agni: & extra Civitatẽ & caſtra, qui erat locus deſtinatus pro peccato.

2017 Obijcies 3. vrgentius: eſſe cauſam efficientem phyſicam vel moralem mactationis victimæ, eſt de ratione Sacerdotis vt ſacrificet per ſe, vel imperando per Miniſtrum; ſed Chriſtus non fuit talis in Cruce. Ergo. Min. prob. de phyſica, quia eſſet homicida ſui, quod eſt iniquum. De morali etiam, quia Iudæi maximè excuſarentur de mortis iniuria, cum Chriſtus verè ſit Dominus ſuæ vitæ & mortis, & cooperari phyſicè cum Domino ſcienti & volenti, non eſt iniuria: ergo Chriſtus nullam fuiſſet paſſus iniuriam. 1. reſponſio eſt Bernal, Chriſtum fuiſſe cauſam efficientem moralem ſuæ mortis, quia propter datam optionem de vita mortali vel immortali, liberè elegit mori, cum eſſet in ſua manu non mori, ac per conſequens moraliter fuit cauſa ſuæ mortis quatenus mortis, licèt non quatenus talis mortis.

2018 Sed impugnatur Bernal ad hominem. Ipſe enim alios (reſpondentes cum Angel. Doct. Chriſtum eſſe cauſam ſuæ mortis, quatenus poterat non mori, & liberè acceptavit mori) impugnat inquam eos ſic. Acceptare mortem non eſt eſſe cauſam efficientem eius. Sic Iſac acceptabat mortem tanquam hoſtia, non vero vt Sacerdos efficiebat. Arguitur ergo contra ipſum 1. quia liberè habere vitam moralem, non eſt eſſe cauſam mortis niſi remotè; nam vt ſic Chriſtus fuit cauſa habendi vitam mortalem, quę mactari & ſacrificari poſsit; non vero hoc eſt eſſe cauſam mactantem & ſacrificantem ſe in actu 2. provt requiritur ad exercitiũ Sacerdotij; ergo. Cõtra. 2. quia Chriſtus in tali ſpecie mortis nempè Crucis, communiter aſſeritur Sacerdos, nam Crux vocatur Ara. Ipſe autem per ſe non eſt cauſa talis ſpeciei mortis.

Aliter S. Thom. q. 22. art. 2. ad 1. reſpondet. Chriſtũ nõ ſe occidiſſe, ſed tantum ſe morti voluntariè expoſuiſſe; *oblatus enim eſt quia ipſe voluit.* Vbi ly *ſe expoſuiſſe* non ſolum ſignificat acceptationem, ſed cauſam moralem efficientẽ. Et hęc videtur bona ſolutio ſi ſic declaretur. Chriſtus erat verè Dominus ſuæ vitæ & mortis, quia ſemper

abſolutè

Digitized by Google

263

abſolutè erat in manu eius non mori, etiam poſt illata vulnera mortalia, quod ipſe ſignificavit exſpirans clamando voce magna, vt denotaret adhuc habere fortitudinem ad non moriendum, ſi vellet. Vndè poterat cedere nocumento illato, vel non cedere, in quo differt ab alijs Martyribus, qui poſt læthalia vulnera non ſunt Domini ad nó moriendum. Hinc Chriſtus erat cauſa moralis conſervativa ſuæ vitæ, quæ tolli non poterat niſi ipſe ſuſpenderet hunc concurſum moralem conſervativum ipſius, & quia libere ſuſpendit volendo cedere vulneribus & morti, fuit cauſa moralis ſuæ mortis. Qui enim ſuſpendit concurſum conſervativum alterius, iure eſt cauſa deſtructionis illius.

2019 Nec ex hoc ſequitur Chriſtum ſe occidiſſe. Pròbo ex D.Thom. quodlib. 1. art. 3. quia ex communi modo loquendi ille eſt homicida, qui infert ſibi, vel alijs vulnus, aut nocumentum læthale, non qui poſsito vulnere non impedit eius vim deſtructivam vitæ. Chriſtus autem non intulit ſibi, ſed illato ab inimicis ceſsit, ſuſpendendo concurſum, & mortuus eſt quia voluit. Ex quo illi non excuſantur, qui illud intulerunt, vt per ſe patet, & fecerunt iniuriam, quia Chriſtus volebat mori, volentibus illis occidere; non tamen volebat vt occiderent. Ex quo ſequitur animam Chriſti toto vitæ tempore, quo vnita fuit corpori, habuiſſe in ſua manu vitam & mortem; & in vltimo vitæ inſtanti habuit actum quo ceſsit, vt in ſequenti inſtanti moreretur. Hinc aliqua levia, quæ Bernal obijcit contra Hurtadum, ſoluta manent, quæ etiam poſſent fieri contra nos.

ARTIC. II.

VIA NOVA. VBI ALIA NOTABILIA DE Sacerdotio.

2020 FORTE dici aliter poſſet Chriſtum habuiſſe veram cauſalitatem phyſicam in ſuam mortē, non quidem phyſicá poſsitivā, ſed phyſicam ſuſpenſivā. Si enim vera ſit ſententia de eo quod rationalis anima geniti influat in vnionem ſui cum materia, vt quidam docent in libris de generatione. Si inſuper nos demus pro gloria Chriſti, quod Deus conſtituerit illum, ſivè eius animam, inſtrumentum phyſicum conſervativum ſuæ vnionis, & vitæ, ſicut ſupra dictum eſt de inſtrumento phyſico vnionis hypoſtaticæ in ſua nutritione, & de influxu phyſico animæ Chriſti in omnia ſuperna extra ſe (de quo tota Quæſt. 30.) dicendum videtur quod potuit Chriſtus ad præſentiam & exigentiam vulnerum læthalium, ſuſpendere pro ſua libertate ſuam phyſicam conſervationem: & hoc pacto fuit cauſa phyſica ſacrificiativa vitæ ſuæ; & optimè intelligitur, quod ipſe ſæpiſsimè repetebat, quod nemo tolleret animam & vitam ab ipſo, ſed ipſe ponebat eam pro libertate ſua. Nec propterea dicendus eſt homicida ſui, vt nuper decebamus.

2021 Obijties Abſq; tali phyſica ſuſpenſione concurſus inauditi, ſalvatur mactatio, & cauſa moralis mortis: ergo non eſt admittenda. Antecedens probat. quia ex vna parte, *ipſe ſe tradidit in mortem*, ſivè in manus inimicorum, & ex alia, adhuc ſuppoſita prava voluntate eorum, potuit impedire actiones externas inflictivas vulnerum: imò, poſſitis vulneribus, potuit miraculosè impedire effectum mortis, & noluit: ergo mortuus eſt quia voluit mori, & eſt cauſa moralis mortis ſuæ. Nego antec. Ad prob. conceſſo antecedenti, conſequentia non ſequitur: ſolum enim probat antecedens voluiſſe non impedire cum poſſet. Quia autem non tenebatur impedire, licèt poſſet, non probatur inde, quod ſit cauſa moralis.

2022 Multo ergo melius ſalvatur per phyſicam ſuſpenſionem concurſus efficientis ipſius animæ Chriſti: & ſic optimè intelligitur illud Iſaiæ 53. *Si poſſuerit pro peccato animam ſuam, videbit &c.* Non dixit ſi *ex poſſuerit*, ſed ſi *poſſuerit*. Vatablus in Biblia Maxima: *Vbi poſſuerit animam ſuam Hoſtiam delicti.* Item illud Ioannis: *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam, & iterum ſumo eam.* Quod eſt dicere. Crucifixores nòn tollunt animam meam à me, ſed egó qui teneo eam per concurſum conſervativum, ponó, ſivè depóno eam, concurſum ſuſpendendo. Sicut autem per ly *ſumo eam* in Reſurrectione, intelligunt graves Auctores, quod Chriſtus concurſu inſtrumentali effectivo concurrerit ad novę vitę adquiſitionem, ita per ly *pono*, concurrerit ſuſpenſivè ad vitæ amiſſionem.

2023 Obicies 2. contra Sacrificium Euchariſtiæ, quod Chriſtus non verè mactetur in ipſa, ſed ſolum miſticè ex vi Verborum. Etenim in Hoſtia ponitur phyſicè vivus & etiam in Calice. Reſpondet Bernal de Sacrificio Miſſæ, ex vi conſecrationis poni Chriſtum in Euchariſtia, taliter quod potius ponatur vt deſtruatur, & vt phyſicè deſsinat eſſe per ſumptionem, & ſpecierum conſumptionem; cui ex vi conſecrationis ſub ſpetiebus, manſit obnoxius, ac per conſequens deſtructioni phyſicæ ſuæ reproductionis, diſtinatus.

2024 Hanc rationem P.Bernal ſequuti fuimus in noſtrá ſumma morali (vulgo vocata de Arana) à num. 144. ſed re vera difficultate non vacat; quia valdè diverſa ſunt producere Chriſtum ſub ſpeciebus obnoxium deſtructioni, poſt multos dies fiendæ à cauſis naturalibus, ſpecies ſacramentales deſtruentibus. (Poterant enim aſſervari in Sacrario multis diebus.) ac deſtruere Chriſtum; ſicut valdè diverſa ſunt B. Virginem genuiſſe Chriſtum mortalem, & Chriſtum interfeciſſe. Primum enim non eſt ſtrictè mactare: ergo nec erit ſtrictè ſacrificare.

2025 Ideo. reſpondimus aliter ex prædicta ſumma à num. 525. ſtrictè & propriè mactare illum qui infligit quoddam vulnus ita lætale, vt neceſſe ſit quod naturalitèr ſequatur mors, niſi divinitus impediatur. Propterea enim ab Eccleſia celebrantur tanquam Martyres in re Sanctus Ioannes Evangeliſta in ferventis olei dolio paſſus; Sancta Thecla; & alij, qui lætalitèr paſsi ſunt, mortuique fuiſſent in tormento, niſi divinitus impedirentur. Cum ergo conſecratio ſit vulnus lætale ponens phyſicè in vnó loco totum corpus ex vi ſua ſignificativa; & immediatè cauſativá, & in alio loco totum ſanguinem, & re vera & cum effectu fuiſſent phyſicè ſeparati; ac per conſequens Chriſtus mortuus, niſi interveniret miraculum concomitantiæ, inde eſt, quod ſtrictè ſit ibi quoad ſufficientiam vulnus lætale, ac per conſequens propriá, & ſtricta mactatio. Cui ſolutioni ſi addas (quod etiam deſerviet prò tuenda ſolutione P. Bernal) conſecrationem in ratione ſacrificativæ importare de per ſe reſpectum ad ſumptionem ſpecierum, de proximo & immediatè fiendam, Chriſtumque prove ſub ſpeciebus immediate deſtruendum (quod enim perſeverent in Sacrario eſt de per accidens ipſi ſacrificio) ſi addatur etiam ſuſpenſio concurſus conſervativi Chriſti maior eſt mactationis proprietas.

2026 Ex hucuſque dictis ſequitur 1. Conſtitutionem formalem Chriſti in Sacerdotem non ſtare in ipſa vnione hypoſtatica in qua ſtat radicaliter. Aliàs non egiſſet iurari à Deo; nec atteſtari quod non pœnitebit eum. Vndè potuit Chriſto defuiſſe, ſicut & dignitas Sacerdotij leviteci defuit. 2. Sacerdotium Chriſti differre ſpecie à noſtro. Tum ratione radicis, quæ eſt vnio. Tum ratione ſupremitatis in poteſtate. Tum ratione materiæ ſacrificabilis, quæ erat Sacerdos ipſe vt hoſtia cruenta, & incruenta. Tum ratione finis, qui eſt redemptio.

2027 Quæres in quo ſenſu dicatur Chriſtus Sacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedech? Imprimis nec fuit Sacerdos Ordinis Levitici, nec vſquam legitur ſacrificaſſe tali ritu, quia id pertinebat ad ſolam Tribum Levi. Chriſtus autem erat de Tribu Iudà. Quod ſi Agnum Paſchalem

Digitized by Google

lem immolavit vt Sacerdos, talis immolatio non erat propria Tribus Leviticæ, ſed attinebat ex divina diſpoſitione ad capita familiarum cuiuſcumque Tribus.

2028 Noſtri Orlando, & Auguſtinus à Virgine hic agentes de Sacerdotio Chriſti optimè, & breviſsimè reſpondent ad quæſtionem ſic diſputat. 16. Primo, quia Melchiſedech benedixit Abrahæ, & accepit à Levi exiſtente in lumbis Abrahæ decimas datas in recognitionem ſuæ inferioritatis ad Melchiſedech. 2. quia Melchiſedech eſt Rex iuſtitiæ, & Rex Salem, ſivè pacis. 3. quia eſt ſine Patre & ſine Matre; Chriſtus, autem, nec in Cœlis habuit Matrem, nec in terris Patrem. Item eſt ſine Genealogia, id eſt quod eius Sacerdotium non eſt per ſucceſsionem ſicut Leviticum, nec ad ſuceſsionem. Vndè, quia Chriſtus in ſuo Sacerdotio non habet ſucceſſorem, ſed eſt vnicus in ſpecie ſui Sacerdotij, ideò ex D. Thoma in 3. diſt. 22. quæſt. 1. art. 2. ad 4. vocatur Sacerdos in æternum. Imo Melchiſedech, quia nec eius principiũ, nec finis vitæ deſcribitur, ex hac etiam parte aſsimilatur æternitati Chriſti. Præcipua tamen ratio huius analogiæ quo ad Sacerdotium ſtat in eo, quod vterque obtulerat panem, & vinum. In vtriuſque enim ſacrificio panis & vinum fuerunt materia oblata, & deſtruenda. In his ergo ſtat ſimilitudo inter Sacerdotium Chriſti, & Melchiſedech. Semper tamen Sacerdotium Chriſti eſt altioris Ordinis, & ſpeciei propter radicationem in oleo ſubſtantiali vnionis Hypoſtaticæ, & propter alias rationes iam ſupra inſinuatas, num. 226.

2029 Munus autem & Officium Sacerdotis non potuiſſe convenire Chriſto vt Deo, ſed vt homini eſt commune apud Theologos. Tum quia eſt officium mediatoris, de quo infra idem dicemus. Tum quia importat exercitium reverendi ſuperiorem per ſacrificij oblationem, & inſuper importat officium orandi. Nec obeſt 1. quod tale ſacrificiũ non niſi à Deo habeat infinitã dignificationẽ. Reſpondetur, id probare quod vt Deus, ſit quaſi forma moralis ſe habens *vt quo*. At Sacerdos debet ſe habere *vt quod*. Nec obeſt 2. Noſter Cyrilus Hieroſolymitanus Cathecheſi 10. dicens: Chriſtum habere Sacerdotium immutabile, quod nec tempore cepit, nec ſucceſſorem alium habebit Sacerdotij. Reſpondetur enim 1. loqui de forma radicali, nempè Deitate, non autem de ipſo Sacerdotio. Reſpondetur 2. ſumere æternum pro immutabili, quia ex quo à primo inſtanti Incarnationis accepit vnionem, & conſtitutionem a Patre, nec facta eſt mutatio, nec fiet in æternum.

2030 Adverte 2. Div. Thomam hic articul. 4. docuiſſe Chriſtum pro ſe, nec obtuliſſe ſacrificium, nec recepiſſe aliquem fructum ab à ſe oblatis, quatenus ſacrificia erant, ſed ſolum quatenus opus bonum erant. Exiſtimo tamen cum multis, id intelligendum eſſe de non receptione præcipui fructus, meriti ſubſtantialis, ſatisfactionis, aut propitiationis. Innegabile autem videtur, percepiſſe fructum meriti accidentalis, ſcilicèt gloriæ corporis, & etiam impetrationis, quia per illud impetravit ſibi talem gloriam. Item Sacrificium Euchariſtiæ ex vi ſuæ inſtitutionis habet quod ſit Euchariſticum, id eſt in gratiarum actionem inſtitutum. De effectibus autem cauſatis in Chriſto ab Euchariſtia ſumpta ab ipſo, aliqua dixit anima quædam contemplativa præcipuè de aliquali, licèt breviſsima, pro tunc, & fere occulta ſui corporis glorificatione, quæ cum ſit complementum vitæ æternæ, eſt effectus ſpecialis Euchariſtiæ iuxta illud: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*. Et hæc ſufficiant de Chriſti Sacerdotio.

ARTIC. III.

DE REGNO TEMPORALI CHRISTI.

2031 NON eſt dubium quod Chriſtus vt Deus ſit ſupremus etiam temporalis Rex Regum, & Dominus dominantium. Sermo ergo eſt de Chriſto vt homine. Nec item eſt ſermo, an iure hæreditario à Parentibus, quia circa hoc ſolum de Regno Iſrael poterat eſſe dubium. Nec eſt dubium quod etiam vt homo habeat plenam poteſtatem ſpiritualem regiam, & ſupremam ſuper totam Eccleſiam, iuxta illud Pſalmi 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion Montem Sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Quod autem ſermo ſit ad litteram de Chriſto, patet ex verbis ſequentibus: *Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ.* Ex quibus patet convenire Chriſto etiam poteſtatem temporalem ſuper omnia indirectè, quatenus ſcilicèt conducit ad ſpiritualia. De quo Pater Suarez diſp. 47. & multi alij. Difficultas tamen eſt de poteſtate directa temporali, quæquidem non ſolum ſit politica, & guvernativa, ſicut in alijs Regibus, ſed vlterius etiam ſit dominativa, ita vt potuerit tanquam Dominus vniverſi diſponere de omnibus ſine vllius iniuria? Prima ſententia affirmat. Ita D. Thoma opuſ. 20. de Regimine Principum, lib. 3. cap. 13. & ſequentibus. Pater Suarez diſp. 48. Pater Franciſcus Mendoza in Libros Regum, cap. 2. num. 10. annotatione 15. circa litteram, ſec. 3. à num. 22. & Pater Bernal à diſp. 61. Gonet diſp. 22. art. 4. Qui tamen Auctores negant Chriſto, quod de facto exercuiſſet talem dignitatem, & dominium. Vndè fuit dominium in actu 1. & non in actu 2. Ita etiam ex noſtris Boneſpei tom. 2. ſuæ Theologiæ, tract. 3. de Incarnatione, diſp. 16. num. 12. Orlando trac. 4. diſp. 10. a num. 3. Eſt autem contra Franciſcum Victoria, Bartholomeum Medina, & alios ſentientes oppoſitum, citatos à Gonet.

2032 Aſſentior DD. primæ ſententiæ. Probatur 1. ex ſacra ſcriptura. Nam Apocal. 1. vocatur Chriſtus *Princeps Regum terræ*, & cap. 19. dicitur: *Rex Regum, & dominus dominantium.* Hę autem fraſes (quæ ex regula ſacræ Scripturæ propriè intelligi debent) loquunturque de Chriſto vt homine, ly enim *Rex Regum ſcriptum erat in femore ipſius*, quod ſolum competit Chriſto vt homini) ſoli Regno ſpirituali directo, & temporali indirecto, non quadrant: non enim Summo Pontifici ſic Regnum habenti, convenire propriè poteſt quod ſit Rex Regum, & dominus dominantium, licèt talem poteſtatem habeat ſuper eos. Confirmatur ex illo Mathæi vltimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra.* Ly autem *omnis* ſine fundamento limitaretur ad ſolam ſpiritualem. Tum quia proprietas vocis ſpiritualem & temporalem comprehendit. Tum quia, cum nullum in eo ſit inconveniens, & aliàs augeat gloriam Chriſti, ſic & non aliter intelligi debet.

2033 Probatur 2. ratione. Tum quia non minus digna erat vnio hypoſtatica hoc vniverſali principatu, quam poteſtate patrandi miracula, plenitudine ſcientiæ, & alijs privilegijs. Tum quia, ſi ſolum concedatur Chriſto poteſtas ſpiritualis in omnia, hæc poteſtas eſt valdè limitata. Nec propterea Chriſtus hanc poteſtatem & Dominum habuit & exercuit generalitèr in actu ſecundo ſivè pro exercitio & vſu, ſicut habent in ſuis Regnis Reges temporales. Quod quidem conſtat ex ſacra ſcriptura vbi dicitur; quod filius *hominis non venit miniſtrari*, ſed *miniſtrare*. Item ex Reſponſione Chriſti ad Pilatum: *Regnum meum non eſt de hoc mundo. Ait autem Pilatus: ergo Rex es tu. Reſpondit Ieſus. Tu dicis.* Vbi apertè Confeſſus eſt quod eſſet Rex, & quod Regnum ipſius, ſivè poteſtas Regia non haberet exercitium in hoc mundo. Et id valde confirmat ſumma Chriſti paupertas, & ſtatus ipſius humilis & abiectus, qui non coherebat cum Rege temporali, qui in exercitio & vſu eſſet talis. Requirit enim iſte fieri venerabilis & formidabilis ab apparatu & divitijs Regijs. Tandem quia poteſtas purè civilis & ſecularis, & ſolicitudo, curaque temporalium, quam affert ſecum ſtatus Regius, non conveniebat ſummo ſalvationis Magiſtro (ſicut nec Regi convenit per ſe ipſum exercere officia Reipublicæ

in-

Digitized by Google

inferiora) nec finibus à Patre per ipſum intentis, ſcilicèt *ad ornare mundum, non ferro ſed ligno.* Vt dixit Auguſtinus, atque *abiecta mundi eligere, vt confunderet fortia.*

2034 Nec obeſt 1. Chriſtū omnē ſuā poteſtatē dediſſe Vicario ſuo. Nego. Si enim non dedit ei omnem ſuam poteſtatem ſpiritualem, nec temporalem dare debuit. Nec ſecundo, quod debebat Chriſto concedi poteſtas in mundo deſtruendi directè quidquid ipſe vellet deſtruere, & de novo faciendi directè quidquid vellet (dixi directè, nam indirectè & propter bonum ſpirituale, certum eſt potuiſſe) ergo & poſſet deſtruere totū mundum, ſiquidem æquè erat totius Rex & Dominus. Recentiores docti concedunt: quia exiſtimant id pertinere ad poteſtatem condignam Filio Dei, Paternę, quantum fieri poſſet ſimilem. Sed Pater Amicus diſp. 31. ſect. 1. reſpondet negativè. Nos ſub disiunctione reſpondemus: id ſermonē poſſe eſſē attento purè & ſolitariè iure Dominij, & ſic poſſe quidem; quin talis actio eſſet contra iuſtitiam. Vel attento decreto Patris de conſervatione huius, vel illius rei, & attéris aliis virtutibus petentibus quod non deſtrueret tales res, quia deſtructio illa eſſet prodigalitas, vel fortè etiā eſſet iniuſtitia: vt ſi deſtrueret viſionē beatam D. Petri, contra promiſsionem Patris & meritum eius de iuſtitia. Vndè abſolutè per ſuum dominiū nō poſſet quęlibet deſtruere licèt bene cum addito, id eſt attenta præcisè poteſtate & dominio ipſius.

2035 Nec obeſt 3. non apparere titulum ſufficientem ratione cuius Chriſtus ſit vniverſaliſsimus Rex & Dñs, nam non iure ſucceſsionis à ſua matre & progenitoribus. Ratione enim illius ad ſummum poterat habere ius ad Regnum Iſrael. Dixi *ad ſummum* ius ad Regnum Iſraeliticum. Tum quia, vt colligitur ex dictis hic à num. 98. quando venit Chriſtus, Regnum Iſraeliticum iam immediatè ceſſaverat, iuſque extinctum erat. Tum, quia cum probabilius ſit, Beatam Virginem deſcendentem Regali progenie à David, non deſcendere per Salomonem, ſed per Natam, iuxta Genalogiam Divi Lucæ, quæ linea non erat Regia, hinc fit quod fortè Chriſtus nec ad Regnum Iſrael habebat ius hæreditariæ ſucceſsionis.

2036 Nec item iure belli, aut electionis à Populo, quia neutrum contigit in Chriſto. Ergo non apparet titulus, ratione, cuius Chriſtus ſit vniverſaliſsimus Rex & Dñs adhuc in actu 1. Reſpondent aliqui, non hos, ſed vnionem ipſam hypoſtaticam eſſe formaliter titulum, & oleum, quo vnctus eſt formalitèr in Regem & Dominum omnium creaturarum viſibilium & inviſibilium. Sed nos reſpondemus titulum quidem radicalem fuiſſe vnionem ipſam; formalem tamen eſſe divinam deſignationem, intuitu illius conceſsā, ſicut diximus de Sacerdotio. Sicut enim, ſi ipſa vnio eſſet formalis titulus independenter ab alia conſtitutione Dei, ſuperfluum eſſet iuramentum illud, de quo num. 212. & inſuper innegabile ei eſſet Sacerdotium Leviticum, cum etiam debere includi in vnione, vtpote dignitas quędam ordinata ad ſacrificium in magnum cultum Dei, ita ſuperflua eſſet donatio illa Paterna omnis poteſtatis in Cælo & in terra aſſerta à Chriſto, tanquam aliquod novum præmium ſuorum meritorum Maneat ergo quod titulus formalis, licèt debitus vnioni, ſtat in cōſtitutione Paterna: ad eum modum quo Carolum II. naſci primogenitum Regis Hiſpaniæ, eſt titulus vt in Regno ſuccedat Patri ſuo, ſed titulus radicalis: formalis enim, & completus provenit à conſenſu, vel iuramēto populorum ipſum in Regem acceptantium.

2037 Nec obeſt, tandem debere fieri differentiam in Chriſto inter poteſtatem Regiam politicam, & poteſtatem dominativam, vt eam facit Pater Vazquez in tertiam par. to. 1. 87. cap. 2. & cap. 6. & licèt Regia gubernativa ſit vniverſaliſsima, ſecus dominativa, ob quatuor capita. 1. ſumitur à diverſis Pontificibus apud Belarminum, lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 14. contrarium docentibus. Nam Ioann. XXII. in extravaganti *Cum inter nonnullos* & in alia, *Quia quorundam*, aſſervit Chriſtum paucarum rerum habuiſſe dominium: ergo non vniverſale. Item Nicolaus IV. *in capite Exijt* de Verborum ſignificatione in 6. definivit Chriſtum paupertatem exemplo docuiſſe, quæ omni ſimul dominio privat: ergo in Chriſto non fuit tale dominium. 2. eſt, quia in Chriſto fuit ſumma paupertas. Perfectio autem iſtius ſtat non ſolum in abdicatione vſus, ſed multo magis in abdicatione dominij. Religioſis enim per votum paupertatis, non vſus, ſed proprietas dominij interdicta eſt. 3. eſt, quod Reges non eſſent verè Domini ſuorum Regnorum & iurium, ſed ſolum adminiſtratores, Æconomi, aut Vicarij Chriſti. Repugnant enim reſpectu eiuſdem rei duo Domini in ſolidum. 4. ſequitur quod dum nos contra præceptum Chriſti, eiuſque voluntatem vtimur aliqua re noſtra, peccaremus mortaliter cōtra iuſtitiā quia contra ius dominij Chriſti.

2038 Hæc ſane difficilia ſunt; vt autem illis ſatisfaciamus, ſupponi debet differentia duplicis dominij, vnus enim eſt Dominus directus; alter verò eſt Dominus vtilis, vterque autem habet dominium proprietatis licèt diverſimodè. Directus ſcilicèt in rem ſecundum ſe (& in vſum pro caſu quo Dominus vtilis deficiat in conditionibus tributalibus a Domino directo reſervatis) Dominus autem vtilis habet proprietatem circa rem, non ſecundum ſe, ſed prout ordinatā ad vſum. Igitur Dñs directus propter Dominum vtilem ſe expoliat non ſolum vſu rei, ſed iure proximo vtendi tali re, ſivè dominio quaſi proximo ipſius. Hinc ad argumenta reſpondetur. Et ad primum, illos Pontifices non ſibi contrariari, vt optimè probat & explicat Belarminus citatus. Ioannes enim intendit Chriſtum aliquando in ſuo Collegio habuiſſe dominium ſaltim in communi, vt conſtat ex loculis. Nicolaus autem ſolum intendit Chriſtum ſua Doctrina & exemplo approbaſſe paupertatem abſque vllo Dominio in communi, vel in particulari. Vt v.g. in Cruce. Nulla autem eſt contradictio in eo, quod aliquando circa vnas res operatus fuerit, vt vtens dominio, ſicut & poterat alius particularis, qui non eſſet Rex: aliquando vero in doctrina & exemplo ſe geſſerit tanquam nullum habens dominium.

2039 Ad ſecundam reſpondetur, in Chriſto fuiſſe perfectiſsimam paupertatem excellētiori & eminentiori modo quam in nobis. Hoc enim eſt mirabile quod cum dives eſſet (vtique per dominium vniverſale in actu primo) egenus pro nobis factus eſt, non ſolum in vſu & exercitio, ſed etiam in abdicatione iuris & dominij vtilis; ita enim fuit Dominus, vt manſerit omninò quaſi non Dñs in ſe coniungendo quidquid boni eſt in paupertate, ſimul cum dominio directo Magiſter enim omnium, vtrumq; ſtatum voluit approbare, tàm Religioſorum abdicantium bona ſecularia, quàm aliorum ſecularium, dominio ſuo conſervato honeſtè & licitè vtentium.

2040 Ad 3. reſpondetur alios Reges & eſſe Reges & Dominos ſuorum iurium, ad aliqualem modum Domini vtilis, & quantum ad hoc licèt ſint quaſi Adminiſtratores & Vicarij Chriſti, qui de ſe dixit: *Per me Reges regnant.* Addunt tamen aliquod ius proprietatis de linea Dominij vtilis derivatam à Chriſto, vt Domino directo Vndè D. Thomam lib. 1. de regimine Principum, cap. 13. dicentem *Auguſtum Cæſarem fuiſſe Chriſti Vicarium, ab illius Nativitate,* quod benè explicuit noſter Orlando de Vicario permiſſo, ſivè non impedito à Chriſto, cum poſſet, iuxta illud Eccleſiæ: *Non eripit mortalia qui regna dat cæleſtia.* Non autem de Vicario deſignato, quia cum eſſet quaſi Dominus vtilis comparativè ad dominium Chriſti (nam reſpectu aliorum erat directus) non egebat deſignari.

2041 Hinc patet ad quartum: negamus enim quod quis peccet contra iuſtitiam & contra dominium Chriſti, deſtruendo aliquam rem ſuam. Sicut nec Dominus vtilis peccat contra eam ſi deſtruat fructus vineę. Chriſtus enim

&

Digitized by Google

2137 Replicabis : potuit tunc efficaciter orare , & non applicavit hoc medium : ergo non applicavit omnia. Cum autem non applicantur omnia media, nec Dei voluntas impletur: ergo ex hoc non ſequitur quod illa voluntas Chriſti fuerit humana. Reſpondent, ſi Chriſtus per orationem lateret, non lateret naturaliter ſed miraculosè. Applicavit ergo omnia media ſibi naturaliter poſsibilia. Nec item dicas ; proprium eſſe ſolius voluntatis Divinæ poſſe quidquid efficaciter vult, vt ait Propheta de Deo : *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in Cælo & in terra* : ergo id non competit voluntati humanæ. Diſtinguunt anteced. poſſe à ſe, & per efficientiam ſibi propriam, concedo, poſſe ab alio, nego. Hæc dicta ſint pro ſent. communi.

2138 Ex dictis ſequitur contra plures, benè poſſe dari veram orationem, quæ non procedat ex deſiderio efficaci finis ſed ex inefficaci, ſerio tamen: ad efficax enim non ſufficit ponere aliqua media ad finē, ſed requiritur quod omnia ponat re ipſa obtentura finē, ſicut Deus ſerio dat auxilia reprobis, volens eos ſalvos fieri , non tamen efficacia, quia ex alia ratione ſuperiori detinetur. Si autem verè datur Imperium inefficax & ſerium per ſufficientia ad operandum, cur non petitio inefficax & ſeria per ſufficientia ad movendum , & ex deſiderio movendi quantum eſt ex ſe , niſi detineretur ex alio capite ? Dices : ly *Pater ſi poſſibile eſt , tranſeat &c.* non potuit eſſe vera oratio ſed ſimulata, quia eſſet imprudens, cum ſciret eſſe impoſsibile. Reſpondetur 1. fortè Parietem illum de quo ſupra à num. 1907. impedivise pro tunc certitudinem impoſsibilitatis evidentem, ſuſpendendo illam. Reſp. 2. id non fuiſſe impoſsibile de per ſe, cum poſsibilis eſſet alia via redimendi , & ſic potuiſſe prudenter orari & peti inefficicater & ſub conditione.

ARTICVLVS II.

DE PETITITIONE VERBI AB ÆTERNO NOMINE Humanitatis.

AD REVERENDISS. ET SAPIENTISSIMVM P.M.Fr. IOSEPHVM Saenz de Aguirre , Benedictinæ Congregationis Hiſpaniarum Magiſtrum Generalem , Regij , ac Supremi Fidei Senatus Theologum à Secretioribus Conſilijs ; in Salmanticenſi Academia Theologicæ Cathedræ S. Thomæ Laureatum Anteceſſorem; Inſignis Collegij S. Vincentij, ſeptem olim annis, Studiorum Præſidem, ac Primarium Profeſſorem , ſemel & iterum Abbatem, Virum Naturalis, Ethicæ, Sacræ, & Theologicæ Encyclopediæ Fama, Scholis, & Orbi notiſsimum, &c.

AD Reverendiſſ. Veſtræ Paternitatis Pennam, Omnigenæ Sapientiæ vel Radium, vel Canalem evolat Gratitudinis , & Reverentiæ quaſi duabus Alis hæc Quæſtio. Gratitudinem ſibi vindicat ea magni erga Me honoris plena provocatio, quâ, Tenuitati Mei Nominis, ingenti elogiorum exageratione, de Reverendiſsimæ V. P. affectu , creſcenti , dignata eſt publicis typis inſcribere ſexageſimam ſecundam Anſelmianæ recens editæ Theologiæ Diſputationem de Verbo. Reverentiam ipſa Quæſtionis de Verbo novitas & arduitas , me tacente, præſeferunt. Satis memor debiti jam diu erga Reverendiſſ. V. P. Obſequij, nactus tandem ſum Materiam præſentis Controverſiæ , de æterna acceptatione , & petione Divini Verbi nomine Humanitatis, *hucuſque controverſam à nemine, (quod ſciam,) & novitatis æquè ac arduitatis plenam. Quare neceſſe fuit , naſcenti in Scholis Controverſiæ, parare Patronum, & Scholis, & Orbi notiſſimum. At quem alium , quàm Rever. V. Paternitatem aut deberem, aut poſſem ? Tot, tantorumquè Sapientiæ Omnigenæ voluminum Soboles, Parentem ſuum & Orbi , & Scholis adeò celebrem reddidit , ut Solius Inſcriptio Nominis , cuicumquè Litterariæ Controverſiæ certum poſſit facere Patrocinium. Nolo tamen ſalutationis prætergredi lineam, inducta Panegyri. Vale ſapientiſſimè vir.*

§. I.

§. I.

PARATVR VIA TANTÆ DIFFICVLTATI, examinando an Chriſtus vt homo oraverit pro Patribus tempore ſe præcedentibus.

2139 GRAVISSIMI aliqui Doctores, ex vna parte non invenientes quomodo præmium poſſit tempore præcedere meritum, nec res petita orationem petitivam; & ex alia non potentes negare Chriſtum ſuis meritis, & mortis acceptatione, ſatiſfeciſſe pro antiquis Patribus, eiſquè auxilia meruiſſe: pro defendendo merito, vtpotè de fide requiſito ad redemptionem, excogitaverunt ſolutivum, vt diximus & impugnavimus à num. 2063. Cum autem oratio petitiva non ſit ad redemptionem ſimpliciter neceſſaria pro auxilijs antiquorum, & aliàs iſta ſummas habeat difficultates, ideò eam.

2140 Negant docti Recentiores, Bazquez in 1. p. diſp. 94. Godoi diſp. 56. num. 107. & alij, quia vt ponderatum fuit num. 2130. petere affectu abſoluto & efficaci vt fiat, id quod iam factum eſt, atquè habere deſiderium efficax vt res fiat, & illud manifeſtare, nequit excuſari vel ab ignorantia, de eo quod res iam facta ſit, vel ab imprudentia inſtanter petendi, quod ſcit iam diu eſſe factum, & res facta cum non ſit abſens, non eſt obiectum deſiderij. Idem dicent de efficaci applicatione meritorum pro ipſis. Propterea docent orationem factam a Chriſto pro eis, non fuiſſe per modum petitionis, ſed vel per modum laudis vel ratificationis, vel compenſationis ſive ſolutionis oblatæ. Ita loquuntur conſequenter ad ſuam doctrinam de merito ſolutivo.

2141 Contraria tamen & communior ſententia reſpódet Chriſtum vera oratione petitiva oraſſe pro omnibus prædeſtinatis & pro donis eis datis, applicando efficaciter ſua merita pro illis. Et ſolvit argumentum factum, primo negando eſſe imprudentiam petere quod fit id quod quis ſcit factum eſſe, ſi ſimul ſciat decretum fuiſſe vt fieret dependenter à tali petitione, ſive cum onere (vt alius dicet) talis petitionis. Sic reſpondit Gonet & alij.

2142 Sed contra replicat prima ſententia. Repugnat quod Deus decreverit dare auxilia Patribus dependenter à tali petitione Chriſti. Ergo nulla eſt ſolutio. Probatur antecedens, quia petitio vt fiat res, quàm quis ſcit eſſe iam factam, talis inquam petitio provt ſub his terminis, erat non ſolum inutilis, ſed omninò imprudés (imò impoſſibilis quia ſupponit deſideriũ poſſe eſſe de re pręſenti, cũ debeat eſſe de abſenti.) Deus autem non poterat decernere nec imponere Chriſto obligationem conditionis omninò imprudentis. Atqui in quocumque caſu apponeretur à Chriſto talis petitio, neceſſe erat apponi in ſenſu compoſito ſcientis per ſcientiam Beatam & infuſam, illam rem iam diu factam eſſe: ergo non potuit talis res decerni à Deo dependenter à tali petitione.

2143 *Sententia communis* docet talem petitionem eſſe prudentem. Et arguit 1. pro caſu quo talis petitio fiat per modum ratificationis ſeu repetitionis, vt ſi quis Matrimonium contractum per *Procuratorem*, poſtea illud ratificet, imò & petat vt publicè fiat. Quod quidem poteſt evenire ſic. Sit celebrandum Matrimonium Perſonarum nobilium in ſecreto, quia eſt periculum in mora. Poſſunt tunc tales Perſonæ paciſci, vt ſemel fiat in oculto cum onere vt poſtea, ſervatis omnibus ceremonijs aſſuetis inter tales contrahentes, (& inter eas quod ex parte viri mittantur legati ad Parentes, tes, petendo vt annuant Matrimonio filiæ ſuæ celebrando cum tali viro) ſolemniter iterum celebretur. Vbi apparet ex pacto conditio petendi rem cognitam vt iam antea factam.

2144 Probāt 2. id ipſum generaliter, quia Eccleſia toto tēpore adventus enixe poſtulat à Deo incarnationē Verbi eiuſquè executionem, quàm tamen fide divina noſcit & credit iam diu factam & executam. Item patet in offertorio Miſſæ de *Requiem* vbi poſtulat pro animabus defunctorum vt Deus *liberet eas de pœnis inferni, & de profundo lacu ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in obſcurũ.* Nomine autem tartari abſorbentis non intelligitur Purgatorium ſed infernus: à quo tamen eas iam ſupponit liberatas; aliàs non rogaret pro eis. Item in Canone Miſſæ immediatè poſt Pater noſter, orat Eccleſia ſic: *Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis præteritis præſentibus & futuris.* Ergo rogare vt fiat quod ſupponitur iam factum, poteſt eſſe petitio Chriſtiana & valdè prudens.

2145 Sed re vera iſta difficultatem non habent contra primam ſententiam. Primo, quia petitio Chriſti pro antiquis Patribus in communi Theologia debet eſſe efficax & abſoluta & obtinens à Deo vt primo res fiat, & ſic ita vt non ſupponatur iam facta. Atqui repugnat petitio efficax de pręteritis, vt probatum eſt, ergo. Vndè Exempla adducta de Matrimonio, &c. non ſunt ad rem: vel quia ſunt de re, non vt primo facta, ſed vt repetita (quæ repetitio eſt poſterior petitione) vel ſunt petitiones alicuius circunſtantiæ ponendæ ad diſſimulandum & ocultandum rem eſſe iam factam, & non ſunt de ipſa re vt primo facta, ſicut eſſent auxilia Patrum à Chriſto petenda.

2146 Itē ad orationes Eccleſiæ reſpód. nil probare, quia ſunt petitiones quædã, ſolũ conditionatæ & inefficaces de re (licèt valdè vtiles ad mani feſtandum affectum & anxietatem conditionatam circunſtantiarum vel intervenientium in ipſo negotio) procurativam rei vt fieret, caſu quo facta non eſſet. Vel ſi ſunt petitiones efficaces & abſolutę illę deprecationes adventus, non ſunt de adventu Chriſti corporali, ſed de ſpirituali in noſtras animas, ſub velamine corporalis ſignificato.

§. II.

PROSEQVVNTVR SOLVTIONES.

2147 AD inſtantiam quę ſumitur ex prędicta Eccleſię praxi retundendã, reſpódet prima ſẽtẽtia dicens, duplicem dari modum petendi in aliquo Oratore. Vnus eſt perſonalis & factus nomine ipſius perſonæ ſecundum ſe. Alius vero figurativus alterius perſonæ, qua ſe indutum repræſentat, & nomine illius loquitur & petit. Et ſic petitio quæ ſub propria perſona eſſet imprudens, poteſt in perſona alterius eſſe prudens & cordata. Sicut plura ſunt cōrdata in plebeio faciente in comedia perſonam Regis, quæ in propria eſſent irriſoria Igitur Eccleſia in adventu dum petit executionem Incarnationis, non petit eam nomine ſuo, (eſſet enim petitio ſapiens Iudaicam infidelitatem expectandi Meſsiam) ſed introducit ſē Eccleſia ante Deum quaſi in Comedia ſacra vt repræſentans Sanctos Patres antiquos, vel ipſam Sinagogam; & nomine ipſius pro Incarnationis executione inſtat.

2148 In Officio autem Defunctorum etiam Eccleſia in aliquibus clauſulis orat veſtita Perſona aliena, nempè in Offertorio Miſſæ, repræſentando Perſonas circumſtantes moribundum in circuitu lecti, quando inſtat iam mora, & exitus eius ex hac vita; earum ergo perſonam gerens, enixè poſtulat à Deo vt animam illam Tartarus non abſorveat, nec ipſa in obſcurum cadat. Similiter in Lectionibus primi Nocturni dum ait: *Parce mihi Domine*, &c. repræſentat perſonam defuncti dum non iam egreditur ex hac vita, vel dum ſe præſentat ante Tribunal Supremi Iudicis. Comparativè autem ad tales perſonas & tempora, tales petitiones repræſentativè retrotractæ, prudentes ſunt. Quia repræſentatio illa fit per modum ſcenæ, ſive come-

comœdiæ, ob quas tunc verificatur, quod ſapientia ludit coram eo omni tempore, & ludit in Orbe terrarum; non autem eſſent tales, ſi in propria Perſona dicerentur. Atqui Chriſtus petendo pro antiquis Patribus & ſua merita applicando pro eis, id deberet præſtare in propria Perſona hominis Dei: ergo cum reſpectivè ad ſuam perſonam & ſcientiam, talis res iam eſſet facta, non poſſet talis petitio, via prædicta ab imprudentia excuſari.

2149 Aliter etiam reſponderi poteſt ad illud de Offertorio in Miſsis Defunctorum ex alijs Doctoribus, Eccleſiam ibi nomine inferni ſive tartari, non intelligere ſinum ſive locum damnatorum, ſed locum Purgatorij, ſiquidem nomine inferni etiam iſte comprehenditur, non minus quam limbus Patrum iuxta illud de Chriſto: *Deſcendit ad inferos*. Nec obeſt petitio de non abſorptione Tartari (quæ eſt inferni potius quam Purgatorij.) Reſpondetur enim intentum Eccleſiæ eſſe petere quod non tanto tempore detineatur, quaſi videatur quod eas locus ille quaſi abſorbuerit more Tartari. Ad illud tandem de liberatione à malis præteritis, petita in Canone Miſſæ, reſpondetur loqui reſpectu maiorum futurorum ex malis iam præteritis reſultantium. Vel aliter dic, quod poſtulat liberationem à peccatis & offenſis à nobis factis, à quibus petit vt liberemur à Deo, ea deſtruente per infuſionem gratiæ. Et hæc fraſis & petitio vt nobis peccata commiſſa dimittantur, ſatis communis & prudens eſt. Quod autem ibi poſtulatur, eſt liberatio, per gratiam, quæ non eſt facta ſed facienda.

2150 Sed contra hoc replicat ſententia communis, inſtando, Eccleſiam poſtulare rem iam factam, ſiquidem poſtulat liberationem animarum omnium fidelium Deffunctorum à Purgatorio, quæ tamen de multis neceſſe eſt quod iam ſit facta. Sed reſpondet prima ſententia, eam liberationem, quàm petit Eccleſia non eſſe factam, ſiquidem petendo liberationem à Purgatorio, ſupponit ibi eſſe eas de quibus loquitur (nam de alijs non loquitur). 2. inquit, adhuc eſſe aliam magnam diſparitatem in hac petitione, à petitione Chriſti de re facta, quia dum Eccleſia ſic petit, petit pro his de quibus non conſtat ei, an ſit factum, ſicut conſtabat Chriſto.

2151 Inſuper arguit 3. communis ſententia fulciendo inſtantiam, nos ſæpè petere à Deo quod ſcimus iam factum, vt quando ſperantes Nuncium, & dubitantes an erit bonum vel malum, ſi accipimus Epiſtolam tractantem de eo, ſolemus ante apertionem eius orare Deum quod tale Nuncium ibi incluſum, ſit bonum. Cum tamen ſi bonum eſt, & debet vt bonum nobis innoteſcere, id iam eſt factum antequam ſcriberetur Epiſtola. Ergo non ſolum prudenter, ſed etiam Religiosè poſſumus à Deo petere quod ſcimus eſſe factum. Sed reſpondent 1. nos tunc non tam petere rem bonam, quæ iam eſt facta, quàm bonam innoteſcentiam, quæ non erat facta. Et licèt, re benè examinata, nequeat innoteſcentia petita eſſe bona, niſi & res ipſa antea ſcripta, fuerit bona; ſed tunc non eſt locus in mente tanto examini & ponderationi. Et ſic petitur quod non proponebatur evidéter vt factum. Reſpondét 2. illam in rigore non eſſe orationem petitivã, ſed eſſe illam partem orationis Grammaticalem, quæ appellatur interiectio deſiderantis, & explicatur per: *O vtinam Deus fecerit nobis bonum Nuncium*. Et tandem adhuc eſt alia diſparitas, quia illa determinatio ad bonam partem erat nobis ignota, ſecus Chriſto. Imprudentia autem petitionis ſtat in eo quod petatur res iam facta, & ſcita vt iam facta.

2152 Sed argumentatur ſententia communis 4. quod Chriſtus petendo à Patre in Cœlo, v.g. auxilia pro converſione Divi Pauli, eo ipſo petebat oſtenſis meritis, & cicatricibus ſuis, quod voluntas Patris vellet talia auxilia dare, & tamen videbat in Patre volitionem ipſam vt exiſtentem ab æterno. Ergo res iam facta poteſt à Chriſto prudenter peti, & procurari. Reſpondet prima ſententia eum qui petit aliquam rem futuram, ſolum curare de re ipſa quam nititur obtinere, non autem de voluntate quæ iam erat ab æterno. Si autem res adhuc non eſt facta, nec præſens ſed abſens, eo ipſo poteſt eſſe obiectum deſiderij, ac per conſequens & orationis petitivæ prudentis.

2153 Sed tandem communis ſententia replicat, quod Chriſtus erat plenus omnimoda ſcientia à differentia noſtri. Nos autem poſſumus deſiderare, & prudenter petere converſionem noſtram, imò & inclinationem diviné voluntatis ad eam concedendam, quia cognitio dirigens noſtras petitiones re vera præſcindit à multis, ſcilicèt ab exiſtentia æterna divinæ voluntatis, à quibus nequibat præſcindere cognitio Chriſti, & talis præciſsio eſt tota vaſis in qua fundetur noſtræ petitionis prudentia. Primo enim Chriſtus intuebatur quod voluntas Dei de converſione Pauli iam erat ab æterno. Inſuper 2. ſciebat quod medium ſuæ orationis ad converſionem Pauli non poterat iſtam cauſare, aut procurare tanquam cauſa phyſica, ſed tanquam moralis, quæ tamen non habet alium modum cauſalitatis, niſi præcisè movendo voluntatem Collatoris doni, & inducendo vt determinet dare. A quibus omnibus præſcindit cognitio directiva noſtrarum petitionum ad Deum. Ergo ſi præciſsio eſt quæ petitiones noſtras excuſat ab imprudentia, & illa non datur in Chriſto, ſemper manet, quod vel res cognita vt iam facta, poteſt nihilominus prudéter peti (& hic eſt Scopus ſentétiæ cõmunis) vel quod Chriſtus non potuerit de rebus faciendis orare Patrẽ oratione petitiva. Cuius Scopus eſt flectere voluntatem Donatoris, quàm tamẽ ſupponebat, & videbat vt iam ab æterno flexam & determinatam. Propter hæc iterum atquè iterum repeto, quod res hæc mihi eſt ſummè difficilis, & quod poſsitus in medio quo me vertam neſcio. Quæramus viam novam.

ART. III. ET §. I.

ELIGITVR VIA FORTE IN SCHOLIS NON trita de acceptatione & petitione Verbi ab æterno nomine Humanitatis. Ex noſtra Sancta & Extatica Virgine Magdalena de Pazzis Carmelita. Vbi aliqua ex V. M. M. de Agreda.

2153 VIA facilior hanc difficultatem extricandi, erit, ſi potuerimus ſtabilire quod Chriſtus ab æterno actuali quadam voluntate iniverit cum Patre Æterno contractum ex tũc exercitè actualem, & præſentem de ſuæ mortis acceptatione, de hominumq; per ſua merita redẽptione, præmiorumquè à Patre Æterno de iuſtitia donatione, ſimulquè exercuiſſe petitivam orationem pro beneficijs creaturis rationalibus conferendis. Sic enim non præmia præceſſiſſent contractum Chriſti meritorium, nec dona vlla hominibus data: imò nec decreta dandi præceſſiſſent orationem, ſed potius contractus & petitio fuiſſent ante illa, & cauſæ morales illorum.

2154 Probare iſta ſic de facto contingere potuiſſe, haud difficilè erit, ſi ſupponamus ex tractatu de voluntario & involuntario, duplex dari voluntarium: vnum per ſe, & eſt quod quis propria voluntate elicit: & alterum per aliud, & eſt quod quis elicit non per ſe nec propria voluntate, ſed per aliud, in quo voluntas iſtius legitimè colocata eſt, ita vt quod alter fecerit nomine iſtius, iſte (licèt non animaſticè, aut philoſophicè) verè moraliter, juridicè; & ſæpè Theologicè fecerit, præcipuè quoad contractus & iura. Hoc patet in pupilo qui media voluntate præſenti ſui Tutoris, abſquè ſua phyſica, celebrat præſentes, & legitimos contractus de iuſtitia civiliter & iuridicè. Idem poteſt Theologicè evenire. Sic nos licèt nondum exiſteremus, peccavimus in Adam, dum ipſe peccabat, quia erat caput morale noſtrum, & voluntates noſtræ legitimè fuerunt colocatæ in voluntate ipſius, & per ipſius actum peccaminoſum facti ſumus rei culpæ originalis,

Digitized by Google

is, ſicut facti fuiſſemus ex pacto conſortes originalis iuſtitiæ, ſi ipſe perſeveraſſet in illa.

2155 Sed quia diſputantes de Merito ſolutivo ſæpè à nobis repetita eſt à num. 2070. neceſsitas conſenſus pro contractu, & acceptationis rei donatæ, vt Donatarius illam faciat ſuam, & hoc ipſum requiratur in Chriſto vt homine, vt poſſet ab Æterno contrahere cum Patre, cum tamen vt homo non exiſteret tunc: vt videamus quis poſſet legitimè conſentire & acceptare de præſenti pro ipſo, prænotandum eſt, quis poſsit ſtipulari, vel acceptare rem pro Donatario quando iſte abſens eſt. Optimè ad noſtrum intentum Pater Leonardus Leſsius de iuſtitia & iure Lib. 2. cap. 18. dubit. 7. nu. 47. ſcripſit verba ſequentia: *Reſpondeo primo id poteſt omnis, qui ab altero generalem, vel ſpecialem habet commiſſionem. Secundo, &c. 3 Qui aliorum Curam gerunt, vt Tutor pro pupillo, Curator pro furioſo. Item Princeps pro ſubdito: quia cum hic alteri poſsit facultatem facere ſtipulandi pro altero, multo magis ipſe eam habet.* Hæc ille.

2156 Ex his facilè colligitur, quod Verbum ipſum ab Æterno potuerit acceptare & contrahere pro ſua Humanitate, multo ſtrictius quam Adam pro nobis, & quam Tutor pro pupillo, cum non ſolum fuerit poſt Incarnationem decretam, caput morale ſuæ Humanitatis, ſpecialiſsimuſquè ipſius quaſi Tutor conſtitutus ex vi decreti Incarnationis, ſed vnum idemquè ſuppoſitum cum illa, ita vt voluntas Verbi ſpecialiſsima (& provt addens aliquid ad voluntatem communem Trinitati) fuiſſet moraliter quoad contractum, & acceptationem, voluntas Humanitatis ſtrictius quam voluntas Adami fuerit voluntas noſtra. Sic meo videri intelligitur locus ille Pauli 1. ad Corinthios 11: v. 3. dicentis: *Volo autem vos ſcire, quod omnis viri caput Chriſtus eſt; caput autem mulieris, vir: caput vero Chriſti Deus.* Vbi ly *Caput Chriſti Deus* videtur intelligendum de Verbo vt Capite morali ſpeciali Chriſti vt hominis (ſicut maritus eſt caput morale ſpeciale mulieris) ſpecialiterquè obligato vt curet de illo tanquam de aliquo eiuſdem ſuppoſiti. Si enim ſolum intenderet, quod Deus eſt Caput Chriſti generaliter, ſicut & aliarum rerum, ſuperflua videretur monitiuncula illa, *ſcire autem vos volo, &c.* His præiactis.

2157 Aſſero 1. Verbum divinum ab Æterno vt ſpeciale Humanitatis Caput, eiuſquè Tutor ſtipulationem fecit pro ſua Humanitate, acceptando ex tunc mortem nomine ipſius, & ex tunc fuit celebratus de præſenti contractus redemptionis, de Meritis à Chriſto ponendis, præmijſquè à Patre propter illa conferendis. Ductus ſum in hanc cogitationem à Sancta Magdalena de Pazzis in lib. 4. divinarum intelligentiarum cap. 7. nu. 2. quæ (poſt oblatas aquas hauriẽdas in gaudio de fontibus Salvatoris per ſuos Canales) in extaſi in Perſona Æterni Patris ſic loquitur: *Primus Canalis procedens à mortuo Verbo in meo ſinu, quia hic ab Æterno mortem acceptavit, eiquè ſe obtulit, ſunt eiuſdem Verbi verba ab ipſo, & per hos ſuorum divinorum Prophetarum prolata, quorum aliqua, operationes quæ in Cælo ſiũt manifeſtant: alia quæ ſuper terram, &c.* Vbi nota quod Pater Æternus docet plura verba Prophetarum Sanctorum dicta ab ipſis nomine Chriſti habuiſſe originem à Verbo non vtcumquè, ſed ab ipſo vt iam ab Æterno in ſinu Patris mortem acceptante, eiquè ſe offerente tanquam patiendæ in proprio ſuppoſito & Perſona, & hoc pacto de præſenti cum Patre contrahente ſuper morte, & meritis ab Æterno pactatis, & in tempore exercendis.

2158 Sanè vltra fulcimentum tantæ auctoritatis, habet hæc doctrina maximam congruentiam, non ſolum ad vincendas difficultates articulo antecedenti propoſitas, ferè inſuperabiles aliàs. Sed etiam ad explicanda aptiſsimè aliqua Sacræ Scripturæ loca. Apocalipſis enim 13. *Vocatur Chriſtus; Agnus qui occiſſus eſt ab origine mundi.* Quod quidem non poteſt aliter intelligi, quàm quod ſit occiſſus ab Æterno ex actuali acceptatione & contractu: Ex præviſione enim, etiam muſca occiſſa hodie, erat occiſſa ab origine mundi. Secundo, quia ſic optimè intelligitur quomodo Chriſto pro hominibus redimendis, data fuerit optio carnis paſsibilis vel impaſsibilis, & ipſe paſsibilem elegerit ex Paulo ad Hebræos. Poſt decretam enim Incarnationem à tota Trinitate, & genus humani, decreto intentivo, & præviſo eius lapſu proponi potuit à Patre Verbo vt Humanitatis Tutori, an vellet homines redimere per Paſsionem & mortem, an alia via; & Verbum nomine Humanitatis elegit tunc, & acceptavit mortem.

2159 Item 3. quia ſic optimè intelligitur textus ille Iſaiæ 53. verſ. 10: *Et Dominus voluit conterere eum: ſi poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laboravit anima eius, videbit & ſaturabitur: in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſervus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideò diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo quod tradidit in morte animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro transgreſſoribus rogavit.*

2160 Circa quæ verba notandum 1. quod ibi expreſſatur clarè contractus ab Æterno initus cum Patre, & ſuppoſito Chriſti in prima clauſula. Inquit enim quod volente Deo conterere Chriſtum in infirmitate, ideſt in natura humana defectibili, ſive quod moreretur; ad alliciendũ ipſum vt acceptaret mortem, propoſuit ei, quod ſi poneret pro peccato vitam ſuam, daretur ei in præmium ſemen longevum, & quod voluntas Domini per manum & petitionem ipſius dirigeretur in prædeſtinandis iuſtis, vt dicebamus ſupra à num. 2010. Licèt autem dicas, quod conſtat de paterna promiſsione, ſed non videtur conſtare ex hoc textu, de acceptatione ab Æterno (quæ tamen pro celebratione contractus neceſſaria erat) dicimus etiam acceptationem in tali textu inſinuari. Nota illa verba de præterito, *pro eo quod laboravit anima eius. Saturabitur, &c.* Inſuper: pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam. Vtiquè *ly tradidit* de præterito dicitur, & fraſsis Scripturæ ſummenda eſt vt ſonat, in quantum fieri poteſt. Si autem ſermo ſit de traditione per acceptationem, & contractum ab Æterno, multo ſtrictius verificatur quam quovis alio modo.

2161 Si reſpondeas, ſtylum Sacræ Scripturæ eſſe loqui de rebus futuris per fraſsim præteritorum, videtur in præſenti parum ad rem. Tum quia talis ſtylus in aliquo debet fundari. Tum quia illa ſolutio valebit quoties non inveniatur in præteritis aliquid in quo ſolidè fundetur, vt verè invenitur hic traditio ſui ad mortem per contractum ab Æterno. Tum tandem, quia Sancta Pazzis non eſt contenta dixiſſe Verbum ab Æterno acceptaſſe mortem, ſed addidit verba à Prophetis prolata, & à Verbo dictata eſſe Canalem à Verbo mortuo in ſinu Patris, ideſt ab Æterno mortem acceptante, procedentem. Vt ſic autem in ſenſu de præterito, verificari poſſunt & debent. Nullibi autem hoc altius verificatum videtur quam in præſenti Iſaiæ textu.

2162 Confirmo ex eadem Sancta Pazzis lib. 4. cap. 28. num. 1. vbi hæc habet, loquendo in extaſi cum Verbo divino: *Quid in Cruce agis? Sanguinem fundis, ſeptemquè verba profers. Totum hoc in Patris ſinu, & in Maria ventre. In Patris ſinu ſanguinem quodammodo fundis, creaturam tibi ipſi ſimilem efformando, & vt ita dicam, te ipſum ad creaturæ ſimilitudinem ideando, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus vt homo.* Ex quibus conſtat quod in ſinu Patris ab Æterno ſanguinem fundebat, nõ quidem exercitè, benè vero in ideatione, ſive actibus internis ipſius Verbi. Quod clarius patet in Verbis immediatè ſequentibus de petitionibus ad Patrem factis ab Æterno, quæ ſtatim in fine ſequentis §. adducemus.

2163 Confirmatur prędicta acceptatio ſive contractus,

vel quaſi contractus inter Verbum & Patrem ab Æterno ex verbis Venerabilis Mariæ de Agreda tom. 1. de Miſtica Civitate Dei num. 45. vbi loquens de ſigno in quo decreta fuit Mater Dei poſt Verbum, verba ſequentia habet: *Aqui (a nueſtro entender) ſe le diò palabra al Verbo, y ſe le hizo como contrato de la ſantidad, perfeccion, y dones de gracia y gloria, que avia de tener la que avia de ſer ſu Madre, y la proteccion, amparo, y defenſa, que ſe tendria de eſta verdadera Ciudad de Dios, en quien contemplò ſu Mageſtad las gracias y merecimientos, que por ſi avia de adquirir eſta Señora, y los frutos que avia de grangear para ſu pueblo con el amor y retorno, que darìa a ſu Mageſtad.* Hic autem contractus intelligi debet quod fundetur in meritis Verbi Humanati, vt ratione talis contractus tanta dona Beatę Virgini donarentur.

§. II.

DE PETITIONE VERBI AB ÆTERNO nomine Humanitatis.

2164 ASSERO 2. non ſolum contractus, ſed & oratio petitiva poteſt cadere in Verbum ab Æterno, tanquam in Caput morale & Tutorem Humanitatis, ſive nomine non ſuo, ſed Humanitatis. Hoc probo 1. ex Sancta Pazzis lib. 4. cap. 18. num. 1. vbi loquendo in extaſi cum Verbo hæc habet: *Primum verbum quod in Cruce dixiſti, fuit. Pater ign ſce illis. Quomodo hæc dicis Verbum in ſinu Patris, nondum carne noſtra veſtitum, in omnibus illi conforme cum nulla poſsit eſſe difformitas, vbi eſt vnitas & æqualitas perfectiſsima? Formando, plaſmandoquè creaturam, dicis, Pater: eum reddens Patrem, & te ipſum Patrem. Vocando, & inquirendo. Adam vbi es? Dicis, ignoſce. Abelem tanquam iuſtum acceptando dicis, illis; dicendo, Adam terra es, & in terram ibis, & in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, dicis, quia neſciunt quid faciunt. Dicendo, quod neſciunt, quia nò ignorantia oritur culpa, cum culpa pœnam eis oſtendis, & neſcio quid illius pœnæ, quàm pro ipſis in culpa remedium aſſumere debebas.* Quæ quidem verba ſatis clarè adſtruunt in ipſo Verbo quod provt in ſinu Patris exerceat munus petendi à Patre, antequā Incarnaretur. Quod quidem nō eſt attribuendum Verbo ſecundum ſe, & præcisè vt Verbo, ſed Verbo provt aſſumpturo Humanitatem, & provt ſic iam conſtituto caput morale, Tutor & Comiſſarius Humanitatis. In cuius nomine illa ideabat.

2165 Imò quod poſtquam Incarnatus eſt, exerceat munus petendi, non ſolum voluntate Humanitatis, ſed etiam ſua, provt eſt ſuæ Humanitatis Curator & Patronus, conſtat latius ex lib. 4. cap. 9. vbi ex profeſſo agit de petitionibus Verbi ad Patrem Æternum. Vbi cum dubitaſſet, quonam modo poſsit Verbum à Patre petere cum ſit eiuſdem ſubſtantiæ & voluntatis cum illo? Reſpondet, quod *agit hoc, Humanitate mediante.* Nam cum Humanitas ipſa vellit communicare ſuam æqualitatem Beatis, videatquè nequaquam poſſe hanc communicationem ex ſe efficere, ait quod: *Ad ſuum Verbum Divinum accedit, ſciens quod propter incomparabilem, inſuperabilemquè erga eos amorem, exaudietur, cum idem ſit velle Patris & Verbi. Vndè concordes ſimul benevolo, & concordanti affectu, & voluntate conformi ad Patrem accedunt, talemquè petionem efficiunt.* Id ipſum de ſimultate vtriuſque, ſimul petentium repetit in eodem capite.

2166 Eadem habet, eademquè fraſsi petitionis Verbi ad Patrem ante Incarnationem, vtitur Venerabilis Maria de Agreda 1. p. de Miſtica Civitate Dei à num. 111. dicens: *Fue eſta voz del Hijo en nombre de la Humanidad que avia de tomar, pidiendo al Eterno Padre fueſſe hecha la ſalud, &c. y fue como vna peticion ante el Trono de la Santiſsima Trinidad, &c.* Et num. 112. addidit: *Eſta fue la primera vez, que el Verbo en nombre de la Humanidad intercediò por los hombres ante el Trono de la Divinidad; y a nueſtro modo de entender, el Padre Eterno confiriò eſta peticion con las Perſonas de la Santiſsima Trinidad, &c.* Ex quibus ſequitur, non dari repugnantiam, in eo quod Verbum vt Humanitatis caput & Curator, petat aliquid à Patre nomine ipſius antequam Incarnaretur.

§. III.

ARGVMENTA CONTRA PRÆDICTAM ACCEPtationem Verbi ab Æterno.

2167 OBIICIES 1. In Verbo non datur alia voluntas, nec alius actus volendi ab actu Patris, nec alius niſi ille quem habet vt Deus, & ob id eſt ſumma concordia inter Divinas Perſonas. Atqui contractus & acceptatio mortis requirunt diverſas voluntates. Ergo. Reſpondetur in Deo dari ſummam Vnitatem & Concordiam voluntatis, quæ tamen non tollit in Perſonis actus notionales diverſos, & cuiuslibet Perſonæ proprios. Summa autem Concordia ſtat in obiectis volitis. Nil enim poteſt vellè Pater, cuius oppoſitum vellit Verbum. Hæc actuum notionalium diverſitas, ſuaderi poteſt ex dictis à nobis à num. 312. de Trinitate, vbi probavimus, quod iſte actus ſub iſto modo datur in Patre: *Ego genero Filium, ſive, qui generat Filiū in divinis ſum ego.* Qui tamen repugnat Filio, in quo pro æqualitate ſciendi, datur alius in Filio compenſativus illius, nempè *ego generor.*

2168 Similiter evenire poteſt in actibus voluntatis, dum enim Pater dixit in Tabor: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Vox illa propiſsimè erat Patris Æterni, vt communiter aſſeritur à Patribus, & non Spiritus Sancti, nequè Filij: habebat autem triplicem reſpectum: primum phyſicæ cauſationis ad Omnipotentiam, & in hoc ſenſu fuit effectivè à tota Trinitate, vt productio cuiuslibet alterius entis. Secundum ad rem prolatam & ſignificatam, quæ quidem erat Filiatio Æterna & complacentia Paterna. Quæ quidem provt ſic ſignificata, non erat communis toti Trinitati ſed Patri. Erat enim complacentia de illo Filio vt ſuo, quo pacto erat ſolius Patris. Tertium ſuppoſitivum & vocis proprijſsimum, quæ quidem ſupponit pro conceptibus, ita vt vox directè exprimat exterius, id ipſum quod conceptus repræſentabat interius. Sic ſignum ſive Leo vocalis, ſupponit pro ſigno & Leone mentali, geritquè vices ipſius. Si ergo vox in Tabor exprimebat Filium Patris, & complacentiam de eo vt Filio Patris, de iiſdem erant in mente Paterna notionales conceptus & tendentiæ. Vndè in Patre eſt complacentia de eo quod ipſe generet: in Filio autem non eſt complacentia de eo quod generet, ſed de eo quod generetur.

2169 Hæc doctrina ſuaviores reddit aliquas veritates Theologicas, aliàs explicatu difficiles V.g. quomodo Pater Æternus mittat Filium & Spiritum Sanctum, & non ipſi ſe? Miſsio enim conſiſtit in deſtinatione Perſonæ Divinæ ad effectum ad extra. Si ergo deſtinatio ſit per actum voluntatis, & omnes 3. Perſonæ eodem modo vellent, omnes deſtinarent & mitterent Perſonam ab alia procedentem, & miſsibilem. Quomodo ergo non omnes mittunt? Reſpondetur, quod Pater vult & deſtinat Filium vt veniat & Spiritum Sanctum, ipſiquè æquali auctoritate & libertate conſentiunt, voluntate eis à Patre communicata, media æterna productione. Sic etiam intelligitur doctrina Patrum frequentiſsima, tribuentium Divinis Perſonis proprias, & notionales affectiones. V.g. quod in Aſſumptione & Coronatione Beatæ Virginis, vocata fuerit in illo loco Canticorum: *Veni de Libano, ſoror mea Sponſa veni de Libano, veni Coronaberis.* Docent autem vocari per triplex *veni* à tribus Perſonis, & quod Pater Æternus in gloria, (vbi hæc videbantur per viſionem Beatificam, ac per conſequens, in Deo ipſo & non per figuras aut enigmata) Pater in eam oſtenderit ſpecialem charitatem, vt in Filiam: Filius ipſe, vt in Matrem: & Spiritus Sanctus, vt in Sponſam.

Digitized by Google

ſam De quo V.M M. de Agreda tom.3.de Miſtica Civitate Dei num.769.Quæ locutiones,niſi ſupponantur in Perſonis actus & complacentiæ notionales, non æquè benè explicantur. His autem ſuppoſitis,facilius eſt, quod Verbum actu notionali nomine ſuæ Humanitatis,tanquam caput morale ipſius,& mortem acceptaret, & pro nobis peteret.

2170 Obijcies 2. ſi Verbum ab Æterno acceptaſſet mortem, ſequitur Humanitatem non potuiſſe mereri per mortis ſuæ acceptationem. Probatur, quia non liberè in tempore acceptavit, ſiquidem erat ei impoſsibile, ipſam reſpuere, vtpotè iam acceptatam ab Æterno à Verbo nomine ipſius.Ad eum modum quo,Pupillo eſt impoſsibile reſilire à contractu celebrato per Tutorem nomine ipſius. Reſpondetur enim 1.negando quod Humanitas non meruerit, licèt verum ſit, impoſsibile ei eſſe quod reſiliret à contractu. Ratio eſt,quia impotentia non acceptandi reſultans à contractu erat impotentia conſequens.Etenim acceptatio Verbi ſupponebat acceptationem Humanitatis vt à Deo prædefinitā,ac per cōſequēs & præviſam vt ſuo tempore exiſtentem liberè,& antecedenter & independēter à Verbi contractu.Qua poſsita pręviſione,intravit acceptatio Verbi nomine Humanitatis, ptæviſę vt acceptantis.

2171 Nec dicas, adhuc non ſalvari libertatem in acceptatione exercita Humanitatis, ſiquidem modus operandi Humanitatis immutatus eſt, nam quando prævidebatur vt acceptans, prævidebatur acceptans vt non obligata ex contractu.At quando acceptabat prævidebatur vt ſciens contractum, ac per conſequens vt impotens reſilire. Reſpondeo enim, quod quando in re Humanitas acceptavit,non erat immutatus in ipſa modus operandi,quia pro eo tunc propoſita eſt illi caro paſsibilis & mors,modo omninò indifferenti in actu primo, ac per conſequens, abſquè notitia talis contractus, qui vt dictum eſt non ſe tenebat ex parte actus primi ad acceptandum.

2172 Obijcies 3. Auxilia data antiquis Patribus data ſunt ex meritis Chriſti vt præcedentibus, & vt moventibus Patrem Æternum ad illa danda; atqui hoc non verificatur ſufficienter per Verbi acceptationem, quia iſta non erat meritoria: ergo quod daretur ex iſta vt actuali, non ideò dabatur ex meritis. Reſpondetur: aliud eſſe dari ex meritis vt actualibus,& aliud eſſe dari ex contractu meritorum, vt ſuo tempore præviſorum.At vt præmia dentur ex iuſtitia vt nos contendimus,ſufficit dari ex actuali contractu meritorum ſive ex meritis vt pactatis,& vt præviſis in ipſo actuali contractu. Patet,quia contractus iuſtitiæ & obligans ex illa, non ſemper fit per traditionem actualem materiarum commutabilium, ſed ſæpiſsimè traditur ius per ſcripturam autenticè celebratam; v.g. de eo quod Petrus tradet vineam Ioāni poſt ſex menſes, propter pretium centum ſcutorum quod Ioannes ſe obligat dare ei poſt vnum annum. Vndè per hunc contractum actualem, quilibet acquirit ius de iuſtitia contra alterum,ita vt quilibet adimplens ſuo tempore,adimpleat ex iuſtitia,& non adimplens peccet contra iuſtitiam. Sic Pater & Verbum vt Humanitatis Curator pacti ſunt, quod Pater daret antiquis Patribus intuitu Chriſti vineam ſive auxilia & fructus ipſius, & quod Chriſtus multo poſt tempore, daret pretium ſuorum meritorum, & ſic Pater dabat ex tali pacto & cōtractu ſive ex meritis vt præviſis ſuo tempore,& vt de præſenti iam pactatis.In forma ergo reſpōdetur ad maiorem, quod Pater in toto rigore dabat ex meritis Chriſti, non vtcumquè vt ſuo tempore præviſis, nec vt de præſenti exiſtentibus, ſed vt de præſenti pactatis.Et in hoc ſenſu conceſſa maiori & minori, de eo quod acceptatio non eſſet meritoria in Verbo,nego conſequentiam, quia cum ſufficiat acceptatio ad dandum ſtrictum ius, ſufficit etiam vt præmia dentur in rigore ex meritis, videlicèt vt pactatis.

2173 Obijcies 4. ſpecialiter contra Verbi petitionem ab Æterno;quia petitio eſt actus quidam ſummiſsionis; atqui in Verbo omnis actus internus ipſius eſt æqualitatis cum actibus Patris,vt expreſsè notavit Sancta Pazzis cap.19.à num.2165.loquendo de petitione,& implicat eſſe ſummiſſionis: ergo in Verbo repugnat petitio. Reſpondetur: diſtinguendum eſſe inter Curatorem petentem nomine Pupilli & inter Pupillum, vel alium petentem nomine proprio.Petitio nomine proprio debet eſſe cum ſummiſsione perſonali ſua. At Procurator petens nomine Pupilli debet quidem repræſentare ſummiſsionem Pupilli petentis, non autem ſummiſsionem perſonalem ſuam. Et iſte eſt mos inviolabilis Procuratorum in ſchedulis præſentatis ante Tribunal Regum, dum petunt pro ſuo principali hac fraſsi vtentium. Petrus vt Procurator Franciſci nomine ipſius dicit & proponit.Quod,&c. & propterea humiliter petit & ſupplicat, vt ei hoc & hoc concedatur. Verbum ergo per actus notionales ſuos (qui vt ſupra,ſunt æqualiſsimæ dignitatis cum Paternis) repræſentans Humanitatis merita,ſimul ponit ante oculos Patris humilem petitionem ſuam nomine ipſius.

2174 Sed fortiter replicabis.Hæc petitio in Verbo ab Æterno,introducitur à nobis pro præcedentia temporis ad reſpondendum quomodo Chriſtus vt homo potuerit petere,quod iam videbat factum. (Per hanc enim doctrinam ſalvatur quod petijt antequam eſſet factum, imò quod factum ſit per Chriſti orationem).Atqui nodus hic per iſta non ſolvitur. Ergo. Probatur minor,quia ſicut acceptatio Verbi ab Æterno non liberat Humanitatem ab acceptatione exercita ſua perſonali in tempore, ita nec petitio Verbi eam eximit à ponenda petitione ſua formali in tempore,imò illa videtur pignus ad iſtam. Atqui quando peteret in tempore,peteret quod iam erat factum.Ergo nūquam liberatur Humanitas à ſcopulo ignorantiæ, vel imprudentiæ petendi quod iam erat factum.

2175 Reſpondetur 1. ſupponendo cum multis,Chriſto fuiſſe neceſſariam ad redemptionem & obtentionem donorum pro nobis,mortis acceptationem,eiuſquè meritum; ſed non fuiſſe neceſſariam ad hoc orationem vel petitionem; ſufficiebat enim contractus. Oratio ergo poſsita eſt ex ſuperabundantia & reverentia & bono exemplo. Vndè poſſemus reſpondere, quod ſicut Tutor facit apud Tribunal petitiones nomine Pupilli,quas tamē Pupillus numquam eſt facturus,& hoc non eſt anticipare petitiones Pupilli,ſed facere petitiones de his quæ Pupillus prudenter creditur facturus,ſi adeſſet.Idem potuiſſet facere Verbum ab Æterno nomine Humanitatis, quamvis iſta numquam eſſet petitura. Nec valet paritas de acceptatione mortis. Tum quia in iſta non eſt inconveniens allegatum deſiderandi obiectum non abſens, ſicut in petitione. Tum quia oratio non fuit neceſſaria ad redemptionem, ſicut acceptatio exercita mortis.

2176 Reſpondetur 2.diſtinguendo duas orationes.Vna abſolutè petitiva, altera eſt abſolutè ratificativa vel gratificativa (& pro bono exemplo,& reverentia hæc ſufficeret) conditionatè autem quaſi petitiva; vt ſi Procurator petens nomine Pupilli Infantis modo iam dicto,promitteret Regi vel Iudici in ipſa petitione, *quod cum Pupillo adeſſet vſus rationis,ipſe accederet ad petitionem ratificandam,* & quod tunc Pupillus diceret:*Si ego adfuiſſem dum Procurator meus petebat, humiliter petijſſem,& ſic venio nunc ſicūt & gratificans.* Idem potuit accidere in Chriſto.Et tandem 3. reſpondetur quod Humanitas dum iam aderat, potuit orare oratione abſolutè petitiva, modo quo declarabimus articulo ſequenti.

(✝)

ART. IV.

Digitized by Google

ART. IV. ET §. I.

Aperitvr via pro oratione petitiva Chriſti vt hominis. Vbi de iudicio indifferenti pro libertate.

2177 ADVERTE 1. deſiderio rei & orationi petitivæ rei deſideratæ, non officere, quod res iam ſit facta, ſed ſolû officere quod proponatur vt facta. Si enim propoſitio ipſius rei præſcindat à ratione iam factæ, prudenter peti poteſt; ſic Eccleſia petit à Deo non ſolum res fiendas, ſed etiam affectus internos Dei etiam practicos & effectivos, dum ait: *Dignare Domine die iſto ſine peccato nos cuſtodire*: dignatio autem eſt actus internus & exiſtens iam in Deo; proponitur tamen ab intellectu præſcindendo ab exiſtentia.

2178 Vndè non obeſt ſcientia in habitu, de eo quod res ſit iam facta; ſed requiritur advertentia expreſſa in actu, vt poſsit officere petitioni. In habitu enim quilibet mediocriter Theologus habet ſcientiam, de eo quod omnis affectus internus Dei practicus & effectivus exiſtat ab Æterno, & nihilominus non excitatur talis ſpecies impreſſa regulariter, & propterea nitimur noſtris petionibus divinam voluntatem inclinare, vt vellit nobis miſereri. Idem evenire poteſt quoties cognoſcimus rem iam factam, tamê neſcimus an in partem nobis bonam vel malam, facta ſit. Ratione enim illius diſiûctionis, poſſumus petere & conari pro determinatione in partem favorabilem. Sed quomodo id poteſt venire in mentem viro Theologo verè ſcienti, quod non potuerit res eſſe iam facta, quin ſit facta in parte determinata? Reſpondetur id benè poſſe evenire, ſi ex aliqua inconſideratione vel imponderatione repugnantia illa non appareat, vel non ponderetur, de quo ſtatim.

2179 Adverte 2. quod licèt Chriſtus Dominus vt homo fuerit plenus omnibus ſcientijs, ac per conſequens infuſa, non tamen propterea circa omnia obiecta talis ſcientiæ fuit ſemper in actu cognoſcendi ea, ſed modo excitabatur ſpecies ad cognoſcendum vnum obiectum, modo aliud provt ſe offerebat occaſio. Vel provt petebat ſtatus rerum. Et hoc habet verum ſive ſpecies impreſſa de illis eſſet realiter multiplex, ſive realiter vna & virtualiter multiplex. Eſſet enim intolerabile Chriſto vt homini pondus tantarum ſimul vel tantæ cognitionis, & ita defatigaret caput, vt ſine miraculo ſuſtinere non poſſet. Hoc intellige de ſcientia infuſa. (De Beata autem quid ſentiendû, ſtatim.) Vndè quod Chriſto proponeretur vnum obiectum, quin pro tunc proponeretur aliud, nequè excitaretur ſpecies de alio (ſive hoc poſsit provenire ex natura rei, & ex communi providentia, ſive ex ſpeciali vt de Beata Virgine diximus cum Maria de Agreda à nu. 689. de Fide) in hoc nulla apparet repugnantia.

2180 Adverte 3. iuxta dicta ſupra à num. 1816. valdè curandum Theologo pro actibus liberis Chriſto poſsibilibus ſtabilire ex parte intellectus humani Chriſti benè atquè cordate diſponere cognitiones directivas talium actuum; præcipuè autem iudicium indifferens, quod quidem apud omnes eſt radix libertatis Et propterea de tali iudicio indifferenti quomodo ſit ita temperandum circa obiecta vt conformia Divino beneplacito cognito per ſcientiam Beatam, vt non rapiat voluntatê Chriſti, egimus (& invenies ſatis Theologicè ponderatam difficultatem conſervandi in Chriſto iudicij indifferentiam) ſupra à nu. 1830. vbi inter Chriſtum vt Beatum, & vt Viatorem appoſuimus quaſi parietem interdicentem influxum directivû illius in iſtum. Itê, quia adhuc reſtabant aliæ difficultates ortæ ex alijs cognitionibus Chriſti, quaſi oprimêtes indifferentiam iudicij, iterum à num. 1851. & 1872. temperavimus in Chriſto tales cognitiones, vt indifferentia iudicij poſſet ſalvari illæſa, abſtinente Chriſto à ponderatione alicuius veritatis, ſive præſcindente ab illa, vel pro ſuo libito nolendo ſe applicare. Vel Deo negante ſpeciei excitationem.

2181 Aſſero 1. Chriſtus in via potuit petere à Patre res faciendas eaſquè deſiderare, vtpotè propoſitas tanquam abſentes. V. g. auxilia danda Divo Petro pro converſione. In hac concluſione conveniunt omnes; eo quod tale deſiderium erat rei propoſitæ vt abſentis, & vt factibilis. Nec pro hac petitione elicienda, neceſsè erat quod Chriſto repræſentaretur, quod illa petitio erat ad inclinandam & determinandam divinam voluntatem, quæ tamen iam ab Æterno erat determinata. Nulla enim eſt repugnãtia in eo quod Chriſto pro tunc nil de his quæ ſciebat in habitu, repræſentaretur in actu & expreſsè. Et ſic poterat petere ſicut nos petimus.

2182 Aſſero 2. Chriſtus in via potuit petere auxilia data antiquis Patribus oratione petitiva. Ita communior ſententia. Probatur 1. quia potuit offerre ſatisfactionem condignam pro eorum peccatis, ita vt intuitu talis ſatisfactionis vt pręviſę, Pater remitteret eis peccata. Item potuit eis mereri merito remunerabili talia auxilia, ſua merita applicando, vt propter illa Pater in præmium ipſorum, daret illis auxilium. Ergo etiam potuit pro eis ſalvandis rogare oratione petitiva. Conſequentia probatur, quia non minus ſatisfactio & merita, eorumquè applicatio pro præmio, habet prioritatatem motionis reſpectu præmij, poſtulatquè vel abſentiam præmij vel ſaltim præciſionem à præſentia, quàm eas poſtulent affectus deſiderativi, atquè oratio petitiva. Ergo ſi hoc non obſtanti ſatisfecit, & meruit auxilia multo ante Patribus data, ergo etiam potuit ea deſiderare & petere.

2183 Secundo probatur, quia ſi Chriſto proponerentur ſua mortis acceptatio vt pręſens, tanquam meritum, & auxilia antiquorum Patrum ſecundum ſe & omninò præſcindendo à pręteritione; tunc ſine vllo inconvenienti poterat Chriſtus ea deſiderare & petere. Atqui nulla eſt repugnantia in eo quod Chriſto tali modo proponerentur, per ſpeciem ſcientiæ infuſæ: ergo nec in eo quod propter merita præſentia ſic ea petierit. Minor probatur, quia poſsibilis eſt ſpecies impræſſa repręſentans quiditativè talia auxilia vt actualia, & exiſtentia, quin repræſentet tempus determinatum in quo exiſtant. Vndè ſi talis ſpecies poneretur à Deo in Angelo in die in quo creatus fuit, vel in Chriſto ſi productus fuiſſet in initio mundi, repręſentaret eis auxilia illa ſecundum ſe, ita vt licèt alia cognitio poſſet ea repræſentare eis vt futura vel præterita, ſecus hęc. Ablata iſta cognitione de futuritione, prior illa repræſentaret ea ſecundum ſe, pręſcindendo à futuritione vel pręterione.

2184 Et confirmatur hoc, quia Chriſtus certè oravit & petivit à Patre auxilia, vt poneretur à Deo pro converſione Petri. Licèt autê iã eſſent abſolutè futura, præſcindebat tamê illa repræſentatio à futuritione abſoluta eorum. Nõ obſtãte quod ſciẽtia infuſa Chriſti, vtpotè intuitiva, poſſet non minus, quàm ſciẽtia viſionis Dei, intueri converſionem Petri, vt exiſtentem pro ſuo tempore. Suſpendebatur tamen vel ſpecies, vel concurſus, ne intueretur vt exiſtentem ſuo tempore, ſed præſcinderet ab exiſtentia. Nullum autem eſt inconveniẽs quod talis ſpecies reperta eſſet in intellectu Chriſti, & quod ea repręſentaverit actualiter illa præmia provt ſecundum ſe: vt ſic autem repræſentata nullum important impedimentum ad affectum deſiderativum aut petitionem.

2185 Tertio alia via & exemplo ſupra adducto à num. 2073. de eo qui ad meditandam v.g. Nativitatem Chriſti in Bethlem, prius præparat compoſitionem loci, figurando ſe quaſi præſentem ibi in diverſorio illo; in quo parituram conſiderat Beatam Virginem, ibiquè meditatur partum ſpectatum & modum eius, non quidem vt factos,

Digitized by Google

ſed quaſi tunc ipſo præſente fiant,& Beata Virgo puerum pannis involvat, ipſeque ex deſiderio vt puer adoretur à IOSEPH, & ab animalibus ſuo alitu foveatur, roget Virginem,vt ponat eum in præſepio. Si ergo iſta omnia licet iam facta,poſſunt Meditatori ita proponi, præſcindendo à præteritione,vt poſsint deſiderari, & peti quod fiant, cur non idem poterit evenire in Chriſto reſpectu præteritorum? Semel enim probato & admiſſo quod non ſit neceſſe Chriſtum vt hominem ſemper cognoſcere omnia obiecta ſcientiæ infuſæ in actu ; ſuppoſito etiam quod ad Deum attineat excitatio ſpecierum, velut ad cauſam generalem, vel vt ad ſpecialem excitando hanc, & ſuſpendendo illam pro exercendis actibus meritorijs vt diximus à num.689. de Fide,in prædicta cognitionum diſpoſitione & iudicij indifferentis præparatione nullum eſt inconveniens. Vndè potuit Chriſto infundi à Deo ſpecies impræſſa, per quam (ad inſtar compoſitionis loci)intellectus Chriſti retrotraheretur ad repræſentandum Chriſtum quaſi eſſet præſens in initio temporis (vel fortè melius ab Æterno) & ibi ſic poſitum cum acceptatione exercita mortis, tanquam repræſentativè priorem auxilijs Patrum, imò & decreto de illis, petentemque pro illis,quo pacto nihil repræſentaretur vt prius factum, ſed vt faciendum, ac per conſequens nihil proponeretur quod poſſit petitionem impedire.

2186 Confirmatur,quia nulla eſt repugnantia in eo quod detur Chriſto in via ſpecies impreſſa exemplata ab eſſentia Divina,repræſentans ea quæ propoſita fuerunt Verbo de meritis & præmijs dum ab æterno acceptabant nomine Humanitatis & petebant : ergo poſſet repræſentare Chriſto illam ſeriem vt ponibilem , & itam poſſet petere poni exercitè.

2187 Imò ſuppoſito Divino decreto de eo quod Chriſtus eſſet Viator,& quod vt talis liberè applicaret ſatisfactionē & merita pro antiquis Patribus,vt eis mereretur ſalvationem,tenebatur Deus ex lege primæ cauſæ diſponere Chriſto vt Viatori media ſimpliciter neceſſaria,vt poſſit liberè mereri talia præmia. Cum autem vnum ex medijs neceſſarijs ſit iudicium indifferens & repræſentatio prǫmij provt donabilis,& præſcindendo à iam donato,debebat hoc pacto Deus attemperare ſpecierum excitationem,imò & impedire quod excitarentur illæ quæ huic intento officere poſsint. Si autem talis ſuſpenſio poterat & debebat fieri in ordine ad meritorum ſuorum applicationem pro merito faciendo , & pro præmio decernendo, & pro poſteriori dando , non eſt cur non dicamus idem de impeditione excitationis ſpecierum quæ officiant orationi petitivę.

§. II.

ARGVMENTA SOLVVNTVR VBI ALIA VALDE notanda.

2188 OBIICIES 1. contra talem ſpeciem impreſſam poſitam in tempore in intellectu Chriſti , repræſentantemque ſeriem rerum, ſicut ſi Chriſtus fuiſſet productus ab æterno eique data talis ſpecies. In eo caſu talis cognitio Chriſti in tempore non potuiſſet excuſari à falſitate, quæ in Chriſto admitti non poteſt. Probatur aſſumptum.Quia tunc repræſentaret Chriſto ſeriem illam vt futuram comparativè ad Chriſtum cognoſcentem,ſicut repræſentaret eam vt futuram Chriſto ſive Angelo productis in initio temporis vel ab æterno , cum tamen magnam partem ipſius deberet repræſentare vt præteritam: ergo eſſet inexcuſabilis à falſitate.Ad eum modum quo ſi ſpecies illa Iſaiæ per quam dixit : *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium*: infunderetur hodie alicui,qui per eam idem diceret,non poſſet excuſari talis cognitio,non ſolum à falſo,ſed neque ab hæreſi.

2189 Pro reſponſione nota 1.ſolum reperiri falſitatem in iudicio,non autem in appræhenſione, neque in ſimplic intuitu non aſſertivo,nec affirmante aut negante. Nota 2. ad deſiderium ſive ad petitionem non requiri propoſitionem affirmativam rei,ſed ſufficere ſimplicem propoſitionem rei repræſentatæ vt poſsibilis & bonæ , vt dicitur communiter in tractatu de actibus humanis pro elicienda intentione,etiam efficaci rei. Adverte 3. ſpeciem impræſſam,licèt repræſentet obiectum, ipſam tamen ex ſe non eſſe affirmativā,ſed nude proponere obiectum ſecundum eſſe obiecti : modus autem tendendi in illud appræhenſivè vel iudicativè, eſt quid proveniens ſpecialiter ab intellectu & proprio modo tendendi ipſius. Vndè Pater Arriaga in curſu Philoſophico benè docuit propoſitionem affirmantem à non affirmante differre , in eo quod affirmans non ſolum repræſentat rem eſſentiam , ſed etiam inſtans temporis determinando v.g. *Petrus currit* : determinat inſtans præſens,ita vt propterea doceat propoſitionem non poſſe tranſire de vera in falſam , quia ceſſante curſu Petri,ſi propoſitio ſemel vera perſeveret,vera perſeverat , quia repræſentat inſtans illud in quo fuit producta,& reſpectu illius ſemper eſt vera : idem dic de *Petrus cucurrit*,& etiam de: *Petrus curret*. Vndè ſi modo quis dicat in mente *Petrus currit* , & hæc propoſitio duret per vnum annum, & interim Petrus ceſſet à curſu , adhuc illa propoſitio , *Currit* perſeverat vera, quia comparativè ad tempus,in quo producta eſt,verum eſt quod currit. Vndè tenenda eſt in memoria valdè diverſitas illa Sumuliſtica Nominis & Verbi. Verbum enim ſignificat cum tempore ſive determinat tempus.Nomen autem licèt ſignificet tempus,tamen non determinat illud. His poſsitis.

2190 Reſpondetur ad argumentum negando, quod talis cognitio eſſet falſa , licèt repræſentaret ſeriem illam factibilium ab initio mundi vſque nunc, & vltra ; ac per conſequens repræſentaret etiam omni a tempora;tamen vel non repreſentabat cum tempore , ideſt determinando tempus hoc præ alio. Vel ſi repræſentabat cum tempore, ſive tempus determinatum, & futurum,repræſentabat vt futurum comparativè ad æternitatem , ſive,vt ita dicam more noſtro imperfecto ad compoſitionem loci pro tali quaſi meditatione. Sic enim propoſita ei tali ſerie rerum ſicut pro omnibus applicabat ſua merita vt fierent,ita poterat orationem petitivam.

2191 Vndè ad probationem negamus quod talis ſpecies repræſentaret ſeriem illam vt futuram comparativè ad Chriſtum provt in tali tempore;nam vel non repræſentabat vt futuram,nec cum tempore ſed ſecundum ſe; vel ſi repræſentabat cum tempore,non comparativè ad tempus Chriſti,ſed comparativè ad inſtās æternitatis,in quo ſigebat obtutum ad inſtar compoſitionis loci. Ad illud de ſpecie Iſaiæ reſpondetur, quod in Iſaia non repræſentabat adventum Meſiæ ſecundum ſe,ſed cum tempore,ideſt determinando ſimul tempus futuritionis comparativè ad tempus cognoſcendi.Et hoc pacto ſi talis propoſitio produceretur nunc,eſſet falſa.Secus ſi talis ſpecies repræſentaret adventū ſecundum ſe,& per illam quis meditaretur adventum ſecundum ſe præſcindendo à tempore. (Talis enim meditatio nō eſſet affirmativa nec ſignificativa cum tempore) vel ſi facta compoſitione loci per obtutum purè appræhenſivum pro tempore Iſaiæ,comparativè ad illud affirmaret futuritionem.Et ſic eſſet vera.

2192 Obijcies 2. ſaltem propoſitio illius ſeriei,vel ſecundum ſe,vel comparativè ad inſtans æternitatis , eſſet quædam ſpecies quaſi deceptionis , licèt non falſitatis, deciperetur enim humanitas,ſe ipſam in confinio æternitatis conſiderans,vt ex illo,tanquam ex alta turri illius ſeriei,futuritionem meditaretur. Reſpondetur negando talem deceptionem. Quia aliud eſt Humanitatem per ſpeciem repræſentativam Æternitatis & ſeriei vt poſterioris illa , repræſentare Æternitatem & ſeriei poſterioritatem ad illam , & aliud eſt repræſentare ipſam Humani-

tatem vt in Æternitate præſentem, ibi quæ talia cognoſcentem, vt illam ſeriem peteret. Optimè enim poteſt primum abſq; ſecundo repræſentare. In illo autē primo nulla datur deceptio, vt per ſe patet: Beati enim vident Beatificè in Deo inſtans Æternitatis & poſterioritatem ſeriei ad illud (licèt hæc ſcientia differat ab infuſa, quia illa repræſentat eum tempore, infuſſa vero præſcindēdo à tempore.

2193 Nec item in ſecundo datur deceptio: plenæ enim ſunt hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, de eo quod plurimę animæ iuſtæ deportatæ fuerint in ſpiritu in Bethleem in Nocte Nativitatis, vt viderent progreſſum ſucceſsivum Nativitatis Chriſti, involutionem in pannis, & reclinationem eius in præſepio, quaſi tunc eveniret. Idem de aſportatione earum in ſpiritu vt aſsiſterent Chriſto in ſua flagelatione vel coronatione, alijſquè ſimilibus Myſterijs. Ipſis autem tunc talia Myſteria ita repræſentabantur, vt tunc evenientia (non obſtante præcedentia temporis ad ipſos in tanta annorum multitudine) ac ſi poſt ipſos iam exiſtentes eveniret. Eodem pacto potuit Chriſtus vt homo poni in ſpiritu pręſens ſtatui illi rerum præcedenti ſeriem omnium faciendorum, imò & decreta ipſa de illis, ita vt proponeretur Chriſto à Patre creatio omnium & lapſus generis humani, & præceptum moriendi pro ipſo, & quod ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, Pater promittebat ei ſemen longevum, & quod voluntas Patris decerneret ea quæ ipſe vellet petere: hoc enim ſonat illud Iſaiæ 53. *Voluntas Domini per manum eius dirigetur.*

2194 Replicabis hoc non poſſe excuſari ſaltim à deceptione, ſiquidem cum re vera vt homo cepiſſet eſſe homo in tempore, repræſentatio ingerebat ipſum vt hominem æternitati ab Æterno. Reſpondeo 1. inſtando replicam. Vel enim Sancta Pazzis (& aliæ animæ iuſtæ) dum in ſpiritu aſsiſtebat præſens flagellationi Chriſti, patiebatur deceptionem, vel non? Qui deglutiat quod patiebatur eam, cum non poterat ipſa eam pati, niſi Deo ſpecialiſsimè in illa extaſi, vel tranſportatione in ſpiritu deceptionem inducenti, deglutiet, quod Chriſtus etiam poterat illam pati in re non officienti, imò vt conditione ad meritum proficienti. Multo enim minus importat imperfectionis pati deceptionem phyſicam, quàm eſſe cauſam ſpecialem moralem deceptionis.

2195 Qui autem in Sancta Pazzis deceptionem non admittat, multo minus in Chriſto admittere debet. Ratio autem cur non datur deceptio in eo qui aſsiſtit in ſpiritu rei præteritæ eſt. Primo, quia talis Perſona cognoſcit illam rem quaſi fuiſſet ibi dum fiebat, non tamen cognoſcit ſe vt eſſentem ibi. Non enim reflectit ſupra ſuam pręſentiam, aut modum eſſendi ibi: ob cuius reflexionis defectum Sanctus Paulus poſtquam reverſus fuit ex raptu, non potuit atteſtari an in Cœlo fuerit in corpore, vel extra corpus, & ſic dixit quod ipſe hoc neſciebat. Reſpondetur 2. quod licèt faceret reflexionem ſupra ſe vt præſentem ibi (nulla facta mentione, nec cognitione de loco, & tempore realibus in quibus talis Perſona phyſicè tunc exiſtebat in corpore) cum ipſa reflexio eſſet ſupra ſe præſentem ibi per puram appræhenſionē & ſimplicem intuitū, & omninò præſcindēdo à præſentia phyſica, & in corpore, hinc fit quod ibi nulla erat deceptio, ſed pura præciſſio ab omni obiecto aliter ſe habēte. Vid. à n. 312. de Fide.

2196 Replicabis 2. quod in extaſi & raptu nullum datur meritum, quia voluntas tunc operatur vt rapta. Atqui acceptatio & petitio Chriſti, modo & ſecundum ſtatum quo à nobis plantatę ſunt, fuerunt factæ in extaſi vel raptu: Ergo ſine Chriſti merito. Reſpondetur in primis negando maiorem cum Gravina in Lapide Lidio lib. 2. c. 18. vbi ex profeſſo defendit nec extaſim, nec raptum, licèt adferant ligationem ſenſuum, impedire vigilias rationis (vt loquitur Rupertus) nec vſum libertatis. Vndè Prophetæ in aſſentiendo his quæ interius ipſis à Deo revelabantur, exercuerunt fidem & meritum.

2197 Reſponderi poteſt 2. negando Chriſtum in prædictis cognitionibus paſſum fuiſſe raptum (ille enim ſupra extaſim addit violentiam ab extrinſeco, quam Chriſtus paſſus non eſt). Nec item extaſim, quia ex Gravina citato cap. 18. extaſis eſt alienatio à ſenſibus in aliquod intelligibile, vel ſupra ſenſum & rationem, vel extra cognitionem ſibi propriam. Chriſto autem quælibet cognitio ſcientiæ infuſæ, & præcipuè prędicta erat maximè propria, nec poterat eſſe ſupra ſe, ſed valdè iuxta ſe.

2198 Obijcies 3. hic modus operandi in Chriſto non poteſt ſalvari niſi ex eo quod res facta non proponatur ei vt res iam facta. Hoc autem debet provenire ex quadā inconſideratione. Atqui hęc repugnat in Chriſto. Ergo. Maior patet exemplo Luciferi, qui appetivit & deſideravit quod erat impoſsibile, nempè contra voluntatem Dei, conſcendere in Cœlum, & eſſe ſimilem Altiſsimo. Quod tamen invito Deo erat ei lumine naturę evidenter in habitu impoſsibile; non tamen pro tunc fuit in actu eo quod conſiderationem diverterit ad pulchritudinem, & perfectionem ſuam, abſtinendo à conſideranda Omnipotentia Dei, cui nemo valet reſiſtere, de quo diximus à num. 726. de Fide. Cum autem res iam primo facta impoſsibile ſit quod primo fiat, ſi Chriſtus offerebat ſua merita, & petebat vt primo fieret, hoc non poterat provenire niſi ex inconſideratione de eo quod eſſet facta, vel quod poſſet primò fieri. Minor autem probatur, nempè quod inconſideratio repugnet Chriſto: quia talis inconſideratio eſt cognitio imperfecta attenuata & repræhenſibilis, & qui ſic operatur, notari ſolet quod inconſideratè procedat, quod Chriſtum multum dedecet.

2199 Reſpondetur tamen negando ſuppoſitum ſecundæ partis maioris. Fatemur enim quod Chriſto res facta non proponebatur vt facta, ſed id non proveniebat ex inconſideratione, ſicut in Lucifero voluntariè non ſe applicante ad conſiderandum, ſed procedebat ex non excitatione ſpeciei impreſſę, ſive ex divina impeditione de re vt iam facta, ſicut diximus de Beata Virgine à n. 689. de Fide. Quod ſi ſupra hic à n. 1879. admiſimus in Chriſto impōderationem, ſive defectū ponderationis, qui videtur inconſiderationi æquivalere. Reſpondetur, illum defectum conſiderationis potuiſſe eſſe phyſicum, & non moralem; quia ſpecies, ne impediret indifferentiam iudicij, non excitabatur pro plus diſtincto. Et ſic nō æquivalet incōſiderationi, quę cōmuniter ſumitur pro defectu morali cōſiderationis.

2200 Reſpondetur 2. negando omnem imponderationem aut inconſiderationem etiam voluntariam eſſe reprehenſibilem. Sæpè enim obiectis malis, & fugiendis diverſio ab eis ad alia obiecta retrahentia (id eſt illorum imponderatio, & inconſideratio) aſſumitur honeſtè vt medium ad benè operandum, & malum fugiendum. Sic potuit Chriſtus, vt daret locum ſuę libertati, & merito, vti prædicta imponderatione, ſive diverſione voluntariè, quantum fas erat pro libertate exercenda meritoriè, & hæc, quando eſt in bonum, non vocatur inconſideratio.

2201 Ex his patet ſolutio ad argumenta adducta à num. 2139. concedimus Chriſtum meruiſſe, & oraſſe pro Patribus antiquis petendo res iam phyſicè & exercitè factas, ſed non propoſitas provt factas, ſed provt factibiles pro poſteriori. Dabatur enim in intellectu Chriſti propoſitio decretorū & rerum præſcindēdo ab eorum exiſtentia. Dices. Ergo illa oratio non erit efficax, ſiquidem ſupponit res factas. Nego conſequentiam, quia ſupponit eas tempore, ſed non cauſalitate: nam factæ ſunt à Deo, quia prævidit Chriſtum poſitum in ſpiritu (non corpore) quaſi in culmine æternitatis, & inde prudenter petentem, eo quod non proponebātur vt facta, & ideò fuerūt à Patre decreta.

§. III. *QVID DE CHRISTO IN COELO.*

2202 OBIICIES tandem quod hæc præciſio ab exiſtentia decretorum incredibile eſt quod detur in

Digitized by Google

in Chriſto exiſtente in Cœlo. Ergo ibi nec poteſt petere formaliter à Patre res faciendas, nec petere interpretativè per oſtenſionem vulnerum. Tum quia vtroquè modo intenderet inclinare & movere Divinam voluntatem, quàm iam videbat motam ab Æterno. Tum quia vtraquè ſcientia in Cœlo, Beata nempè, & infuſa eſt inſtar ſcientiæ viſionis de rebus, prout iam ſuo tempore factis. Cum qua præviſione incompatibilis eſt petitio vt fiant, ſiquidem prævidentur iam facta. Antecedens autem videtur patens, ſiquidem ſtatus Patriæ tam plenus divino lumine non patitur præciſiones, nec permittit volubiles cogitationes, vt dixit Auguſtinus. Eſſent autem volubiles, ſi vna cognitio repræſentaret rem præſcindendo eam à facta, & alia repræſentaret poſtea vt iam factã. Si dicas id eſſe verum de ſcientia Beata, ſecus de infuſa. Contra, quia ſi Beata repræſentat voluntati vt iam factas, voluntas non poteſt petere vt fiant, niſi interponatur paries, vel velum ocultans vni ſtatui, quæ ſunt alterius ſtatûs. Quod in Patria non habet locum, cum iam non detur ſtatuum multiplicitas, nec meritum, propter quod introducta eſt ipſa, & velum eos dividens; neceſsitas autem petionis non eſt tantà vt propter rigorem ipſius ſit velum conſervandum.

2003 Grave mihi eſt hoc argumentum. Reſponderi poteſt tamen 1. in Chriſto in Cœlo non dari ſtrictam orationem petitivam voluntatis vt fiat, ſed ſolius annuitionis de executione hic & nunc, ſive beneplaciti & complacentiæ paternæ, vt diximus ſupra à num. 2133. Si autem replices quod illa annuitio & complacentia, cum ſit actus voluntatis, iam videtur à Chriſto vt exiſtens ab Æterno. Negamus tamen, quia vt diximus à num. 2094. & ex profeſſo in tractatu de voluntate à nu. 391. complacentia divina poteſt non præſupponi, ſed induci in tempore.

2004 Reſponderi poteſt 2. (incedendo via aſperiori & difficiliori, non tamen improbabili) fortè non repugnare adhuc reſpectu ſcientiæ Beatæ præciſionem & ocultationem ſupraſoſitas (& ſi hoc eſſet verum, multo minus reſpectu ſcientiæ infuſæ, atquè portionis liberæ Chriſti in Patria, nec repugnare interpoſitionem velaminis aliquando). Nota autem pro eo quod attinet ad ſcientiam Beatam, noſtrum Cornexo tom. 2. tract. 2. de Incarnat. circa quæſt. 10. diſp. 1. dub. 4. fol. 172. diſputare vtrum anima Chriſti hos effectus quos videt in Verbo formaliter, videat actualiter & ſimul; an non, niſi ſucceſsivè & habitualiter? P. Vazquez tom. 1. in 1. p. diſp. 54. cap. 1. defendit Chriſtum per viſionem Beatam non ſimul omnia videre actu, ſed ſucceſsivè. Pro qua ſententia citat Scotum, Marſilium, Almainum, Cayetanum, Ferrarienſem & alios. Imò & D. Thomam 1. p. q. 57. art. 5. vbi docet de Angelis Beatis, quod viſione Beatifica, viderint in verbo aliqua Myſteria gratiæ, quę non viderant per eam ab initio creationis. Et idem ait Venerab. Maria de Agreda tom. 3. de Miſtica Civitate Dei à nu. 769. manifeſt. 21 ſcilicèt fuiſſe Beatis à Deo in ſe ipſo quædam decreta circa gloriam Virginis in die Aſſumptionis ipſius. Et licèt D. Thomas 1. p. quæſt. 12. art. 10. quem communiter Thomiſtæ ſequuntur, & etiam Cornexo citatus, docuerit Beatos ea quæ vident in Verbo, videre omnia ſimul, fortè fuit problematicè in vtraquè ſententia.

2005 Diſputat autem Vazquez citatus, an hæc ſucceſſivo cognoſcendi in Verbo fiat per viſionem illam Beatificam ſemper permanentem, vel per aliam, quæ etiam ſit in Verbo, priori adiũctam, & ab ea ſaltìm numero diſtinctam? De hac 2. intelligit & explicat prædictos Auctores, idquè ſequitur ipſe; quia impoſsibile ei videtur, quod eadem viſio manens eadem numero, repræſentet modo vnum, modo aliud. Et ſanè cum repræſentatio debeat eſſe vitalis, apparet non parum difficile. Nihilominus Ferrarienſis apud ipſum Vazquez defendit hanc ſucceſsionem repræſentandi convenire de facto eidem numero actui. Villar autem controv. 34. aſſert. 3. defendit hanc ſucceſsivam variationem eidem numero viſioni Beatæ non repugnare cum ſit circa obiecta ſecundaria, & in viſionibus ocularibus idem admittit de facto. V. g. in viſione albedinis mutantis diverſas figuras trianguli aut quadranguli, vel ſortientis diverſos motus, quæ viſio immutata perſeverans ob permanentiam obiecti eſſentialis ſpecificativi & potentiæ, ſive luminis, mutationem habet in ſecundarijs.

206 Quod autem hoc poſsit habere locum in Deo, probat, & explicat ratio ſpeculi voluntarij ſic. Ponat ſe Petrus ante ſpeculum clariſsimum reſpiciendo illud, & ſe in illo intuitu fixo. Hæc eadem viſio ſui in ſpeculo immutata perſeverans repræſentat Petrum immobilem dum immobilis perſeverat; mobilem vero ſi caput moveat. Item repræſentat Petrum ſolum, dum Petrus ſolus eſt ante ſpeculum. Si autem vel homo, vel muſca adveniat à tergo, eos videt in ipſo ſpeculo, eademquè viſione qua videt ſpeculum, & abſquè eo quod ipſe ceſſet, vel divertatur à viſione ipſa ſpeculi. Perſeverando enim in viſione ſpeculi tanquam obiecti primarij, ſi modo in ſpeculo repræſentetur vnum, & poſtea aliud, modo videt vnum ſecundario, & modo aliud. Sic Beatus, quin deſiſtat vnquam à viſione Beatifica eſſentialiter ſpecificata à Deo, poteſt modo de obiectis ſecundarijs videre vnum, & modo aliud, qua poſſunt ſic ex divinæ voluntatis diſpoſitione modo repræſentari vnum, modo aliud in ipſa eſſentia divina, vtpotè ſpeculo, propterea appellato voluntario.

2007 Nec obeſt 1. quod hæc ſucceſsio in ſtatu Beatifico eſt contra Auguſtinum dicentẽ *quod ibi non erunt volubiles cogitationes noſtræ euntes atquè redeuntes.* Reſpondetur enim loqui de ſola viſione Beata comparata cum Deo vt ſpeculo, & vt obiecto primario, circa quod non dabitur ire & redire cogitationis, quia licèt obiectis ſecundarijs competat in ſpeculo ire & redire, ſecus viſioni quæ ſemper ibit in idem. Nec obeſt 2. illam terminationem vtpotè repræſentativam & vitalem, eo ipſo variare viſionem & facere quod ſit diverſa. Reſponderi poteſt facere eam diverſam accidentaliter abſquè variatione ſubſtantiali adhuc numerica; ſicut homo debilis qui pingueſcat, non propterea mutatur adhuc numericè per illam additionem. Poteſt autem fieri viſioni adhuc numero immutatæ aliqua additio ſecundaria vel ab adventu luminis, vel ab adventu ſpeciei, vel auxilij, vt inquit Villar.

2008 Nec obeſt 3. non apparere quomodo viſio perſeverans ſubſtantialiter immutata, poſsit repræſentare de novo aliud obiectum adhuc ſecundarium. Nam vel id eſt per novam terminationem purè, vel per novam formalitatem. Non per 1. quia talis terminatio eſt Myſterium proprium actus liberi Dei non admittendum in creaturis. Non 2. quia additio novæ formalitatis identificatæ cum præcedenti, repugnat de novo, nam eſt ſignum diſtinctionis realis viſionem potuiſſe eſſe ſeparatam à tali formalitate. Reſponderi poteſt 1. quod cum viſio Beata exemplетur, & ſit nobiliſsima participatio divinæ ſcientiæ quoad neceſſaria & libera, etiam exemplatùr à ſcientia Dei, non ſolum vt neceſſaria, ſed etiam vt libera, & poteſt ipſam participare per eam, ac per conſequens ſufficit nova terminatio abſquè nova formalitate. Si quis autem addendam novam formalitatem aſſerat, diſcurrat de ea, ſicut diſcurri ſolet de nova additione per intenſionem, quæ quidem diſtincta eſt ab ipſo actu intenſibili, ſeparabiliquè ab illa. Hæc dicta ſint iuxta ſententiam Ferrarienſis, & Villar Thomiſtarum in vnitate numerica eiuſdem actus prædictam ſucceſsionem admittentium.

2009 Sed pro noſtro ſcopo ſola facit ſucceſsio cognoſcendi de novo aliquid formaliter per viſionem Beatam, ſive id eveniat per vnum, ſive per duplicem actum. Semel enim admiſſo quod Beatus per viſionem Beatam non ſit ſemper in actu vidẽdi omnia ſecundaria, potuit à Chriſto non cognoſci in actu in Deo decretũ de aliqua re pro tũc, & ſic moveri ad petendam illam, atquè ad divinam volun-

tatem

Digitized by Google

atem inclinandam, vt dignetur & complaceat in eo quod talis res petita, fiat. Dum enim res non proponatur vt facta; ſatis ſuperquè probatum eſt, dari locum vt prudenter petatur & procuretur quod fiat. Quin obſit D. Thom. hic quæſt. 21. art. 1. ad 2. dicens: *Inter alia quæ Chriſtus ſcibit futura, ſci bit quædam eſſe fienda propter ſuam orationem, & huiuſmodi non inconvenienter à Deo petijt.* Reſpondetur ea petijſſe quæ aliàs ſciebat futura: ſciebat inquam in habitu, vel actu preterito, ſed non propoſita pro tunc in actu vt futura, ſed præſcindendo à futuritione, modo iam explicato. Vel petebat executionem, à qua præſcindebat.

2010 Confirmatur inſuper, quod ſit Dei tam excitatio quam impeditio ſpecierum. Nam auxilia gratiæ internæ inſpirationis, ſtant in excitatione ſanctæ cogitationis; gratia externæ protectionis ſæpè ſtat in inexcitationis diſconvenientis impeditione, provt intento & fini Dei expediunt.

2011 Quia doctrina in quæſtione hac allata, nova eſt, & nec vcuſquè Theologorum iudicio approbata, non ſine aliqua formidine in Scolaſticum forum emititur à nobis, vt à Doctioribus emendetur, vel via alia facilior pro tanta difficultate ſolvenda, ab ipſis reperiatur.

QVÆST. XXXVI. ET §. I.

DE CHRISTO VT SACERDOTE & Rege.

2012 CHRISTUM eſſe Sacerdotem & Hoſtiã, eſt de Fide. Eſt enim Sacerdos, quia ſacrificavit ſeipſum. Hoſtia, quia ipſe eſt quod ſacrificatur. Sacrificavit ſe incruenter in vltima Cœna in pane & vino, & quotidie in Miſſa ſe ſacrificat, & eſt principalis offerens, & ideò dicitur: *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, quia obtulit panem & vinum.* Quæ convertit ipſe in corpus & ſanguinem ſuum.

2013 Ratione autem prob. tũ quia Sacerdos eſt qui publica authoritate deſtinatur ad ſacrificandũ Deo. Chriſtus autẽ ex divina inſtitutione (& nõ præſciſſe ex gratia vnionis) conſtitutus eſt Sacerdos iuxta illud: *Iuravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos, &c.* licèt enim dignitas mediatoris importata in Sacerdotio, fundetur in vnione hypoſtatica inter Deum & hominem, quia medians debet participare de vtroquè extremo, fundatur tamen radicaliter. Tum quia vt ait D. Thom. q. 22. art. 1. in corpore: proprium Sacerdotis munus eſt, eſſe mediatorem inter Deum & populum. Chriſtus autem fuit principaliſsimus mediator, vt dicitur ad Thimot. 2. *Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus,* ideoquè vt mediator pro omnibus ſatisfecit, oravit, ſe ſacrificavit, nã hoc eſt præcipuũ munus mediatoris, nõ generaliter, ſed ſpecialiter ſumpti vt Sacerdos eſt. Sic autem eſſe mediatorem competit Chriſto vt homini, vt contra Calbinum docet Eccleſia; non vt Deo; quia vt Deus eſt, eſt extremum inter quod & populum mediat. Item vt homo ſacrificavit, quia ſacrificium vt tale eſt cultus quo colitur, & adoratur divina excellẽtia ab aliquo inferiori, quod ſolum competit Chriſto vt homini.

2014 Fuit Chriſtus vt homo non ſolum victima, ſed etiam Templum & Altare, quatenus corpus ipſius habuit rationem loci, in quo vita adempta eſt per mortem ibi introductam. Et ſicut Altare perfundebatur ſanguine victimæ, ita etiam corpus Chriſti proprio ſanguine perfuſſum eſt. (Crux autem ob eandem rationem à Patribus ſolet etiam vocari Altare ſatis congruè.) Ex quibus Sacerdotium Chriſti differt à Sacerdotio cuiuſlibet noſtri. Primo, quia ipſe eſt Sacerdos & eſt, victima. 2. quia poteſtas ipſius, non ſolum eſt Pontificia, & ſummè illimitata ad omnia, ſed etiam eſt poteſtas excellentiæ; non ſolum ad facienda, ſed & ad inſtituenda Sacramenta. Tertio, quia ab inſtanti Conceptionis inſtitutus eſt Sacerdos, vtpotè ibi vnctus non ſolum vnione hypoſtatica, & omni Chariſmatè, ſed etiam eſt futurus Sacerdos in æternum, id eſt ſemper quovſquè mundus duret: vel in æternum, quia licèt poſt mundum finitum non ſacrificet, tamen in æternum orabit & mediabit obtinendo nova beneficia Beatis. Vel ſi verum eſt, quod hoſtia conſecrata permanebit in Cœlo per totam æternitatem, vt aiunt Neriembergius & alij, Chriſtus qui ibi eſt victima, erit conſervator ipſius influxu ſpeciali Sacerdotij ſui.

2015 Item in Ara Crucis fuit Sacerdos, vbi in proteſtationem ſupremę excellẽtiæ Paternę, ſeipſum per mortem immutavit, & ſeipſum obtulit agnum immaculatum Deo pro peccatis noſtris vt loquitur Scriptura, quod etiam eſt de Fide. Et licèt Chriſtum in Cruce fuiſſe ſtrictè Sacerdotem, & ſacrificium, non ſit expreſsè definitum vt advertit Bernal; tamen eſt communis ſenſus Eccleſiæ. Nec obeſt 1. Martyres non eſſe Sacerdotes dum patiantur. Diſparitas eſt, quia non erãt inſtituti authoritate publica ad ſeipſos ſacrificandos. Tum quia non fuerunt cauſa efficiens adhuc moralis ſuæ immolationis, ſicut fuit Chriſtus.

2016 Nec 2. ſacrificium requirere tempus & locum ex publica authoritate inſtitutum, ſicut inſtrumẽta Scripturę authenticę ſæpè illum requirunt. Chriſtus autem neutrum ſervavit. Non locum quia iſte erat Templum. Nec tempus erat conſtitutum, nam non conſtat de tali conſtitutione. Reſp. ſervaſſe vtrumquè; quia paſſus eſt in Paſchate, vt decreverat Deus in figura Agni: & extra Civitatẽ & caſtra, qui erat locus deſtinatus pro peccato.

2017 Obijcies 3. vrgentius: eſſe cauſam efficientem phyſicam vel moralem mactationis victimæ, eſt de ratione Sacerdotis vt ſacrificet per ſe, vel imperando per Miniſtrum; ſed Chriſtus non fuit talis in Cruce. Ergo. Min. prob. de phyſica, quia eſſet homicida ſui, quod eſt iniquum. De morali etiam, quia Iudæi maximè excuſarentur de mortis iniuria, cum Chriſtus verè ſit Dominus ſuæ vitæ & mortis, & cooperari phyſicè cum Domino ſcienti & volenti, non eſt iniuria: ergo Chriſtus nullam fuiſſet paſſus iniuriam. 1. reſponſio eſt Bernal, Chriſtum fuiſſe cauſam efficientem moralem ſuæ mortis, quia propter datam optionem de vita mortali vel immortali, liberè elegit mori, cum eſſet in ſua manu non mori, ac per conſequens moraliter fuit cauſa ſuæ mortis quatenus mortis, licèt non quatenus talis mortis.

2018 Sed impugnatur Bernal ad hominem. Ipſe enim alios (reſpondentes cum Angel. Doct. Chriſtum eſſe cauſam ſuæ mortis, quatenus poterat non mori, & liberè acceptavit mori) impugnat inquam eos ſic. Acceptare mortem non eſt eſſe cauſam efficientem eius. Sic Iſac acceptabat mortem tanquam hoſtia, non vero vt Sacerdos efficiebat. Arguitur ergo contra ipſum 1. quia liberè habere vitam moralem, non eſt eſſe cauſam mortis niſi remotè; nam vt ſic Chriſtus fuit cauſa habendi vitam mortalem, quę mactari & ſacrificari poſsit; non vero hoc eſt eſſe cauſam mactantem & ſacrificantem ſe in actu 2. provt requiritur ad exercitiũ Sacerdotij; ergo. Cõtra. 2. quia Chriſtus in tali ſpecie mortis nempè Crucis, communiter aſſeritur Sacerdos, nam Crux vocatur Ara. Ipſe autem per te non eſt cauſa talis ſpeciei mortis.

Aliter S. Thom. q. 22. art. 2. ad 1. reſpondet. Chriſtũ nõ ſe occidiſſe, ſed tantum ſe morti voluntariè expoſuiſſe; *oblatus enim eſt quia ipſe voluit.* Vbi ly *ſe expoſuiſſe* non ſolum ſignificat acceptationem, ſed cauſam moralem efficientẽ. Et hęc videtur bona ſolutio ſi ſic declaretur. Chriſtus erat verè Dominus ſuæ vitæ & mortis, quia ſemper abſolutè

Digitized by Google

abſolutè erat in manu eius non mori, etiam poſt illata vulnera mortalia, quod ipſe ſignificavit exſpirans clamando voce magna, vt denotaret adhuc habere fortitudinem ad non moriendum, ſi vellet. Vndè poterat cedere nocumento illato, vel non cedere, in quo differt ab alijs Martyribus, qui poſt læthalia vulnera non ſunt Domini ad nō moriendum. Hinc Chriſtus erat cauſa moralis conſervativa ſuæ vitæ, quæ tolli non poterat niſi ipſe ſuſpenderet hunc concurſum moralem conſervativum ipſius, & quia libere ſuſpendit volendo cedere vulneribus & morti, fuit cauſa moralis ſuæ mortis. Qui enim ſuſpendit concurſum conſervativum alterius, iure eſt cauſa deſtructionis illius.

2019 Nec ex hoc ſequitur Chriſtum ſe occidiſſe. Probo ex D.Thom. quodlib. 1. art. 3. quia ex communi modo loquendi ille eſt homicida, qui infert ſibi, vel alijs vulnus, aut nocumentum læthale, non qui poſsito vulnere non impedit eius vim deſtructivam vitæ. Chriſtus autem non intulit ſibi, ſed illato ab inimicis ceſsit, ſuſpendendo concurſum, & mortuus eſt quia voluit. Ex quo illi non excuſantur, qui illud intulerunt, vt per ſe patet, & fecerunt iniuriam, quia Chriſtus volebat mori, volentibus illis occidere; non tamen volebat vt occiderent. Ex quo ſequitur animam Chriſti toto vitæ tempore, quo vnita fuit corpori, habuiſſe in ſua manu vitam & mortem; & in vltimo vitæ inſtanti habuit actum quo ceſsit, vt in ſequenti inſtanti moreretur. Hinc aliqua levia, quæ Bernal obijcit contra Hurtadum, ſoluta manent, quæ etiam poſſent fieri contra nos.

ARTIC. II.

VIA NOVA. VBI ALIA NOTABILIA DE Sacerdotio.

2020 FORTE dici aliter poſſet Chriſtum habuiſſe veram cauſalitatem phyſicam in ſuam mortē, non quidem phyſicā poſsitivā, ſed phyſicam ſuſpenſivā. Si enim vera ſit ſententia de eo quod rationalis anima geniti influat in vnionem ſui cum materia, vt quidam docent in libris de generatione. Si inſuper nos demus pro gloria Chriſti, quod Deus conſtituerit illum, ſivè eius animam, inſtrumentum phyſicum conſervativum ſuæ vnionis, & vitæ, ſicut ſupra dictum eſt de inſtrumento phyſico vnionis hypoſtaticæ in ſua nutritione, & de influxu phyſico animæ Chriſti in omnia ſuperna extra ſe (de quo tota Quæſt. 30.) dicendum videtur quod potuit Chriſtus ad præſentiam & exigentiam vulnerum læthalium, ſuſpendere pro ſua libertate ſuam phyſicam conſervationem: & hoc pacto fuit cauſa phyſica ſacrificiativa vitæ ſuæ; & optimè intelligitur, quod ipſe ſæpiſsimè repetebat, quod nemo tolleret animam & vitam ab ipſo, ſed ipſe ponebat eam pro libertate ſua. Nec propterea dicendus eſt homicida ſui, vt nuper decebamus.

2021 Obijcies Abſq; tali phyſica ſuſpenſione concurſus inauditi, ſalvatur mactatio, & cauſa moralis mortis: ergo non eſt admittendæ. Antecedens probat. quia ex vna parte, *ipſe ſe tradidit in mortem*, ſivè in manus inimicorum, & ex alia, adhuc ſuppoſita prava voluntate eorum, potuit impedire actiones externas inflictivas vulnerum: imò, poſsitis vulneribus, potuit miraculosè impedire effectum mortis, & noluit: ergo mortuus eſt quia voluit mori, & eſt cauſa moralis mortis ſuæ. Nego antec. Ad prob. conceſſo antecedenti, conſequentia non ſequitur: ſolum enim probat antecedens voluiſſe non impedire cum poſſet. Quia autem non tenebatur impedire, licèt poſſet, non probatur inde, quod ſit cauſa moralis.

2022 Multo ergo melius ſalvatur per phyſicam ſuſpenſionem concurſus efficientis ipſius animæ Chriſti: & ſic optimè intelligitur illud Iſaiæ 53. *Si poſſuerit pro peccato animam ſuam, videbit &c.* Non dixit ſi *ex poſſuerit*, ſed ſi *poſſuerit*. Vatablus in Biblia Maxima: *Vbi poſſuerit animam ſuam Hoſtiam delicti.* Item illud Ioannis: *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam, & iterum ſumo eam.* Quod eſt dicere. Crucifixores nōn tollunt animam meam à me, ſed egò qui teneo eam per concurſum conſervativum, ponō, ſivè depono eam, concurſum ſuſpendendo. Sicut autem per ly *ſumo eam* in Reſurrectione, intelligunt graves Auctores, quod Chriſtus concurſu inſtrumentali effectivo concurrerit ad novę vitę adquiſitionem, ita per ly *pono*, concurrerit ſuſpenſivè ad vitæ amiſſionem.

2023 Obicies 2. contra Sacrificium Eucharistiæ, quod Chriſtus non verè mactetur in ipſa, ſed ſolum miſticè ex vi Verborum. Etenim in Hoſtia ponitur phyſicè vivus & etiam in Calice. Reſpondet Bernal de Sacrificio Miſſæ, ex vi conſecrationis poni Chriſtum in Euchariſtia, taliter quod potiùs ponatur vt deſtruatur, & vt phyſicè deſsinat eſſe per ſumptionem, & ſpecierum conſumptionem; cui ex vi conſecrationis ſub ſpeciebus, manſit obnoxius, ac per conſeqnens deſtructioni phyſicæ ſuæ reproductionis, diſtinatus.

2024 Hanc rationem P.Bernal ſequuti fuimus in noſtrâ ſumma morali (vulgo vocata de Arana) à num.144. ſed re vera difficultate non vacat; quia valdè diverſa ſunt producere Chriſtum ſub ſpeciebus obnoxium deſtructioni, poſt multos dies fiendæ à cauſis naturalibus, ſpecies ſacramentales deſtruentibus. (Poterant enim aſſervari in Sacrario multis diebus.) ac deſtruere Chriſtum; ſicut valdè diverſa ſunt B. Virginem genuiſſe Chriſtum mortalem, & Chriſtum interfeciſſe. Primum enim non eſt ſtrictè mactare: ergo nec erit ſtrictè ſacrificare.

2025 Ideo. reſpondimus aliter ex prædicta ſumma à num. 525. ſtrictè & propriè mactare illum qui infligit quoddam vulnus ita lætale, vt neceſſe ſit quod naturalitèr ſequatur mors, niſi divinitus impediatur. Propterea enim ab Eccleſia celebrantur tanquam Martyres in re Sanctus Ioannes Evangeliſta in ferventis olei dolio paſſus; Sancta Thecla; & alij, qui lætalitèr paſsi ſunt, mortuique fuiſſent in tormento, niſi divinitus impedirentur. Cum ergo conſecratio ſit vulnus lætale ponens phyſicè in vno loco totum corpus ex vi ſua ſignificativa, & immediatè cauſativâ, & in alio loco totum ſanguinem, & re vera & cum effectu fuiſſent phyſicè ſeparati; ac per conſequens Chriſtus mortuus, niſi intervenirет miraculum concomitantiæ, inde eſt, quod ſtrictè ſit ibi quoad ſufficientiam vulnus lætale, ac per conſequens propria, & ſtricta mactatio. Cui ſolutioni ſi addas (quod etiam deſerviet pro tuenda ſolutione P. Bernal) conſecrationem in ratione ſacrificativæ importare de per ſe reſpectum ad ſumptionem ſpecierum, de proximo & immediatè fiendam, Chriſtumque prout ſub ſpeciebus immediatè deſtruendum (quod enim perſeverent in Sacrario eſt de per accidens ipſi ſacrificio) ſi addatur etiam ſuſpenſio concurſus conſervativi Chriſti maior eſt mactationis proprietas.

2026 Ex hucuſque dictis ſequitur 1. Conſtitutionem formalem Chriſti in Sacerdotem non ſtare in ipſa vnione hypoſtatica in qua ſtat radicaliter. Aliàs non eguiſſet iurari à Deo; nec atteſtari quod non pœnitebit eum. Vndè potuit Chriſto defuiſſe, ſicut & dignitas Sacerdotij leviticei defuit. 2. Sacerdotium Chriſti differre ſpecie à noſtro. Tum ratione radicis, quæ eſt vnio. Tum ratione ſupremitatis in poteſtate. Tum ratione materiæ ſacrificabilis, quæ erat Sacerdos ipſe vt hoſtia cruenta, & incruenta. Tum ratione finis, qui eſt redemptio.

2027 Quæres in quo ſenſu dicatur Chriſtus Sacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedech? Imprimis nec fuit Sacerdos Ordinis Levitici, nec vſquam legitur ſacrificaſſe tali ritu, quia id pertinebat ad ſolam Tribum Levi. Chriſtus autem erat de Tribu Iudà. Quòd ſi Agnum Paſcha-

Digitized by Google

lem immolavit vt Sacerdos, talis immolatio non erat propria Tribus Leviticæ, ſed attinebat ex divina diſpoſitione ad capita familiarum cuiuſcumque Tribus.

2028 Noſtri Orlando, & Auguſtinus à Virgine hic agentes de Sacerdotio Chriſti optimè, & breviſsimè reſpondent ad quæſtionem ſic diſputat. 16. Primo, quia Melchiſedech benedixit Abrahæ, & accepit à Levi exiſtente in lumbis Abrahæ decimas datas in recognitionem ſuæ inferioritatis ad Melchiſedech. 2. quia Melchiſedech eſt Rex iuſtitiæ, & Rex Salem, ſivè pacis. 3. quia eſt ſine Patre & ſine Matre; Chriſtus, autem, nec in Cœlis habuit Matrem, nec in terris Patrem. Item eſt ſine Genealogia, id eſt quod eius Sacerdotium non eſt per ſucceſsionem ſicut Leviticum, nec ad ſuceſsionem. Vndè, quia Chriſtus in ſuo Sacerdotio non habet ſucceſſorem, ſed eſt vnicus in ſpecie ſui Sacerdotij, ideò ex D. Thoma in 3. diſt.12. quæſt.1. art. 1. ad 4. vocatur Sacerdos in æternum. Imò Melchiſedech, quia nec eius principiũ, nec finis vitæ deſcribitur, ex hac etiam parte aſsimilatur æternitati Chriſti. Præcipua tamen ratio huius analogiæ quo ad Sacerdotium ſtat in eo, quod vterobtulerit panem, & vinum. In vtriuſque enim ſacrificio panis & vinum fuerunt materia oblata, & deſtruenda. In his ergo ſtat ſimilitudo inter Sacerdotium Chriſti, & Melchiſedech. Semper tamen Sacerdotium Chriſti eſt altioris Ordinis, & ſpeciei propter radicationem in oleo ſubſtantiali vnionis Hypoſtaticæ, & propter alias rationes iam ſupra inſinuatas, num.126.

1029 Munus autem & Officium Sacerdotis non potuiſſe convenire Chriſto vt Deo, ſed vt homini eſt commune apud Theologos. Tum quia eſt officium mediatoris, de quo infra idem dicemus. Tum quia importat exercitium reverendi ſuperiorem per ſacrificij oblationem, & inſuper importat officium orandi. Nec obeſt 1. quod tale ſacrificiũ non niſi à Deo habeat infinitã dignificationẽ. Reſpondetur, id probare quod vt Deus, ſit quaſi forma moralis ſe habens *vt quo*. At Sacerdos debet ſe habere *vt quod*. Nec obeſt 2. Noſter Cyrilus Hieroſolymitanus Catheccheſi 10. dicens: Chriſtum habere Sacerdotium immutabile, quod nec tempore cepit, nec ſucceſſorem alium habebit Sacerdotij. Reſpondetur enim 1. loqui de forma radicali, nempè Deitate, non autem de ipſo Sacerdotio. Reſpondetur 2. ſumere æternum pro immutabili, quia ex quo à primo inſtanti Incarnationis accepit vnionem, & conſtitutionem a Patre, nec facta eſt mutatio, nec fiet in æternum.

2030 Adverte 2. Div. Thomam hic articul. 4. docuiſſe Chriſtum pro ſe, nec obtuliſſe ſacrificium, nec recepiſſe aliquem fructum ab à ſe oblatis, quatenus ſacrificia erant, ſed ſolum quatenus opus bonum erant. Exiſtimo tamen cum multis, id intelligendum eſſe de non receptione præcipui fructus, meriti ſubſtantialis, ſatisfactionis, aut propitiationis. Innegabile autem videtur, percepiſſe fructum meriti accidentalis, ſcilicèt gloriæ corporis, & etiam impetrationis, quia per illud impetravit ſibi talem gloriam. Item Sacrificium Euchariſtiæ ex vi ſuæ inſtitutionis habet quod ſit Euchariſticum, id eſt in gratiarum actionem inſtitutum. De effectibus autem cauſatis in Chriſto ab Euchariſtia ſumpta ab ipſo, aliqua dixit anima quædam contemplativa præcipuè de aliquali, licèt breviſsima, pro tunc, & fere occulta ſui corporis glorificatione, quæ cum ſit complementum vitæ æternæ, eſt effectus ſpecialis Euchariſtiæ iuxta illud: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*. Et hæc ſufficiant de Chriſti Sacerdotio.

ARTIC. III.

DE REGNO TEMPORALI CHRISTI.

2031 NON eſt dubium quod Chriſtus vt Deus ſit ſupremus etiam temporalis Rex Regum, & Dominus dominantium. Sermo ergo eſt de Chriſto vt homine. Nec item eſt ſermo, an iure hæreditario à Parentibus, quia circa hoc ſolum de Regno Iſrael poterat eſſe dubium. Nec eſt dubium quod etiam vt homo habeat plenam poteſtatem ſpiritualem regiam, & ſupremam ſuper totam Eccleſiam, iuxta illud Pſalmi 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion Montem Sanctum eius, prædicans præceptum eius.* Quod autem ſermo ſit ad litteram de Chriſto, patet ex verbis ſequentibus: *Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ.* Ex quibus patet convenire Chriſto etiam poteſtatem temporalem ſuper omnia indirectè, quatenus ſcilicèt conducit ad ſpiritualia. De quo Pater Suarez diſp. 47. & multi alij. Difficultas tamen eſt de poteſtate directa temporali, quæquidem non ſolum ſit politica, & guvernativa, ſicut in alijs Regibus, ſed vlterius etiam ſit dominativa, ita vt potuerit tanquam Dominus vniverſi diſponere de omnibus ſine vllius iniuria? Prima ſententia affirmat. Ita D. Thoma opuſ. 20. de Regimine Principum, lib. 3. cap. 13. & ſequentibus. Pater Suarez diſp. 48. Pater Franciſcus Mendoza in Libros Regum, cap. 2. num. 10. annotatione 15. circa litteram, ſec. 3. à num. 22. & Pater Bernal à diſp. 61. Gonet diſp. 22. art. 4. Qui tamen Auctores negant Chriſto, quod de facto exercuiſſet talem dignitatem, & dominium. Vndè fuit dominium in actu 1. & non in actu 2. Ita etiam ex noſtris Boneſpei tom. 2. ſuæ Theologiæ, tract. 3. de Incarnatione, diſp. 16. num. 22. Orlando trac. 4. diſp. 10. a num. 3. Eſt autem contra Franciſcum Victoria, Bartholomeum Medina, & alios ſentientes oppoſitum, citatos à Gonet.

2032 Aſſentior DD. primæ ſententiæ. Probatur 1. ex ſacra ſcriptura. Nam Apocal. 1. vocatur Chriſtus *Princeps Regum terræ*, & cap. 19. dicitur: *Rex Regum, & dominus dominantium.* Hę autem fraſes (quæ ex regula ſacræ Scripturæ propriè intelligi debent) loquunturque de Chriſto vt homine, ly enim *Rex Regum ſcriptum erat in femore ipſius*, quod ſolum competit Chriſto vt homini, ſoli Regno ſpirituali directo, & temporali indirecto, non quadrant; non enim Summo Pontifici ſic Regnum habenti, convenire propriè poteſt quod ſit Rex Regum, & dominus dominantium, licèt talem poteſtatem habeat ſuper eos. Confirmatur ex illo Mathæi vltimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra.* Ly autem *omnis* ſine fundamento limitaretur ad ſolam ſpiritualem. Tum quia proprietas vocis ſpiritualem & temporalem comprehendit. Tum quia, cum nullum in eo ſit inconveniens, & aliàs augeat gloriam Chriſti, ſic & non aliter intelligi debet.

2033 Probatur 2. ratione. Tum quia non minus digna erat vnio hypoſtatica hoc vniverſali principatu, quam poteſtate patrandi miracula, plenitudine ſcientiæ, & alijs privilegijs. Tum quia, ſi ſolum concedatur Chriſto poteſtas ſpiritualis in omnia, hæc poteſtas eſt valdè limitata. Nec propterea Chriſtus hanc poteſtatem & Dominium habuit & exercuit generalitèr in actu ſecundo ſivè pro exercitio & vſu, ſicut habent in ſuis Regnis Reges temporales. Quod quidem conſtat ex ſacra ſcriptura vbi dicitur; quod filius *hominis non venit miniſtrari*, ſed *miniſtrare*. Item ex Reſponſione Chriſti ad Pilatum: *Regnum meum non eſt de hoc mundo. Ait autem Pilatus: ergo Rex es tu. Reſpondit Ieſus. Tu dicis.* Vbi apertè Confeſſus eſt quod eſſet Rex, & quod Regnum ipſius, ſivè poteſtas Regia non haberet exercitium in hoc mundo. Et id valde confirmat ſumma Chriſti paupertas, & ſtatus ipſius humilis & abiectus, qui non cohærebat cum Rege temporali, qui in exercitio & vſu eſſet talis. Requirit enim iſte fieri venerabilis & formidabilis ab apparatu & divitijs Regijs. Tandem quia poteſtas purè civilis & ſecularis, & ſolicitudo, curaque temporalium, quam affert ſecum ſtatus Regius, non conveniebat ſummo ſalvationis Magiſtro (ſicut nec Regi convenit per ſe ipſum exercere officia Reipublicæ in-

Digitized by Google

inferiora) nec finibus à Patre per ipſum intentis, ſcilicèt *ad ornare mundum, non ferro ſed ligno*. Vt dixit Auguſtinus, atque *abiecta mundi eligere, vt confunderet fortia*.

2034 Nec obeſt 1. Chriſtũ omnẽ ſuã poteſtatẽ dediſſe Vicario ſuo. Nego. Si enim non dedit ei omnem ſuam poteſtatem ſpiritualem, nec temporalem dare debuit. Nec ſecundo, quod debebat Chriſto concedi poteſtas in mundo deſtruendi directè quidquid ipſe vellet deſtruere, & de novo faciendi directè quidquid vellet (dixi directè, nam indirectè & propter bonum ſpirituale, certum eſt potuiſſe) ergo & poſſet deſtruere totũ mundum, ſiquidem æquè erat totius Rex & Dominus. Recentiores docti concedunt: quia exiſtimant id pertinere ad poteſtatem condignam Filio Dei, Paterną, quantum fieri poſſet ſimilem. Sed Pater Amicus diſp. 31. ſect. 1. reſpondet negativè. Nos ſub diſiunctione reſpondemus: ſi ſermonẽ poſſe eſſe attento purè & ſolitariè iure Dominij, & ſic poſſe quidem; quin talis actio eſſet contra iuſtitiam. Vel attento decreto Patris de conſervatione huius, vel illius rei, & attẽtis alijs virtutibus petentibus quod non deſtrueret tales res, quia deſtructio illa eſſet prodigalitas, vel fortè etiã eſſet iniuſtitia: vt ſi deſtrueret viſionẽ beatam D. Petri, contra promiſſionem Patris & meritum eius de iuſtitia. Vndè abſolutè per ſuum dominiũ nõ poſſet quælibet deſtruere licèt bene cum addito, id eſt attenta præcisè poteſtate & dominio ipſius.

2035 Nec obeſt 3. non apparere titulum ſufficientem ratione cuius Chriſtus ſit vniverſaliſsimus Rex & Dñs, nam non iure ſucceſsionis à ſua matre & progenitoribus. Ratione enim illius ad ſummum poterat habere ius ad Regnum Iſrael. Dixi *ad ſummum* ius ad Regnum Iſraeliticum. Tum quia, vt colligitur ex dictis hic à num. 98. quando venit Chriſtus, Regnum Iſraeliticum iam immediatè ceſſaverat, iuſque extinctum erat. Tum, quia cum probabilius ſit, Beatam Virginem deſcendentem Regali progenie à David, non deſcendere per Salomonem, ſed per Natam, iuxta Genalogiam Divi Lucæ, quæ linea non erat Regia, hinc fit quod fortè Chriſtus nec ad Regnum Iſrael habebat ius hæreditariæ ſucceſsionis.

2036 Nec item iure belli, aut electionis à Populo, quia neutrum contigit in Chriſto. Ergo non apparet titulus, ratione, cuius Chriſtus ſit vniverſaliſsimus Rex & Dñs adhuc in actu 1. Reſpondent aliqui, non hos, ſed vnionem ipſam hypoſtaticam eſſe formaliter titulum, & oleum, quo vnctus eſt formalitèr in Regem & Dominum omnium creaturarum viſibilium & inviſibilium. Sed nos reſpondemus titulum quidem radicalem fuiſſe vnionem ipſam; formalem tamen eſſe divinam deſignationem, intuitu illius conceſsã, ſicut diximus de Sacerdotio. Sicut enim, ſi ipſa vnio eſſet formalis titulus independenter ab alia conſtitutione Dei, ſuperfluum eſſet iuramentum illud, de quo num. 212. & inſuper innegabile ei eſſet Sacerdotium Leviticum, cum etiam debere includi in vnione, vtpote dignitas quędam ordinata ad ſacrificium in magnum cultum Dei, ita ſuperflua eſſet donatio illa Paterna omnis poteſtatis in Cælo & in terra aſſerta à Chriſto, tanquam aliquod novum præmium ſuorum meritorum. Maneat ergo quod titulus formalis, licèt debitus vnioni, ſtat in cõſtitutione Paterna: ad eum modum quo Carolum II. naſci primogenitum Regis Hiſpaniæ, eſt titulus vt in Regno ſuccedat Patri ſuo, ſed titulus radicalis: formalis enim, & completus provenit à cõſenſu, vel iuramẽto populorum ipſum in Regem acceptantium.

2037 Nec obeſt, tandem debere fieri differentiam in Chriſto inter poteſtatem Regiam politicam, & poteſtatem dominãtivam, vt eam facit Pater Vazquez in tertiam par. to. 1. 87. cap. 2. & cap. 6. & licèt Regia gubernativa ſit vniverſaliſsima, ſecus dominativa, ob quattuor capita. 1. ſumitur à diverſis Pontificibus apud Belarminum, lib. 4. de Romano Pontiſice, cap. 14. contrarium docentibus. Nam Ioann. XXII. in extravaganti *Cum inter nonnullos* & in alia, *Quia quorundam*, aſſervit Chriſtum paucarum rerum habuiſſe dominium: ergo non vniverſale. Item Nicolaus IV. *in capite Exijt* de Verborum ſignificatione in 6. definivit Chriſtum paupertatem exemplo docuiſſe, quæ omni ſimul dominio privat: ergo in Chriſto non fuit tale dominium. 2. eſt, quia in Chriſto fuit ſumma paupertas. Perfectio autem illius ſtat non ſolum in abdicatione vſus, ſed multo magis in abdicatione dominij. Religioſis enim per votum paupertatis, non vſus, ſed proprietas dominij interdicta eſt. 3. eſt, quod Reges non eſſent verè Domini ſuorum Regnorum & iurium, ſed ſolum adminiſtratores, Œconomi, aut Vicarij Chriſti. Repugnant enim reſpectu eiuſdem rei duo Domini in ſolidum. 4. ſequitur quod dum nos contra præceptum Chriſti, eiuſque voluntatem vtimur aliqua re noſtra, peccaremus mortaliter cõtra iuſtitiã quia contra ius dominij Chriſti.

2038 Hæc ſane dificilia ſunt; vt autem illis ſatisfaciamus, ſupponi debet differentia duplicis dominij, vnus enim eſt Dominus directus; alter verò eſt Dominus vtilis, vterque autem habet dominium proprietatis licèt diverſimodè. Directus ſcilicèt in rem ſecundum ſe (& in vſum pro caſu quo Dominus vtilis deficiat in conditionibus tributalibus a Domino directo reſervatis) Dominus autem vtilis habet proprietatem circa rem, non ſecundum ſe, ſed provt ordinatã ad vſum. Igitur Dñs directus propter Dominum vtilem ſe expoliat non ſolum vſu rei, ſed iure proximo vtendi tali re, ſivè dominio quaſi proximo ipſius. Hinc ad argumenta reſpondetur. Et ad primum, illos Pontifices non ſibi contrariari, vt optimè probat & explicat Belarminus citatus. Ioannes enim intendit Chriſtum aliquando in ſuo Collegio habuiſſe dominium ſaltim in communi, vt conſtat ex loculis. Nicolaus autem ſolum intendit Chriſtum ſua Doctrina & exemplo approbaſſe paupertatem abſque vllo Dominio in communi, vel in particulari. Vt v.g. in Cruce. Nulla autem eſt contradictio in eo, quod aliquando circa vnas res operatus fuerit, vt vtens dominio, ſicut & poterat alius particularis, qui non eſſet Rex: aliquando vero in doctrina & exemplo ſe geſſerit tanquam nullum habens dominium.

2039 Ad ſecundam reſpondetur, in Chriſto fuiſſe perfectiſsimam paupertatem excellẽtiori & eminentiori modo quam in nobis. Hoc enim eſt mirabile quod cum dives eſſet (vtique per dominium vniverſale in actu primo) egenus pro nobis factus eſt, non ſolum in vſu & exercitio, ſed etiam in abdicatione iuris & dominij vtilis; ita enim fuit Dominus, vt manſerit omninò quaſi non Dñs in ſe coniungendo quidquid boni eſt in paupertate, ſimul cum dominio directo Magiſter enim omnium, vtrumq; ſtatum voluit approbare, tàm Religioſorum abdicantium bona ſecularia, quàm aliorum ſecularium, dominio ſuo conſervato honeſtè & licitè vtentium.

2040 Ad 3. reſpondetur alios Reges & eſſe Reges & Dominos ſuorum iurium, ad aliqualem modum Domini vtilis, & quantum ad hoc licèt ſint quaſi Adminiſtratores & Vicarij Chriſti, qui de ſe dixit: *Per me Reges regnant*. Addunt tamen aliquod ius proprietatis de linea Dominij vtilis derivatam à Chriſto, vt Domino directo Vndè D. Thomam lib. 1. de regimine Principum, cap. 13. dicentem *Auguſtum Cæſarem fuiſſe Chriſti Vicarium, ab illius Nativitate*, quod nẽ explicuit noſter Orlando de Vicario permiſſo, ſivè non impedito à Chriſto, cum poſſet, iuxta illud Eccleſiæ: *Non eripit mortalia qui regna dat cæleſtia*. Non autem de Vicario deſignato, quia cum eſſet quaſi Dominus vtilis comparativè ad dominium Chriſti (nam reſpectu aliorum erat directus) non egebat deſignari.

2041 Hinc patet ad quartum: negamus enim quod quis peccet contra iuſtitiam & contra dominium Chriſti, deſtruendo aliquam rem ſuam. Sicut nec Dominus vtilis peccat contra eam ſi deſtruat fructus vineę. Chriſtus enim

&

Digitized by Google

& Deus iuri ſuo ceſſerunt quoad nos, concedentes nobis ius vtendi rebus noſtris, eaſque deſtruendi prout libuerit: ad inſtar Dominorum vtilium, reſervato ſibi iure ſuo altioris ordinis pro deſtructione, vel contrario vſu talis rei ſibi inſtar conditiones tributarias cõſervãtes. Vndè ex hoc capite non datur peccatum contra iuſtitiam.

ART. IV.

ALIQVA INFERVNTVR.

2042 EX dictis ſequitur 1. hanc poteſtatem in Chriſto, licèt creatam, dependentemque à Deo, proptereaque inferiorem dominio ipſius, fuiſſe ordinis ſuperioris, atque omnem aliorum Regum poteſtatem ſuperantis ex triplici capite, vt bene advertit Gonet: ſcilicèt origine, vniverſalitate & firmitate. 1. ex parte Originis, quia poteſtas Regum terræ ducit originem ex titulo aliquo humano, ſcilicèt ſucceſsionis, vel electionis, vel belli. At Regnum Chriſti fundatur radicaliter in vnione hypoſtatica; formaliter verò in divina conſtitutione, dante titulo illius. 2. ex vniverſalitate, quia extenditur ad Angelos & homines, ad omniaque creata, tam viſibilia, quam inviſibilia, iuxta illud: *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, &c.* 3. ex firmitate, quia omnia Regna & Monarchiæ mũdi deſtruuntur, & vna exſurgit ex ruina alterius. At de Chriſto dictum eſt Lucæ 1. *Regni eius non erit finis.* Et alibi: *Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, &c.* Omnia hæc comprehendit Regius Vates Pſalmo 2. *Ego autem Conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion Montem Sanctum eius, &c. Dominus dixit ad me; filius meus eſt tu, ego odie genui te* (ecce titulum originis) *poſtula à me & dabo tibi gentes in hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* (Ecce vniverſalitatem) *Reges eos in virga ferrea & tanquam vas figuli confringes eos* (ecce eorum ruinam) *& nunc Reges intelligite, &c.* Vbi & in ſequentibus ſuperioritas & firmitas Regni Chriſti radicatur.

2043 Sequitur 2. poteſtatem Chriſti dividendam eſſe in ſpiritualem, & temporalem. De temporali comprehendẽte Regiam, tam politicam, quam dominativam, ſatis dictum eſt. Quia tamen Regia politica imbibit etiam legiſlativam, dicendum eſt, quod ſicut Regiam habuit in actu 1. per ſe ipſum; in vſu verò & exercitio, non per ſe, ſed per alios Reges, ita habuit legiſlativam temporalem in actu 1. eam verò in actu 2. condendi leges temporales, per alios exercuit, iuxta illud: *Per me Reges regnant & legum conditores iuſta decernunt*, videlicet vt Vicarij mei, influxu meo, & modo ſupra explicato.

2044 Quoad poteſtatem autem ſpiritualem dicendum, tria munera præcipua in ipſa comprehendi, ſcilicèt Redemptoris, Sacerdotis, & Legiſlatoris, ſimulque Iudicis. Munus Redemptoris exercuit ſolvendo pretium Redemptionis pro omnibus, auxiliaquè ſuo ſanguine promerendo. Vndè in hoc munere ſe geſsit liberativè, & præſervativè. De liberatione per ſatisfactionem condignam ſatis ſupra dictum eſt quæſt. 8. De merito inſuper ipſius quæſt. 34. Quod autem talis ſatisfactio, & meritum ſe extenderint quoad ſufficientiam, etiam ad reprobos, probavimus in Tractatu de Voluntate contra Ianſenium à num. 530. De liberativa autem, ſivè præſervativa ſolum reſtat dicendum, quod ad ipſam reduci valeat munus Medici ſpiritualis animarum; quia cum peccata noſtra etiam habeant rationem ægritudinis diſponentis ad mortem æternam, Chriſtus nititur ab ea nos preſervare ſua ſpirituali medicina, vulneribus noſtris ſpiritualia remedia applicando.

2045 Fuit etiam Chriſtus Legiſlator, vt talis enim legem novam introduxit abrogata veteri. De ratione enim ſupremi Guvernatoris, Regis, & Capitis vniverſalis Eccleſiæ eſt poteſtas condendi leges, iuxta illud Iſaiæ 33. *Dominus legiſer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſalvabit nos.* Quod quidem eſt contra Luterum, & alios Hæreticos. Quod autem talis poteſtas legiſlativa Chriſti excedat omnes alias, tàm Pontificis, quàm Regum, origine, vniverſalitate, & firmitate, non eget probatione, nec explicatione. Solum addimus, Chriſtum hanc poteſtatem per ſe ipſum exercuiſſe in actu 2. in triplicis generis præceptorum promulgatione. Moralia intimavit Mathæi 5. 6. & 7. Sacramentalia de Baptiſmo Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto.* De Pœnitentia Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Et de Euchariſtia cap. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, &c.* Alia tandem publicavit Fidei præcepta Ioann. 14. *Creditis in Deũ, & in me credite.* Item Marci vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* Exercuit autem talem poteſtatem pro toto mundo iuxta illud eiuſdem Marci. *Euntes in mundũ vniverſum docete omnes gentes.* Hanc poteſtatem Legiſlatoris comitatur in Chriſto officium Doctoris, de quo officio eiuſque exercitio diſputat Div. Thomas hic quæſt. 42.

2046 Eandem autem ſubſequitur munus, & officium Iudicis. Ad eum enim ad quem ſpectat leges condere, ſpectat etiam de earũ obſervantia, vel inobſervantia iudicare, vt illam præmiare, & illam punire poſsit. Videatur Suarez tom. 2. diſp. 52. Talem poteſtatem habet Chriſtus à Patre acceptam (licèt titulo Vnionis radicaliter) iuxta illud Ioannis *Pater omne iudicium dedit Filio.* Quod autem ei conveniat ratione Vnionis, & non quia Deus, ſed quia homo eſt, conſtat ex illo Ioannis: *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt.* Dices, ſi Chriſto data eſt hæc poteſtas (idem de alijs ſupra dictis) ex proprijs meritis vt ſæpè diximus, quomodo ratione vnionis hypoſtaticæ? Quidam reſpondent, datam fuiſſe duplici titulo, ſcilicèt iure naturali Filij Dei, ſivè hominis Dei, & ſimul iure meritorum ipſius. Dicendum eſt 1. ex dictis ſupra à num. 1988. Dignitatem Sacerdotalem, qua parte erat principium meriti, non potuiſſe dari Chriſto ex proprijs meritis. Dicendum 2. vnionem hypoſtaticam, non reſpectu omnium donorum, & facultatum Chriſto vt homini conceſſarum, eſſe titulum iuſtitiæ, aut debiti rigoroſi, licèt talis poſsit eſſe reſpectu ſubſtantialis hæreditatis, qualis eſt gloria animæ & comprincipiorum ſuperiorum ad amandum Patrem ſuper omnia, debitèque, & reverenter ſe habendum cum illo; ſed reſpectu multorum eſſe titulum magnæ congruitatis, vt eas illi concedat Pater. Datæ ergo ſunt Chriſto prædictæ facultates ex duplici titulo, quorum tamen vnus ſit magnæ congruitatis. Ille tamen nõ obligabat dari omnes à 1. inſtanti Incarnationis, ſed comodiori tempore, diſponendo prius vt per merita ſiã executa daretur. Alter verò titulus erat meriti ſtricti.

2047 Quo autem tẽpore Chriſtus exercuerit in re talẽ poteſtatem iudiciariam? Reſpondetur fortè exercuiſſe in Cruçe inter bonum, & malum Latronem, præmiando illũ, & damnando iſtum. Exercebit pleniſsimè in iudicio vniverſali, eritque tale iudicium fortè vnicum, ſed erit vnũ pro mille. An exerceat eam in quolibet iudicio particulari, non eſt certum apud omnes. Si iudicium fiat, & ſententia pronuncietur in loco ipſo, vbi quis moritur (vt exiſtimatur ſatis communiter) non videtur decẽs quod Chriſtus perſonalitèr deſcendat relinquendo Cœlum ad ſingula talia loca; imò cum in quolibet inſtanti aliquis moriatur in mundo, in nullo Chriſtus eſſet perſonaliter in Cœlo. Nec item credibile eſt quod tot in locis aſsiſtat per reproductionem. Vndè aliqui Auctores graves dixerunt iudicium particulare fieri à Chriſto mediante Sancto Archangelo Michaele, qui nomine Chriſti, ſivè vt delegatus ipſius ſententiam proferat. Satius tamen videtur, & melius ſalvatur proprietas illius textus: *Pater omne iudicium dedit Filio*, ſi Chriſtus in Cœlo ſẽtẽtiã in ſuo proprio ſolio proferat, & Angelus ſivè Michael, ſivè alius eam intimet, vel aſſumendo figuram & Perſonam Chriſti, vt in multis apparitionibus contingit; vel intimet vt Miniſter Chriſti

no-

Digitized by Google

nomine ipſius, ſicut contingit in Tribunalibus humanis quod Iudex in ſuo ſolio ſententiam profert, quam Miniſter i · carcere, reo nomine iudicis intimat.

2048 Quæres: quomodo Chriſtus ſit mediator Dei & hominum, & an hoc conveniat ei tanquam Deo, vel tanquam homini?

2049 De fide eſt quod Chriſtus Dominus ſit mediator inter Deum & homines, ex 1. Pauli ad Thimot. 2. vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Ex quadruplici modo quo officium mediatoris exercere poteſt, (quos Orlandus citatus, quæſt. 2. breviſsimè recenſet) nos duplicem aſſumemus, ad eumque alios reducemus. Igitur dupliciter quis mediat inter duos, 1. ſcilicèt ferẽdo de vno ad alterum diſidentium, propoſitiones & reſponſiones, ſivè pacta & conventiones ad eos pacificandos; quin ipſe aliquid ponat de ſuo, præter ſententiam (ſi ſit Iudex arbiter) vel parã inſtantiã & perſuaſionem vt pacificentur. 2. modo poteſt contingere, ita vt vnus ponat apud alterum præces & ſuorum meritorum repreſentationẽ, vt obliget eũ ad paces, & multo plus ſi vnus ſit reus & debitor apud alterum, & mediator non ſolum offerat præces, ſed pretium condignum, per quod pro eo ſolvat debitum.

2050 Difficultas duplex eſt: an hoc munus mediatoris pro hominibus apud Deum ſit proprium & ſpeciale Chriſti Domini, & an illud exerceat provt Deus, an provt homo Deus? Reſpondetur ad 1. abſolutè loquendo eſſe munus ſpecialiſsimum Chriſti, quia ſolus ipſe mediat pro hominibus ſolvendo hominum debita, eiſque de condigno veniam ſuis præcibus impetrando, ſuiſque meritis obtinendo. Licèt autem B. Virgo & alij Sancti poſsint eſſe mediatores, id ſolum locum habet per meritum de congruo.

2051 Ad 2. reſpondetur competere id munus Chriſto vt homini. Quia ſolum ad Chriſtum vt hominem pertinet orare, & ſacrificare, & ſatisfacere de condigno; ſicut ſoli ipſi vt tali competebat mori. Sicut nuper nu. 2012. dicebamus de Chriſti Sacerdotio.

QVÆST. XXXVII.

DE SERVITVTE CHRISTI.

2052 HÆC quæſtio his temporibus ita acriter diſputatur à Recẽtioribus vt cũ (conſequenter ad ea, quæ in Scholis ſæpè docuimus) propoſuerim defendere cum D. Thoma; Chriſtum vt hominem propriè fuiſſe ſervum Dei, & punctum pro dignitate examinare nixus fuerim, mihi fere videar à facie Epiſtolæ Adriani & Concilij Frãcofordienſis, poſſe dicere: *Quod veni in altitudinem maris, & tempeſtas fere demerſit me.* Nihilominus quia altè menti multis ab hinc annis infixi, quod non ſit Theologi ab antiquitus concepta ſententia (præcipuè quando gravibus fundamentis innititur) facile diſcedere & difficultati ſuccumbere, totis viribus conabor ſervitutem tueri, & laborare quomodo poſsim adverſariorum argumentis ſatisfacere. Sit ergo.

ARTIC. I.

ALIQVA PRÆNOTANTVR, ET SENTENTIÆ proponuntur.

2053 TRia imbibuntur in ſervitute, ſcilicèt minoritas, ſubiectio, & quod ad illas additur, ſpeciale & proprium ſervitutis, & hęc omnia à Theologis diſputantur in Chriſto. Minoritas vt talis ſumitur ab habere minus perfectionis quàm alter. Subiectio ſumitur à legibus comparatione ſubditi ad ſuperiorem. Servitus vero addit vlterius in ſuperiore ſtrictum dominium circa ipſum.

2054 Quæritur 1. an Chriſtus ſit minor Patre, ſe & Spiritu Sancto? Reſp. cum communi, abſolutè non eſſe, quia abſolutè Chriſtus ſupponit pro ſuppoſito divino in recto; at vero de Chriſtò vt homine, & ſecundum naturam humanam, propriè dici poteſt cum Auguſt. apud D. Thom. eſſe minorem, quia aliquando Chriſtus ait: *Pater maior me eſt*, item in Simbolo Athanaſij: *Æqualis Patri ſecundum divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem.* Dixi ſecundum naturam humanam, quia aliter, ſi abſolutè dicitur minor Patre, videtur locutio Arrij negantis æqualitatem Filij cum Patre, & ſi minor ſe, videtur Neſtorij, vt ſtatim dicam. Nec dicas 1. quando Chriſtus dixit Patrem maiorem ſe, abſolutè dixiſſe. Nego, quia iam conſtabat loqui de ſe vt homine; nam dixerat: *Vado ad Patrem*, & ſolum vadit ſecundum humanitatem, quia vt Deus eſt vbique. Nec dicas 2. cum Bernal; ſi quis dicat: *Chriſtus eſt minor Patre*; ex ipſa minoritate conſtat, ſermonem eſſe de Chriſto vt homine: ergo abſolutè dici poteſt. Nego anteced. quia id dicebat Arrius, & loquebatur de ipſo vt filio. Vndè vt dici poſsit, debet conſtare, ſermonem eſſe de Chriſto vt homine.

2055 De Chriſti ſubiectione etiam eſt difficultas: an ſit ſubiectus Patri & toti Trinitati? Reſp. cum D. Thoma abſolutè non poſſe dici, ſed cum addito, quia abſolutè loquendo Chriſtus ſupponit pro ſuppoſito. Inſuper quia ſi Chriſtus abſolutè eſt ſubiectus ſuppoſito Patris: ergo etiã ſuppoſito proprio erit, eritque Dominus & ſervus ſui ipſius abſolutè, contra Concilia & Patres, apud D. Thomam. Vndè cum addito bene dici poteſt Chriſtum vt hominem eſſe ſubiectum Patri & ſibi, quia illa reduplicatio manifeſtat ſermonem eſſe non de eo quod ſuppoſitum Chriſti ſit ſubiectum ſuppoſito Filij Dei (hoc enim fugiunt Concilia, quia arguit in Chriſto Domino duo ſuppoſita, quæ eſt hæreſis Neſtorij) ſed de eo quod eſſe humanum vt tale, ſubditur in Chriſto ſuppoſito divino, & hoc modo Chriſtus vt homo eſt ſubiectus Deo.

2056 Ex his ſequitur Chriſtum vt hominem ſubiectum fuiſſe aliquibus præceptis. Tum, quia vt ſic erat inferior Deo. Tum, quia creatura non eſt ſibi regula agendorum omnium, & ſic nec Chriſtus vt homo. Tum, quia obligatus erat colere Deum, quia hęc obligatio eſt quaſi proprietas naturæ rationalis. Capax ergo erat præcepti naturalis. De his latius ſupra à num. 1744. Hoc autem præceptum videtur quod ſolum erat directivum pro ipſo; non vero coactivum. Licèt enim in ſuperiore vtraque vis coniuncta ſit, coactiva tamen ſolum eſt pro ſubdito cui poſsibile ſit reſiſtere; quod non competebat Chriſto reſpectu præcepti Patris.

2057. Nec propterea vllis legibus humanis ſubiectus fuit, quia nulla creatura erat ſuperior eius, cum potius ipſe etiam vt homo eſſet caput vniverſale omnium, & ſic nec poterat obligare illum. Obedivit autem Parentibus, ſed his non in vi præcepti eorum, ſed in vi præcepti divini & naturalis honorandi eos. Item obedivit alijs legibus, ſed non per obedientiam ſtrictam tanquam ad ſuperiorem, ſed vt nobis exemplum præberet. Vndè de facto non fuit ſubiectus (licèt poſſet) legi Dei poſitivæ. V. g. Moyſaicæ aut Evangelicæ. Non illi, quia vt bene Div. Thom. quæſt. 37. art. 4. ſolum obligabat deſcendentes ab Abrahàm per ſeminalem generationem. Non iſti, quia ipſe erat Supremus Legiſlator, & lex iſta non verſabatur circa materiam communem Legiſlatori & Subditis, ſed circa iſtos vt ſubditi ſunt. Eſt enim lex, v. g. de recipienda fide, Evangelio, Sacramentis, & ſimilibus. Et hęc de ſubiectione.

2058 Quæſt. ergo principalis eſt de ſervitute vt tali, ſervus autẽ ſtrictus, idẽ eſt quod mãcipiũ, ad quod nõ ſufficit quod ſit minor. Nã minor eſt Plebeius Hiſpaniæ, Marchio-

Digitized by Google

ne, vel Duce Galliæ, nec propterea ille eſt ſerv⁹ iſtius. Nec item ſufficit quod ſit ſubditus; nam Plebeius Hiſpaniæ eſt ſimul minor & ſubditus ſui Regis, nec propterea eſt mancipium. Vlterius ergo requiritur ad mancipium quod Herus habeat erga illum poteſtatem non ſolum guvernativam, ſed dominativam, ita vt poſsit diſponere de bonis illius, de quo plura ſtatim.

2059 Duplex ergo eſt ſententia extremè oppoſita circa Chriſti ſervitutem. 1. abſolutè negat. Tenent eam Pater Vazquez acerrimè hic diſp. 89. Petrus Hurtado diſp. 78. Gaſpar Hurtado diſp. 15. difficult. 3. Beceanus hic cap. 16. quæſt. 2. Lugo diſp. 28. Pater Torres opuſc. 13. diſp. 1. dub 5. Pater Amicus diſp. 28. Et plures alij Theologi moderni, & inter eos noſter Orlando hic diſp. 8. q. 2. Boneſpei d ſp. 14. à num. 25.

2060 Contrariam ſentent. defendit Div. Thom. hic q. 20. art. 1. ad 2. & q. 23. art. 4. & cōmuniter Thomiſtæ, & Scotiſtæ. Godoi diſp. 53. § 7. Gonet diſp. 22. art. 1. Suarez diſp. 40. & latiſsimè Pater Bernal à diſp. 58. de Incarnatione, cui ſententiæ libenter ſubſcribimus. Præmittimus autem cum communi ſententia duplicem eſſe ſervitutem (vel forte triplicem quia in moralibus peccati ſervitus à communi legali videtur ſecernenda, vtpote quod illa poſsit eſſe vndequaque bona, ſecus illa cum fundetur in peccato.) Vna igitur eſt naturalis, & alia eſt legalis, quas optimè explicuit Gonet loco citato. Naturalis eſt illa per quam creaturæ, ſicut eſſentialiter ſunt dependentes à Deo, ita & ſervæ, ſivè mancipia Dei, & ſic fundatur in ipſa dependentia eſſentiali creaturæ a Deo. Cum autem hæc contrahatur ratione productionis, etiam extendi poteſt aliqualiter ad filium creatum reſpectu Patris creati: qui vtpote natura inferior, tenetur eſſe ſubiectus Patri, illique inſervire ſaltem quovſque emancipetur. Vndè quælibet creatura ex debito creationis & conſervationis eſt ſtrictiſsimè res Dei, & ſub dominio Dei, ita vt non ſolum operæ & actiones creaturæ ſint de dominio Dei, ſed etiam ipſa vita & ſubſtantia creaturæ, ita vt Deus poſsit de illis facere, quidquid placuerit, taliter quod ſine alicuius iniuria poſsit illas exigere, tam ab homine, quam ab Angelo titulo dominij, & poſsit eas, eoſque deſtruere ſi vellit. Vnde [illegible] illum verſum Pſalmi 118. *Quoniam omnia ſerviunt tibi*, alia littera habet apud Bernal: *Quoniam omnia mancipia tibi*. Hanc ſpeciem ſervitutis naturalis & eſſentialis bene callere, pro intelligentia quæſtionis multum proderit.

2061 Alia autem eſt ſervitus legalis, ſeu humana, qua vnus homo eſt mancipium, & ſervus alterius. Et hæc vt optimè notavit Auguſt. lib. 19. de Civit. Dei, cap. 9. non eſt introducta à natura, ſed à lege, & hæc contrahitur, vel iure belli, vel iure nativitatis, quando quis naſcitur ex ancilla, nam partus ſequitur ventrem, vel iure emptionis, vel ſententia aut condemnatione iuſta iudicis. Talis autem ſervitus eſt quædam conditio pœnalis procedens ex titulis dictis. Vndè de titulo belli dicitur 2. Petri cap. 2. *A quo enim quis ſuperatus eſt, eius & ſervus eſt.*

2062 Differt autem ſervitus legalis à naturali, vt notavit Orlando num. 6. in aliquibus conditionibus; nempè quod ſervus obediat Domino ſuo tanquam Domino (id eſt non ſolum titulo Prælationis, ſed dominij) & etiam, quod ſervus non eſt ſui iuris, ſed eſt iuris ſui Domini. Sed præcipuè vt non communicet cum Domino in ſede, nec in honore, nec habeat ius ad hæreditatem. Servituti autem naturali non repugnat, nec eſt incompoſsibilis cum ea communicatio in bonis Domini, imò nec ius ad hæreditatem; nec aliqua limitatio in prædictis conditionibus repugnat cum ſervitute naturali. Licèt enim Deus non poſſit cedere dominio cuiuſlibet creaturæ quoad ſubſtantiam ipſius, ita vt ab intrinſeco ſemper ſit potens eam deſtruere, vel de ea facere quidquid voluerit (in quo ſtat eſſentialiter ſervitus naturalis) ex pacto tamen benè poteſt cedere in dominium libertatis creatæ ius dominij, quod habet ad omnes actiones Chriſti & noſtras, ita vt non petat eas titulo dominij, ſed titulo Legiſlatoris, de quo diximus ſupra quæſt. 12. à nu. 587.

2063 Nec miranda iſta componibilitas in Chriſto, cum etiam reperiatur in Beatis ſervis verè legalibus Dei, cum quibus tamen eo quod eos elevaverit ad filios adoptivos, etiam diſpenſat cum illis ſuper conditionibus legalibus, nempè vt communicent cum Domino in honore, ſede, & iure hæreditatis acquiſito per meritum de iuſtitia, eo quod ceſſerit Deus cum illis iuri dominij, vt ipſi per dominium libertatis facerent ſua meritum & præmium.

2064 Aliter autem diſcurrit Noſter Bonaſpes diſp. 14. num. 23. docens, ſervum idem eſſe ac mancipium. Servitus prima ante legalem ſivè legem introductam, orta eſt ex peccato. Geneſ. 9. *Maledictus Canaam ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Adam enim ex Francofordienſi, liber creatus eſt & ſervus factus eſt ex peccato. Ex iure autem gentium poſtea introducta eſt ſervitus legalis ex titulis nuper dictis, & tranſlatum eſt nomen ſervi ad ſignificandā perſonam, quæ ita eſt alterius, vt operas & obſequia ſua illi debeat, & ipſe poteſt vti illo tāquā ſuo ad omnes vſus lege permiſſos. Hanc autem ſignificationem ſervi tranſlatitiam vocat & impropriam. Numero autem 30. quam nos vocamus naturalem & eſſentialem ratione dependentiæ & ſubiectionis ad Deum, etiam vocat impropriam. Sed immeritò, quia ſervitus communis vulgariter admiſſa pro tali, in genere ſtat in perſona ſubiecta, quæ ſit non ſui iuris, ſed alterius. Si autem in aliquo ſit ſui iuris, id provenit ex conſenſu & pacto Dñi. His poſitis redeamus iam ad Chriſti ſervitutem.

ARTIC. II.

ARGVMENTVM DIFFICILLIMVM PRO SENtentia negante, ſumptum ab Epiſtola Adriani, & à Concilio Francofordienſi.

2065 VTerquè ſatis clarè negavit Chriſtum eſſe propriè ſervum. Reperiuntur autem, tàm Epiſtola, quàm Concilium tom. 3. Conciliorum. Eſt autem eorum auctoritas adverſariorum Achilles. Nec mirum cum clauſulæ, in quibus negant Chriſtum ſervum non ſint ex illis quaſi ratiocinationibus, de quibus ſupra à num. 1339. negavimus facere rem de fide. Sed ſe habent inſtar definitionis, cum oppoſitum docentes, feriant anathemate tanquam Hæreticos. Quia autem inter Doctores ſe hoc argumento ducientes, nemo ex his quos viderim laborioſius, ſubtilius, acrius (teſtabitur argumentum) & brevius, argumentum, multitudinem ſolutionum, atque impugnationum & inſtantiarum contra eas perſtrinxit, quam R. Pater Philippus Aranda in manuſcriptis, cum quo ſæpè de hoc puncto altercationem [illegible], ne videar de adductorum ab ipſo vi & robore aliquid demere, verbo ad verbum tranſcribam in præſenti articulo. Quid circa id ſentiam, in ſequenti explanaturus. Ait ergo ſic.

§. I.

INCIPIT ARGVMENTVM.

2066 OStenditur 1. auctoritate Adriani & Cōcilij Francofordienſis. Tria quoad rem præſentem præſtat Adrianus in Decretali ſua contra Elipandum: Primum: reprehendit & damnat, quod Chriſtus vocetur ſervus. Verba ſunt: *Servum eum, impij, & ingrati tantis beneficijs, liberatorem noſtrum non pertimeſcitis vocare, [illegible] ſuſurrare. Cur non veremini querulis obtrectatores Deo adſtitis, illum ſervum nuncupare, qui vos de ſervitute diaboli emancipavit?* Alterum: comparat ſervitutem cum adoptione, & vtramque [illegible] Chriſto repellendam; imò potiori iure ſer-

ſervitutem. Verba ſunt: *Adoptivum enim filium, quaſi purum hominem calamitati humanæ ſubjectum & (quod pudet dicere) ſervum eum, &c.* Tertium: percurrit omnes ſcripturas, & ait in novo teſtamento, numquam à Patre dictum Chriſtum ſervum: in veteri locutos Prophetas tropicè & impropriè dum Chriſto appellationem ſervi dedere. Deinde exurgit multipliciter contra appellationem ſervi: & hæc Adrianus.

2067 Synodus vero Francofordienſis inter alia præſtat duo. Primum: excludit à Chriſto omne genus ſervitutis, facta inductione reſpectu Angelorum, reſpectu hominum, & reſpectu Patris Æterni. Idque habet expreſsè in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, col. 3. Alterum: excludit ſervitutem quaſi antecedens, ex quo Elipandus firmabat & colligebat errorem ſuum Adoptionis. Verba ſunt: *Quomodo amplioris gloriæ ſi ſervus, ſicut & Moyſes, vel ex ſervo adoptivus.* Propter hæc ipſe dubitare non poſſum de mente Adriani, & Francofordienſis. Quæ tamen vt omninò pateat.

2068 Sic ex poſitis argumentor 1. quia Synodus & Adrianus ſine vlla limitatione & paſsim inculcant appellationem ſervi eſſe Chriſto iniurioſam, & omnino repellendam ab ipſo: ergo planè definiunt Chriſtum Dominum nec eſſe, nec propriè dici poſſe ſervum. Argumentor 2. quia ſi aliquo modo poſſet dici Chriſtus ſervus, inconſideratè proceſſiſſet Adrianus reprehendens tã asperè Elipãdũ, & omninò pronuncians, nũquã & nuſquã ab ſcripturis appellatum fuiſſe Chriſtum, niſi tropicè & impropriè ſervum: at dicere Adrianum inconſideratè proceſſiſſe, temerarium eſt: ergo. Argumentor 3. quia vt ex contextu Adriani & Synodi patet, Elipandus fovebat & firmavat errorem ſuum de adoptione Chriſti ex appellatione ſervi, quam pro antecedente ponebat quaſi de fide ex textibus veteris teſtamenti, quos nunc Adverſarij allegant contra nos: id eſſe veriſsimum conſtat ex diſcurſu Adriani, qui omninò curat repellere exiſtimatum præſidium Elipandi interpretando loca veteris teſtamenti vt præmonui: ad quid enim tanta cura Adriani in repellenda ſervitute, niſi quia in ea nitebatur Elipando, malè aſſumens, & peius colligens, invocante abyſſum abyſſo? Conſtat etiam ex citatis verbis Synodi: *Ex ſervo adoptivus*, vbi manifeſtè declarat diſcurſum Elipandi colligentis ex ſervitute adoptionem. Nunc ſic: at Synodus & Adrianus ſimul damnant antecedens & conſequens Elipandi: nec enim permiſſo antecedenti negant conſequentiam adoptionis: vt faciunt Adverſarij noſtri: ergo iuxta Synodum & Adrianum damnata manet æquè ſervitus, ac adoptio. Hic noſter Achilles; videamus quomodo frangant & exarmient Adverſarij.

2069 Reſpondent aliqui 1. dubitando de auctoritate Epiſtolæ Pontificiæ & Synodi Francofordienſis quod nempè diu latuerint, & ob alia. Sed hæc potius eſt temeritas quam ſolutio: eamque totis viribus conterunt contra Scoriſtas aliquos §. ſeqq. vbi de prædicta Synodi auctoritate decernunt. Quidquid nunc de ea ſit; certè de Adriani Epiſtola ſine ſcandalo dubitari non poteſt, cum ea ſummo cum aplauſu admiſſa ſit ab Eccleſia, & repoſita poſt longam conſultationem DD. de mandato Summi Pontificis inter Decretales Summorum Pontificum, anno 1592. teſte Vazquez videndo diſp. 89. cap. 7. Nec in ea aliquid eſt quod non redoleat Sedem Romanam & Pontificem: imò iuxta Baronium to. 9. ad annũ 795. fol. mihi 446. legitur ſummarium ipſius inventum inter Schedas ipſius Adriani. Quod vero aliquanto aſperioris ſit ſtyli, movebit ſolummodo, eos qui neque introſpexerint cauſæ neceſsitatem, & arrogantiam Elipandi, imo & aliorum Pontificum morem ſcribentium contra errores exortos. Legatur Celeſtinus contra Caſſianum. Adde in fine Epiſtolæ ſatis oſtendere Adrianum viſcera Pontificiæ & Paternæ clementiæ. Sed hæc iàc pro re ſatis.

2070 Reſpondent alij 2. Adrianum & Synodum ſolum damnaſſe appellationem ſervi de Chriſto, ſimpliciter & abſolutè; non vero ſecundum quid, & cum addito, nempè vt eſt homo, vel ſecundum Humanitatem. Contra 1. quia Adrianus & Synodus eo ſenſu damnant, quo Elipandus aſſeruit; atqui Elipandus appellationem ſervi aſſeruit de Chriſto cum addito, nempè ſecundum Humanitatem, ſicut & appellationem Filij adoptivi: audiatur ipſe in ſua confeſsione: *Per iſtam Dei ſimul & hominis Filium, adoptivum Humanitate, & non adoptivum Divinitate, &c.* Ergo Pontifex & Synodus damnant appellationem ſervi, etiam cum addito, ſecundum naturam Humanam. Contra 2. manifeſtiſsimè magnum Adrianus etiam expreſsè damnat hãc appellationem ſervi cum addito: audiatur ipſe: *Nam Chriſtus Deus & homo erat; qui ſecundum Deum dicebat: ego & Pater vnum ſumus: & ſecundum hominem: Pater maior me eſt: & tamen non ait: Pater Dominus meus eſt, ſed maior*: vbi manifeſte refellit appellationem quocumquè ſub addito. Contra 3. & ſit ratio præcedentium ex ipſo Concilio: nam appellatio ſervi non eſt naturæ ſed Perſonæ: quæ ratio ex Damaſceno deſumpta admittitur à Concilio, dum ait: *Alia eſt Perſona Filij, alia adoptivi, vel ſervi*: vbi docet in eandem Perſonam cadere non poſſe appellationem Filij naturalis & ſervi. Videatur per otium Vazquez cap. 7.

2071 Reſpondent alij 3. quibus applaudit Bernal, eſſe extra Scopum, Adriani & Synodi definire contra ſervitutem, de eaquè obiter & indirectè egiſſe; non vero per ſe & ex profeſſo, nam Scopus ſolum erat agere contra adoptionem in qua errabat Elipandus. Miror hæc dici à viris alioqui doctis & eruditis, cum oſtenſione chartæ revinci poſsint. Contra 1. vſquè adeò Pontifex ex profeſſo contra ſervitutis appellationem agit, vt Epiſtolam ferè dimidiam in hoc inſumpſerit arguens ab authoritate, & à ratione multiplici pro theſi quam ſibi propoſuit, nempè Chriſtum nec eſſe, nec dici poſſe propriè ſervum. Incipit enim ab Adoptione, & pergit ad vſquè medium Epiſtolæ, & ex inde invehitur in ſervitutem. Et id quidem obijciendo ſibi omnia fundamenta quæ pro ſe vel adduxerat, vel adducere poterat Elipandus, vt patet ex ſupradictis. Deindè Synodus vix de adoptione loquitur quin in ſimul ſervitutem excludat. Quis autem poſt hæc aſſerat Adrianum & Synodum non egiſſe de ſervitute directè & ex profeſſo?

2072 Contra 2. & detego æquivocationem adverſarij ex prœiacta conſideratione num. 2056. Fateor Scopum Elipandi fuiſſe adſtruere adoptionem in Chriſto: Sed ad eam firmandam confidenter vſus eſt appellatione ſervi, abutẽdo Sacris Scripturis & Patribus in hunc ſenſum: id quod manifeſtè reliquis convictum loc. cit. Alius tamen & idem fuit Scopus Synodi & Adriani damnantium. Idem: nam damnavit adoptionem; alius: nam damnavit id quod pro certo ponebat Elipandus, nempè ſervitutem, damnando ſimul & antecedens ſervitutis & conſequens adoptionis. Et quid magis apud Patres, &c. vſitatum quam damnare ſimul & errorem illatum & principia vndè infertur, ſi æqualis fulguris ictu digna, cenſet Eccleſia? Contra quæ pudeat viros alioqui Theologos, loqui nihil vltra præter voces addendo.

§. II.

ALIAS RESPONSIONES IMPVGNAT.

2073 RESPONDENT alij 4. quibus hæret conſidentiſsimè Bernal, Prudentius, & Godoy diſtinguendo multiplex genus ſervitutis: nam alia eſt, inquiunt, naturalis; quæ conſiſtit in conditione naturæ pendentis à Deo tanquam à Domino: alia eſt legalis, nempè introducta per leges, iure belli, pacti, vel pretij; & alia eſt pœnalis, quæ contrahitur ex peccato, vel conſiſtit in ipſo peccato. Ex his legalis & pœnalis eſt ſervitus vilis: non vero naturalis: & illas excluſere Adrianus & Synodus, non illam, quia non

iſtam,

iſti n, ſed illas voluit Elipandus in Chriſto: quod patet ex verbis ipſius Concilij ſic alloquentis Elipandum: *Sed & hoc volumus à Vobis audire: an Adam primus humani generis Pater, qui de terra Virgine creatus eſt, liber eſt conditus, ſive ſervus? Si ſervus; quomodo tunc imago Dei? Si liber, quare & Chriſtus quoquè non ingenuus de Virgine?* Hucuſquè Concilium. Certum autem eſt Adamum ante peccatum ſervum fuiſſe ſeruitute naturali: non ergo hanc, ſed vilem & quæ contrahitur ex peccato voluerunt Synodus & Pontifex excludere à Chriſto. Addit Lorca, convinci id ipſum ex verbis Elipandi, qui eam ſervitutem quam attribuit Chriſto, vocat captivitatem: captivitas autem in homine ex ſolo peccato contrahitur. Hæc vero ſolutio ſolummodo ſua ſpecie fallere incautum poterit.

2074 Contra 1. quia Elipandus numquam ita deſipuit, vt attribuerit Chriſto ſervitutem peccati. Nequè id colligi vnquam poteſt ex eius confeſſione, quæ apud Vazquez habetur diſp.89 cap.4. Imò conſtat oppoſitum: nam in fine fideles excitat ad imitationem Chriſti, cui nempè debemus conformari in ſanctitate, vt Sancti ſimus. Legantur eius verba loco citato. Confirmatur evidentiſſimè ex his quæ noviſſimè inſinuat P. Gabriel de Henao de ſcientia media Theologicè defenſata part.1. num.37. vbi recitat ex confeſſione Felicis Vrgelitani, hæc verba: *Servus Patris, Frater electorum, conſimilis per omnia, excepto peccato.* Conſtat autem Elipandum per omnia conſenſiſſe Fœlici. Legatur Ioannes Euſebius Nierembergius in Epiſt. ad Laurentium Ramirez del Prado fol.518. operum Luitprandi. Nulla ergo ſervitus admiſſa eſt in Chriſto ab Elipando, niſi quæ cum ſanctitate coniungitur: non autem eſt ab ipſo admiſſa ſervitus ex peccato contracta.

2075 Contra 2. quia fundamentum adverſariorum eſt omninò nullum, quod oſtendo. Tum quia dum Elipandus captivum vocat Chriſtum, intelligit comprehenſum à Iudæis tempore Paſſionis, vt conſtat ex eius verbis apud Vazquez, Delugo & Aldrete. Tum etiam, quia Concilium in verbis allegatis incipit inductionem, ennumerando ſpecies ſervitutis, vt omnes excludat à Chriſto, nullaquè ſit Elipando effugij rima. Diſcurſus Concilij eſt: Dicis Chriſtum ſervum: at vel eſſet ſervus peccati, & id negat in verbis allegatis; vel eſt ſervus Hominum; & id negat: quia eſt Dominus. Vel ſervus Angelorum? Et id negat, adductis in oppoſitum Scripturis; vel demum eſt ſervus Æterni Patris, & id demum negat. Videantur verba Concilij apud Delugo num.22. Contra 3. quia ſervitus naturalis eſt ſervitus conditionis humanæ: ſervitus ex peccato contracta, eſt ſervitus excluſa per gratiã, & quæ non manet in Sanctis. Audiatur modo Adrianus: *Opus namquè eius eſt, vt ſit vnicus, proprius, & dilectus Filius Dei. Noſtrum enim eſt vt ſimus ſervi per conditionem, & Filij per gratiam adoptionis.* Et Adrianus fatetur cum gratia adoptionis ſervitutem conditionis componi: & hanc fatetur in nobis, & excludit à Chriſto: ergo non ſolum excludit ſervitutem pœnalem, ſed aliam quæ nobis ineſt ex conditione naturæ. Id quod adductis exemplis Iobi & aliorum firmat aſſerens, eos eſſe ſervos, non vero Chriſtum: at illi ſervi non erant ſervitute peccati, ſed conditionis. Vbi noto quod ſi negante Pontifice ſimpliciter ſervitutem, datur locus vt intelligatur de vna ſpecie ſervitutis, & non de alia, cur ſimiliter dici non poterit de adoptione?

2076 Contra 4. & argumentor ſic: Vel vltra ſpeciem ſervitutis ex peccato contractam agnovit Adrianus aliam ſpeciem propriæ ſervitutis, vel non? Si ſecundum: ergo cũ de fide ſit Chriſtũ nõ eſſe ſervum ſervitute peccati, non eſt vlla adverſarijs ratio, cur appellent Chriſtum propriè ſervum. Si primum: ergo iniuſtè & inconſiderate proceſſit Adrianus contra Elipandum, quod Chriſtum dixerit propriè ſervum. Deindè non fuit cur aſſeruiſſet Adrianus, omnes ſcripturas quæ Chriſto tribuunt appellationem ſervi, eſſe impropriè & tropicè, ac metaphoricè intelligendas; eſt enim argumentum magnæ ignorantiæ in Adriano poſſibilitas propriæ ſervitutis in Chriſto diſtinctæ à ſervitute peccati. Aliter argumentum formo: Vel eſt propria ſervitus ea quam vocant adverſarij, vel non? Si ſecundum: cur ergo vocant Chriſtum propriè ſervum? Si primum: ergo per ipſam explicare debuit Scripturas Adrianus, ne iret contra Regulas interpretandi ſcripturas traditas ab Eccleſia & Sanctis Patribus. Dicere vero Pontificẽ dum deſinit deviare à communi more & ſenſu Eccleſiæ & Patrum in interpretandis Scripturis, nempè metaphoricè, dum propriè poſſunt, eſt pluſquam temerarium. Formo etiam aliter: vel dependentia naturalis naturæ rationalis à Deo ſufficit ad propriam ſervitutem, vel non? Si ſecundum, deſinant adverſarij vocare Chriſtum ex eo capite propriè ſervum. Si primum, quomodo propria ſervitus eſt argumentum Neſtorianiſmi? Quomodo nota non eſt Concilio Francofordiæ, nec Adriano?

2077 Reſpondent alij 5. Concilium & Adrianum ſolum damnaſſe Elipandum de ſpeciali ſervitute, fundata in conditione ſervili, qua qui ſervus eſt non paret ex amore & ſpontè, ſed coactè & ex timore pœnæ. Sed contra 1. quia nequè Elipandus in hoc erravit vt planè convincit Pater Vazquez diſp.89. cap.5. ex ipſius confeſſione: vbi ne Verbum, aut vmbra quidem de tali errore. Contra 2. quia nequè Verbum eſt in toto contextu Concilij & Adriani, quo videantur velle probare Chriſtum fuiſſe operatum ex amore, non vero ex metu, aut timore pœnæ: quis autem credat ſi penes id erraſſet Elipandus, omiſſum iri à Concilio, & ab Adriano? Contra 3. nam redeunt huc dilemmata num. præcedentis. Contra 4. quia ratio, qua CC. & Pontifex vtitur ad excludendam ſervitutem, ea eſt nempè, quia eadem Perſona nequit eſſe ſervi & Domini: & quia qui gaudet adoratione & honore Domini, nequit eſſe ſervus: at hæc ratio omnem ſervitutem excludit, & non impetit ſpecialiter diſcurſum fictum ab adverſarijs. Videte Vazquium loc. cit.

2078 Reſpondent alij iam communiter & vltimo cum Suarez, Elipandum locutum de ſervitute multiplicante ſuppoſita, & feciſſe Chriſtum purum ſervum: erat enim Neſtorianus: & in hoc ſenſu damnatum à Synodo & à Pontifice. Duo dicit hæc ſolutio, in quibus maximè & vnicè nititur. Primum Elipandum fuiſſe Neſtorianum. Secundum: eum proindè non admiſiſſe vnam Perſonam in Chriſto, ſed duas; & admiſiſſe ſervitutem quæ ſuo faveret errori: atquè adeò ſervitutem qua Chriſtus eſſet purus ſervus, & purus adoptivus, vt homo. Primum oſtendere conatur ex Hiſtoricis illorum temporum, & ex verbis Concilij, vbi dicitur error Elipandi iam damnatus in Neſtorio: id quod amplificat Pater Bernal tota diſp. 64. Secundum oſtendit ex filo conſequentiæ, & addit parum conſulere famæ Concilij & Adriani, qui contendunt Elipandum tam acriter concuſſum & habitum, propter modum loquendi tam frequentem alioquin in Patribus & Scripturis.

2079 Vt ab hoc incipiam, rogo: eſt ne ſtandũ in intelligẽtia Scripturæ? Si Scripturas & Patres interpretatur Pontifex de appellatione ſervi metaphorica & impropria, vt verè facit, deferendus ne Pontifex pro ſenſu adverſariorum? Quoties in Hæreticis, & alijs condemnat Eccleſia voces, quas tamẽ in Patribus invenit alio ſenſu dictas? Si ergo Eccleſia permiſit Patribus appellationem ſervi, iam explicat in quo ſenſu. Iam quomodo conſulunt Adverſarij famæ Concilij, & Papæ ſi vtriuſque rationes ex ſuo diſcurſu faciunt inefficaces & non facientes ad rem? Si enim admittitur in Chriſto propria ſervitus, quæ acoluthia diſputandi in Adriano, quæ veritas? Demum duo illa, in quę nititur ſolutio (ne quidquam reſiſtentibus Suarez, Bernal, & Arriaga, qui omnium maximè gloriatur evolviſſe Concilium & Epiſtolas eiuſdem & Adriani; & omnium ſupiniſſimè legiſſe videtur.) Convincit omninò eſſe falſa, & quidem, quantum ipſe aſſequor, evidenter Pater Vazquez diſp.89, cap.8.

In

Digitized by Google

2077 In primis hæc ſolutio non occurrit his, quæ contra alias diximus, & ipſam æquè feriunt: nam vel propria ſervitus eſt argumentum Neſtorianiſmi, vel Adrianus egit inconſideratè recurrens ad metaphoricam intelligentiam Scripturæ. Deinde quantum attinet ad Hiſtoricos, patet ex eorum verbis ſolum affictam Elipando Neſtorij hæreſim per illationem. Tertio: quod Concilium & Adrianus non eum planè cenſuerint Neſtorizare, patet ex eiſdem: nam quomodo vocant Hæreſim Elipandi novam, ſi Neſtorij erat? Quomodo nullus factus recurſus ad Epheſinum, vbi damnatus Neſtorius? Quod autem per abſurdum obiecerint Elipando, manifeſtè probat, Elipandum ſaltem aperte non fuiſſe in eo errore. Aliud ergo eſt quod Neſtorianus fuerit; aliud quod arguatur tanquam conveniẽs cum Neſtorio. 4. quia eodem modo Synodus & Pontifex damnant adoptionem, quo ſervitutem; ſed illam damnant ſimpliciter: ergo & hanc.

2078 Quinto, & contendo Elipandum non fuiſſe aperte Neſtorianum. 1. ſic arguo. Elipandus admiſit vnicam Perſonam in Chriſto, negavit duas: ergo non fuit Neſtorianus. Conſeq. patet & antecéd. oſtenditur. Tum, quia Concilium infert tanquam inconveniens ex doctrina Elipandi, quod ſequantur in Chriſto duæ perſonæ: quid hoc ſi ipſe pro theſi admiſiſſet? Tum etiam, quia ex eo principio arguebant Concilium & Pontifex contra Elipandum, quaſi cum vnicitate Perſonæ componi non poſſent ſervitus & adoptio. Tum ex ipſa confeſſione Elipandi, vbi hæc habet: *Homo interior in vna eademque Dei & hominis perſona.* Quid clarius? Tum demum, quia ipſe fatetur in Epiſtola ad Fœlicem controverſiam ſibi cũ Beato & Heterio (qui in Hiſpania reſiſtebant Elipando) ſolam in eo eſſe, quod illi cenſerent vnam eandemque Perſonam dici non poſſe filium naturalem, & adoptivum: ipſæ contra.

2079 Arguo 2. nam ipſe Elipandus eiurat in ſua confeſſione Bonoſum, quem ſecutus eſt Neſtorius: non ergo aperte ſenſit quod Neſtorius. Nec refert quod Francofordienſe reprehendat quod Bonoſo eiurato, non eiuraverit Neſtorium quaſi conſcius & compars erroris. Nam id facit Francofordienſe, addito *ly fortè*, quod non addidiſſet ſi planè ſentiret Elipandum fuiſſe Neſtorianum. Arguo 3. quia ipſe Elipandus vtitur auctoritate Iuliani prędeceſſoris, qui præfuit Concilio xv. Toletano, vbi Calcedonenſe circa vnitatem Perſonæ in Chriſto admiſſam vna cum confeſſione Epheſini contra Neſtorium: quis autem credat Elipandum hębetis adeo ingenij vt excitaret contra ſe teſtes, dum Patronos allegabat?

2080 Arguo 4. quia Elipandus rogavit per litteras Carolum Magnum vt coacto ſapientum conſeſſu, de ſua doctrina decerneret, reſcriberetque quid ſenſiſſent, quod ſonat maximam confidentiam de exiſtimata ſecuritate ſuæ doctrinæ, impoſſibilem in homine, qui ſe Neſtorianum agnoſceret, & ſimul agnoſceret Catholicam pietatem Caroli. Adde quod Adrianus, nec verbum quidem de Neſtoriana hæreſi inferit in Epiſtola ſua contra Elipandum: neque liber Concilij Sacroſyllabus. Epiſtola vero Concilij ſtatuere videtur, tanquam Catholicè cognitam ab Elipando vnitatem Perſonę: & exinde arguit contra ipſum, quaſi diceret quod cum eo principio componi non poſſent.

2081 Maneant ergo tria. Primum: quod error Elipandi, licèt illatione fuerit idem cum Neſtoriano, tamen fuit omninò diverſus in ſenſu; nam Elipandus in eadem Perſona putavit coniungi poſſe filiationem naturalem, ſervitutem & adoptionem. In quo certè deſidero curam & diligentiam Card. Baronij ad ann. 794. nimis invehi in Elipandum, quem ſcire debuit Catholicè reſipuiſſe, poſt acceptas litteras Adriani, Synodi & Caroli, vt videre poteris apud Vazquez diſp. 80. cap. 12. Secundum, quod ſervitus quam admiſit Elipandus, & quam damnavit cum Synodo Adrianus, non fuit niſi propria ſervitus, quin contenderet ex ipſa dualitatem perſonarum in Chriſto. Tertium: argumentum ex Adriano & Synodo ſupra peritum manere firmiſſimum; & ex inde ex mente Adriani & Synodi reijciendam à Chriſto Domino omnem ſpeciem propriæ ſervitutis etiam cum illo addito: *Secundum humanam naturam*, qui erat ſcopus probationis. Et hæc de prima, veluti que Arguens.

ARTIC. III. ET §. I.

VT SOLVATVR ARGVMENTVM ISTVD, ALIqua notantur.

2082 Antequam ad eviſcerandum ſenſum Adriani & Concilij procedamus, notare oportet, mẽtẽ Elipandi & Fœlicis, nec eſſe evidenter cõpertam nobis, nec Pontifici & Concilio fuiſſe ſatis notam, vt patet ex tenore Epiſtolæ & Concilij. Et hoc procedebat, vel quia illi ſuos errores obſcure proponebant & occultabant, vel ſubdole ex malitia, vel ex ignorantia forte craſſa; vel ex generali Hæreticorum conſuetudine, qui ne teneantur, poſſintque cautius per ſuos errores demolire vineas, ſe gerunt callide inſtar vulpium, vel veniunt in veſtimentis ovium, cum intrinſecus ſint lupi rapaces.

2083 Hanc illorum bonam apparientiam cum mala interiori ſubſtantia, agnoverunt & manifeſtarunt Concilium in Sacroſyllabo propè initium, ſic aiens in ſecunda B. *Sed ſicut mos Hæreticis triſtia lætis, dulcia permiſcere amaris, veneni poculum mellis ſapore temperare: quædam in eadem Epiſtola plena blaſphemijs, & Catholicæ fidei reperta ſunt modis omnibus inimica; quædam verò ſi dici liceat, inveniri poterant non reijcienda. Sed in eodem poculo, in quo gutta veneni infuſa turgeſcit, mellis nihilominus amareſcit dulcedo.* Adrianus vero in initio Epiſtolę, in textu Elipandi inquit, plura eſſe redarguenda. *Sed in textu non ſolum perlecto, ſed & ſagatius explorato.* Quæ verba ſatis indicant, aliqua eſſe in ipſo, quæ pro ſui intelligentia ſagaci egerent introſpicione & exploratione. Non enim Elipandus ipſe præſens aderat, vt poſſet ſenſum à ſe intentum in conſpectu Concilij declarare. Quæ autem fuerit mens eorum, hic opus, hic labor.

2084 Tria præcipuè ſupra Epiſtolam & Concilium tenet ſententia negans. Primum eſt, Elipandum non aſſeruiſſe Chriſtum ſervum purè tanquam ſuppoſitum diſtinctum à Verbo. Quia apud ipſos non erat Neſtorianus, vt conſtat hic ex num. 2078. Secundum eſt, incredibile eſſe quod Elipandus ita diſipuiſſet, vt Chriſtum crederet ſervum peccati, vt conſtat ex num. 2074. Vndè contendunt per prædictas ſervi acceptiones, argumentum ab hac auctoritate non ſolvi. Tertium eſt, Adrianum & Concilium omnem omnino ſervitutem negaſſe Chriſto, vt conſtat ex num. 2066.

2085 Exiſtimo 1. quod nec Adriano, nec Concilio ſatis compertũ determinatè fuerit (licèt valdè ſubodoraverint) in quo ſenſu Elipandus Chriſto ſervitutem propriam attribueret. Cum enim ſervus dupliciter ibi ſumatur, nempè vel pro ſervo peccati, vel pro ſervo legali; id eſt qui quoad ſuas operas non ſit ſuus, ſed alterius, & non ſit conditionis ingenuæ, ſed ſervilis, atque valdè infimioris, ea, quæ Hiſpanè dicitur *villania* (de naturali enim eſſentialiter imbibita in eſſe creato, de qua nos, nec verbum aut inſinuatio in Damnatis, nec in Damnantibus) conſtat quod Damnantibus non ſatis fuerit compertum, de qua ex prædictis ſervitutibus Damnati loquerentur.

2086 Probo intentum 1. ex Concilio fol. 153. B. 2. ſic dicente: *Adoptivus ſiquidem non habet aliam ſignificationem, niſi vt Ieſus Chriſtus non ſit proprius Filius Dei, nec ex Virgine ei in ſimul genitus, SED NESCIO EX QVO SERVO ADOPTATVS IN FILIETATEM, vt vos aſſe-*

It

ſti. Hæc ipſa dubietas & indeterminatio probatur etiam ex Concilio fol. 152. col. 2. litt. E, Vbi Concilium, damnata prius contra eos in Chriſto ſervitute peccati ſic: *Chriſtus autem non fecit peccatum, ideò ſervus non eſt peccati, ſed magis Redemptor eorum qui ſervi ſunt peccati*: immediatè quaſi dubitans, an ſenſus Elipandi, & aliorum eſſet de ſervitute peccati, an vero de ſervitute legali, proſequitur dicens: *Sed forte ſervum hominis eum fuiſſe dicitis?* Quod per varios Scripturæ textus Concilium impugnat, præcipuè per illud; *omnia ſubieciſti ſub pedibus eius*, additque; *Quod ſit Dominus omnium, non alicuius ſervus. An ne Angelorum eum ſervum vultis dicere? &c.* quæ omnia manifeſtè convincunt noſtram exiſtimationem, de eo quod Concilio non ſit ſatis compertum, de qua ex his determinatè ſervitutibus, Damnati loquerentur.

2087 Exiſtimo 2. quod Elipandus fuit Neſtorianus licèt, vel ſubdole, vel ſupinè. Vndè dū Chriſtum ſervum introducit, intellexit duplex ſuppoſitum (ſicut & dum adoptivum) & in eo etiam ſenſu Concilium damnavit eum. Probatur aſſumptum. 1. ex Concilio fol. 153. C. 2. dicente contra eos: *Nonnè olim hæreſis veſtra in Neſtorio ab vniverſali Sancta Eccleſia reffutata eſt & damnata?* Ergo erat Neſtorianus. 2. probatur quia Concilium adducit ex Cyrillo noſtro ibi D. 2. quod Neſtorius in Chriſto ſimulabat vnam perſonam, & revera ponebat duas, quatenus docebat: *Quod Verbum nominatur Chriſtus, quia habebat copulationem ad Chriſtum. Quomodo non apertum eſt duos dicere Chriſtos, ſi Chriſtus ad Chriſtum habet coniunctionem tanquam alter ad alterum? Videtur enim Neſtorium dicere copulationem, quod vos dicitis adoptionem.* Ex quo patet evidenter Concilium intellexiſſe, Elipandum loqui in ſenſu Neſtoriano. Aliter ineptè has doctrinas PP. contra Neſtorium ei appingeret.

2088 Tertio & principaliſsimè, quia in confeſsione Elipandi adducta à P. Vazquez cap. 2. reperiuntur verba ſequentia, in quibus Adverſarij fundant, eum vnicam tantum in Chriſto agnoviſſe perſonam. Sunt autem ſequentia: *Homo interior in vna eademque Dei & hominis perſona ADGLOMERATVS, atque carnis veſtimento indutus.* Sed re vera Adverſarij decepti ſunt in his verbis ſimulatione, dolo, vel ſupinitate plenis. Et hic verificat quod ſimulabat vnam, & ponebat duas. Ly enim *adglomeratus* ex Nebriſenſi & Calepino, nec ſonat vnionem, nec adhuc realem copulationem, ſed multo laxiorem aggregationem, nempè involutionem & circundationem tam laxam, quæ Hiſpanè dicitur *debanar, y bolver ſobre el torno*; & ſic ſonat hominem ſe habere ad Verbum, *como ilo debanado al derredor de èl.* Quid doloſius & ſimulatius?

2089 Confirmo magis ex verbis immediatè ſequentibus, vbi reddit rationem, cur non dixerit: *In vna eademque perſona vnitus*, ſed laxiori verbo dixerit, *adglomeratus*? Proſequitur enim ſic: *Quia non per illum, qui natus eſt de Virgine viſibilia & inviſibilia condidit, ſed per illum qui non eſt adoptione, ſed genere: neque gratia, ſed natura.* Vide diſtinctionem poſitam inter *illum & illum*, quæ quidem correſpondet in Neſtorio, apud Cyrillum, dualitati illi *tanquam alter ad alterum.* Pro maiori autem ſupinitate, vel ſimulatione doli, reddit iterum ad vnitatem (vtique adglomerationis) per verba ſequentia: *Et per iſtum Dei ſimul & hominis Filium adoptivum humanitate, & non adoptivum Divinitate mundum redemit.* Ex quibus manet probatum quod ſimulabat vnam, & ponebat duas, quodque ſubdolè, vel ſupinè Neſtorianus erat.

2090 Per hæc ſoluta manent adducta à P. Aranda hic à num. 2079. contra Suarez & alios. Dicimus enim ad 1. ſervitutem ſolam non probare Neſtorianiſmum; benè verò provt ab Elipando aſſertam, reſpectu cuius vt ab ipſo aſſertæ, Scriptura methaphoricè eſt ſumenda. Ad 2. negamus Neſtorianiſmum tributum Elipādo ab Hiſtoricis per illationem, ſed per ipſius confeſsionem. Ad 3. vocant hæreſim Elipandi novam, propter additamentum ſervitutis indigniſsimæ & adoptionis vltra dicta à Neſtorio. Dicimus autem quod iam eſt factus à Concilio recurſus ad Epheſinum contra Elipandum per adducta verba N. Cyrilli. Nec mirum quod et tanquam abſurdum obiecta fuerit duplicitas ſuppoſiti. Obiecta enim eſt, quia ipſe ſimulatè verbis negabat, licèt in re confiteretur. Ad 4. reſpondetur, à Concilio eodem modo negatam adoptionem & ſervitutem vilem & indignam Chriſto, id eſt, vel peccati, vel legalem, de qua fuerat ſermo.

2091 Ad adducta num. 2078. ad probandum no fuiſſe Neſtorianum, reſpondemus ex nuper dictis, quod quia Elipandus ſimulatè, vel ſuppinè vnam concedebat perſonam, cum in re poneret duas, bonum erat ex conceſsis argumentum Concilij contra ipſum. Ad confeſsionem, iam eſt reſponſum. Ad illud de controverſia cum Beato & Heterio dicimus, verba Elipandi noſtrum confirmare aſſertum de eo, quod in re duos admitteret filios, naturalem & adoptivū, quod ex terminis probat Conciliū patere, eſſe duo ſuppoſita, licet id diceret dari in vna perſona, nam vel hoc erat ſubdole & ſimulate, vel ſupinè & ignoranter ex verbo & adglomeratione humanitatis, vnam ſtatuere perſonam. Fortè autem ex dolo, vel ex ignorantia craſſa procedebat abiurare Bonoſum & non Neſtorium, licèt ſentirent idem; quia per aliquam verborum varietatem, quæ in re eſſet valde accidentalis hæreſi, potuit ſuppine exiſtimare, ſufficienter eludi, & ſe liberum ab alterius Hæreſi.

2092 Ex hoc ipſo patet ad tertium & quartum, nam benè potuit, licèt craſsè Elipandus ſe liberum ab Hæreſi Neſtoriana exiſtimare per confeſsionem duorum filiorum in vna perſona per adglomerationem, & ita vt vnus quaſi veſtiretur & circundaretur altero, putans quod Neſtorius admiſiſſet ſolam concomitantiam intimiſsimam, & copulationem affectivam duorum amicorum inter Filium Dei, & Filium Virginis. In quo ipſe allucinari poterat, concipereque magnam diſparitatem inter Neſtorium, & ſe.

2093 Adde hæc argumenta ſumi à Recentioribus ex magnitudine & auctoritate perſonæ Elipandi, quaſi non potuerit errare in agendis, ſed in omnibus ſapientiſsimè & valdè prudenter in his ſe geſiſſe, cum tamen oppoſitum frequentiſsimè contingat in Hæreticis paſsione circa proprium errorem obcæcatis, & allucinatis. Imò & nos inter Theologos magnos noſtri temporis, dum ſinunt ſe pro trahi affectione aliqua ſuarum opinionum, quotidiè experimur de proprijs & alienis ſententijs ſæpè parum advertenter, imò cum magna æquivocatione iudicium ferre, alios cenſurando quod eorum doctrinæ ſapiant ſemipelagianiſmum, vel Lutheraniſmum, & ſe ipſos per aliqualem verborum mutationem, immunes à cenſura præſumendo. Nec eſt argumentum quod Elipandus adduxerit Iulianum pro ſe ad hoc vt inde probetur non fuiſſe ab ipſo adductū, ſi eſſet cōtra ſe. Iſto enim: Doctiſsi. Vazquez & alij adducunt pro ſe Elipandi confeſsionē de vna perſona, in verbis à nobis adductis à num. 2088. & tamen probavimus ibi, Elipandum in tali textu, non eſſe pro ipſis, ſed contra ipſos. Si nos intentione ſincera laborantes pro veritate, tam facile decipimur, quid miranda in Elipando deceptio paſsione ſui erroris obcæcato? Maneat ergo, ſatis ſolidam eſſe doctrinam ſolutionis P. Suarez de eo quod ſervitus ab Elipando aſſerta ſit de Chriſto vt purè ſervo, & vt ſuppoſito diſtincto à Verbo.

2094 An autem non ſolum ſit vera explicatio hæc, ſed ſufficiens pro ſolutione argumenti ſumpti ab auctoritate Concilij & Adriani? Exiſtimo quod non. Adrianus enim vltra multiplicitatem ſuppoſitorum, communem ſervituti & adoptioni comparatis cum Verbo, multo plus improbat ſervitutem vt talem, & ſpecialitèr invehitur contra ipſam, vt conſtat ex adductis ſupra à num. 2066. ergo ali-

Digitized by Google

aliquid ſpeciale & proprium importat ſervitus, quod magis dedeceat Chriſtum, cui per ſolam diſtinctionem ſuppoſitorum inter Verbum & ſervum non ſit ſatis.

§. II.

DE SENSV SERVITVTIS APVD IPSOS.

2095 EXiſtimo 3. Adrianum & Concilium ex profeſſo, vtramq; ſervitutē vt talē in Chriſto dānaſſe, ita vt ſivè mens eorum ſit de vna, ſivè de alia, in vtroque ſenſu damnati ſint. 1. pars; nempè quod præcipuè Adrianus damnet ex profeſſo ſervitutem peccati; quaſi valdè inclinans hanc fuiſſe eorum mentem, probatur. Fol. enim 142. col. 1. F. 1. adducta auctoritate Auguſtini dicentis, differentiam inter nos, & Chriſtum ſtare in eo: *Quod nos non nati ſumus de Deo quomodò ille Vnigenitus, ſed adoptati per gratiam ipſius: Ille enim venit Vnigenitus ſolvere peccata.* Proſequitur Pontifex dicens: *Penſate quid Doctor iſte dixerit, adoptatos nos eſſe per gratiam ipſius, qui peccata ſolvere venit, quomodo per illius gratiam nos ſumus adoptati: ſi ipſe conſors nobis in adoptionis gratia fuit: credatur ergo (quod dici nefas eſt) particeps etiam nobis in cauſa peccati. Nàm ſicut peccata noſtra non tolleret, ſi ipſe peccatum haberet: ita adoptionis gratiam nobis non tribueret, ſi ipſe propter hominem quem aſſumpſit ſine ſorde peccati, neceſſarium eguerit, vt gratiam adoptionis acciperet.*

2095 Vndè in his verbis (licèt non valdè clara ſint de incurſu peccati à Chriſto, poſita tamen ſunt à Pontifice, ſi fortè talis eſſet Elipandi mens) & in ſequentibus, totus per dimidiam Epiſtolam inſiſtit Pontifex paritatem ſequendo, quod non potuiſſet nos redimere ſi eſſet ſervus peccati, ſicut non potuiſſet nos adoptare, ſi ipſe adoptari indiguiſſet. Multis inſuper in locis immunitatem Chriſti à peccato inculcant hic contra Damnatos, tàm Concilium, quàm Pontifex. Nullibi autem ipſi verosimilius Chriſto peccatum appingebant à Concilio damnabile, nec tantam occaſionem id præſumendi offerebant, quam vbi ſervum nuncupabant. Saltaret autem Pontifex extra Chorum, ſi non præſumeret quod mens altius ſubobſcura Elipādi eſſet Chriſto appingere ſervitutē peccati; ſivè vt Papa loquitur, participationem in cauſa peccati, cum ex præciſſa ſtatione adoptionis ab ipſis aſſertæ, peccati ſervitus non colligeretur. Vndè eodem fol. 142. proſequitur cum Magno Gregorio: *Legiſlator Moyſes; Legiſlatores etiam Prophetæ, &c. Sed huic Mediatori in Legiſlatoribus ſimilis nullus eſt: quia iſti gratuito vocati ex peccatis, ad innocentiam redeunt. Redemptor autem noſter, homo ſine peccato eſt, ſi ius ſine adoptione. Tanta vos temeritatis dementia deludit, vt æquare eum Legiſlatoribus non erubeſcatis.* Sed in quo æquabant? In adoptione, & vocatione à peccatis ad innocentiam.

2097 Audi quomodo Pōtifex ſe explicet proſequēdo ſupradictā paritatē: *Adoptivū eū filiū quaſi purū homi. & calamitati humanæ ſubiectum, & (quod pudet dicere) ſervum eum impij & ingrati tantis beneficijs liberatorem noſtrum non pertimeſcetis venenoſa fauce ſuſurrare. Cur non veremini querulì obtrectatores, Deo odibiles, illum ſervum nuncupare, qui vos de ſervitute diaboli liberavit? Cui ſervitutis vos iterum nitimini perfidia ſponte colla ſubmittere. Porrò cum eſſetis ſervi peccati, ipſe vos liberavit gratuito munere per adoptionis gratiam in ſortem Filiorum Dei.* Ecce quomodo per redemptionem ſervorum à peccato probat, ipſum nō fuiſſe ſervum, id eſt non fuiſſe cum nobis in eadem damnatione, quod non poterat intelligi propriè, niſi de ſervitute peccati, ſicùt vt poſſet nos adoptare; non potuit communicare nobiſcum in adoptione. Sic fol. 152. C. 2. ſumpta eſt à Concilio, cum Divo Leone, dum reprehenditur quod Chriſtus ſit adoptivus, vel ſervus, conditione ſervitutis pro culpa: *Etſi eum Propheta ſervum nominaſſet; non tamen ex conditione ſervitutis, ſed ex humilitatis obedientia, &c. Papa Leone dicente: aſſumpta eſt de Matre Domini natura non culpa: creata eſt forma ſervi ſine conditione ſervili.*

2098 Nec valet quod Auctores negantes Chriſto veram ſervitutem perſuadere nituntur, nempè quod Elipandus, nec Fœlix ita deſipuerint vt Chriſtum peccatorem exiſtimarent, præcipuè cum confeſsio Elipandi quam verbo ad verbum adducit Vazquez diſp. 89. cap. 2. ponat Chriſtum pro exemplari omnium Sanctorum; cuius verba allata ſunt hic ſupra num. 2074. Reſpondetur enim in primis, quod Hæreticos obſcurat & obcæcat propria paſſio, & ſic nihil mirum quod deſipiant, imò & Luciferum, & alios Angelos malitia ita allucinavit, vt niterentur eſſe ſicut Deus contra ipſius voluntatem & omnipotentiam: Reſpondetur 2. S. Ioannem Baptiſtam potuiſſe eſſe exemplar omnium Sanctorum vtriuſque Teſtamenti, quin ei officiat quod fuerit aliquando Captivus, & particeps in cauſa peccati. Idem potuit Elipandus de Chriſto exiſtimare.

2099 Reſpondetur 3. quod Elipandus (quidquid ſit de Fœlice, fortè poſt cōverſionē & ante reverſum ad vomitū) ibi vocat Chriſtū non ſolùm ſervum, ſed leproſum & Captivum. Quid autem intelligi debeat nomine leproſi? Audi Concilium fol. 153. col. 2. dicens contra Elipandum: *Quod vero eum dicitis leproſum nominari, videtur vos minùs intendiſſe, quomodo Propheta hoc nomen poſuit: Et nos inquit, putavimus eum quaſi leproſum. & percuſſum à Deo. & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. Quaſi leproſum dixit, non leproſum. Item, putavimus dixit: id eſt, vt Beatus Hieronymus in Tractatu eiuſdem Prophetæ expoſuit, Nos putavimus eum propria ſuſtinere peccata. Sed vt veriùs intellex imus, pro noſtris vulneratus eſt iniquitatibus: nullatenus morbo lepræ percuſſus eſt in corpore; nec lepra peccati vulneratus eſt in anima.* Ad quid hæc omnia Concilium contra eos, ſi non præſumeret prudenter, eos appinxiſſe Chriſto in anima lepram de peccato proprio; quam Propheta ei attribuit in apparentia, & de peccato alieno?

3000 Prædicta confirmantur, quia Concilium fol. 151. A. 1. Damnatos vocat blaſphemos, quia applicabant Chriſto Domino locum illum Michææ 6. in quo ſermo eſt de peccato proprio: *Nunquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo? Fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? quod dixit, primogenitum, ſecundum humanitatem: quod dixit, fructum ventris mei ſecundum divinitatem. Quæ aures Catholicæ hanc expoſitionem audire non abhorreant?* Hæc Concilium. Ergo exiſtimavit eos ita blaſphemè & turpiſsimè inſaniſſe, quod Chriſto vt homini proprium peccatum attribuerint. Ex quibus clauſulis, & ex alijs plurimis, quæ in Adriano & Concilio reperiuntur, clariſsimè conſtat, quod licèt eis non fuerit evidenter comperta mens Elipandi quoad ſpeciem determinatam ſervitutis, valde præſumpſiſſe, quod erat de ſervitute peccati. Ineptum enim fuiſſet contra ipſum tot ad illam condemnandam cumulaſſe. Sivè ergo mens Elipandi fuerit de ſervitute peccati; ſivè de ſervitute legali; certum tamen eſt, in adductis clauſulis ſervitutem a Pontifice & Concilio damnari prætenſam, fuiſſe ſervitutem peccati.

3001 Quod autē damnare prætenſa etiā ſit ſervitus legalis, provt cōtrapoſita ſervituti naturali eſſentiali (pro caſu quo ſenſus intentus à Damnatis, fuerit de illa) probatur, quia Concilium fol. 152. dum videtur loqui de ſervitute contrapoſita ſervituti peccati, illam probat non competere Chriſto. 1. ex eo quod proceſſit de Virgine ſtirpis Regiæ, cooperante Spiritu Sancto, qui eum potuit facere perfectum & ingenuum. Stirps autem Regia Matris conducebat quidem pro ex[...]ione ſervitutis legalis, ſecus eſſentialis. 2. probat, quia Adam liber, & ingenuus creatus eſt, non autem ſervus, quia ſervitus contracta eſt ab ipſo per peccatum. Atqui Adam per libertatem & ingenuitatem aſſertam à Concilio, excutiebat quidem ipſius crea-

creatione ſervitutem legalem & peccati ; naturalem autem eſſentialem excutere non potuit : ergo de iſta, nec prima apprehenſio eſt in excluſiva Concilij.

3002 3. Quia cum in linea ſervitutis legalis (ſi fortè de illa loquerentur Damnati)non inveniret Concilium, in quo figeret pedem, & quo pacto Chriſto ab illis attribui poſſet, quaſi novas ſemitas examinandi eam quærens, interrogat an velint quod ſit ſervus hominis, an ſervus Angelorum, vel an Patris? Hæc dubitativa quæſitio non poterat eſſe, niſi de ſervitute legali, quia naturalis vtpote cõſiſtẽs in productione & eſſentiali depẽdentia, à 1. cauſa, nec per ſõnũ poterat occurrere quod eſſet reſpectu hominis, vel Angeli, ſicut poterat ſervitus legalis, vel ſervitus peccati. Servitutem autem legalem in Chriſto reſpectu hominis & Angeli excluſit Concilium per textus manifeſtos ſcripturæ, declarantes eum Dominum omnium, & ſpecialiter reſpectu hominis, per illum : *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, &c.* Reſpectu autem Angelorum, à quibus paulominus minoratus dicitur, per illum: *Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.*

3003 Licèt autem poſteà proſequatur, quærens an reſpectu Æterni Patris ? Pogrediaturque indicans non eſſe, probanſque ex voce Paterna in Iordane & in Thabor, vbi eum vocavit *Filium, non ſervum*: cum quæſitio & reſponſio fuerit ſub eodem §. ſivè numero, qui totus erat de ſervitute legali vt probatum eſt, & ſub eodem tenore verborum, de ea etiam intelligi debet cum eum negat ſervum Patris; nullo autem pacto de ſervitute naturali & eſſentiali dependentia à nobis aſſerta, & à tot Auctoribus defenſata, & teſte Bernal etiam inter Interpretes Sacræ Scripturæ communiſsimè recepta. Maneat ergo quod aſſerere Chriſtum vt hominem ſervum Dei ſervitute naturali eſſentialis dependentiæ, nec in vno apice ſit contra Adrianum, nec contra Concilium, ſed præter.

ARTIC. III. ET §. I.

SOLVITVR ARGVMENTVM ET SPECIALES replica ex Concilio.

3004 EX dictis ſatis colligitur reſponſio ad argumentum ab auctoritate Adriani & Concilij excludente quidem ſervitutem quamdam abiectam & vilem, (vtpote valde inferiorem filiatione adoptiva,) ſcilicèt, vel peccati, vel legalem modo explicato, ſecus eſſentialem. Iſta enim in toto rigore definitionis eſt vera ſervitus, ſed eius acceptio, quia eſt recondita, eſt parum vſitata; altera verò vilis & abiecta eſt communis, vulgaris & frequentiſsima in communi hominum ſenſu, & ab Elipando in eo accepta & prætenſa; ideò ſervitus abſolutè prolata, (& multo magis circunſtantiata ſignis abiectionis) ſumpta pro famoſiori & notiori, antonomaſticè ſonat in partem vilem, vel peccati, vel legalis. Hinc ad 1. ex adductis num. 2058. reſpondetur ſervitutem negatam ab Adriano eſſe antonomaſticè acceptam, nempè vilem & communem. Ad 2. reſpondetur, Adrianum damnantem Elipandum, prudenter proceſsiſſe, quia iſte faciebat Chriſtum ſervum, ſumendo illum provt communiter, & abiectè. Scripturæ autem, vt attribuentes Chriſto ſervitutem communem (de quo infra) bene dixit Adrianus, quod erant tropicè intelligendæ.

3005 Ad 3. reſpondetur, illos textus ſcripturæ de ſervitute, habere poſſe duos ſenſus, vnum proprium de ſervitute eſſentiali, & alium metaphoricum de abiecta. Ille parum vſitatus. Iſte multum & frequenter. Adrianus autem non excluſit priorem. Sed expreſsit poſteriorem cum magno fundamento, vt dicemus infra reſpondendo ad quartam replicam. Bene autem licèt vox ſervus capax eſſet boni ſenſus, damnavit Elipandum, quia conſtabat quod in ſenſu communi, vulgari & abiecto, ſivè antonomaſtico loqueretur. Adde obiter, falſum eſſe quod Elipãdus ex ſervitute vt ex antecedẽti, probaret conſequens adoptionis. Verum autem eſt, quod Chriſtum ex ſervo elevabat ad adoptivum, & id ſonant illa verba Concilij: *ex ſervo adoptivum.* Hoc autem eſt confirmare quod de vili ſervitute loquebatur, ſiquidem prius ponebat Chriſtum fuiſſe purum ſervum, & ex puro ſervo, elevatum ad optivum. Veritatem huius interpretationis confirmat magnus concilij conatus in probando ex SS.PP. iam à primo inſtanti conceptionis fuiſſe Deum, & non prius ſervum. Videatur à fol. 153. col. 2.

3006 Hinc ad impugnationes multiplicis ſolutionis, concedimus Arguenti, quod optimè impugnet primam, ſecundam & tertiam, quia revera falſæ ſunt & ineptæ.

3007 4. Autem ſolutio bona eſt, quatenus docet, Concilium ſolum damnaſſe ſervitutem peccati, & legalem, non vero naturalẽ. Quod intellige de naturali eſſentiali. Cõſectaria enim naturalis, de qua hic notabili 4. reducitur ad legalem, & etiam damnata eſt. Sed pro ſervitute peccati, pondera de novo verba Adriani fol. 142. F. 2. poſt defenſum Chriſtum a peccato, dicentis : *Tales gratiarum actiones ei refertis, vt qui vos honorificè liberos pretio ſanguinis fecit, eum vos iniurioſè adoptivum & ſervum non confundamini linguis latrare?* Quod eſt dicere: ipſe vos liberavit à ſervitute peccati, & vos eum audetis latrare ſervum peccati? Iniurioſa retributio. Ad ea autem, quæ arguens opponit de non admiſſa ſervitute peccati in Chriſto ab Elipando, iam eſt ſufficienter reſponſum; negamus autem quod per ly *captivum* Elipandus intellexerit, in paſsione comprehenſum. Et ex Verborum tenore nihil tale colligitur, cum ly *Captivum* poſuerit poſt iam ſepultum & ſervum. Adde quod eum inſuper vocet leproſum, quod Concilium intellexit de lepra peccati proprij. Quin obſit exortatio ab ipſo facta ad imitationem Chriſti, vt probavimus ſupra à num. 2096. & infra num. 3010.

3008 Nec momenti eſt inſtantia adducta num. 2075. de eo quod Concilium ſingulas ſervitutes enumeret, vt ſingulas, & omnes excludat. Reſp. enim, excludere ſolas ſervitutes viles & abiectas, ſervitutem peccati & legalem (& in ea naturalem conſectariam) quin de naturali eſſentiali quidquam ei occurrerit, cum Elipandus nihil de iſta; expreſsè autem locutus ſit de illis. Et præter adducta in favorem huius interpretationis, addo ſequentem conſiderationem. Illam omnem ſervitutem excluſsit Concilium quam, ei potuit occurrere ex verbis & confeſsione Elipandi, poni ab ipſo. Atqui ſolum potuit ei occurrere ſervitus abiecta & vilis. Ipſe enim Chriſtum hominem communiſsimum & abiectiſsimum exiſtimavit, ita vt quidquid in nobis de hac linea vile eſt & cõmune, poſuerit in ipſo, ad ſummum addendo altiorem gradum in adoptione.

3009 Accipe eius verba apud Vazquez cap. 2. *Quem Sacra Scriptura teſtatur, pro ſalute humani generis, Deitate exinanita, hominem factum, circunciſum, baptizatum, flagellatum, crucifixum, mortuum, ſepultum, ſervum, captivum, peregrinum, leproſum, deſpectum, & quod deterius eſt, non ſolum ab Angelis, ſed etiam ab hominibus minoratum, vermen eſſe dictum, ex perſona eius Scriptura dicente, ego ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Vbi in circunciſſo & baptizatio communi modo prolatis, fortè culpam, in captivo & leproſo clarius, in alijs, ſervi pœnas indicat, & in omnibus ſtatum & conditionem vilem & abiectam.

3010 Iterum adde, quod verba ipſa(in quibus Adverſarij fundant quod Elipandus ita altè ſenſerit de Chriſti Sanctitate, vt non potuerit credi in mentem eius veniſſe ſervitus peccati) ſatis clarè confirmant quam viliter, vel ſaltim communiter ſenſerit de Chriſto. Talia enim ſunt: *Quia ſi conformes ſunt omnes Sancti huic Filio Dei ſecundum gratiam, & cum adoptivo adoptivi, & cum Chriſto Chriſti, &*

cum

Digitized by Google

cum parvulo parvuli, & cum ſervo ſervi. Vide quomodo in omnibus, tam in magnis, quam in abiectis Chriſtum æquiparet cum quolibet alio ſaltim in gradu: ergo credi debet quod Concilium contra hanc Chriſti abiectam & ab eis aſſertam communem ſervitutem invehitur, quia ſola hæc eruebatur ex eorum confeſsione.

2111 Adde inſuper quod in tota confeſsione Elipandi apud Vazquez non invenies vllum verbum de communicatione Chriſti cum Patre in ſede, neq; in honore. Adrianus autem fol. 143. B. 1. ſervitutem impugnat per ſeſsionem Chriſti in dextera Patris. Verba ipſius ſunt: *Nunquid debuerunt eum ſervum, vel adoptivum prædicare, cum vniverſalis Eccleſia Evangelicis, atque Apoſtolicis imbuta lucidiſsimis documentis, Deum ac Dominum ſuum totis medullis cordis, tota animi devotione in dextera eum Patris profitetur ſedentem?* Cum ergo ſervitus legalis ex ſe excludat communicationem in bonis Paternis, ſi per hanc communicationem probat non dari ſervitutem, de legali vtique, vel de ei conſentanea probare intendit. Tertia autem inſtantia, ſivè replica, propter maiorem difficultatem, profundius examinanda eſt. Eſt autem eiuſmodi.

§. II.

ALIA REPLICA EX CONCILIO.

2112 CONCILIVM cõtrapoſuit fol. 144. col. 1. Chriſtũ vt hominẽ nobis, eo quod ipſe eſt Filius Dei, & nos ſervi per conditionem. Poſtquam enim D. 1. expoſuiſſet propriiſsima ipſius, nempè quod ſtricte ſit Deus, & non nuncupativè ſicut alij Sancti, concludit dicens: *Opus namque eius eſt, vt ſit vnicus, proprius, & dilectus Filius Dei. Noſtrum opus eſt, vt ſimus ſervi per conditionem, & Filij per gratiam adoptionis.* Igitur cum ſervitus per conditionem coniuncta à Concilio cum filiatione adoptionis, nequeat eſſe ſervitus peccati, quia ſunt inconiungibiles, neceſſe eſt quod ſit ſervitus per conditionem naturæ.

2113 Nota 1. quod aliud eſt natura & eſſentia, aliud conditio humana naturæ. 2. nota quod inter has conditiones (ſivè vocentur carnis, ſivè humanæ) prout diſtinctas à natura, aliæ ſunt entitativæ, & de linea quaſi de eſſe in actu 1. Aliæ ſunt operativæ, ſivè de operari, & de tractari more ſervorum, tàm circa non eſſe ſui iuris in illis, quàm quoad pœnas more ſervili eis inſligibiles. Priores ſivè de eſſe, ſunt mortalitas, paſsibilitas, & quidquid conveniret naturæ humanæ de per ſe in actu 1. extraeſſentialiter & ſeparabiliter, ſi fuiſſet creata in pura natura, & abſque vllo pacto Dei. Poſterior vero de tractari, aut operari, ſunt operæ, ſivè actiones fiendæ liberè ab homine, quæ cum eſſent Mancipij, & non eſſentis ſui iuris, ſed Dei vt Domini, & iſte non ceſsiſſet, eo ipſo iſtæ eſſent operationes quaſi legaliter ſerviles.

2114 Dixi, *quaſi legaliter*, quia licèt lex non eſſet adhuc introducta, tamen fiebant ante illam, cum omni ſapore illius. Sed quia in quæſtione illa: *An inter Deum & homines poſsit iuſtitia intervenire*, plures affirmant & benè (non quidem abſolutè, ſed ſuppoſito pacto & ceſsione Dei) nam cum Deus omnes noſtras operas poſſet petere titulo dominij, dignatus eſt illi cedere in multis, eaſque ſolum petere titulo Legiſlatoris, & ſuper eis paciſci de iuſtitia, factum eſt quod Adamo in innocentia creato, ex pacto de iuſtitia facto cum illo vt capite morali, homo in multis factus eſt Dominus, ita vt potuerit acquirere iura iuſtitiæ etiam reſpectu Dei.

2115 Quia tamen pactum cum Adamo poterat eſſe, quod ſi contraveniret ei, ſaltim in multis ammitteret eo ipſo ius iuſtitiæ, rediretque ad obligationem & lineam operativam ſervitutis illius quaſi legalis, ſivè ad ſtatum illum ſervilem & conditionem naturæ, ſicut per peccatum redivit ad conditionem entitativam carnis paſsibilis & proximè mortalis in actu 1. ita etiam redivit ad tractari ſerviliter, tàm quoad operas, quàm quoad pœnas, & fortè propterea ex tunc vſque ad Chriſtum, homines nõ ſolum tractati ſunt à Dæmone vt ſervi peccati, ſed etiam à Deo ſerviliter quoad non communicare cum Domino in bonis, & etiam quoad multitudinem pœnarum.

2116 Nota inſuper 3. conditionem illam ſervilem extraeſſentialem, tam quoad operas, quàm quoad pœnas fuiſſe à Deo hominibus decurſu temporis temperatam & laxatam, ita vt ſenſim tranſtulerit eos de ſervitute peccati ad libertatem filiorum Dei, & etiam de ſervitute quaſi legali negante dominium operarum, & comunicationem cum Domino & in bonis ipſius. Dominium enim ceſſum operarum, & communicatio cum Domino in bonis, maius fuit in lege gratiæ, quam naturæ, & ſcriptæ, ſed non totale. In Evangelio enim docentur Diſcipuli poſt factas operas, dicere: *Servi inutiles ſumus, &c.* Sed etiam Chriſtus dixit ad eos: *Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos, quia quæcumque accepi à Patre, nota feci vobis.* In Patria autem licèt ſemper maneant ſervi Dei (& fortè non ſolum eſſentialitèr, ſed in aliquibus etiam extraeſſentialitèr) tamen ibi multo plus ſervitus quaſi legalis eſt laxata, cum potiantur hæreditate, & communicent cum Deo in ſede, & in bonis iure meritorum, licèt inæqualiter.

2117 Ad argumentum ergo reſpondetur, quod Concilium dum ponit differentiam inter opus Chriſti & noſtrũ, quod nos ſimus ſervi conditione, loquitur de ſervitute peccati, vt ſatis conſtat ex contextu antecedenti, quæ etiam durat in iuſtis per aliquos effectus. Vel de ſervitute legali; quia Deus nos filios non ita emancipavit etiam in Cœlo, vt totaliter excuſſerit à ſe poteſtatem dominativam noſtrarum operarum, ſicut fecit reſpectu Chriſti, de quo ſtatim. Quod autem à Chriſto excludi intenta à Concilio ſit conditio ſola ſervilis, & non naturæ vel carnis, probatur quoad primam partem ex verbis ipſius Concilij fol. 148. D. 1. quod quidem poſtquam Chriſtum vnam perſonam in vtraque natura ſtabilivit, proſequitur dicens: *Conſubſtantialem in ſua Deo Patri, Sanctoque Spiritui, conſubſtantialem etiam nobis in noſtra. Noſtra dicimus, in carnis conditione, non in peccati, vel miſeria communione.* Et fol. 152. C. 2. *Etſi eum Propheta ſervum nominaſſet, non tamen ex conditione ſervitutis, ſed ex humilitatis obedientia.* Et ibidem cum S. Leone: *Aſſumpta eſt de matre Domini natura, non culpa; creata eſt forma ſervi ſine conditione ſervili.*

2118 Quoad ſecundam partem etiam probatur ex verbis Concilij fol. 143. C. 1. *Enimvero etiam in ipſo articulo paſsionis, in quo ſervilis forma pati parata erat, vbi omnis Humanæ conditionis infirmitas monſtrabatur, non eum Dominum appellavit, ſed Patrem: Pater inquit ſi fieri poteſt, tranſeat à me Calix iſte.* Idem repetit eodem fol. 143. B. 2. *Etſi novimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed iam nunc non novimus illum. Ac ſi patenter diceret: Etſi novimus eum mortalem, paſsibilem, vulneri deditum, ſed iam in gloria Patris ſcimus eum ab omni humana conditionis debito alienum.* Vide quomodo Concilium ſolas excludat ſervitutes peccati, & legalem, ſecus naturalem eſſentialem.

2119 Nota 4. quod dixi naturalem eſſentialem, quia ſervitus naturalis, adhuc importat duas, vt ſtatim dicetur; vnam eſſentialem & primariam, quæ ex proprio genere & conceptu ſtat in dependere eſſentialiter à Deo, ita vt ſine illius iniuria poſsit à Deo deſtrui potentia antecedenti, quia eſt verè Dominus vitæ ipſius. Et quantum attinet ad hoc, vivens tale non eſt ſui iuris, ſed alterius, nempè Dei. Et hoc ſufficit ad ſalvandam veram & ſtrictam ſervitutem in tali viventi, & verum atquè ſtrictum dominium in Deo. Hoc autem dominio Deus non poteſt ſe expoliare, quia eſt de conceptu & ratione cauſæ primæ. Ex hac autem ſervitute eſſentiali dimanat naturaliter ſecunda quaſi conſectaria, quæ eſt ſervitus quoad

operas. Omne enim opus mancipij in eo quod mancipium eſt, ex proprio genere eſt, non de dominio mancipij, ſed Domini. Hoc tamen dominium operarum, quia eſt quaſi naturaliter conſectarium prioris, eſt ceſsibile & alienabile à Deo in favorem hominis, vt ſatis conſtat ex dictis.

2120 Ex quibus reſpondetur ad replicam adductam à num. 3012. opus noſtrum prout contrapoſitum operi Filij Dei, eſſe vt nos ſimus ſervi per conditionem, ſed per conditionem vilem, quæ ſit conditio naturæ lapſæ & per peccatum, vel per pœnas ex peccato reſultantes ablato illo, vel ſervi per conditionem ſervilem, quatenus non ſolum nos & vita noſtra non ſunt noſtri iuris, ſed nec operæ noſtræ ſunt noſtri iuris, niſi ex pacto Dei in ſola ipſius liberalitate fundato. Operæ autem Chriſti poſſunt eſſe de dominio Chriſti fundato non in pura liberalitate, ſed in iure Filij proprij Dei, vt dicemus.

§. III.

SOLVITVR ALIA DIFFICILIS REPLICA adducta à num. 2076.

2121 REPLICA in ſubſtantia erat, quod ſi Adrianus agnovit ſpeciem aliã ſervitutis à nobis aſſertã, iniuſtè proceſsit cõtra Elipãdũ, cũ in bono ſenſu poſſet ſumi ly *ſervum*, & malè interpretatus fuit Scripturas de ſenſu improprio. Si autem non agnovit aliam præter ſervitutem peccati, non reſtat vlla nobis ratio Chriſtum aſſerendi ſervum, cum de fide ſit, non convenire ei ſervitutem ab Adriano cognitam. Inſuper, quia ſi ſervitus à nobis aſſerta, eſt propria ſervitus, & in Scripturis contenta, non poteſt Adrianus excuſari ab ignorantia, & à deviatione à regulis interpretandi Sacram Scripturam vt ſonat, dum eos textus de impropria & tropica ſervitute intellexit.

2122 Hæc inſtantia ſolvenda eſt duplici via. Prima erit fortè parum trita, prænotando, aliud eſſe ſervitutem eſſentialem prout talem non dari, & aliud ab Adriano non cognoſci. Negamus primum, & permittimus ſecundum; nempè quod Adrianus expreſsè & in actu (quidquid ſit implicitè & in habitu) non cognoverit ſervitutem purè eſſentialem à nobis aſſertam, quàm num. 315. vocabimus acceptionem reconditam & parum vſitatam. Negamus tamen propterea admittendam non eſſe, ſiquidem excluſio notitiæ ipſius in Adriano, ſolum probat talem ſervitutem nec eſſe de mente ipſius, nec contra mentem, ſed præter. Vt enim ipſe condemnaret prudenter & ritè Elipandum, ſufficiebat optimè callere ſervitutem ab ipſo aſſertam, nempè communiter & vulgariter ſumptam, ideſt vilem & abiectam habentem pro membris dividentibus ſervitutem peccati & legalẽ (ſive quaſi legalem). Et vt Adrianus & Concilium eas hæreſeos damnare poſſent, vt verè conſtat damnaſſe vtramquè, ſive vna (ſive altera, ſive vtraquè prætenſa à Damnatis fuiſſet.)

2123 In hoc autem ipſo aſsiſtentia Spiritus Sancti dirigentis Pontificem & Concilium magis admiranda & veneranda apparet, quod cum ſervitus eſſentialis & legalis quaſi conſectaria ſint inter ſe tam connexæ vt explicatum eſt, fortèque earum diſtinctio nec Pontifici nec Concilio fuerit expreſsè cognita nec repręſentata, ſecundum rationem formalem eſſentialem, ſecundum quam vna differt ab alia (cum tamen eſſentialis Catholica ſit, legalis vero, ſicut & peccati hæretica,) taliter Spiritus Sanctus linguam & calamum Pontificios & Conciliares direxit, voce ſua intercidendo flammam ignis, vt fumum deſtruxerit, lucem vero verę ſervitutis eſſentialis in vno læſerit, vel attigerit. Vndè ſervitute eſſentiali manente omninò intacta, conſectaria illius & legalis prout vilis & abiecta, de medio ſublata eſt.

2124 Si replices 1. Si detur eſſentialis illa, contineri deberet apud nos in textibus Scripturæ à Pontifice allegatis. Atqui non continetur: ergo. Probatur minor, quia ex Pontifice ſola continetur ſervitus impropria, ſecus eſſentialis, quæ apud nos propria & ſtricta eſt. Reſp. permiſſa maiori (de qua ſtatim) nego minorem. Ad probationem nego, quod Pontifex dixerit, contineri ſolam impropriam, ſed ſolum dixit, contineri ibi impropriam, quin tamen dixerit ſolam, aut negaverit de propria. Imò hoc mihi mirabilius eſt, quod Pontifex obſcuriſsimè ibi loquens admittat aliquos textus ex illis loqui de Chriſto ad litteram & myſticè, ſolumquè in ſenſu myſtico impropriè, & metaphoricè eos ſummendos doceat, quin de alio ſenſu aliquid decernat, nec inſinuet. Verba eius ſunt fol. 143. B. 1. *Quæ cuncta, & iuxta litteram propheticè & myſticè revelata, noſtri Mediatoris deſignant Perſonam.*

2125 Ratio autem eſt, quia nihil ſolemnius apud Interpretes Sacræ Scripturæ, quàm quod duplex ſenſus etiam litteralis poſsit contineri in eodem Scripturæ textu. Et multo melius vnus litteralis, & alius tropicus, & myſticus. Igitur textus de ſervo loquens, duplicem ſenſum poteſt habere, ſcilicèt reconditum de ſervitute eſſentiali, & vulgarem de ſervitute vili. In textibus à Pontifice adductis, ſecundum vulgarem ſignificationem verborum ſumptis, intelligitur ſervitus pœnalis ex peccato, vel ligalis ex Nativitate à Matre ancilla, vel à ſtirpe ſerva: partus enim ſequitur ventrem. Quæ omnia ſi propriè ſummerentur dum loquuntur de Chriſto, indicarent in eo, vel peccatum proprium, & pœnas ipſius, vel mancipiatum proprium quoad operas, ita vt circa illas non eſſet ſui iuris, ſed alterius, nec communicans in bonis cum Domino. Textus igitur in hoc ſenſu vulgari ſumpti, de Chriſto propriè intelligi non poterunt, ſed metaphoricè & myſticè, ita vt taliter ſuſtinuerit penas peccati pro nobis, & tam anxiè ſuas operas fecerit in obſequium Dei, quaſi verè fuiſſet peccator, ſtrictèque fuiſſet in operativis Mancipium. De altero autem ſenſu eſſentialis ſervitutis, nil in pro, vel contra.

2126 Dixi *permiſſa maiori*, quia dato quod non contineretur hæc ſervitus in textibus adductis à Pontifice, poterat in alijs cõtineri v.g. in illo *Quoniã omnia ſerviũt tibi*, vbi alia littera vt iam dictum eſt, habet: *Quoniam omnia mancipia tibi*; ideſt omnia tam rationalia, quàm irrationalia ſunt de tuo domin o per eſſentialem dependentiam, ita vt poſsint à te deſtrui pro libito ſine alicuius iniuria. Item diximus *permiſſa maiori*, quia licèt in nullo Scripturæ textu contineretur, ſufficit ſi contineatur in ratione naturali ſolida, convincente hanc eſſentialem dependentiam entitativam eſſe humani à Deo, eſſe de iure Cauſæ primæ, & de dominio inalienabili Dei.

2127 Addo tandem, ſervitutem eſſentialem etiam in prędicto textu contineri, *quoniam ego ſervus tuus, & Filius Ancillæ tuæ*, quia in hoc ipſo imbibitur eſſentialis dependentia à prima Cauſa, ſimul cũ Ancilla Matre concurrente. Quem ſenſum prout contradiſtinctum à ſenſu ſervitutis legalis, agnoſcunt ibi Patres & Interpretes; & fortè agnovit Adrianus, & hęc eſt ſecunda via) licèt de eo, vt parũ vſitato, & prout tunc non faciẽte ad rẽ, non curaverit. Vel fortè de eo ſenſu nihil curavit. Nec hoc eſt inconveniens, cũ non pertineret ad intentũ. Et præcipuè, quia ſi nullũ eſt incõveniẽs, in eo quod Propheta, vel Sacer ſcriptor nõ cognoverit omnes ſenſus in Prophetia, vel Scriptura ipſius à Spiritu Sancto intentos (vt cum communi ſententia docuit Xavier in ſuo Tyrocinio Iſagogico Sacræ Scripturæ tract. 1. ſect. 2. dub. 5. §. 1.) multò minus abſurdum erit quod Pontifex (iuxta primam viam) non omnes ſenſus alicuius textus agnoſcat, dummodo agnoverit & penetraverit illũ, qui pro ſuo intento faciebat vt contingit in præſenti.

2128 Maneat ergo 1. ex dictis, Adriano & Concilio notũ certo fuiſſe (quæcunquè fuerit in ſpecie mens Elipandi) ſervitutem ab eis aſſertam, in genere fuiſſe vilem, & indignam. Patet, quia erat infimior adoptione, & quàm in compara-

par atione eius pudebat eā dicere. Maneat 2. quod licèt nō fuerit certum an Damnati aſſeruerint determinatè & in ſpecie ſervitutem peccati vel ſervilem, vel vtramquè, certum tamen eſt fuiſſe has à Pontifice & Concilio damnatas pro caſu quo fuerint ab ipſis aſſertæ (vt valdè, & cum magno fundamento intelligebatur;) ſed de naturali eſſentiali nihil Pontifex nec Concilium. Vndè falſum eſt omnes ſervitutes numeraſſe vt omnes damnaret à ſufficienti partium enumeratione, vt argumentatur Gaſpar Hurtado: Eſſentialis enim non fuit numerata. Ex quibus manet ſufficienter probatum, quod ex Adriano & Concilio nihil contra ſervitutem Chriſti eſſentialem ſolidè adduci poſsit.

2129 Ex prædictis doctrinis reſponſum manet ad plures Pàtrum auctoritates adductas ab Adverſarijs, & etiam à Suarez & Bernal ſolventibus eas. Earum autem ſubſtantia eſt, quod Chriſtus in forma ſervi non eſt ſervus, ſed liber; & quod ſi caro non eſſet aſſumpta à Verbo, eſſet ſerva & eſſet ignorans, à quibus per Vnionem ad Verbum liberata eſt. Reſpondetur enim iuxta dicta & ſtatim dicenda, carnem vnitam Verbo, & Chriſtum vt hominem dici, & benè, nō eſſe ſervum, ſed in forma ſervi Dominum, quia titulo Vnionis fuit impedita quævis ſervitus vulgaris, tàm peccati (& quæ ex illo dimanant, v.g. ignorantia, &c. quibus obnoxia erat ſi per Vnionem præſervata non fuiſſet) quàm ſervitus legalis & naturalis conſectaria, quia omninò ceſſo à Patre dominio ad Chriſti operas, manſit quoad illas ſui iuris, & verus Dominus atquè Rex. Sed à ſervitute eſſentiali dependentiæ in ſuo eſſe à prima Cauſa, adhuc vt homo eximi, & alienari nōn poterat.

ART. V.

ARGVMENTA A RATIONE PRO SENTENTIA negante.

2130 SOLVIMVS argumenta ab auctoritate, ſolvamus ſumpta à ratione. Sit 1. Vnio hypoſtatica eſt impedimentum efficax ſervitutis, & incompoſsibilis cum iſta. Ergo nequit cadere in Chriſtum. Antecedens probant. Tum quia ſi cum nota ſervitutis eſt incompoſsibilis Filiatio adoptiva, vt patet ex Inſtituta Iuſtiniani titulo de adoptionibus, multo magis Filiatio naturalis, vel propria. Tum quia per dignitatem Vnionis quaſi manumittitur humanitas, & ſuppletur omnis defectus natalium. Ergo ceſſat ſervitus. Tum quia ius intrinſecum ad hæreditatem, & ad omnia bona Dei incompatibile eſt cum ſervitute, cum ſit proprium Filij provt diſtincti à ſervo. Tum deniquè quia ille, qui ex ſe ipſo habet ius quaſi privativum ad omnia opera ſua, vt de eis diſponat pro libito, ita eo ipſo manet ſui iuris in omnibus, vt abſolute, & plenè ſit Dominus nihil participans de ſervo, cuius definitio ſtat in non eſſe ſui iuris, ſed alterius. Atqui totum id convenit Chriſto vt homini, ratione Vnionis. Ergo ratione illius excluſa eſt omnis ſervitus.

2131 Reſpondetur, hoc argumentum probare cum Vnione hypoſtatica eſſe incompatibilem non ſolam ſervitutem peccati & legalem, impedientem ius hæreditatis, ſed etiam naturalem conſectariam, ſiquidem in Vnione vel radicatur, vel ad eam ſubſequitur pactum ceſsivum iuris operarum, & translativum dominij Dei in dominium Chriſti. *Operarum* dixi, non autem eſſentialis dependentiæ à Cauſa prima conſervāte dominium generale creationis quoad eſſe, vtpotè inalienabile. Et in hoc ſtat ſervitus eſſentialis.

2132 Secundo probant, quia ad ſtrictam ſervitutem non ſufficit eſſentialis dependentia creaturæ, ſed neceſſaria eſt carentia tam intimæ coniunctionis, quæ faciat Perſonam æqualis dignitatis, & opera eius exempta, detquè ſupplementum in defectu originis. Atqui humanitas non importat carentiam huius coniunctionis. Ergo eius dependentia non ſufficit ad ſervitutem. Maior in qua eſt difficultas, probatur. Tum quia teſte Adriano minoritas non ſufficit ad propriam ſervitutem in Chriſto, ac per conſequens, nec ad dominium de ipſo in Patre. Atqui hæc minoritas conſiſtit ſolum in tali dependentia. Ergo. Tum 2. quia ex Ariſtotele 1. Politicorum & Divo Thomà, ſervus definitur: *Organum animatum alterius, ſeparatum, homo exiſtens.* Chriſtus autem non eſt alterius tanquam quid ſeparatum. Tum 3. quia cum tali dependentia componibilia ſunt omnia iura Filij, & plenè Domini, vt probatum eſt. Tum 4 quia ſi coniunctio adoptiva impedit coniunctionem ſervilem, quanto magis coniunctio phyſica Filij Dei?

2133 Reſpondetur negando maiorem, quia ſola dependentia inalienabilis primæ Cauſæ ſufficit ad ſervitutem eſſentialem, abſq; carentia illius coniunctionis. Nam quantum ad eam dependentiam Chriſtus, vt homo non eſt manumiſsibilis. Ad 1. probationem ex Adriano conceditur conceptū minoritatis dependentis præcisè non ſufficere ad ſervitutem ibi expreſſatam (benè ad eſſentialem) ſcilicèt ad ſervitutem per quam Chriſtus eſſet quoad operas mancipium, & non ſui iuris, & Pater in eodem ſenſu eſſet Dominus ipſius. Ad 2. reſpondetur Ariſtotelem loquutum de ſervo legali dum docuit debere eſſe Inſtrumentum ſeparatum. Ad 3. autem & 4. conſtat ſufficienter ex dictis.

2134 Tertium argumentum eſt, quia ex Concilio Francofordienſi, illa dignitas quæ elevat, & ponit intrinſecè in iure cōmunicandi cum Deo in Sede, honore & bonis, faciēdo ſummè amabilem illā naturam rationalem, quę ex propria origine erat obnoxia ſervituti naturali, eo ipſo impedit neceſſario ſervitutem. Atqui talis eſt dignitas Filij Dei per Vnionem hypoſtaricam. Ergo. Maior probatur 1. quia ſervitus etiam naturalis eſt poſitivè infra hæc omnia ſcilicèt infra ius ad honorem & cultum, qui aliàs ſit proprius Domini, & infra ius vt omnia bona Dñi ſint eius. 2. quia ratio ſervi poſtulat, vt amor de ipſo ſit longè diſsimilior & diſtans ab amorè Filio naturali debito. 3. quia ſi ex iure naturali coniugij ſervę cum Domino ſuo, extinguitur eo ipſo conditio ſervilis, eo quod Matrimonij nexus eſt ius communicandi cum Marito in Sede, honore, & omnibus bonis, multò magis id erit verum in Chriſto vt homine, ita in Vnitatem Perſonæ evecto, vt vtriquè idem ſit Cultus & adoratio, eademquè Sedes Dei & Agni.

2135 Reſpondetur ad maiorem, talem dignitatem impedire ſolam legalem & naturalem conſectariam, ſecus eſſentialem. Ad omnes probationes maioris, reſpondetur conceptum ſervitutis legalis, & conſectariæ importare iura poſitivè inferiora ad iura Filij Dei quoad bona, quoad amorem, & quoad participationem in bonis, imo & contrapoſita ad illa. Iura autem ſervitutis eſſentialis importabunt quidem inferioritatem præciſsivam ad iura Filij Dei, ſecus poſitivam.

2136 Quartum, & difficilius ſumitur ex Francofordienſi à paritate adoptionis. Illa enim repugnat Chriſto. Ergo & ſervitus. Conſequentia probatur, quia ab Adriano & Concilio æquè, & pariformiter vtrumquè excluditur, & ferè ſemper ſimul, vt patebit legenti. 2. Nam ex Damaſceno docet Concilium quod adoptio, & ſervitus non ſunt nomen naturę ſed Perſonæ. Vndè ſicut propterea ad adoptionem diverſitas naturarum non ſufficit, ſed requiritur Perſonarum (& propterea Concilium dixit quod *Perſonæ Vnitas adoptionis tollit injuriam*) ita etiam ad ſervitutem, Perſonarum diverſitas neceſſaria erit, quin ſufficiat naturarum. Et propterea Concilium addidit: *Nam ſi Deus verus eſt, qui de Virgine natus eſt, quomodo tunc poteſt adoptivus eſſe vel ſervus?* Ex quibus patet, Filium & ſervum in eandem perſonam, ex Concilio coire non poſſe.

2137 Ad hoc argumentum reſpondetur, Concilium dum æquiparat cum adoptione ſervitutem, loqui de ſola legali, vel ſapienti legalem: ſecus de eſſentiali. Licèt enim de vtraque æqualiter admittatur quod non ſit quid naturæ ſed ſuppoſiti (quod fortè alius negaret ſaltem de eſſentiali, quia ſolum fundatur in predicti) nihilominus legalis,

galis, non vero eſſentialis poſtulat inter ſervum & Filium diſtincta ſuppoſita (& fortè, quod ſervus ſit inſtrumentum ſeparatum.) Eſſet enim manifeſta contradictio, quod idem ſuppoſitum vt homo, eſſet Filius & ſervus: nam cum ſit reſpectu eiuſdem & de eodem, ſi vt homo haberet, & communicationem in bonis paternis, vtpotè Filius; & vt homo non haberet, vtpotè ſervus legalis (qui ex proprio conceptu ſervi excluſionem eorum importans) vtrumque in idem ſuppoſitum ſub eadem natura cadere, impoſsibile omninò eſt. At cum ſervitus eſſentialis talem iuris & bonorũ excluſionem ſolum dicat præciſsivè, & non excluſivè, quæ bona Filiatio ſuperaddit poſitivè, nulla contradictio eſt; ſicut nec in eo quod vt homo eſſentialiter deſtruibiliter pendeat à Deo vt à Cauſa prima & Domino generali, ſive quod ſit quid creatum, & tamen ſimul vt Filius ſit hęres, bonis Dei fruens, & omnium creatorum ſit ex pacto Dominus ſpecialis.

2138 Tandem probare poſſent ex eo quod in toto novo Teſtamento de Chriſto non ſit audita vox ſervitutis: ergo quia dum dicebatur in veteri, ſolum dicebatur in vmbra & impropriè, & ſic non debuit dici in novo, vbi ablata vmbra, veritas iam patefacta eſt. Reſpondetur 1. non introduci ſervum in voce, ſed videtur fortè introduci in opere in die Præſentationis eius in Templo, vbi tamquam pro ſervo oblatum eſt ſacrificium. Sed quod magis facit ad rem, Deus ibi titulo dominij petijt primogenita & ſe conformans huic legi oblatus eſt in Templo, & quinque ſiclis à Deo quaſi emptus, vel redemptus. Sed quidquid ſit de hoc.

2139 Reſpondetur 2. conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Diſparitas eſt, quia licèt ſervitus eſſentialis conveniat Chriſto, ſicut & Filiatio propria, convenientius fuit, vt quia lex illa antiqua erat lex ſervitutis, ibi Chriſtus ſe ſervum manifeſtaret, tamquam cum ſervis cõmunicãs. In lege autem gratiæ vt Filius cum Filijs, quia iſta eſt lex quæ excuſa ſervitute, facit Filios Dei. Ad eum modum quo diximus ſupra à num. 1933. quod licèt Verbum Incarnatum fuerit ex duplici decreto, vno communicationis, & altero Redemptionis, quia tamen novum Teſtamentum eſt amoris, & ex ſecundo motivo magis excitantur homines ad amorem quam ex primo, ideò in novo Teſtamento vix eſt ſermo, niſi de iſto, cum tamen in veteri frequentiſsimè fuerit expreſſatum illud.

ART. VI.

NOSTRA SENTENTIA PONITVR ET BREVITER probatur.

2140 ASSERO 1. Chriſtus vt homo propriè fuit ſervus Dei attẽta definitione eſſentiali ſervitutis. Ita Auctores ſecundæ ſententiæ. Probatur 1. quia hæc ſolum poſtulat; quod quoad ſuum eſſe eſſentiale concreti humani ſubſtantialis vt talis, non ſit ſui iuris, ſed quod ita pendeat à Deo vt Domino, & vt prima Cauſa, vt ſine iniuria eius poſsit à Deo deſtrui. Quod innegabile videtur Chriſto vt homini: aſſerere enim, quod Chriſtus vt homo nequeat à Deo deſtrui, videtur libere dictum. Licèt enim nequeat deſtrui de potentia ordinaria, videtur certum poſſe de abſoluta, cum ei nequeat competere eſſentialiter immortalitas, vtpotè qui verè mortuus fuerit. Nec fas eſſet dicere, quod ſi divinitus deſtrueretur, ei Deus inferret iniuriam, quod nemo concedet. Sicut ergo vt homo eſt eſſentialiter dependens à Deo vt Domino, ita & eſſentialiter ſervus. Probatur 2. quia exemptio ab operis ſervilibus & ius hæreditatis, atquè communicatio in bonis Paternis excludit quidem ſervitutem legalem vt dictum eſt, minimè vero eſſentialem, ſicut nec excludit eſſe dependens, & creatum.

2141 Reſpondebis, dependentiam eſſentialem ſufficere ad miſeritatem, ſed non ad ſervitutem, niſi coniungatur cum carentia Vnionis excludente omnem ſplendorem Filij, communicationem in bonis Paternis, & dominium propriarum actionum, quæ ſervitutẽ offuſcant, cooperiũt, imò & excludunt. Sed contra 1. quia eo ipſo quod homo non ſit ſui iuris ſed alterius, omni alio ſublato, intelligitur ſervus illius cuius iuris eſt. Atqui hoc ſalvatur in eſſe, & vita Chriſti vt hominis ex proprio conceptu dependente à prima Cauſa: ergo ſalvatur ſervitus eſſentialis. Carentia enim Vnionis, & Nitoris Filij ſolum requiritur pro ſervitute legali. Contra 2. quia plurimi Sancti Patres in Chriſto ſimul cum Filiatione propria Dei agnoverunt ſtrictam ſervitutem, quorum auctoritates plurimas affert Pater Bernal. Sufficiant Nobis Auguſtinus Epiſt. 178. *In qua eum infirmitate non ſolũ ſublimem, ſed etiam ſervum evidentiſsimè confitemur.* Atanaſius ſerm. 3. contra Arrianos, poſtquam nomẽ *creati, ſervi, & Filij* de Chriſto dixiſſet, inquit: *Omnes huiuſmodi voculæ in ratione Humanitatis, benè & propriè competunt.* Hieronymus in cap. 1. Epiſtolæ ad Titum dicit: *Nec mirum Sanctos homines, Dei ſervos nobiliter appellari, cum per Eſaiam Prophetam Pater loquatur ad Filium: magnum tibi eſt vocari ſervum meum.* Tandem Chriſoſtomus in Epiſtolam ad Philipenſes homil. 7. inquit: *Sicut in forma Dei perfectus eſt Deus, ita in forma ſervi perfectus eſt ſervus.*

2142 Reſpondebis, magis credendum Adriano definienti, quàm multis Sanctis Patribus oppoſitum ſentientibus, etiam ſi ſe textibus Sacræ Scripturæ muniant; quia tales textus ſolum habent ſenſum improprium & metaphoricum, iuxta Adrianum. Sed contra 1. quia ſi Adrianus & Patres inter ſe diſſideant, credi debet Adriano. Probavimus tamen ſupra non diſſidere, quia Adrianus non loquitur de ſervitute eſſentiali, ſed de vili, de qua non loquuntur Patres. Item dantur alij diverſi textus Scripturæ de Chriſto ſervo. Nam Iſaias 42. dicit: *Ecce ſervus meus ſuſcipiam eum.* Qui locus Math. 12. exponitur de Chriſto, licèt apud Mathæum non dicatur *ſervus meus*, ſed *puer meus*: iuxta verſionem Septuag. Sed idem eſt iuxta Scripturæ fraſsim. Et Hieronymus ibi ait: *Nec mirum ſi ſervus dicitur, factus ex muliere, factus ſub lege.* Iſaiæ 49. & 51 expreſsè ita vocatur: *Chriſtus ſervus meus David.* Zachar. 3. *Adducam ſervum meum orientem.* Adrianus autem dum ſenſum improprium attribuit, non loquitur de omnibus, ſed de illis quos ipſe citat. Dato etiam quod de omnibus loqueretur, iam diximus loqui in vno ſenſu, & quatenus talis ſenſus ſapiat ſervitutem vilem, ſed non in alio ſenſu, in quo loquatur de ſervitute eſſentiali.

2143 Tertio prob. quia ex excluſione ſervitutis legalis, & apud homines, non ſequitur excluſio ſervitutis naturalis apud Deum. Patet in Matre Dei, quæ iuxta leges humanas non poſſet eſſe Ancilla, & tamen verè eſt talis: ergo ſimiliter in Chriſto vt homine. Dices eſſe diſparem rationẽ, quia Mater apud Deum non eſt diſpenſata in omnibus, nec ceſſum illi omne ius ſicut Chriſto, nec participat de bonis Dei in ſuprema linea. Contra, quia hæc ſolutio probat diſparitatem in his & in aliquibus, quæ ſunt de linea legali, ſecus de eſſentiali, quia quoad hoc idẽ habet Chriſtus vt homo, vt probatum eſt.

2144 Aſſero 2. Chriſtus vt homo nullo pacto eſt ſervus vulgariter, ſed verus Dominus omnium creaturarum, & etiam operarum ſuarum. Ex vi enim Vnionis hypoſtaticæ excluſit connaturaliter non ſolum ſervitutem peccati ratione ſanctitatis ſubſtantialis, ſed legalem & naturalem conſectariam, habentem ſaporem legalis. Probatur aſſertio. Tum quia ex vi illius conſtitutus manet in ratione ſtricti Filij Dei, vel naturalis vel proprij. Ex communi autem ſententia vt Filius habet ius hæreditatis paternę, & ius communicandi cum illo in honore & in ſede. Item ex vi Vnionis, habet etiam ius ſaltim magnæ congruentiæ vt conſtituatur Rex & Dominus omnium creatorum & creabilium. Multo autem magis, vt Deus cedat in libertatem

ipſius

ipſius ex vi alicuius pacti dominium propriarum operarum & actionum. Imò conſtat de facto illud plenè ceſiſſe, ſiquidem ſatisfecit pro nobis,& meruit omnia bona noſtra per meritum de iuſtitia,de per ſe & neceſſario dominium importante. Sicut autem ancilla ſi aſſumatur à Rege in vxorem, quamvis non propterea deperdat ſanguinem à progenitoribus ſervis acceptum, nihilominus excluſa manet ab ipſa ex vi Matrimonij omnis ſervitus legalis,& de ſerva Regis facta eſt Dña omnium,& Regi iam non ſerva, ſed quaſi coęqualis in dominio ; multo ergo melius id verificabitur de Humanitate, quæ non vnione ſolum morali,ſed phyſica copulata eſt & elevata,non ſolú in coniugium Regis,ſed in vnitatem perſonæ cum ipſo Rege. Omnis ergo talis ſervitus vilis eo ipſo excluſa eſt.

§. II.

ARGVMENTA. VBI DE SERVITVTE ESSENTIALI problematicè.

2145 OBIICIES contra ſecundam concluſionem. 1. Adhuc poſt Vnionem Deus manet omninò Dominus Humanitatis. Ergo iſta erit ſerva. Quidam reſpondent manere Dominum communiter, provt Rex eſt Dominus Vaſallorum, ſed non provt ſpecialiter mancipiorum,quia eo ipſo quod deſponſata eſt Verbo,emancipata eſt. Alij reſpondent quod manſit Dominus, ſed in actu primo, & ceſſo omni iure ad operas in actu ſecundo; nam in hoc ſenſu ipſa erat Domina, & Regina legaliter. Nos reſpondemus Deum manſiſſe Dominum naturalem, quaſi eſſentialiter, ſecus legaliter.

2146 Obijcies 2. ex Gaſpare Hurtado: ergo & Beati non ſunt ſervi Dei,ſed purè Filij, cum communicent cum Deo in hæreditate,Sede,& alijs donis.Fortè aliquis dicet, poſtquam iam ſunt Beati,ſolum dici ſervos,ideſt Vaſallos; legaliter vero non ſervos ſed filios, licèt adoptivos. Sed reſpondetur 2. & meliùs, licèt multum habeant de Filijs adoptatis, ſed adhuc manere ſervos. Tum quia non ſunt effecti Domini omnium ſuarum operarum,ſed aliquarum. Tum quia communicatio illa in bonis eſt valdè exigua, & non de eodem gradu, comparata cum communicatione Chriſti. Tum quia ipſi non ſunt phyſicè & corporaliter Deus, licèt videant Deum. Tum quia Chriſti communicatio eſt in bonis intrinſecis, ſcilicèt in Divinitate corporaliter, & cum tota plenitudine inhabitante, & infinitè ſimpliciter ſanctificante, & Sedem quaſi æqualem, vel ſaltim eiuſdem ordinis, & cultum & honorem Latriæ abſolutæ Chriſto vt homini communicante. Vndè eſt communicatio honoris,& Sedis de linea ſupræma,quod Beatis,neç adhuc Dei Matri convenit;& ſic quidquid eſt de ſervitute legali à Chriſto excludit, ſecus ab alijs.

2147 Ex dictis ſequitur 1. quod excluſiva ſervitutis legalis, & conſectariæ naturalis, habet latitudinem: poteſt enim illa excludi ex parte, quin ex toto, & poteſt etiam excludi ex toto: in Beatis & iuſtis, etiam veteris Teſtamenti, datur vera adoptio ſtans in ſola gratia habituali ex illo ad Rom. 9. *Qui ſunt Iſraelitæ, quorum eſt adoptio Filiorum* vt benè Gaſpar Hurtado diſp. 17. diff. 2. Sed cum ſervitutis ſtatu proprio legis ſcriptę quoad externa (*venit enim Chriſtus, vt adoptionem Filiorum reciperemus* quoad ſtatum, ad Rom. 8.) quæ in lege nova laxata eſt,& multò magis in Beatis; ſed ex parte, non ex toto; in Chriſto ex toto eſt excluſa, quia factus eſt Dominus omnium ex intrinſeco titulo Vnionis. Quo autem pacto in in iuſtis & Beatis excluſum eſt aliquid tantū de ſervitute, dicimus,quia datum eſt eis meritū,ius & hæreditas de iuſtitia; in Beata Virgine multo plura excluſa ſunt,quia facta eſt Regina & Domina omnium creaturarum. Sed fortè non omnia, nec quoad omnes operas, & non ex titulo intrinſeco, ſed ex decentia Maternitatis. Propterea non omnes leges auferentes humanam ſervitutem habent locum in Matre reſpectu Dei. Nec eſt elevata ad gradum ſupræmum honoris, Sedis & hæreditatis, nec ad intrinſecam communicationem, & propterea ſervitus conſectaria & legalis non omnimodè impedita eſt in eà. De eſſentiali autem id eſt pluſquam certum.

2148 Hucuſquè pro ſententia affirmante ſervitutem eſſentialem in Chriſto vt homine,fundata in ſolida ratione,de eo quod nō ſit ſui iúris quoad ſuum eſſe,& aliàs non ſit id contra Papam & Concilium ſolum negantes ſervitutem vilem,ſive peccati,ſive legalem;nec ſit cōtra vllam rationem vrgentem, quia omnes ſatis ſolidè ſolutæ ſunt. Nihilominus pro maiori Chriſti Domini gloria amplificanda,problematicè (imò attenta via nova ſupra adducta à num 2020. circa Sacerdotium Chriſti in Cruce) probabilius dici poteſt, quod nec ſit ſervus adhuc ſervitute illa eſſentiali, ſed vndequaquè Filius, Dominus & Rex. Ratio eſt. 1. quia aliud eſt eſſentialiter dependere à Deo,& aliud eſſe ſpecialiter iuris illius. Dum eſt,ipſius Eſſe eſſentialiter dependet. Sed quod ſit, vel non ſit, ceſſum eſt iam à Deo,& poſitum ſpecialiter in manu, & in iure & dominio ipſius Chriſti,iuxta illud: *Poteſtatē habeo ponēdi animā meā, & iterum ſumendi eam.* Sicut autem diximus quod, quia Deus ceſſit in dominium ſpeciale ipſius,dominium conſectarium naturale circa omnes operas ipſius, propterea ipſe non eſt ſervus legalis,nec ſapiens legalē;ſic modo dicimus quod etiam ceſſit in ſpeciale dominium ipſius vitam eius,& quod in actu primo ſit vel non ſit, (ita vt ſine iniuria Patris potuerit mori vel non mori) ſuſpendendo phyſicum concurſum conſervativum, & ſic etiam quoad ſuum eſſe & vivere erat ſui iuris; per quod omninò ſuſpenſa eſt ſervitus eſſentialis.

2149 Secundo probatur à ſimili. Licèt Eſſe humanum ſecundum ſe, ſit quid intrinſecè, & eſſentialiter naturale, Chriſtus tamen vt homo non eſt concretum naturale,ſed ſupernum (idem de Beato vidente Deum). Item licèt natura humana eſſentialiter ſit extranea Deo,non ſolum ſpecie ſed genere extraneitate naturę,tamen Chriſtus vt homo, vel natura ipſa in concreto vnitæ Verbo; iam non eſt extranea extraneitate ſtatus,ſed valdè propinqua ipſi. Ad eum modum quo vxor in ſtatu vxoris,nequit eſſe extranea Marito, ſed quaſi in primo gradu coniuncta, licèt ex propria ſtirpe eſſet extranea. Ratio autem eſt, quia non omnis compars,aut forma alicuius concreti, omnes ſuas denominationes etiam eſſentiales debet præbere concreto,nec ad omnes ſe habet vt *quo*, ſed vt *quod*,nempè quia plures reſervat ſibi. Patet in anima rationali ſpirituali reddente hominem rationalem, non tamen ſpiritualem aut indiviſibilem. Et in albedine eſſentialiter tali reddente parietem album, non tamen eſſentialiter album; ſic nec humanitas refundit in Chriſtum ſuam naturalitatem, nec ſuam extraneitatem, ſed eas ſibi ipſi reſervatas ſinit ſopiri ab vnione, ne tales denominationes pullulare aut ſe concreto ingerere queant;quia ab Vnione elevante, eo ipſo abſorventur,vel potius impediuntur denominare cōcretum. Idem dic de Humanitate,vt eſſentialiter ſerva,vel eſſente forma ſervi, quæ tamen in Chriſtum vt hominem impeditur denominationē ſervi refundere,eo quod attenta Vnione,digna ſit vt Deus ceſſerit in ipſum,omne dominium,etiam in propriam vitam,excutiendo ab eo denominationem ſervitutis eſſentialis,& à ſe dominio proximo & formali; ſecus radicali, quia illud quoad ſe, inalienabile eſt,licèt alienetur quoad vſum.

2150 Sed quid dicemus ad Sanctos Patres? Reſpondetur 1. quod cum aſſertum fuerit problema, in vna parte adhæremus vnis, & in alia alijs. Reſpondetur 2. in favorem huius vltimæ concluſionis,interpretandos eſſe de vero & proprio ſervo quoad formam,& de metaphorico ſive tropico quoad denominationem,& refuſionem in concretū,iuxta Adrianū,& iuxta dicta ſupra à n. 3005. fol. 258. Scopus enim Patrum ſolū erat,cum verū hominem à vera Humanitate,quæ eſt forma ſervitutis eſſentialis, adſtruere,

ræ. Adde quod D. Thomas (in cuius ſanè obſequium ſententiam affirmantem amplexatus fueram) non eſt tam clarus pro illa locis à Thomiſtis citatis, vt non potuerit facilè reſponderi. Et ad 1. ex quęſt. 20. hìc art. 1. ad 2. quod admittit Chriſtum ſervum, non tam aſſertivè quàm permiſſivè. Et idem reſpondetur ad quæſt. 23. art. 4. ad 3. Et ſi attente legatur, & rationes quæ ex ipſo eruuntur ponderentur, potiùs probant ſubiectionem (de qua dubitari non poteſt) quàm ſtrictam & propriam ſervitutem. Vndè licèt Chriſtus vt homo teneatur adorare Deum adoratione Latriæ, ea obligatio erat ex minoritate & ſubiectione, non ex ſervitute. Et hæc ſufficiant pro Problemate. Pro alijs vide in fine 1. art. quæſt. 38.

QVÆST. XXXVIII.
DE FILIATIONE *Chriſti.*

2151 QVOD Chriſtus vt homo fuerit Filius Dei, conſtat ſæpè ex toto novo Teſtamēto, ex Symbolo Fidei & ex Adriano. Quo pacto hoc poſſit evenire, cum in quantum homo non ſit ei ſimilis in natura humana, eſt graviſsima difficultas. Quadruplex autem poteſt circa hoc eſſe ſententia. Prima eum facit Filium adoptivum, illum inquam vt hominem. Ita Durandus, Baſſolus, & tribuitur etiam Scoto, aliquibuſquè diſcipulis ipſius (licèt ipſe apud Gonet oppoſitam cenſuerit probabilem) quibuſdam negantibus de Chriſto vt homine in concreto, affirmantibuſquè de Humanitate eſſe adoptivam, vel adoptatam. Secunda facit Filium naturalē Æterni Patris, & hęc eſt communior ſententia D. Thomæ, Thomiſtarum, & plurium Recentiorū, nempè Lugo, Granado, Martinon, & aliorum. Pro eadem ſententia ſtant ex Noſtris Auguſtinus à Virgine diſp. 17. Orlando diſp. 11. Boneſpei diſp. 14. Tertia Filium naturalem totius Trinitatis, Filiatione quadam non generationis, ſed phyſicę, & ſubſtantialis ſanctificationis: ad eum modum quo alij iuſti ſunt per gratiam habitualem Filij adoptivi, non quidem Æterni Patris, ſed totius Trinitatis: à qua, productione ad extra, mediante gratia naſcuntur: ita docent Martinus Perez cum Suarez, Vazquez, Becano, & alijs. Quarta docet Chriſtum vt hominem eſſe quidem phyſicè & verè, ſtrictequè Filium Dei, non tamen naturalem, ſed proprium, & contrapoſitè ad adoptivum. Ita aliqui Scotiſtæ, & inter eos memini me id vidiſſe in Maſtrio. Eam diſputat, & defendit ex profeſſo Pater Bernal tota diſputat. 65. Id ipſum tenuit ex noſtris Incognitus ad Pſalm. 136. verſ. 2412. dum dixit de Chriſto vt homine, nec eſſe Filium adoptivum, nec naturalem.

ART. ET §. I.

CHRISTVS VT HOMO NON EST FILIVS adoptivus Dei.

2152 IN triplici ſenſu pars affirmans poteſt intelligi. Primus eſt, ponendo in Chriſto duo ſuppoſita in re, quæ vnita vel adglomerata faciant Chriſtum aliquo modo vnū, qui vt Deus eſt naturalis, & vt homo adoptivus. Et hic fuit error Neſtorij, & fortè Elipādi, & Fœlicis, & de hoc non eſt ſermo hic. Secundo ponendo vnum tantum ſuppoſitum purum hominem, qui adoptatus ſit à Deo, vt ponebat Photinus. Et nec de hoc eſt ſermo. Tertio ponēdo vnum tantum ſuppoſitum ſubſiſtens in natura divina, & ſimul per veram & phyſicam vnionem in humana, ita vt provt in divina ſit Filius naturalis Patris, & provt in humana, ſive ſecundum Humanitatem adoptivus. Et in hoc ſenſu procedit quæſtio, in eoquè affirmarunt Auctores pro prima ſentētia citati, contra quos etiam, videtur definiſſe Adrianum, & Concilium Francoſordienſe. De antiquis autem non mirandum, quia cum per plures annos latuerit in tenebris tale Concilium, ad Scotum, & antiquos nulla ipſius notitia pervenit. Quod autem multis admirationem ingeſsit, eſt, quod poſt ipſum repertum, & ab Eccleſia approbatum & in honore magno habitum, in tali ſententia adhuc perſiſtant.

2153 Igitur noſtra aſſertio, quæ ita communis eſt, vt à non paucis tanquam dogma fidei habeatur, probatur primo ex Adriano, & Concilio, qui valdè ex profeſſo ex multis & aptiſsimis Scripturæ textibus magno connatu, & efficacitate de Chriſto vt homine, & vt vno ſuppoſito ſubſiſtente etiam in natura humana, probant differentiam inter Chriſtum vt hominem, & nos, ſtare in eo quod ipſe etiam vt homo ſit propriè, & verè Filius Dei, nos autem ſimus Filij per gratiam adoptionis. Hoc autem tanto textuum aptiſsimorum, & rationum pondere, tantaquè contrapoſitione & diſtinctione inter ipſum, & nos, explicant & confirmant, vt meo videri nemo qui attente, animo non contentioſo, ſed ſincero, ſuis oculis legat Epiſtolam, & Cōcilium, mentem eorum fuiſſe damnare adoptionem, etiam data Vnitate ſuppoſiti, dubitare poſsit.

2154 Reſpondent aliqui primo, negando tali Epiſtolæ, & Concilio auctoritatem. Sed benè inquit Gonet, hodie ſine ingenti temeritate neminem poſſe eis auctoritatem negare, cum ex mandato Sedis Apoſtolicæ tale Concilium ſit recognitum, atquè inter alia Eccleſiæ Concilia in to. 3. collocatum & computatum, & inſuper Adriani Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, approbata ſit tanquam authētica, inſertaquè inter Epiſtolas decretales. Si autem de Concilio communiter ab Hiſtoricis, & præcipuè à Baronio ad annum Domini 594. pro legitimo ſuſcepto, & habito, & pro tali in Corpore Conciliorum admiſſo, cuilibet liberum ſit dubitare, & eius auctoritatem in litem vocare, idem poterit de quolibet alio Concilio ibi inſerto facere, eius authoritatem in dubium vocando. Quin obſit ſuſpicio quæ oriri poteſt ex repræhenſione in tali Concilio data contra Eugenium, Iulianum, & Ildephonſum. Reſpondetur enim, eos à Concilio ſolum repræhendi, & benè ſi verè dixerint quod Elipandus allegabat.

2155 Reſpondent alij 2. Adrianū & Conciliū, ſolum condemnaſſe adoptionem in Chriſto in ſenſu Neſtoriano: nempè ſi ponantur duo ſuppoſita, quorum vnum ſit Filius naturalis, & aliud vt homo ſit Filius adoptivus: non autem ſi vnum, & idem ſuppoſitum ſecundum diverſas naturas ſit Filius naturalis & adoptivus. Ita reſpondet Fœlix Franciſcanus hìc cap. 19. diffic. 1. & alij.

2156 Sed contra. Quia Adrianus & Concilium tria damnarunt contra Elipandum & Fœlicem. Primum eſt & præcipuum, quod Chriſtum vt hominem facerent Filium adoptivum (& hoc dānat independēter à multiplicatione ſuppoſitorum.) Secundū, quod facerent legaliter, & viliter ſervum. Tertium eſt, quod Neſtorianè & ſimulatè ponerēt (vel ſaltim inferretur ponere) duo ſuppoſita in Chriſto. Quòd etiam in aliquibus partibus impugnant ex profeſſo. Hoc vltimum non ita certum eſt quod fuerit ab illis Hæreticis clarè aſſertum, & Concilium talem theſim damnans, ex ſcopo non id damnaverit, ſed diſcoopertivè (ideſt nitendo eis auferre larvam & ſimulationem, & quaſi argui... probando ex adoptione ab ipſis aſſerta) ſequi quod ...giverſando, verè ipſi admitterent in re duo ſuppoſita, licèt ſic mularent vnum.

21.. Principaliſsimus autem Adriani & Concilij ſcopus, fuit reprobare Filiationem adoptivam Chriſti vt hominis, etiam independenter à pluralitate ſuppoſitorum; ſiquidem multis Sacræ Scripturę textibus, probant Chriſto vt homini, non poſſe competere Filiationem adoptivam, quæ nobis cōpetit, ſed ſolum Filiationē valdè diverſam, quæ nobis non competit. Et clariſsimè videbis, quod

Chriſto,

Chriſto, vt eidem ſuppoſito ſine vllo ſapore multiplicitatis, deneger Filiationem adoptivam, concedendo ei vt homini veram & propriam. Nolo adducere ex Concilio fragmenta diviſa, quia cum per diviſionem auferatur contextura, aufertur plurimum de vi & efficacia, & ſic vnicum vel ferè vnicum, licèt prolixè, apponam, in quo tamquam in ſpeculo proſpicies præcipuum Adriani ſcopum in ſuæ Epiſtolæ columna ſecunda, fuiſſe, adhuc in Vnitate ſuppoſiti, adoptionem Humanitatis damnare, & adoptionem ipſam fuiſſe damnandi cauſalem. Accipe ipſius verba: *Materia autem CAVSALIS perfidiæ, inter cætera reijcienda de ADOPTIONE Ieſu-Chriſti Filij Dei SECVNDVM CARNEM ...... hæc Catholica Eccleſia nūquā credidit, &c.*

2158 Procedens autē ad id probandum (abſq; commemoratione hic multiplicis ſuppoſiti) ſic ait: *Ipſe enim Dominus de ſe innotuit, cuius Filius eſſet, cum Patris nomen ſe aſſeras hominibus nunciaſſe. Ait enim: manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de Mundo. Nomen Paternum tunc manifeſtavit hominibus, cum ſe Patris Filium verum, & non putativum: proprium innotuit, & non adoptivum. Sed notandum, quod dicitur hominibus, quos dediſti mihi. Non enim ſunt iſti ex illis hominibus, quos ei Pater dederat, & imò, quos ille cum Patre ante Mundi conſtitutionem elegerat, qui eum adoptivum, & non proprium Filium confitentur, quaſi alienus aliquando à Patre fuerit aut per Carnis extraneus ab eo factus eſſet aſſumptionem, cum vt Verbum caro fieret, vna extiterit Patris, Filijquè voluntas, ſicut ſcriptum eſt: vt facerem Voluntatem tuam Deus meus volui. Hinc alias ait: aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum. Diſtinctè enim dixit, meum & veſtrum. Eius videlicèt, nō per gratiam, ſed per naturam: noſter vero per gratiam adoptionis. Porro numquam nō fuit Filius, quia numquam non fuit Pater. Semper eum & vbiquè diſtinctè Patrem ſuum appellat; Pater inquit, meus vſquè modo operatur, & ego operor. Et rurſus: Pater, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. & Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt. Quòd ſi ſecundum eorum callidam tergiverſationem cūcta quæ protulimus, ad Divinitatem tantummodo Filij Dei referenda opinantur: dicant, vbi vmquam communi affectu dixerit nobiſcum, Pater noſter. Scit enim, inquit, Pater veſter, quid vobis opus ſit. Non ait, noſter, quaſi nobiſcum adoptatus per gratiam. Et alibi: eſtote ergo & vos perfecti, ſicut & Pater veſter Cæleſtis perfectus eſt. Cur non dixit, noſter? Quia aliter noſter, & aliter ſuus.*

2159 Proſequitur autē: *Hinc Paulus electionis vas ait: Proprio Filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Scimus enim, quia non eſt traditus ſecundum Divinitatem: ſed ſecundum id quod homo verus erat, illum nimirum qui traditus eſt, id eſt hominem ipſum Apoſtolus proprium Dei Filium proteſtatur.* Ecce quomodo vt hominem ſtabilijt Filium proprium, vt excludat adoptivum. Ergo illemet Filius Dei ſumptus vt homo in Vnitate ſuppoſiti excluditur ab adoptivo. Addit vlteriùs, loquens de confeſsione D. Petri, quod *refutatis quorundam opinionibus, ſolus pro ſe, & pro omnibus, & pro Vnitate vnus teſtimonium Fidei perhibuit dicens: tu es Chriſtus Filius Dei vivi ..... Numquidnam dixit Petrus, tu es Chriſtus, qui propter nos factus es Filius hominis, & per adoptionem factus es Filius Dei? Abſit. Hoc nec Petrus confeſſus eſt, nec Sancta Eccleſia confitetur.*

2160 Nec obeſt in his verbis aliquid ſubodorari de duplici ſuppoſito. Ideò autem eſt, quia licèt non intendatur duplicitas impugnari, ipſa extraneitas etiam ſi ſit naturę, immiſcet ex ſe aliquid de dualitate in fraſsi. De quo in §. 3. articuli. Folio autem 142. tamquam altera hæreſis diſtincta ab adoptione, incipitur col. 1. poſt medium damnari dualitas ſic: *Si quis vero adverſus divinas Scripturas docet alium dicens Filium Dei, & alium qui ex Maria Virgine hominē ſecūdum gratiam adoptatū ſicut nos, quaſi eſſent duo FILII, vnus ſecūdum naturam, qui ex Deo, & vnus ſecundū naturam, qui ex Maria, &c. hunc anathematizat Sancta Catholica Eccleſia.* Ex quo tenore, & contextu patent duo. Primum eſt, adoptionem independenter à dualitate ſuppoſitorum fuiſſe in primo loco damnatam ab Adriano. Secundum eſt, tales hæreticos aſſertivè à Concilio fuiſſe damnatos, propter aſſertam ab eis adoptionem, certiſsimè; propter dualitatem autem ſuppoſitorum quaſi ab eis aſſertam, non ita certiſsimè; quia Adriano non videtur fuiſſe evidens in tali hæreſi eos fuiſſe, licèt valdè fuerit præſumptum, & arguitivè convictum ab ipſo. Eadem certitudine Concilium eas Perſonas damnavit propter adoptionem ab ipſis aſſertam. Dualitatem autem ſuppoſitorum licèt certum ſit damnaſſe, ſed non certiſsimè Perſonas propter illam, quia cum ipſi multa vterentur tergiverſatione, eos eam aſſeruiſſe, non erat ita ęvidens & certum.

2161 Reſpondetur 3. Adrianum & Concilium negare de Chriſto vt homine in concreto, ſive quoad ſuppoſitum, non autem quoad ipſam Humanitatem; quæ per ſe eſt natura extranea. Sed contra, quia Concilium expreſsè loquitur de ipſa natura humana. Primo, quia in Sacroſilabo col. 3. ait: *Non adoptavit carnem.* Item ait: *De Beata Virgine inenarrabiliter ſumpſit, nō adoptavit Carnē.* In Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ inquit: *Quàm adoptionem pravìſsimo ſenſu, qui ſcripſis Epiſtolam, ad Chriſti voluis transferre Humanitatem.* Ergo non ſolum de ſuppoſito diſtincto, ſed de humanitate vnita eidem, damnat Concilium. Inſuper Concilium damnat, quod Eliſpandus ex Eugenio, Iuliano & Ildephonſo adducebat in Miſſa de Chriſti Aſcenſione: *Salvator noſter poſt adoptionē Carnis, &c.* Item ex Epiſtola Adriani dicentis: *Materia cauſali perfidia inter cætera reijcienda, de adoptione Filij Ieſu Chriſti ſecūdum Carnē.* Igitur adoptio adhuc reſpectu Humanitatis in vno ſuppoſito à Concilio damnata eſt.

§. II.

PROBATIO A RATIONE, ET SOLVVNTVR *argumenta.*

2162 RATIO autem à priori ſumpta ex Concilio eſt. Tum quia, qui adoptatur in Filium, non phyſicè, nec ſecundum naturam, ſed ſolo affectu affiliatur, & coniungitur adoptanti. Etenim adoptare eſt optare aliquem in Filium, ſive deſiderare, & ſic affectu habere pro Filio eum, qui quidem natura non eſt Filius, ſed in eo gradu eſt extraneus. Humanitas autem non ſolo affectu, ſed phyſicè eſt vnita Verbo. Ergo nequit eſſe adoptata. Tum quia adoptio eſt iuxta Iuriſperitos extraneæ Perſonæ aſſumptio moralis ad bona Patris, quæ aliàs Filio naturalī debita erāt. Vndè ex Adriano & Cōcilio Perſona adoptata ita debet eſſe extranea, vt etiam poſt adoptionem remaneat in re & phyſicè extranea, & ſolum moraliter propria. Legantur Synodus & Concilium. Atqui nec Chriſtus vt homo in concreto eſt quid extraneum, cum vt ſic includat Divinam Perſonalitatem; nec humanitas poſt Aſſumptionem, cum phyſicè & realiter ſit coniuncta Deo, non vt maritus & vxor, nec vt Chriſtus reſpectu D. Ioſephi, ſed phyſicè in vnitatem Perſonæ aſſumpta. Ergo nequit manere ſolum moraliter coniuncta, & phyſicè extranea. Tum deniquè quia nomen Filius, ſicut & ſervus iuxta Adrianum & Concilium, eſt nomen ſuppoſiti, non vero naturæ. Atqui ſuppoſitum Chriſti vt hominis nequit Patri eſſe extraneum, nec adoptivum: humanitas autem licèt ex ſe ſit aliquid extraneum, eſt quidē extraneū natura, ſed nō ſuppoſito, nec ſtatu poſt vnionē. Ergo nequit eſſe Filia adoptiva.

2163 Scotus licèt problematicè defenderit in Sententiarijs adoptionem, in Reportatis tamen in 3. diſt. 10. citatur tamquam aſſertivè adoptionem defendens apud Fœlicem Franciſcanum, licèt ex his quæ iſte adducit, ſemper maneat dubia eius mens. Probant ergo adoptionem 1. ex Ireneo lib. 1. contra Hæreſes cap. 21. *Propter hoc enim Verbum Dei homo, qui Filius Dei Filius hominis factus eſt, mixtus homo Verbo Dei vt adoptionem percipiens*

ſiat

Digitized by Google

fiat Filius Dei. Et Marianus Victorinus libro *contra Candidum Arrianum*, to. 4. Bibliotecæ, *Nos adoptione Filij, ille natura etiam, & adoptione quadam Filius & Chriſtus, ſed ſecundum Carnem.* Item Hilarius 2. de Trinitate poſt medium ait: *Poteſtatis dignitas non amittitur, dum Carnis humilitas adoptatur.* Item quia Sancti Eugenius, Iulianus, & Hildephonſus Præſules Toletani ita in Miſsis poſuerunt apud Concilium. Tandem quia illa verba Concilij: *Vnitas Perſonæ adoptionis tollit iniuriam*: manifeſtè declarant, quod adoptio non ſit iniurioſa, ſi tamen Perſona ſit vna.

2164 Reſpondetur 1. eos Patres ſcripſiſſe ante Concilium Francofordienſe, & ſic loquendo in proprio ſenſu Concilio ſtandum eſt. Vndè auctoritatem Eugenij, Iuliani, Ildephonſi Concilium non curavit, ſed veritati eam opponi cenſuit, & propterea ex Miſſali illæ propoſitiones ablatæ iam ſunt: benignè tamen interpretari poſſunt cum D. Thoma, quod locuti ſunt de adoptione in ſenſu lato, ideſt de affiliatione non per purum affectum, ſed potius de affectione efficaciter inductiva vnionis phyſicæ naturæ extraneæ aſſumptæ in vnitatem Perſonæ. Ad vltimam reſpondetur, aliud eſſe quod vnitas Perſonæ tollat adoptionem cedentem in iniuriam Humanitatis Chriſti (ſiquidem aufert ab ea dignitatem, & rationem phyſicè vnitę Verbo Divino,) & aliud eſſe quod conſervando adoptionem purget eam ab iniuria. Senſus Concilij non eſt iſte vt contendit argumentum, ſed ille. Sonat enim quod impediat iniuriam imbibitam in adoptione. Sicut qui diceret quod Chriſtus abſtulit à nobis defectus peccati, idem eſt ac ſi diceret abſtuliſſe peccatum & defectum in illo imbibitum.

2165 Secundo probant ratione, quia gratia habitualis in Chriſto, & in nobis eſt eiuſdem rationis & ſpeciei, atqui nos ſumus Filij Dei adoptivi formaliter per talem gratiam: ergo & Chriſtus vt homo. Forma enim eadem communicata ſubiectis eiuſdem ſpeciei & capacitatis, non poteſt non communicare illis eundem effectum formalem Filiationis adoptivæ. Reſpondetur tamen, conceſſa maiori & minori, negando conſequentiam. Diſparitas eſt, quia ex Concilio, gratia habitualis vt conſtituat ſubiectum rationale Filium adoptivum, requirit ſubiectum extraneum, ita permanens extraneum, vt importet carentiam Filij naturalis, vel phyſicè proprij. Quę conditio deficit in Chriſto vt homine, & erat ſimpliciter requiſita, vt forma poſſet denominare adoptivum.

2166 Probant 3. Si Chriſtus non eſſet adoptivus ſecundum Humanitatem, ideò eſſet, quia talis natura non eſt extranea; atqui adhuc poſt vnionem perſeverat extranea: ergo Chriſtus poteſt eſſe adoptivus ſecundum Humanitatem. Minor probatur. Quia talis Humanitas poſt vnionem ex vi iſtius non habet ius ad hæreditatem, cum non ſit Sancta ab vnione (id enim habet à gratia habituali, & ex pacto Dei, vt communiter docent Scotiſtę): ergo ex vi vnionis non eſt affiliata Deo: Filiatio enim eo ipſo præberet ius ad hæreditatem. Nec valet reſpondere, quod ex doctrina Scotiſtarum vnio præbet ius ſaltim magnæ congruentiæ ad gratiam & gloriam, ſive ad hæreditatem. Sed impugnant, quia hoc cum ſit ius de congruo, nó tollit quod gratia ipſa ſanctificans ſit per ſe Filiatio adoptiva dans per ſe primum ius formale ad hæreditatem, quin ab hoc formali munere impediatur à præſuppoſitione iuris de congruo, vt patet in gratia habituali data homini pro priori iam contrito, & etiam in gratia habituali data Angelis ex propria diſpoſitione præcedenti iuxta D. Thomam 1. part. quæſt. 62. art. 6. & alios Thomiſtas, & graves Recentiores. Quę contritio in homine, & diſpoſitio in Angelis iam fundabant meritum, & ius de congruo: ergo licèt illud fundet vnio hypoſtatica, id non tollit quod primum ius formale & ſtrictum ad hæreditatem, proveniat Chriſto vt homini à gratia habituali advétitia formaliter, ac per conſequens quod Chriſtus vt homo per illã conſtituatur Filius adoptivus.

2167 Reſpondemus ad argumentum, naturam humanam poſſe conſiderari vel vt extraneam, velut in ſtatu extraneitatis. In proprio conceptu ſemper eſt extranea per propria prædicata, non tamen ſemper, nec poſt vnionem permanet in extraneitate, ſive in ſtatu extraneitatis: ad eum modum quo in moralibus ſi Maria nubat Franciſco quoad ſe ipſam phyſicè ſemper manet extranea ex ſe, ſicut antea, non tamen manet in extraneitate, ſive in ſtatu extraneitatis, ſed magnæ aproximationis, & coniunctionis cum marito. Sic etiam in phyſicis intellectus eliciens, & recipiens cognitionem, & cognoſcens in actu, ſemper manet potentia, non tamen manet in potentia, ſed coniuncta phyſicè cum actu. Diſtingo ergo maiorem. Quia talis natura non eſſet extranea, nec permanens in ſtatu extraneitatis, concedo maiorem, & in hoc ſenſu nego minorem, quia cum ſit phyſicè vnita Verbo in vnitatem ſuppoſiti, ita eſt proxima & coniuncta Verbo, vt ſit cum illo magis vnum, quàm vxor cum marito, & quàm in homine materia cum forma. Impropriſsimè ergo poteſt dici de natura tàm coniuncta quod permaneat extranea.

2168 Ad probationem minoris, permitto Scotiſtis totum: nempè quod nec vnio ſanctificèt nec præbeat ius hæreditatis niſi remotè, & de congruo, & quod tale ius formaliter & primario proveniat à gratia habituali. Nego tamen propterea eam poſſe præbere denominationem Filij adoptivi Dei Chriſto vt homini, quia Chriſtus vt homo non eſt ſubiectum extraneum, ſed phyſicè vnitum & coniunctum cum Deo in vnitatem ſuppoſiti. Ex quibus patet, quod licèt gratia habitualis ſicut facit Chriſtum apud Scotiſtas primario Sanctum & hæredem gloriæ, ac per conſequens & Filium, ſed non Filium adoptivum ſicut nos, ſed Filium realiter, phyſicè & verè, & intrinſecè proprium, modo infra explicando. Ex quo ruit totum argumentum.

2169 Reſpondetur 2. iuxta cõmunem ſententiã negando, quod vnio nó ſanctificet ſubſtãtialiter Chriſtũ vt hominẽ (ſive hoc ſit per modum formæ, ſive vialiter per modum nexus.) Vndè per ſe ipſam ſubſtantialiter dat plenum ius, (imò & ius naturæ) ad hæreditatem, conſtituendo phyſicè Chriſtum vt hominem Filium Dei ſubſtantialiter, modo infra explicando. Hinc patet ſolutio ad quartum argumentum, quod formare ſolent, de eo quod ſi Chriſtus vt homo nó eſt Filius adoptivus, deberet eſſe naturalis. Quod quidem repugnat Chriſto vt homini. Humanitas enim cum nequeat eſſe forma reddens Chriſtũ Deo ſimilem in natura, prout oportet ad Filiationem naturalem (& idem de gratia habituali, vtpotè forma accidentali) omninò eſt inſufficiens fundare relationem Filij naturalis. Reſpondetur enim ſufficere fundare relationem Filij proprij valdè diverſam ab adoptiva. De his latius Artic. ſequenti.

2170 Probant. 5. quia ſi aliquid daretur magni momenti quod obſtaret Filiationi adoptivæ, eſſent auctoritas Adriani, vel Cõcilij, vel rationes ipſorum ſumptæ à ſacra Scriptura, & definitione adoptionis. Sed iſtæ non obſtant: ergo. Minor probatur, quia Cõciliũ loquitur de adoptione ſuppoſiti extranei & diſtincti, non vero ſuppoſiti proprij in natura extranea. Rationes autem Conciliares habent vim contra Hæreticos ponentes duo ſuppoſita, quorum vnum nempè humanum, eo ipſo non poſſet eſſe Filius proprius ſed extraneus contra Sacram Scripturam. Non autem habent vim ſi ſola natura, & non ſuppoſitum ſit extranea, cum tunc ſuppoſitum Filij, adhuc maneat Filius proprius ſaltìm ſecundum communicationem idiomatum. Quàm cum negent Hæretici, argumenta, & auctoritates vim habent contra eos, quia tunc eſſet purè adoptivum tale ſuppoſitum, & ſic rationibus Concilij vt aplicatis contra Scotiſtas, abundè & ex profeſſo conatur ſatisfacere citatus Fœlix.

2171 Reſpondetur tamen conceſſa maiori, nego minorem. Ad probationẽ nego maiorem, quia iam probavimus Pontificem, & Concilium damnaſſe adoptionem Chriſti

vt

Digitized by Google

vt hominis independenter à ſuppoſito extraneo diſtincto, licèt etiam in alijs clauſulis damnaverit ſuppoſitum diſtinctum. Negamus autem rationes Concilij vim ſolum habere contra ſuppoſiti extranei, & non contra naturam extraneam, in extraneitate perſeverantes, vt poſtulat rigoroſa adoptio, vt patebit legenti contextum ipſius Concilij.

§. III.

ALIA ARGVM. SCOTISTARVM SOLVVNTVR.

2172 SEXTO probãt, quia vt natura adducatur ad ſuppoſitũ tãquã extranea, ſufficit ſi pro priori non ſit in illo, & pro poſteriori ſit: ergo etiam ſufficiet ſi ſit extranea pro priori, vt adoptetur & trahatur ad eſſendũ Filia pro poſteriori. Si enim ad Spem ſufficit apud multos quod res pro priori non ſit, ſed pro poſteriori: ergo & vt deſideretur & optetur, & adoptetur ad eſſendũ pro poſteriori: ſemper autẽ manet extranea à Filiatione, licèt nõ à maritali coniunctione. Reſp. diſtinguendo anteced. Sufficit ſi ſit extranea pro priori, vt adducatur ad ſuppoſitũ permanendo extranea & in ſtatu extraneitatis, abſolutè nego antecedens: extranea cum addito (ideſt *ex ſe & pro priori*) concedo anteced. Diſtingo etiam conſequens: ſufficit ad hoc vt adoptetur, ſi dum trahitur pro poſteriori, ly trahi ſit per ſolam vnionem affectivam, concedo. Si ſit per vnionem phyſicam cum proprio ſuppoſito, nego conſequentiam, quia eo ipſo iam non manet in ſtatu extraneitatis & coniunctionis purè moralis & affectivæ: quod requirebatur ad adoptionem.

2173 Septimo probant, quia ſi repugnaret quod Chriſtus vt homo eſſet adoptivus, maximè quia denominatio Filij eſt propria Suppoſiti, & non naturæ, ſicut denominatio Domini & ſervi. Vel maximè quia ſupra idem ſuppoſitum nequit cadere duplex relatio, nempè Filij naturalis, & Filij adoptivi, quia relatio multiplicatur ad multiplicationẽ ſuppoſiti. Atqui neutrum eſt generaliter verum. Ergo. Non 1. Tum quia ſi illę denominationes eſſent ſemper ſoliꝰ ſuppoſiti, eſſet quia actiones ſunt ſuppoſitorum, cuius propoſitionis difficultas conſtat ex num 1670. Tum quia ſi natura ſumatur vt natura rationalis, & maneat extranea, non eſt cur, ſi accipiat gratiam habitualem, non fiat Filia Dei adoptiva. Tum quia ſi Chriſtus vt homo, ſive ſecundum Humanitatem, ſumatur in concreto, tunc iam verificatur adoptio de ſuppoſito, licèt provt homine, & cum addito. Non 2. quia ſupra idem ſuppoſitum Chriſti cadit duplex relacio, nempè æterna ad Patrem, & temporalis ad Matrem, ſecundum diverſas naturas. Ergo non repugnat adoptio.

2174 Reſpondetur 1. negando maiorem, quia ratio à priori negandi adoptionem eſt, quia Chriſtus vt homo non eſt aliquid extraneum, ſed eſt quid phyſicè coniunctum & affine in vnitatem ſuppoſiti. Reſpondetur 2. permiſſo quod adoptivum poſſit dici de natura rationali ſecundum ſe, ſi tamen diceretur de Humanitate Chriſti, refunderetur denominatio extranei in ipſum ſuppoſitum, ſi Humanitas eſſet extranea; ſicut refunditur in Chriſtum vt hominem quod ſit quid creatum, temporale & mortale; quod tamen admittendum non eſt.

2175 Tandem probare poſſunt ſuam intentionem de eo, quod Concilium non loquatur de adoptione vtcumq; ſicut nec de ſervitute vtcumquè, ſed de ipſis provt ſub dualitate ſuppoſitorum. Quod probatur. Tum 1. oculis legendo Concilium. 2. quia Elipandus, & Fœlix talem dualitatem in Epiſtola ad Concilium miſſa, & in ſua confeſſione immiſcuerunt eam vt nos probavimus ſupra à num. 2089. Ita vt non egeret à Concilio per illationem inferri ex extraneitate incluſa in adoptione, ſed ex ipſa confeſſione conſtabat, & propterea nos ſupra à num. 2090. diximus ab Hiſtoricis non per illationem, ſed ex confeſſione propria ipſos vocatos eſſe Neſtorianos. 3. quia Sacroſilabus prope initium, eorum hæreſim vocat *veternoſam Catholica falce olim funditus detruncatam, & quod rediviva radice moliũtur ſpinoſe ſuſcitare de ſtirpe*. Quod non verificaretur, niſi hæreſis eorũ eſſet Neſtoriana. Adde quod Pater Suarez ſervitutem Chriſto vt homini negatam à Concilio, non ſervitutem vtcumquè intellexit, ſed puram, & provt fundatam in ſuppoſito diſtincto. Concilium autem ferè vna concatenatione, & eodem tenore verborum loqutum eſt de adoptione, ac de ſervitute. Satis ergo ſolidè dicitur, quod adoptio humanitatis à Concilio damnata, ſola illa eſt, quæ immiſcet ſuppoſitorum dualitatem.

2176 Pro ſolutione memorare 1. triplex punctum à Concilio damnatum. Primum eſt de adoptione Chriſti vt hominis. Secundum eſt de ſervitute vili. Tertium eſt de multiplicitate ſuppoſitorum, provt ex confeſſione ipſorum valdè ſubodorata & præſumpta, vel potius inter ipſas celativas cavilationes ſeſe oculis ipſis offerente, vel ex aſſertis ab illis evidenter per illationem deducta. Innotuit ergo hęc dualitas Cõcilio duplici via modo dicto, nempè immediatè ex confeſſione, licèt cavilationibus aliqualiter ſimulata, & etiam mediatè ex illatione per conſequentiam.

2177 Reſpondetur ergo negando, quod Concilium ſolum loquatur de adoptione, provt ſub duplici ſuppoſito. Conſtat enim loqui de adoptione abſolutè & ſecundum ſe, & conſtat, tum ex primis verbis ſupra adductis nu. 2157. ſcilicèt *cauſalis perfidia eſt de adoptione Filij Dei*. Tum quia fol. 144 poſtquam verba: *Hic eſt Filius meus dilectus, &c.* & deſcenſum columbæ in Iordane, iuſſe probat de Chriſto vt homine, & adducit verba ad Baptiſtam: *Super quem videris deſcendentem ſpiritum meum, ipſe eſt qui, &c.* Concilium facta ponderatione ibi col. 1. c. 2. ſupra ly *ipſe eſt* (quæ verba convincunt vnitatem ſuppoſiti) ait: *Ipſe vtiquè vnicus proprius, & dilectus, & non ſervus, nec adoptivus*. Ecce quomodo negat adoptionem Chriſti vt hominis, etiam in vnico ſuppoſito. Id ipſum probat differentia aſſignata à Concilio ibi inter ipſum vt vnicum ſuppoſitum, & nos circa Filiationem dicente: *Opus eius eſt quod ſit vnicus & proprius & dilectus Filius Dei. Opus noſtrum eſt, vt ſimus ſervi per conditionem, & Filij per gratiam adoptionis*. Malè autem aſſignaſſet differentiam Filiationis, ſi ille vt homo, & nos conveniremus in adoptione contrapoſita propriæ Filiationi.

2178 Præcipuè autem probatur ex fol. 145. col. 1. vbi abſolutè cõtra adoptionem Chriſti vt hominis (*aiunt enim Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum adoptivum Dei Filium de Virgine natum*) contra ipſam inquam ſecundum ſe, incipit ex profeſſo arguere ſequenti dilemate: *Hac igitur dicentes, aut in vtero Virginis eum ſuſpicantur adoptatum: quod dici nefas eſt, quia de Beata Virgine inenarrabiliter ſumpſit, non adoptavit carnem. Aut certè purum eum hominem ſine Deo natum; quod cogitare impium eſt, neceſſe eſt fateantur, ac per hoc poſtea quaſi egueris adoptione* (Ly *natum idem eſt*, ac conceptum in primo inſtanti, vt Concilium probat ibi ex verbis Gabrielis ad Mariam.) Vbi maximè ponderari oportet in hoc dilemate *purum hominem* (ideſt alterum ſuppoſitum à Verbo) contrapoſitũ Chriſto vt homini ſumenti Carnem de Beata Virgine. Contrapoſitio autem non poteſt eſſe niſi inter ſuppoſitum quod ſit purus homo, & ſuppoſitum quod non ſit purus homo, ſed ipſiſſima perſona Filij Dei: ergo de hac aſſerit quod in vtero Virginis aſſumpſit Carnem, negando quod adoptavit Carnem.

2179 Confirmatur, quia de ſuppoſito creato dicitur propriè quod in vtero Matris accepit Carnem, ſive ibi paſſivè formatus eſt caro, vt dictum eſt de Salomone. Hic autem Concilium de ſuppoſito illo, de quo loquitur, non dixit quod accepit Carnem, ſed quod aſſumpſit Carnem quæ fraſis ſolum competit Perſonæ Divinæ, activè Car-

Digitized by Google

nem ſumenti, ſive ad ſe aſſumenti: Ergo Concilium adoptionem damnavit, ſecundum ſe ipſam, & adhuc in vno ſuppoſito, independenterquè omninò à duplici, licèt poſtea ex profeſſo negaverit eam ſub admixtione duplicis.

2180 Vt ad probationes reſpondeatur, nota, hæreſim Elipandi circa vnitatem, vel multiplicitatem ſuppoſiti fuiſſe obſcuram, habuiſſequè verba ipſius duplicem ſenſum; vnus erat ſimulatus ſub callida tergiverſatiòne verborum, & hic erat de vnitate Perſonæ, ne clarè deprehenderetur Neſtorianus. Qui tamen in ipſius verbis occultè dualitatem tegentibus, licèt non clareret, clareſcebat. Alter vero erat ſenſus verus à Pontifice, & Concilio non ſolùm ſuboduratus, ſed etiam vt moraliter certus conceptus, & ex eius hæreſibus illatus, & iſte erat de dualitate. Vndè in aliquibus clauſulis ex profeſſo concedimus, hunc damnaſſe errorem dualitatis, tamquam illatum vt ab ipſis aſſertum. Sed quia mens Concilij erat eos convincere ſub omni ſenſu, & quomòdocumquè ipſi eum tenere dicerent, aut vere tenerent, ideò quia ſimulabant vnum ſuppoſitum, damnavit adoptionem ſub vno ſuppoſito. Quia autem exiſtimabat quod ſub duplici Neſtorianè tenerent, ideò ſub vno damnavit in locis à nobis adductis, & etiam ſub duplici in alijs locis ex profeſſo.

2181 Hinc ad 1. probationem concedimus quod damnatio ſub duplici, ipſis oculis reperitur in Concilio, ſed non ſola. Ad ſecundum concedimus eos hæreticos immiſcuiſſe in ſuis aſſertis dualitatem, & propter eam imixtionem, & propter eam malè coopertam in aſſerto vnitatis ſimulatę, non fuiſſe neceſſe ab hiſtoricis per illationem inferri, ſed ex confeſsione, larva ablata, probare; ſed in alijs aſſertis ſimularunt vnitatem. Ad 3. reſp. eorum hæreſim à Concilio vocari veternoſam, quia in hac cenſura Concilium attendit ad verum eorum ſenſum, qui quidem in re Neſtorianus erat, ſicut in alijs clauſulis attendit ad ſenſum ſimulatum de vnitate Perſonæ, & etiam reſpectivè ad ipſam damnavit adoptionem.

§. IV.

AN ADOPTIO SCOTICA SIT DIGNA CENSVRA ſaltim improbabilitatis.

2182 IN fine quæres. An hæc propoſitio: *Chriſtus vt homo, ſive Chriſtus ſecundum naturam humanam eſt Filius Dei adoptivus* ſit digna aliqua cenſura? Affirmant plures. Pater Vazquez diſp. 80. cap. 12. eam exiſtimat hæreticam, & Pater Bernal diſp. 65. quia eſt contradictoria propoſitionis definitæ à Concilio. Quòd licèt fuerit Provinciale, fuit tamen auctoritate Papæ congregatum præſidentibus in eo eius Legatis, ab eoquè poſtea confirmatum. 2. quia vt conſtat ex Concilio nequit adoptari in Filium à Patre, niſi ſuppoſitum extraneum, & diſtinctum à Filio naturali. Alij autem in hac cenſura Vazquium imitantur, aſſerentes vel eſſe hæreticam, vel hæreſi proximam. Pater Suarez docet, talem propoſitionem, prout à Concilio damnatam in ſenſu Neſtoriano de ſuppoſito diſtincto & extraneo, eſſe hæreticam. In ſenſu autem antiquorum, quos ſupra citavimus, ſolum eſſe improbabilem, intellectam nempè de extraneitate naturæ humanæ in vno, eodemquè ſuppoſito divino. Lorca autem apud Felicem eam dicit falſam, non tamen cenſura aliqua dignam. Multi autem ali[i] licèt referant ab alijs cenſurari, ipſi tamen omninò al[ab]ſtinent à cenſura.

2183 Felix Franciſcanus ſupra citatus, qui eam vt veram, Scotoquè conformem tuetur, acriter invehitur contra Patrem Vazquez, probans quod ſententia Scoti longè abſit ab errore Elipandi & Felicis, à Concilio damnato. Quòd (præter rationes Scolaſticas in quibus fundatur) colligit ex eo, quod de adoptione Chriſti vt ab ipſis aſſerta, Eccleſia ſcandalizata fuit, & vt huic hæreſi diligenter occurreret, Concilia ſtatim congregavit, acrioribuſquè verbis in eos invecta, damnavit, quàm legatur feciſſe contra quoſlibet alios hæreticos; è contra vero cum poſtea adoptionem Scoticam Humanitatis plures Theologi docuerint in libris, & publicis theſibus, nec Eccleſia vnquam reclamavit, nec Theologi, præter Vazquez pauco ſquè eius ſequaces, cenſura eam notaverunt, quod quidem eſt ſignum evidens diverſitatis ſenſus in vtriſquè.

2184 Aſſero talem propoſitionem vt ab Scotiſtis aſſertam & defenſatam non eſſe cenſura dignam, licèt locutio ſit aliquantulum dura, oporteretquè eam tẽperare. Ducitur ex his quæ diximus ſupra à nu. 2167. ſolventes argumentum Scotiſtarum. Etenim adoptio Humanitatis à Concilio damnata (etiam quãdo eam damnat independenter à multiplicitate ſuppoſitorum, eſt adoptio moralis, & purè affectiva, contrapoſitaquè vnioni & aſſumptioni phyſicè, vt conſtat ex Concilio in Sacroſilabo poſt initium dicente: *De Beata Virgine inenarrabiliter ſumpſit, non adoptavit Carnem*. Vndè eſt adoptio non extrahens naturam ab extraneitate, imò nec à ſtatu extraneitatis, ſed eam conſervans phyſicè in illo, ſolumquè adducens ad coniunctionem affectivam, vel aggregationis, aut agglomerationis naturæ ad ſuppoſitum; non autem ad ſtatum phyſicæ vnionis. At Scotiſtæ hanc phyſicam vnionem Catholicè adſtruunt, ſolumquè docent, quod licèt ſufficiat ad vnitatem compoſiti & ſuppoſiti, non tamen ſuffic[i]t per ſe ad conſtituendum Filium Dei, ſed quod hæc Filiatio provenire ei debeat formaliter à gratia habituali, ſicut in nobis, & propterea eſt in hac linea Filius Dei ſicut nos, quantum attinet ad hunc titulum eſſendi Filius, non à ſe ſed à gratia accidentali adventitia.

2185 Cùm hac tamẽ differẽtia, quod in nobis cadit ſupra ſuppoſitum phyſicum extraneum à Deo, moraliter coniungendo nos Deo, quos ſupponẽbat, & conſervat omninò extraneos. Dum tamen cadit in Chriſtum, cadit in ſuppoſitum, & complexum phyſicè coniunctum, ſed non phyſicè Filium, ſed potius in linea Filij adhuc extraneum à Filiatione, accepturumquè à gratia habituali adventitiè hanc Filiationem. Pro maiori ergo claritate duplex eſt adſtruenda extraneitas Humanitatis. Vna eſt extraneitas antifilialis, ideſt contrapoſita Filiationi. Alia eſt extraneitas anticoniugalis. Ideſt contrapoſita ſtrictæ coniunctioni Maritali phyſicę. Solam 1. adſtruunt Scotiſtæ in Humanitate vnita, & propterea datur locus vt adveniat adoptiva Filiatio affilians per gratiam habitualem.

2186 Talis ergo Filiatio, cum Chriſto vt homini contingens & adventitia, & accidentalis ſit; à decreto Dei dante, & infundente ab extrinſeco, & gratis donum gratiæ habitualis, & in eo ius hæreditatis formale; & aliàs non ſit Filiatio ex propriâ ſubſtantia, ac per conſequens nec ſubſtantialis, non poterit eſſe Filiatio naturalis, ſed adoptiva, & extranea in linea formali Filiationis, licèt n[on] ſit extranea in linea phyſicæ vnionis. Adoptio enim ex proprio conceptu importat tria. Primum eſt quod natura, vel ſuppoſitum adoptatum vt tale, ſe habeat extraneè ad hæreditatem, quia non per ſe, ſed per aliud adventitium habet ius ad illam. Secundum eſt, quod tale donum non detur ei titulo oneroſo & debito, ſed gratis. Chriſto autem vt homini apud Scotiſtas gratia, & ius ſolum dantur titulo magnæ congruentiæ, non autem ex debito naturali, vel iuſtitiæ. Tertia eſt voluntas adoptantis, & voluntas adoptati acceptantis per ſe, vel per procuratorem. Quę omnia dantur in Chriſto ſi Verbum ab Æterno acceptavit.

2187 Confirmatur, quia Chriſtus vt homo eſt Filius Dei ex Concilijs; atqui vt homo repugnat quod ſit Filius naturalis: ergo adoptivus. Minor, probatur, quia Filius naturalis Patris, eſt talis à generatione æterna. Chriſtus autem vt homo non eſt ab Æterno genitus. Ad argumenta Patris Vazquez negamus quod aſſertum Scoti ſit contradictoriè oppoſitum aſſerto Concilij, nam iſtud negavit adop-

adoptionem Humanitatis invnitæ Verbo, at Scotus non affirmavit adoptionem Humanitatis invnitæ ſed phyſicè vnitæ; ius tamen ex ſe ad hæreditatem non habentis, ſed à Deo, non obſtante vnione, adventitiè & gratis accipientis. Ad ſecundum reſpondetur, Concilium ſolum velle quod non poſsit adoptari, niſi ſuppoſitum extraneum; non autem petit determinatè ſuppoſitum extraneum ex ſe, ſed vel ex ſe vel extraneum ratione naturæ (quod tamen non ſit extraneum à phyſica vnione Maritali, ſed à iure Filiationis, & hæreditatis.)

Nota Nos pro aliquibus remiſiſſe Lectorem ad hunc locum, nempè ad finem huius articuli. Sed ſi aliqua non reperiat hic, quærat §. immediatè præcedenti.

ART. II.

AN CHRISTVS VT HOMO SIT FILIVS DEI naturalis.

2188 THOMISTÆ & Recentiores communiter ita diſtinguunt. Si ly *vt homo* ſumatur reduplicativè, ita vt cadat ſupra Humanitatem, non eſt Filius naturalis. Tum quia denominatio Filij non cadit ſupra naturam, ſed ſupra ſuppoſitum. Tum quia Humanitas vt talis non eſt à Patre à principio coniuncto. Si vero ly *vt homo* ſumatur in concreto ſpecificativè, ideſt pro aggregato ex Perſonalitate Verbi, & Humanitate vnitis, hoc pacto ſonat ſuppoſitum ſubſiſtens in natura humana, & iam imbibit principium coniunctum, nempè perſonalitatem divinam, & vt ſic eſt Filius naturalis.

2189 Hæc acceptionum diverſitas nobis valdè diſplicet: non enim capere poſſumus quo pacto reduplicatio illa Chriſti vt hominis, poſsit cadere ſupra Humanitatem, licèt commune axioma inviolabiliter dixerit, quod reduplicatio cadit ſupra formam. Id enim licèt communiter exiſtimetur intelligi de forma etiam phyſica, falſum mihi eſt, quia ſolum intelligi debet de forma metaphyſica; nam pars phyſica in recto nequit prædicari de toto. Non enim eſt verum quod homo vt homo ſit anima rationalis; ſicut & falſum eſt quod album, vt album ſit albedo; Ly enim *eſt* ſonat identitatem. Compoſitum autem, ſive concretum vt tale, nequè eſt, nequè identificatur cum abſtracto, nec totum identificatur cum parte, nam deberet identificari cum vtraquè parte ſimul, nam vtraquè ſimul, & non vna ſola, eſt totum. Si autem dicas eſſe totum inadæquatè; id quidē eſt *grana blanca*; ſi enim eſt totum, quomodo inadæquatè? Inadæquatè enim ſumptum, non eſt totum, ſed pars.

2190 Reduplicatio igitur concreti non cadit ſupra formam phyſicam, ſed ſupra metaphyſicam, ideſt ſupra formalitatem differentiativam, quæ ſe habet vt pars formalis, coaleſcens ſimul ex ſubiecto & forma phyſicis, non pro formalitate communi, ſed pro differentiali, v.g. album vt album non eſt albedo, ſed albitas coaleſcens ex differentia ſubiecti, & differentia formæ ſive albedinis. Vndè ſaccarum album & dulce, ſi ſumatur vt album, & vt diverſum à dulci, non eſt albedo, ſed albitas, nec dulce eſt dulcedo, ſed dulcitas. Vt albitas tamen importat vtrumquè in recto, ſicut diximus à n. 531. de Trinit. quia ſe habet inſtar concreti ſubſtantivi. Idem patet in homine, qui vt rationalis non eſt anima, ſed formalitas concreta ex corpore & anima vt diſcurſiva, ſicut, vt animal eſt formalitas communis concreta ex corpore & anima, vt ſenſitiva; dum ergo ſermo eſt de Chriſto reduplicativè vt homine, reduplicatio cadit ſupra complexum ex Humanitate, & Perſonalitate divina importatis in recto, licèt natura formalius importetur iuxta dicta ſupra à num. 822. Dixi *reduplicativè*. Sæpè enim ſummi poteſt quaſi demonſtrativè & expreſsivè pro eodem Chriſtus vt homo, ac Chriſtus in ſtatu hominis, & ſic certum eſſet quod ſit Filius Dei in tali ſenſu.

2191 Nota 2. quod Chriſtus vt homo, non ſumitur hic pro homine vt quolibet homine ſuppoſitato, & individuato, præſcindēdo à Perſonalitate vt divina & Filiali. Sic enim certum eſt, quod non ſit Filius Dei; nam eſſe homo vt homo, & vt quilibet homo, etiam convenit Iudæ. Eſt ergo Chriſtus vt homo ſpecialiſsimum illud aggregatum individuatum ex Perſonalitate Verbi & Humanitate, ſive ſubſiſtens divinum provt in natura humana, præſcindendo à divina ex vi huius reduplicationis. Cum enim Chriſtus abſolutè ſumptus ſit ſuppoſitum ſubſiſtens in duplici natura, & provt ſubſiſtens in humana præſcindat à ſubſiſtere in divina, per quam eſt Filius Dei naturalis, quæritur an etiam ſit Filius naturalis, provt ſubſiſtens tranſcendenter divinum in humana?

2192 Nota 3. aliud eſſe an Chriſtus vt homo ſit Filius Dei formaliter vt homo, an per communicationem idiomatum. Eſſe enim Filium Dei per hanc, ſolum eſt eſſe Filium Dei identicè, identitate recti, concomitanter & materialiter, ſicut v.g. album eſt dulce per recti identitatem, non autem eſt dulce formaliter, quia album. Poteſt autem illa propoſitio: *Vt homo eſt formaliter Filius Dei*; ſumi vel formaliter per metaphyſicam incluſionem in aggregato ex Humanitate & divina Perſonalitate, ita vt ſumatur in primo modo dicendi per ſe; vel poteſt ſumi formaliter per quaſi activam pullulationem exigentialem ab aggregato illo vt tali, ad eum ferè modum quo eſſentia eſt radix inductiva proprietatum. Ideſt in ſecundo modo dicendi per ſe, ad eum modum quo ignis per ſe eſt formaliter calidus, & homo ſive animal rationale per ſe eſt formaliter riſibilis, perſeitate non incluſiva, ſed petitiva riſibilitatis.

2193 Dixi *ferè* quia tale aggregatum ex Humanitate, & Perſonalitate Verbi, adhuc vt tale, cum hæc ſit proprietas naturæ, nequit Metaphyſicè, nec Logicè eſſe radix activè pullulativa, ſed eſt formalitas ſpecialiter petitiva vt reſultet naturalis Filiatio ex conſortio divinæ naturæ aſsimilativè ad Patrem, denominans Chriſtum vt hominē per ſe ſecundario Filium Dei.

2194 Nota tandem aliud eſſe quærere, an vt homo ſit conſtitutivè, vel formaliter Filius Dei? An *vt homo*, procedat Filius Dei. Nam Spiritus Sanctus conſtitutivè eſt formaliter Deus, & tamen non procedit vt Deus.

2195 Aſſero ergo 1. contra communem ſententiam. Chriſto vt homini conſtitutivè, & ex parte termini non convenit quod ſit Filius Dei naturalis, ideſt in primo modo dicendi per ſe. Probatur aſſertio 1. quia ſumpto tali aggregato vt tali in ſuo conſtitutivo eſſentiali, non apparet quomodo illud procedat, vt vivens à vivente in ſimilitudinem naturæ. Chriſtus enim vt homo non præſefert in quo ſit ſimilis Patri Æterno, nec Deo vt Trino in natura ſpecifica; quia de divinis ſolum includit Perſonalitatem propriiſsimam Filij, in qua differt, & diſsimilatur ab alijs Perſonis. Secundo, quia non eſt aſsignabilis ratio, vel via per quam vt homo ſit ſimilis Patri conſtitutivè in natura ſpecifica, provt requirit definitio Filij naturalis.

2196 Aſſero 2. Chriſtus vt homo eſt Filius Dei naturalis ex parte termini, formaliter, cum addito tamen, nempè in ſecundo modo dicendi per ſe. Probatur, quia licèt ratio Filij naturalis Dei ſolum conveniat conſtitutivè & eſſentialiter Verbo Divino, id ipſum quod ei convenit eſſentialiter, poteſt convenire extraeſſentialiter, & per ſe exigitivè eius Perſonalitati, vt componenti ſuppoſitum cum natura humana aliena. Ad eum modum quo vis riſiva conveniens riſibilitati eſſentialiter, convenit rationali formaliter per ſe extraeſſentialiter. Sed dicta intellige vt dixi, ex parte termini, non autem ex parte modi procedendi. Nec hoc eſt eſſe Filium Dei naturalem per puram communicationem idiomatum, ſed modo multo altiori, quia ille eſt per puram materialitatem & concomitantiam, ex proprio conceptu fundatâ in nuda identitate

phy-

phyſica ſubiecti: hæc vero in exigentia formaliter & per ſe petitiva talis denominationis.

2197 Dices. Ergo Chriſtus vt homo etiam erit Deus formaliter. Reſpondetur 1. concedendo totum ſi ſermo ſit de formaliter in ſecundo modo dicendi per ſe. Per hanc enim extraeſſentialitatem evitatur confuſio naturarum. Reſpondetur 2. non eſſe idem; *Chriſtus qua homo eſt Deus, & Chriſtus vt homo eſt Deus*. Secundum eſt verum, & primum falſum quia ly *qua homo* non ſonat ſolam perſeitatem formalem ſuppoſiti ad naturam in ſecundo modo, ſed ſonat rationem formalem ex parte ipſius naturæ, & quod ab Humanitate proveniat quod ſit Deus; quod falſum eſt.

ART. III. ET §. I.

AN CHRISTVS VT HOMO SIT FILIVS PROPRIVS.

2198 HIC ſumitur Filius proprius prout contradiſtinctus à naturali, & etiam ab adoptivo, qui eſt talis per moralem & affectivam affiliationem tantum. Aſſero ergo 3. cum quarta ſententia, quod Chriſtus vt homo eſt conſtitutivè, & ex parte termini Filius proprius Dei. Probatur aſſertio, quia ſumptus conſtitutivè non eſt Filius naturalis vt probatū eſt; nec ex vi ſuę conſtitutionis eſt adoptivus & extraneus, ſive coaleſcens ex aliqua parte ſubſtantiali manente extranea, ſed phyſicè entitativè, & ſubſtantialiter, coniuncta cum ſuppoſito Filij Dei. Ergo vt ſic eſt Filius Dei proprius cõſtitutivè phyſicè, & ſubſtātialiter. Sicut enim, quia coniunctio vxoris, & mariti ex matrimonio reſultans eſt coniunctio quædam, & vinculum morale, vxor moraliter non eſt extranea marito, ſed verè aliquid ipſius, imò nec extranea patri mariti: ita Humanitas per vinculum phyſicum vnionis cum Verbo non manebit extranea Verbo & Patri naturali Verbi, ſed ſubſtantialiter & phyſicè aliquid proprium Verbi & Patris ipſius. Confirmatur. Ex Humanitate & Perſonalitate Verbi reſultat quoddam concretum, & ſuppoſitum ſubſtantiale per Perſonalitatem illam ſubſiſtens, & perſonatum perſonalitate quadam non extranea Patri, ſed potius ſubſtantialiter conſanguinea ipſius Patris. Ergo etiam ſubſtantialiter affiliatum in vnitatem ſubſtantialem ſuppoſiti, affiliatione quadam, quę non poteſt eſſe extranea, ſed propriiſſima, & quaſi conſanguinea Patri.

2199 Secundo probatur: quia Paulus, ad Romanos 8. Chriſtum vt hominem tali appellatione donavit: *Proprio Filio ſuo nō pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Qui text⁹ à Cõcilio de Chriſto vt homine intelligitur, & propterea Filius proprius ab ipſo ſępiſſimè vocatur: naturalis autē nuſquā in toto Adriano aut Concilio. Dices 1. Concilium adduxit Hilarium lib. 6. de Trinitate pro affiliatione Chriſti vt hominis à ſe diffinita; qui tamen Hilarius poſtquam dixit, Paulum non contentum dicere *Filio ſuo*, addidit inſuper *proprio*, vt ſignificaret omninò naturalem, & adiecit, ideò Paulum id feciſſe, *vt obſtrueret ora hæreſis curantis vt conſcientia noſtra qua ita credimus, intelligentiam Filij naturalis evellat*: ergo Filius proprius, pro eodem vſurpatur à Concilio ac Filius naturalis vnicus, & verus.

2200 Reſpondetur 1. dicendo, Hilarium, & Patres illius temporis, nomine Filij naturalis ſolum intellexiſſe Filium, qui phyſicè & propriè cõtraponeretur adoptivo, & non plus intendiſſe. Secundo, concedendo de Hilario pro eodem ſumpſiſſe, & negando de Concilio. Nam vel Concilium erat in intelligentia, vel ſuſpitione de eo quod ly *proprius*, & ly *naturalis* eſſent quid diverſum, vel nō erat, ſed exiſtimabat eſſe idem. Si erat, dicimus, propterea omiſiſſe vocem Filij naturalis, ne doceret, quod ipſi ſaltim erat ſub dubio. Quod confirmo ex ipſa omiſſione alis vocis, quæ vtpotè prolata à tanto Doctore, ſcilicèt Hilario, à Concilio non eſſet omiſſa, cum multum robur adderet confutationi talis erroris. Vel Concilium non venit adhuc in ſuſpitionem talis diſtinctionis, ſed pro eodem in mente habebat omnino, & abſq; examine Filium naturalem & Filium proprium, hoc mihi mirabilius eſt de aſſiſtentia Spiritus Sancti ad Concilium, qui dum inſpiravit ſuam doctrinam ex Hilario ſummere & munire, ita calamum in definiendo, & Eccleſiam docendo direxit, vt definiret Filium proprium verum & vnicum per vnitatem ſubſtantialem ſuppoſiti, & à voce Filij naturalis ad calamum ferè advenientę, omninò abſtineret.

2201 Nec dicas 2. quod ſi Chriſtus vt homo eſſet Filius proprius, ſolū eſſet Filius Verbi, quia ratio proprij ſumitur à coniunctione Phyſica cum producente: produci autem ſimul & coniungi, ſolum competit Humanitati reſpectu Verbi. Reſp. negando maiorem. Ad probat. reſp. quod coniungi formaliter, verum eſt quod Humanitati ſolum competat reſpectu Verbi, cui coniungitur, ſicut vxor cum marito, non autem originativè vt cum Patre. Sicut autem vxor Filij coniungitur etiam cum Patre Filij in primo gradu affinitatis, humanitas phyſicè copulata Verbo vt marito, phyſicè etiam prout in tali ſponſalitio phyſico conſtituta, manet etiam coniuncta & affinis Patri, ſtrictius quam Nurus cum Socero, ac per conſequens manet vt aliquid proprium. Si autem hoc convenit Humanitati vnitæ, multo ſtrictius conveniet Chriſto vt homini reſpectu Æterni Patris.

2202 Dices 3. tām Humanitas, quàm Chriſtus vt homo, ſicut ſubſiſtit, completur & perſonatur per perſonalitatem Verbi, ita affiliatur, & eſt conſtitutivè Filius ſubſtantialiter per Filiationem naturalem Verbi. Ergo ſicut quia ſubſiſtentia & perſonalitas eſt divina, ſubſiſtit & perſonatur divinè, ita quia vt Filiatio eſt naturalis, affiliatur, & eſt Filius naturalis. Reſpondetur, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Diſparitas eſt, quia in rebus duplex ſolet dari denominatio: Vna quæ eſt communis ſibi, & ſubiecto, altera quæ totaliter eſt reſervata ſibi. Sic cognitio noſtri intellectus rationem repræſentandi non ſolum habet ſibi, ſed communicat intellectui. At rationem repræſentandi eſſentialiter non communicat intellectui. Similiter Pater Æternus per ſuam Paternitatem Perſonalem denominat Deitatem ſubſiſtentem, & Perſonatam, ſecus relatam; hanc enim denominationem ſibi reſervat.

2203 Ratio autem eſt, quia ſolum eſt capax denominationis relati ſubiectum diſtinctum à termino, quale non eſt Deitas. Similiter ergo Filiatio Divina Perſonalis naturalis, Humanitatem poteſt denominare perſonatam, & divinè Perſonatam, & affiliatam, & Chriſtum vt hominem, Perſonam divinam, & Filium proprium Dei, ſed non Filium naturalem; quia vt homo eſt incapax huius denominationis, cum vt talis non ſit ſimilis in natura Patri. Eſt igitur Filius conſtitutivè à Filiatione ipſa Perſonali naturali, ſed nō, Filius naturalis, ſed aliquid proprium & propriſſimum Filij naturalis, ac per conſequēs ſtrictiſſimè Filius propius.

2204 Dices 4. quilibet Filius importat ex vi ſuæ proceſſionis, ſive effectionis, aut elevationis in Filium ſpecialem, aliquam ſimilitudinem, aut participationem naturæ Paternę cum iure ad hæreditatem. Hoc patet in Filiatione adoptiva Dei, quæ ſit per gratiam habitualem inhærentem animæ, quæ eſt participatio divinæ naturæ, & ſimul eſt ius ad hæreditatem, ita vt licèt condonatio peccati poſſit eſſe extrinſeca, ſecus Filiatio adoptiva Dei cum iure, & viribus acquirendi, & poſſidendi hæreditatem, cum hæc debeat eſſe viſio Beata immanenter producta. Quod ſi in humanis poteſt dari vera adoptio per affectum, & extrinſecam deſtinationem ad ius hæreditatis, ſine aliquo dono inhærenti, ideò eſt, quia ſimilitudo in natura eſſentialiter requiſita pro deſtinatione ad hæreditatem, iam ſupponitur in homine adoptabili, & iús ad hæreditatē in eo non eſt ad eam inhærenter producendā, ſed extrinſecè acqui-

acquirendam. Oppoſitum contingit in gratia habituali, & connprincipijs ad æternam hæreditatem producendam inhærenter in anima Beati, quæ cum non ſupponantur in natura, debent infundi inhærenter per gratiam. Atqui talis participatio divinæ naturæ, & talia comprincipia immanenter productiva, non apparent in Chriſto vt homine cóſtitutivè ſumpto, quia ibi nihil eſt niſi perſonalitas Verbi, humanitas & vnio. Ergo ibi nihil apparet per quod tale concretum vt tale ſit ſimile Patri in natura, nec principium hæreditatis. Ergo nec apparet quomodo ſit Filius proprius. Cófirmatur. Filiatio propria eſt perfectior quam adoptiva. Ergo debet perfectiori modo importare prædictam ſimilitudinem & ius. Oſtendatur ergo in quo ſtent.

2205 Hoc argumentum eſt tota illa celebris difficultas de Sanctificatione Humanitatis per Verbum ob vnionem: Thomiſtis & Recentioribus affirmantibus, & Scotiſtis negantibus. Reſpondetur tamen, concretum Chriſti vt hominis eſſe ſpecialiſſimè ſimile Deo Patri in multis. Primo enim eſt concretum ſubſtantiale intellectivum ſubſiſtens, & perſonale divinum Perſonalitate propria Verbi, id eſt Perſonalitate de linea dicitiva, quatenus Pater dicit ſua Perſonalitate prolativè; & Verbum ſua Perſonalitate prolativè dicitur, ex nũ. 294. de Trinitate. Similitudo autem in his eſt cum ſolo Patre, & non cum Spiritu Sancto. Quia tamen natura illa creata per quam eſt concretum intellectivũ, non eſt eiuſdem ſpeciei cum Patre, ſed generis, licèt ſufficiat pro ſimilitudine Filij proprij (quæ cum ſit ſubſtantialis eſt altior adoptiva) non ſufficit ad ſimilitudinem Filij naturalis, licèt Pater Hurtadus docuerit ſufficere, ſed profectò non benè, vt infra videbimus.

2206 Secundo. Chriſtus vt homo imbibit perſeitatẽ exigentialem eſſendi Deus & Filius naturalis Dei per naturã Divinã, ſibi in naturali ſua conſtitutione debitam & connaturalem, ſicut & talem perſeitatem imbibit Pater: Cum hac tamen differentia, quod à Patre exigitur vt quid incluſum, & in primo modo dicendi per ſe; à Chriſto autem vt homine vt quid poſtulatum, & in ſecundo modo dicendi per ſe: ergo aſſimilantur ſubſtantialiter & exercitè in eſſentiali perſeitate, cum differentia tamen de in primo modo per ſe, & de in ſecundo modo per ſe. Quæ differentia excludit à conſtitutione Chriſti vt hominis Filiationem naturalem, ſecus propriam ſubſtantialem & veram, per quam licèt Chriſtus ſpecificativè ſit verus & vnicus Patris Filius, ſed non vnico modo ſed duplici, nempè Filij naturalis in ſecundo modo; & Filij proprij in primo, vt exigentis per ſe eſſe in ſecundo Filius naturalis à Deitate.

2207 Nec obeſt quod Deitas apud plures non vnitur immediatè Humanitati. Si autem ex vi vnionis non eſt in Humanitate, nó apparet quomodo vt homo nó importans naturam divinam, nec ſimilitudinem in illa, poſſit eſſe Filius Dei. Reſpondetur concedendo Deitatem non vniri immediatè Humanitati. Id tamen non requiritur ad hoc vt Chriſtus vt homo ſit Filius naturalis Dei in ſecundo modo dicendi per ſe. Ratio eſt, quia in Chriſto vt homine & datur Perſonalitas Verbi, & datur Humanitas. Dummodo ergo Deitas accedat Chriſto vt homini, ſive accedat ex coniunctione cum Perſonalitate vt verè accedit, ſive accederet ex coniunctione cum Humanitate; quolibet ex his modis, ſufficienter accedit ad prædictam denominationem in ſecundo modo, cum accedat ratione vnius partis eſſentialis in Chriſto vt homine incluſæ.

2208 Dicta de Filio proprio intellige de Chriſto, prout includẽte cóſtitutivè & intra ſe ius radicale ad cóprincipia operandi vniverſaliter rectè, ſive iſta ſtent in gratia creata habituali atque habitibus, ſive in ipſa natura divina conſtituente ſubſecutivè Filium naturalem. Vnio enim hypoſtatica abſque tali connotatione ad comprincipia, facit ſanctum ſanctitate ſola conſecrationis, & non Filiationis propriæ Filiorum Dei; quia hæc provenit proximè & formaliter, vel à natura divina, vel ab eius ſpeciali participatione quoad operari vniverſaliter rectè.

§. II.

CVIVS ET QVOMODO CHRISTVS VT HOMO ſit Filius proprius proceſſionaliter.

2209 HVCVSQVE ex parte termini. Nunc autem ex parte proceſſionis. Aſſero ergo 4. Chriſtus vt homo proceſſionaliter ſive proceſſivè eſt Filius proprius Æterni Patris, & non aliarum Perſonarum, ſumpto Filio proprio modo nuper explicato. Quod proceſſivè non ſit Filius naturalis, per ſe patet. Nam proceſſio Filij naturalis ſolum datur, quando Filij generantur de propria ſubſtantia, vulva, & modo naturali & debito virtuti generativæ. Cui quidem in Patre ſolum poteſt correſpondere proceſſio Filij ad intra, & ex propria & ſpeciali vulva paterna; non autem proceſſio ad extra. Vndè ſi Abel fuiſſet productus ab Adamo ex proprio ſemine, miraculosè tamen & extra vterum fœmineum, licèt tunc procederet ex propria ſubſtantia, non procederet generatione naturali & propria Filij naturalis.

2210 Probatur autem concluſio, quia ſicut actio generativa Filij poteſt eſſe ab homine, à Deo, & à Sole, & tunc Filius eſſet propriè Filius hominis, & non Dei, nec Solis, eo quod talis actio terminum ex vi ſua ſolum aſſimilet infimè Patri, & non Soli, nec Deo, ita productio Chriſti vt hominis vt à tota Trinitate, cum aſſimilet infimè in primo modo per ſe Chriſtum vt hominem Patri in ſpecialibus Patris, vt probatum eſt, & etiam in ſecundo modo per ſe; reſpectu Patris erit proceſſio aſſimilativa propria, & non reſpectu aliarum Perſonarum. Confirmatur, quia cum plures concurrunt ad aliquam generationem, de illo dicitur communiter quod generet, cui plus vel æquè concurrenti, ac alia agentia, genitus acceptivè evadit genitori vt ſuppoſito dictincto ſimilior.

2211 Obijcies ex Epiſtola Adriani in fine, dicentis verba illa Matthæi: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui* referenda eſſe ad totam Trinitatem, & propterea Cœleſtem vocem non dixiſſe *placui*, ſed *complacui* ad comprehendendam Trinitatem. Atqui hic eſt ſermo de Chriſto vt homine: ergo vt homo eſt Filius Trinitatis. Reſpondetur in primis Concilium Toletanum infra adductum à num. 2214. docuiſſe hæc verba eſſe Æterni Patris, & non Spiritus Sancti. Adrianus autem non ſe oppoſuiſſet Concilio. Igitur aliud eſt loqui de Filiatione, & hæc eſt reſpectu Patris, & aliud de complacentia, & hæc non eſt ſolius Patris, ſed etiam aliarum Perſonarũ. Senſus ergo eſt: *Hic Filius eſt meus, & in eo mihi placui, ſed non ſolus, ſed etiam aliæ Perſonæ de eo ſibi complacent mecum.*

2212 Aſſero 5. Si ſermo ſit de Filiatione ſubſtantialis ſanctificationis, & de accidentali per gratiam habitualem ex iure, & debito ſubſtantialis ſubſequuta, Chriſtus vt homo eſt Filius totius Trinitatis. Ita teneo ferè cum tertia ſententia. Pro cuius intelligentia eſt notandum ex dictis ſupra à num. 1708. quod duplex datur ſanctitas. Vna eſt ſanctitas conſecrationis: & hæc licèt convenire poſſit Filijs Dei, tamen non eſt propria, & ſpecialis ſanctitas Filiorum Dei, ſed convenire poteſt alijs, v. g. Sacramentis, Immenſitati Dei, imò & Calici conſecrato, & Corpori Chriſti in triduo. Alia eſt ſanctitas propria Filiorum Dei, quæ conſiſtit non ſolum in conſecratione & munditie à peccato, ſed etiam in participatione & conſortio divinæ naturæ vt talis, ſumptæ ſimul pro principio operandi vniverſaliter ſupernaturaliter rectè. Hæc ſanctificatio Filiorum ſic explicata, licèt radicaliter, & quoad ius primarium, ſtet in vnione hypoſtatica, mediante qua Humanitas eſt Deificata, ſive delibuta Divinitate quoad eſſe, & quoad conſtitui conſecratam, mundam, & incompatibilem cum peccato: At quoad conſtitui in conſortio divinæ naturæ, vt rationem principij rectitudinis vniverſalis, ſolum id accipit formaliter.

Digitized by Google

liter à gratia habituali. Sola enim hæc eſt virtus vniverſalis proxima operativa, vitáliter & immaneuter rectè per ſuos habitus. His poſitis.

2213 Probatur aſſertio, quia tam vnio hypoſtatica in ratione ſanctificandi, quàm gratia habitualis gerens munus principij coniuncti in hac generatione ſpirituali, quàm ſimilitudo prætenſa cum natura divina, ſunt quid commune toti Trinitati in produci, cum ſint effectus ad extra; & in aſsimilari quoad munditiem, & quoad operari vniverſaliter rectè per intellectum & voluntatem gratia eſt imago quædam Dei vt communis toti Trinitati. Ergo Chriſtus vt homo, qui etiam ſub hac ratione ſanctificationis eſt Filius Dei, erit ſub illa Filius totius Trinitatis.

2214 Auctores negantes Chriſto vt homini aliquam Filiationem reſpectu Trinitatis proponunt ſequentia argumenta contra noſtram Aſſertionem. Primum, quia Concilia damnant quod Chriſtus vt homo ſit Filius Spiritus Sancti. Nam Toletanum XI. ait in confeſsione fidei: *Nec tamen Spiritus Pater credendus eſt eſſe Filij, pro eo quod Maria eodem Spiritu Sancto obumbrante concepit, ne duos Patres Filij videamur aſſerere, quod nefas eſt dici.* Quæ omninò ſumpta ſunt ex Auguſtino 2. de Trinitate cap. 11. qui ad illa verba Mathęi. *Hic eſt Filius meus dilectus*; ait ea, licèt à Trinitate tota formata ſint, ſolummodo Patris denotare Perſonam; nequè enim Ieſus etiam Spiritus Sancti Filius, aut etiam ſuus Filius credi, aut intelligi poteſt. Hæc Auguſtinus. Habent omninò ſimilia Fulgentius & Hieronymus.

2215 Secundo, nam novum Filiationis genus, vltra adoptivam & naturalem in generatione fundatum, eſt contra communem ſenſum & DD. imò contra Synodum Francofordienſem, quę excluſa adoptione, non aliam videtur agnoſcere ſpeciem Filiationis, niſi quæ in æterna generatione fundatur in Chriſto. Confirmatur: ſi ſemel novum iſtud Filiationis naturalis genus agnoſcas, quis vetet, ne ab aliquo Spiritus Sanctus credatur etiam Filius? Quod inconveniens egregiè ponderat Cardinalis de Lugo ſect. 2. num. 9. Nam ſi ſemel Filiationem naturalem invenis ſine naturali generatione, cur proceſsio Spiritus Sancti non ſit Filiatio? Et vrgetur: quia ideò per vos ſtatui debet iſte modus Filiationis, quia Chriſtus vt homo conſtituitur naturalis hæres vniverſorum, & bonorum Patris: atqui Spiritus Sanctus ex vi proceſsionis accipit ius ad bona Patris. Ergo.

2216 Tertio, quia ſic facile foret fingere Filiationes naturales, & modos earum. Quarto, quia fundamentũ adverſariorum, fragile omninò eſt: quippe quia nõ omnis hęres eſt eo ipſo Filius. Latius enim patet, quàm Filij nomen, Nomen hæredis. 5. & ſit à priori ratio: tum quia Filiatio naturalis in ſola generatione naturali fundatur; at in Chriſto ſolum eſt reſpectivè ad Deum generatio Patris Æterni. Tum etiam, quia forma, ſive quaſi forma, qua Chriſtus conſtituitur Filius Dei naturalis, etiam vt homo, ſolummodo reſpicit Patrem vt genitorem: eſt enim Perſona Verbi, quæ à ſolo Patre eſt, & poteſt dici genita. Hæc ſunt verba & fundamenta partis negantis.

2217 Reſpondetur tamen, ad duas claſſes reduci formalem vel reductivam Filiationem: vna expreſsior eſt de Filio genito, alia de Filio ſanctificato. Prima & formalis eſt naturalis; propria vero eſt reductiva. Secunda & formalis eſt adoptionis. Reductiva vero eſt ſubſtantialis ſanctificationis, vt radicis, ſive iuris ad alteram, per quam compleatur & conſumentur in ratione naturæ operativæ per gratiam habitualem, quæ ex ſe eſt gratia adoptionis. Nunc reſpondetur ad argumenta, & ad primũ, Concilia negare Chriſto reſpectu Spiritus Sãcti Filiationẽ generationis formalis, vel reductivę nẽpè proprię, nõ vero ſanctificationis per vnionem aut gratiam habitualem. Ad 2. reſpondetur negando eſſe contra Patres aut Concilia, quia iſta, licèt admiſerint naturalem & adoptivam formales, non excluſerunt reductivas, imò fortè incluſerunt, licèt abſquè Scolaſtica præciſione à nobis facta. Francofordienſe autem admiſit propriam, quæ eſt reductivè naturalis. De reductivè adoptiva non meminit, quia non deſerviebat ad ipſius intentum contra hæreticos.

2218 Ad confirmationem reſpondetur, Spiritum Sanctum non poſſe dici Filium, modo aliquo ſaporem Filiationis habente, ſicut eum habent Filiationes à nobis applicatæ. Vtraquè enim ex proprio conceptu eſt ſaltim aliqualiter de linea aſsimilativa producti cum producente, vel in natura producentis, vel in ſpecialiſsimis producentis. Quod de Filiatione per generationem formalem eſt per ſe evidens, & de reductiva iam nuper eſt probatum. De adoptiva formali probatur, quia ibi datur origo viventis à vivente; quia gratia habitualis verè eſt vita vt quo ſupernaturalis, & vniverſale principiũ in actu primo, & iuſtus per eã verè eſt à Deo per eã quaſi à principio coniũcto in ſimilitudinem naturæ divinæ vt intellectualis, & vt radicis operationum vitalium rationalium. Vndè dixit Evangeliſta Ioannes de ſe & alijs iuſtis: *Vt Filij Dei nominemur, & ſimus*: Et propterea in Scriptura hæc adoptio vocatur generatio: *Quaſi modo geniti infantes rationabiles, &c.* Et alibi: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.* Vndè ſtrictior Filiatio eſt hæc, licèt alias etiam ſit impropria, quàm quælibet alia Filiatio adoptiva hominis ab homine, cum illa non ſit à principio coniuncto ſicut illa.

2219 Filiatio autem ſanctificationis ſubſtantialis Chriſti, quam, licèt ſit multo altior, diximus eſſe reductivè adoptivam, ex vi ſuæ productionis, etiam eſt aſsimilativa, & à principio coniuncto, & hoc ex primaria intentione, in quo differt à productione Spiritus Sancti. Non enim Deus Trinus fecit hominem Deum, vt præcisè eſſet aliquid ſanctum ſanctitate conſecrationis, ſicut Corpus in triduo: nec vt eſſet ſanctum ſanctitate præciſa mundiciei non permittentis peccatum quod alias Humanitas poſſet facere deſtituta gratia habituali, & omni dono ſuperno per ſolas vires naturales, ſi non eſſet vnita Verbo: ergo ex primaria intentione fecit hominem Deum, aliquid altius, & Filiationis ſpecialius intendendo, nempè vt eſſet quid ſanctum ſanctitate & participatione divinæ naturæ vt operativę vniverſaliter rectè, ita vt vnio hypoſtatica daret ius ſubſtantiale phyſicum radicale exigentiale, & gratia habitualis daret formale. Valdè ergo diverſimodè ſe habent Chriſtus vt homo, & Spiritus Sanctus quoad ſaporem participandi definitionem generationis, & ſimilitudinem naturæ, ex vi proceſsionis. ¶ Hinc ad illud de iure hęreditatis ad bona Patris, reſpondetur negando, quod ex ſolo illo probemus Filiationem, ſed ex illo provt fundato in ſimilitudine naturæ, ex vi & intentione immediata producentis aut dantis ius, acceptæ. Ex quibus patet ad tertium. Nos enim non fingimus generationes & modos earum, ſed per ſaporem vel analogiam ſimilitudinis naturalis probamus.

2220 Ad quartum iam eſt negatum, hanc Filiationem ſumi in Chriſto vt homine reſpectu Trinitatis, præcisè à iure hæreditatis, ſed à natura ſanctitatis vt operativa, ex vi proceſsionis acceptę. Quæ quia in adoptatis purè humanis iam ſupponitur, ab adoptante non ipſa ſed ius hæreditatis datur. In Humanitate autem, quia non ſupponitur, à Trinitate per principium coniunctum datur. Nec vltima ratio, quàm dicunt à priori, aliquid probat. Licèt enim Filiatio naturalis in ſola generatione naturali fundetur, & hæc ſolum detur in Chriſto ad Æternum Patrem, ſecus Filiatio phyſicę ſanctificationis, importantis ſaporem participandi ex vi proceſsionis, & accipiendi naturam divinam participativè, ex iure & exigentia phyſica, vt operativam vniverſaliter rectè.

2221 Ex dictis ſequitur 1. Perſonalitatem Verbi vt facit Chriſtum hominẽ, Filium propriũ Patris, differre à ſe vt facientẽ Filium Trinitatis, quia iſto modo ſumitur vt eſt mundities tranſcendenter & ius ad gratiam; illo vero vt

ſpe-

Digitized by Google

ſpecialiter dicitiva, & profertur à Patre. Sequitur 2. ſi Pater incarnaretur (idem de Spiritu Sancto) fore Filii Trinitatis conſtitutivè, licèt vt homo eſſet ſubſecutivè Pater naturalis Verbi. Dices, etiam fore Filium proprium Verbi, quia vterquè eſt de linea dicitiva. Nego fore proprium, quia debebat Perſonalitas eſſe de linea dicitiva paſsivè, & non eſſet niſi activè. Sequitur 3. aliud eſſe, quod in Chriſto vt homine detur gratia adoptionis affilians, & aliud quod faciat Filium adoptivum. Primum eſt verum, ſecundum eſt falſum, quia adhuc deeſt conditio extraneitatis antimaritalis ad Filium adoptivum requiſita.

§. III.

EXCLVDVNTVR VIÆ QVIBVS ALIQVI DD. declarant Chriſtum vt hominem eſſe Filium naturalem Dei.

2222 IN primis Pater Hurtado nititur verificare de Chriſto vt homine Filiationem naturalem, quia eſt vivens à vivente, & eſt à principio coniuncto nempè à Verbo incluſo, & eſt in ſimilitudinem ſaltim genericam naturæ intellectivæ. Quod autem ſufficiat ſimilitudo naturæ generica, probat à ſimili monſtri in animalibus, quod quidem eſt verè Filius ſui Patris. Sed hoc communiter reijcitur à Theologis: Tum quia ſimilitudo propria Filij naturalis Dei debet eſſe in Deitate & natura divina. Patet, quia Patres contra Arrianos probant Verbū Divinū eſſe verè Deū, quia ex Scriptura eſt Filius & imago ſubſtantiæ ipſius; ſi autem ſufficeret imago & ſimilitudo generica, ruit hoc argumentum, & quodlibet aliud quod ſumatur ex Filiatione ipſius in Scriptura aſſerta. Tum quia ille eſt Filius laudatiſsimus, tàm in Scriptura, quàm extra, qui cum ſit à Patre bono, non ſolum eſt ſimilis in natura ſpecifica phyſicè accepta, ſed etiam quaſi moraliter accepta vt natura & principio individualium Paternarum operationum, ita vt ſuis moribus referat Patrem, tamquā imago ipſius; ita vt verè poſsit dici de ipſo, quod licèt *mortuus fuerit eius Pater, quaſi non ſit mortuus: ſimilem enim reliquit Filium poſt ſe.* Item, quod *qui videt eum, videt & Patrem.*

2223 Hinc Recentior ſatis doctus & ingenioſus docuit in illa quæſtione, cur proceſsio Verbi, & non Spiritus Sancti ſit generatio, ideò Verbum eſſe Filium, quia eſt imago Patris, non vtcumquè, ſed referens, & repræſentans Patrem, non ſolum per ſimilitudinem in natura Deitatis, ſed etiam refert illum per ſummam ſimilitudinē, etiam quoad ipſas conditiones individuales propriiſsimas Patris; nam etiam habet quòd vtriuſquè perſonalitas ſit de linea dicendi, & de conducentia radicali ſpirandi cum ſola & præciſa differentia gignentis & geniti, ad diſtinctionem Perſonarum requiſita: in quibus valde diverſificatur à Spiritu Sancto. Fortè aliqui ex hac noſtra inſinuatione anſam arripient, vt hanc novam rationem ſive novum *quare* (pro quæſtione, cur ſola proceſsio Verbi ſit generatio.) elucident & defendant; nobis enim non vacat; præcipuè cum iam ex profeſſo in tract. de Trinitat. typis mandato, rationem communem de accipere naturam ex vi proceſsionis ſufficienter examinatam, ſequuti fuerimus. Solum autem addimus in favorem huius novæ rationis, quod licèt definitio Generationis contenta ſit ſimilitudine ſpecifica, quin requirat individualem, vt eſt evidens in creatis; tamen cum peculiare ſit Perſonis divinis differre ſpecie phyſica inter ſe ipſas immultiplicabili, multò plus quàm id conveniat Angelis in ſententia D. Thomæ, Filius Divinus petendo ſimilitudinem ſpecificam cum Patre ex vi definitionis, ſimul & individualem exigit.

2224 Excludenda igitur ſimilitudo generica, à Patre Hurtado aſſerta. Nec valet paritas monſtrorum: Tum quia licèt permittatur quod ſint Filij, fortè non iuxta hāc definitionem communiter admiſſam, quia ſunt effectus errantes à vulva, de quibus non loquitur definitio. Vel damus, quod eis definitio conveniat, quatenus dupliciter poteſt ſumi ſimilitudo naturæ à principio coniuncto: Vna eſt à natura efficienter primario intentata, ſed ob deficientiam mediorum, vel conditionum imperfectè conſequuta. Alia eſt intentata & perfectè conſequuta. Pro definitione, quælibet ſufficere permittitur, & quod iuxta eam monſtra ſint Filij, ſed Filij à ſcopo, & vulva ſaltim ſecundum quid errantes, quia defecerunt à ſimilitudine in ſpecifica differentia. Nefas autem eſt de eis ad Chriſtum vt hominem facere paritatem.

2225 Secundo, Thomiſtæ & plures Recentiores docent, Chriſtum vt hominem, non cadente reduplicatione ſupra Humanitatem, ſed ſupra complexum (quod eſt ſummere ſpecificativè) verè eſſe Filium Dei naturalem, quia eſt ipſiſsimum Verbum Dei. Si intendant quod ſit Filius naturalis, non quidem conſtitutivè vt ſubſiſtens in natura humana, ſed quod adhuc vt ſic, ſit per ſe, licèt ſubſecutivè Filius naturalis in ſecundo modo dicendi per ſe, benè dicunt, vt conſtat ex ſupra dictis à num. 2196.

2226 Tertio Cardinalis De Lugo docet ly *vt homo*, etiam ſi cadat ſupra Humanitatem, ita ſumi, & ita de eo dici quod ſit Filius naturalis quatenus non impedit quod Perſona de qua prædicatur ly *vt homo*, maneat Filius naturalis Dei, & tantum Filius naturalis Dei abſquè alia Filiatione. In Concilio autem dantur aliquæ clauſulæ ſatis hanc interpretationem indicantes. Sed hæc explicatio placere non poteſt. Quia iuxta eam ſolum habetur quod Chriſtus vt homo ſit permiſsivè Filius Dei, ſive quod nullum habeat impedimentum eſſendi Filius naturalis Dei, & tantum Filius naturalis Dei abſquè alia Filiatione. Hoc autem nullam excellentiam præſtat Chriſto vt homini, ſicut nec D. Petro dat aliquam excellentiam, quod vt homo, ſive quod eius humanitas ex ſe poſſet eſſe per vnionem & Incarnationem Pater Æternus. Similiter nihil excellentiæ habet Iudas, ex eo quod ſumptus vt homo, & vt talis homo, poſſet permiſsivè eſſe Filius Dei adoptivus, & Beatus, quia ſolum ſonat ex proprio conceptu nullum habere impedimentum. Si autem dicas quod D. Petrus habet impedimentum propriæ ſubſiſtentiæ, & Iudas impedimentum peccati. Contra. Tum quia neutrum impedimētū dicunt vt Humanitas, & vt homo præcisè. Tū quia ſaltim vt humanitas, & vt homo in pura natura, nullū diceret impedimētum, & nō eſſet aliqua prærrogativa eſſe permiſsivè tales. Quod ſi aliquæ clauſulæ Concilij ſint de non impedimento ex parte Humanitatis præſtito, id non aſſertur à Concilio tāquam ex ſe ſolo prærrogativam aliquam aſſerens, ſed aſſertur vt tollat impedimenta remota ad ſuam aſſertionem contra hæreticos fundandam de Chriſto, cui homo nō impedit eſſe verus, & propriꝰ Filius Dei. Confirmatur, quia Concilium plures Chriſto laudes attribuit, & prærrogativas ipſi vt homini eo quod vt homo verè & propriè eſt Filius Dei: non ergo quia permiſsivè, nec quia ex tali conceptu non importet impedimentum ad eſſendum Filius naturalis Dei, ſed quia vt homo poſitivè, & ſaltim exigentialiter habet quod verè ſit Filius proprius Dei.

§. IV.

ALIÆ EXPLICATIONES VBI ILLATIO PRO ſtenſa.

2227 TERTIO alij explicant ſic. Dicunt quod non eſt neceſſe pro conſtitutivo Filij, quod productio generativa producat formā ipſam viventē vt patet in generatione humana non producente animam rationalē; ſed ſufficit, quod ita producat aliquam partē conſtitutivā ſuppoſiti viventis, vt ſimul per ſe talis actio exigat quod tale vivens per ipſam productum evadat in natura ſimile generanti. Quin tamen propterea requiratur, quod nec

pro-

productio ipſa, nec terminus formaliter per illam productus, ſint ratio ipſa exigens, quod communicetur ſibi forma illa vivens, per quam vivit ipſum ſuppoſitum. Ratio autem huius aſſerti eſt, quia iuxta definitionem generationis, generatio ipſa eſt productio ſuppoſiti viventis, quin ex ſe ſit communicatio formę viventis. Hinc ſequitur, quod Chriſtus vt homo, ſit Filius naturalis Dei, ſiquidem vt homo procedit à Patre Æterno vt ſuppoſitum vivens à vivente, & à principio coniuncto, ſive Perſonalitate Filij in Chriſto vt homine incluſa: & etiam procedit in ſimilitudinem naturæ, quia ipſa Perſonalitas Filij, cum ſit proceſsio paſsiva Verbi, poſtulat ex ſe, vt ſuppoſitum vivens (quacumquè natura vivat) ex illa conſurgẽs, habeat ſibi Deitatem vnitam, ac per conſequens quod ſit ſimile in natura ſuo producenti.

2228 Multis ab hinc annis eram ferè in hac ſententia: Explicabam enim illam particulam definitionis *in ſimilitudinem naturæ*, quod ſummeretur tenditivè & finaliter, non autem conſtitutivè. Vndè quia per productionem Chriſti vt hominis, intendebat Deus ſpecialiſsimè, quod Chriſtus vt homo eſſet verus Filius naturalis Dei, non tamen conſtitutivè, ſed per ſe ſubſecutivè, ideò exiſtimabam, quod vt homo ſtrictè eſſet Filius naturalis Dei, & quod eius productio eſſet ſtricta generatio, cum eum vt hominem produceret ſimilem, non conſtitutivè ſed ſubſecutivè.

2229 Sed re melius conſiderata, ſupra diſtinguendum cenſui inter eſſe Filium Dei ex parte termini ſive terminativè, & eſſe Filium Dei proceſsivè, ideſt proceſsione, quæ ſit ſtrictè generatio naturalis: plures enim confundunt hæc, & pro eodem ſummunt eſſe Filium naturalem, & gigni generatione naturali. Sed ego quantum ad primum ex parte termini aſſerui, ſi ſummatur vt homo conſtitutivè, non eſſe Filium naturalem ſed proprium, licèt ſi ſumatur per ſe ſubſecutivè, ſit verè Filius naturalis; & idem nunc repeto. Proceſsivè autem, non acquieſco quod eius productio vt hominis ſit generatio naturalis propter dicta, & propter dicenda. Sed quomodo terminus productus eſt Filius naturalis, abſquè generatione naturali? Reſpondetur, generatione quidem naturali eſſe Filium naturalem, ſed æterna illa, temporaliter & ſubſecutivè, & quaſi ex parte termini, ſubintrante; non autem generatione iſta temporali, de qua loquimur; quia iſta, cum non ſit ex vulva virtutis æternæ generativæ naturalis, nec naturali, & proportionato ſive debito modo, naturalis non eſt. Adducit ergo iſta Chriſto vt homini, quem producit, clauditquè in illo Filium naturalem & Filiationem naturalem, adducendo ſed non producendo.

2230 Licèt ergo verum ſit, vt prædicti Auctores dicunt, quod vt productio ſit generatio, non requiratur vt producat formam, vt patet in homine; non tamen eſt verum ſufficere quod producat in ſuppoſito viventi aliquid exigens ſive per ſe adducens à principio coniuncto ſimilitudinem naturæ, niſi inſuper talis productio procedat à virtute generativa naturali principij viventis, procedatquè vitaliter & modo vitali, vt ſæpè dictum eſt. Hic autem procedendi modus non convenit productioni Chriſti vt hominis; nec poteſt verificari quod Pater Æternus productione temporali ad extra generet naturaliter Chriſtum vt hominem. Ratio manifeſta eſt, quia nemo poteſt generare niſi vt generativus, nec poteſt eſſe generativus, niſi à virtute propria generativa ſua: Atqui virtus Omnipotẽtiæ per quam procedit generatio temporalis Chriſti, non eſt virtus propria generativa naturalis Patris Æterni, quia iſta ſtat in memoria fœcunda, & non in Omnipotentia communi toti Trinitati. Ergo talis productio temporalis Chriſti, nequit eſſe generatio naturalis. Licèt ergo Chriſtus ſit terminativè Filius proprius & naturalis modis dictis, productio tamen ipſius proceſsivè non eſt generatio naturalis.

2231 Alij tandem aliter explicant, dicentes Chriſtum vt hominem eſſe Filium Patris naturalem, quia productio Humanitatis per ſe ipſam eſt vnio ad Perſonalitatem Verbi, & per vnionem communicat Humanitati immediatè non ſolam perſonalitatem, ſed etiam naturam divinam. Vndè licèt generatio Æterna Patris non poſtulet, Verbum à ſe productum naturæ humanæ vniri, tamen tendit ad Perſonalitatem abſolutè exigentem identificari ſibi naturam divinam, & ſimul conditionatè exigentem, vt cuivis naturæ creatæ, cum qua talis Perſonalitas ſuppoſitum conſtituat, communicetur intrinſecè ei ipſa natura divina, ex vi productionis vnitivæ.

2232 Ex quo ſequitur 1. quod Chriſtus vt homo ſit aliquid conſtitutum in eſſe hominis per proceſsionem à Patre Æterno, quia eſt ipſa vnio hypoſtatica, & ſimiliter ſit quid conſtitutum formaliter in ratione Perſonę per Filiationem, habẽſquè ratione talis proceſsionis vt vnio eſt, immediatè ſibi & intrinſecè communicatam naturam Æterni Patris, ac per conſequens quod ſit Filius naturalis. Secũdo ſequitur, quod Chriſtus vt homo (attento modo quo Humanitas per quam vivit, ſubſiſtit nempè productione immediatè adducente & vniente ſibi Verbum) & ex vi talis modi, quo per Verbum ſubſiſtit, eſt formaliter vivens à vivente coniuncto in ſimilitudinem naturæ: Licèt enim Chriſtus vt homo præſcindat à natura divina, & vt ſic non dicat ipſam in ſenſu formali (propter quod vt homo non eſt formaliter Deus) non tamen pręſcindit ab habere tamquam aliquid ſibi intrinſecum naturam divinam, per quam vt talem ſit ſimilis Patri. Ita ſatis ingenioſè & noviter Pater Aranda.

2233 Sed hæc doctrina duplicem continet partem. Prima eſt proceſsivè de productione Humanitatis, quæ ſit vnio ad Verbum, quæquè ex vi ſua conſtituat Chriſtum in ratione Perſonæ divinæ. Secunda eſt terminativè, quod vt homo conſtituatur per Filiationem in ratione Perſonæ divinæ præſcindentis quidem à natura divina quoad includere, ſecus quoad intrinſecè habere; ac per conſequens ita vt ex vi immediata proceſsionis, importet ſimilitudinem in natura Patris. Si prætendat cum communi in prima parte & loquendo proceſsivè, quod Chriſtus vt homo procedat, vt intrinſecè habens naturam divinam ex vi proceſsionis temporalis, quæ ſit verè generatio naturalis, falſum eſt; cum non oriatur à Patre vitaliter, nec ab eius virtute generativa, ſed ab Omnipotentia, vt nuper probabamus. Si vero intendat, quod ita ſe habeat ex vi immediata proceſsionis (quæ tamen non ſit naturalis generatio) permittimus, quia potius nobis favet, quã noceat. Quoad ſecundam autem partem, ſi ſermo ſit de Chriſto vt homine terminativè, dicimus quod ſumptus conſtitutivè vt homo, & vt præſcindens à natura divina, ſub hac ratione, cum non ſit conſtitutivè Deus, non erit conſtitutivè Filius Dei naturalis, benè vero Filius proprius, ſive non extraneus. Sumptus autem quoad habere naturam divinam, idem eſt ac ſumptus formaliter in ſecundo modo habendi per ſe, & ſic iam diximus eſſe Filium naturalem Dei.

2234 Sequitur 1. ex dictis non eſſe idem aliquid produci vt Filium naturalem, & per eam generationem gigni generatione naturali, vt conſtat ex num. 2230. Sequitur 2. nihil conſtitui proximè & formaliter in ratione Filij Dei, niſi vel per naturam Divinam (quæ ſi intret in conſtitutivum formale Filij Dei, facit Filium naturalem in primo modo dicendi per ſe, ſi vero intret per ſe ſubſecutivè facit Filium Dei formaliter in ſecundo modo dicendi per ſe.) Vel per gratiam habitualem, quæ ſola eſt formalis creata participatio Divinæ naturæ in ratione formaliter operativæ, vniverſaliter & ſupernaturaliter rectè. Quæ quidem gratia regulariter & communiter eſt gratia adoptionis, licèt non ſemper faciat Filium adoptivum, niſi ſolum quando ſubiectum eſt extraneum, & permanet extraneum.

Dixi

Digitized by Google

2235 Dico: *Nihil conſtituit proximè & formaliter in ratione Filij Dei.* Appropriatio enim Filij ad Patrem, aut ſanctificatio ſubſtantialis à Trinitate per vnionem in Chriſto vt homine, licèt faciant ſuppoſitum aut Chriſtum ſubſtantialiter proprium & ſubſtantialiter ſanctum formaliter, atquè formaliter mundum, incompatibilemque etiam peccato, ſed non formaliter Filium, Filiatione aut ſanctitate operativa ſpeciali Filiorum Dei, ſed radicaliter & cum iure & debito ad eſſe illam per aliam vim, nempè gratiæ formaliter.

2236 Vndè convenimus nos cum Scotiſtis quod Humanitati Chriſti ſanctitas propria Filiorum Dei, id eſt ſumpta pro principio operandi vniverſaliter rectè, nec conveniat per vnionem, nec conveniat per Perſonalitatem, nec per Deitatem, quia neutra illarum eſt principium adhuc remotum operativum (nulli enim earum convenit remotè influere, nec adhuc ad eum modum quo animæ rationali, ſi diſtinguatur realiter ab intellectu, convenit remotè influere cum illo in intellectionem.)

2237 Pro operatione ergo vniverſali recta, ſunt quidem ius vel morale, vel phyſicum & naturæ, vt Humanitati detur gratia habitualis vt principium per quod ipſa Humanitas (non autem vnio Perſonalitas, nec divinitas) operetur vniverſaliter rectè. Illæ ergo petunt id per quod iſta operetur, ſed non per quod illæ operentur. Diſconvenimus tamen ab eis in eo quod vnio vel Perſonalitas, vel Deitas, apud Nos, per ſe ipſas tribuant Humanitati vltra ſanctitatem conſecrationis, aliam ſanctitatem mundiciei, & incompatibilitatis cum peccato, quatenus Humanitati vnitæ (etiam ſublata gratia habituali) repugnaret peccatum, & quatenus ſi ante vnionem præexiſteret in peccato, vnio eſſet talis vltor & mundicies, vt purificaret animam ab illa macula, non minus quam gratia habitualis ex conceptu mundiciei mundet infantes ab originali per modum vltoris incompatibilis. Vide dicta in to. 2. morali quæſt. de Iuſtificatione nu. 1372. & etiam hic ſupra à num 2205.

2238 Vndè ſi Scotiſtæ nihil aliud vellint, niſi quod Chriſtus vt homo (ſive alias eſſet, ſive non eſſet ſanctus per vnionem) non ſit proximè, immediatè & formaliter ſimilis in natura vt principio vniverſali, ac per conſequens proximè & immediatè & formaliter Filius, niſi per gratiam habitualem, quæ ex proprio genere eſt adoptionis, meo videri benè dicunt, & videtur negari non poſſe à Thomiſtis aut Suariſtis communiter docentibus, quod nihil in homine eſt principium proximum *quo* vniverſale pro Humanitate, operandi ſupernaturaliter rectè, niſi ſola illa: ſiquidem apud hos omnes, nec vnio, nec Perſonalitas Verbi ſunt operativæ, nec per illas, aut per Deitatem tanquam per principia *quo* reddi poteſt anima Chriſti operativa ab intrinſeco. Ergo ſimilitudo & participatio Divinæ naturæ vt operativæ rectè pro operibus ſupernis vitalibus Humanitatis, ſola eſt gratia habitualis.

ART. IV. ET §. I.

DE PRÆDESTINATIONE CHRISTI.

2239 SVPPONO 1. tanquam certum Chriſtum vt hominem fuiſſe à Deo prædeſtinatum. Conſtat: Tũ ex aliquibus Sacræ Scripturę locis, nẽpè ad Roman. 1. qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute. Prima ad Corinth. 2. quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula. Tum ratione, quia ly *prædeſtinatum*, nihil aliud ſonat, quàm præordinatum à Deo ab Æterno ad aliquid divinum & magnum, vt per gratiam Dei obtinendum. Certum autem eſt Chriſtum vt hominem per Dei gratiam habuiſſe multa dona gratiæ & gloriæ in tempore, ſive participationem divinorum. Hinc fit contra Vazquez diſp. 22. cap. 2. & alios, quod in rigore nõ poſſit verificari de Verbo Divino, quod fuerit prædeſtinatum, quia nec fuit deſtinatum ad exiſtentiam, nec ad alia dona. Licèt enim fuerit præordinatum de eo, quod fieret homo in tempore, ſed hoc comparativè ad ipſum, nec fuit gratia, nec acquiſitio Beatitudinis. Nec obeſt, quod ſi dicitur Verbum paſſum quia vt homo paſſus eſt, etiam poterat dici prædeſtinatum, quia vt homo prædeſtinatus eſt. Concedo, per communicationem idiomatum, & ratione Humanitatis. Hic autem non eſt quæſtio ſic, ſed formaliter.

2240 Reſtat autem duplex difficultas, vna de ſubiecto, alia de termino ad quem. Prima. An de Chriſto abſolutè abſquè aliqua reduplicatione cadente ſupra ſubiectum, poſſit verificari, quod fuerit à Deo prædeſtinatus. Secunda de termino, ſcilicèt ad quid fuerit prædeſtinatus, ſive quinam fuerit terminus prædeſtinationis ipſius. Quantum ad primum, aſſero cum D. Thoma, & communi ſententia, quod eſſe prædeſtinatum poteſt convenire Chriſto abſolutè. Probatur, quia Chriſtus abſolutè eſt ſuppoſitum ſubſiſtens in duplici natura. Cum autem abſolutè poſſit dici, quod ſit homo, & quod talis homo à Deo ſit ordinatus ad magna dona, abſolutè poteſt dici prædeſtinatus.

2241 An autem dici poſſit, quod Humanitas ſit prædeſtinata ad gratiam & gloriam? Videtur quod non, quia Humanitas non eſt ſuppoſitum. Actio autem fruendi Deo non eſt naturæ ſed ſuppoſiti, cum actiones ſint ſuppoſitorum. Si dicas quod eſt prædeſtinata ad vnionem. Ergo & ad fruendũ Deo. Negari poteſt conſequentia, quia frui eſt agere, ſecus vniri. Iſtud eſt naturę, illud ſuppoſiti. Ex alio capite videtur, quod ſi eſt prædeſtinata ad vnionem, quia hoc eſt recipere, etiam gratiam habitualem & lumen gloriæ recipit. Ergo & potuit prædeſtinari ad hæc. Inſuper, quia licèt actiones ſint ſuppoſitorum denominativè & moraliter, ſecus effectivè phyſicè. Sed res eſt parvi momenti, & quæſtio ferè de nomine.

2242 Maior & ſolemnior difficultas eſt. An hæc propoſitio ſit abſolutè vera: *Hic homo prædeſtinatus eſt vt eſſet Filius Dei naturalis?* Ratio dubitandi pro parte affirmativà, quam tenent communiter Thomiſtæ, eſt quia ad Rom. 1. dicitur de Chriſto: *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum Carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute.* Plures enim Sancti Patres hunc textum intelligunt de Chriſto, qui videri poſſunt apud Suarez diſp. 50. ſect. 1. & apud Lorca diſp. 87.

2243 Pro parte autem negativa (nempè talem propoſitionem non eſſe ſtrictè veram de tali ſubiecto) ſtant Lorca citatus, Becanus, Durandus, Faber, & Fœlix cum Scoto cap. 17. diſtic. 2. Et probãt, quia terminus prædeſtinationis non debet includi in ſubiecto ipſo prædeſtinationis, ſed potius iſtud, ſaltim in mente prędeſtinantis debet præſupponi ad illum. Patet: tum quia nemo prædeſtinatur ad id quod eſt ſibi intrinſecum: non enim homo poteſt prædeſtinari ad rationale in ſe incluſum, imò nec ad riſibile ab intrinſeco ſubſequutũ. Itẽ in prędeſtinatione terminꝰ ad quẽ ſubiectum ordinatur, debet iſti convenire ex gratia, & non ex debito intrinſeco. Atqui in ly *hic homo*, & clarius in ly *Chriſtus*, eſt incluſa Perſonalitas & Filiatio naturalis Verbi divini, ad quam ſubſequitur per ſe quod ſit Filius naturalis Dei. Ergo repugnat quod ad iſtum Chriſtus vel hic homo ſit prædeſtinatus.

2244 Huic difficillimo argumento ab Scotiſtis facto, reſpondet 1. Vazquez diſp. 90. cap 4. ſubiectum prædeſtinatum vt ſit Filius Dei, non eſſe hunc hominem, ſed ipſam Humanitatem, quę non includit Filium Dei. Impugnat Gonet hanc ſolutionem diſp. 24. art. 1. §. 2. auctoritate & ratione D. Thomæ hìc art. 1. ad 2. dicentis: *Quidam dixerunt prædeſtinationem intelligendam eſſe de natura, non de Perſona Chriſti, quia ſcilicèt humanæ naturæ facta eſt hæc gratia, vt vniretur Filio Dei in vnitate Perſonæ. Sed ſecundum hoc locutio Apoſtoli* (dicentis ad Roman. 1. qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute) *eſt impropria, propter duo. Primo quidem, ratione communi, non enim dicimus naturam alicuius prædeſtinari, ſed ipſum ſuppoſitum: quia prædeſtinari eſt dirigi*

in ſalutem, quod quidem ſuppoſiti eſt agentis propter Beatitudinis ſinem. Secundo ratione ſpeciali, quia eſſe Filium Dei non convenit humanæ naturæ: eſt enim non ipſa humana natura eſt Filius Dei: niſi forte quis vellet ſic exponere extorta expoſitione: Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in Virtute, ideſt, prædeſtinatum eſt vt humana natura vniretur Filio Dei in Perſona: relinquitur ergo quod prædeſtinatio attribuitur Perſonæ Chriſti, non quidem ſecundum ſe, vel ſecundum quod ſubſiſtit in Divina natura, ſed ſecundum quod ſubſiſtit in humana natura. Ex hac doctrina impugnatus manet Cornelius à Lapide ſuper cap. 1. Epiſt. ad Roman. diſtinguens in *hoc homine* concretum exiſtentis, à concreto ſubſiſtentis; ita vt illud non includat iſtud, ac per conſequens illud poſsit prædeſtinari ad iſtud. Cum enim concretum Humanitatis vt exiſtentis, extra Scholam D. Thomæ, non ſit exiſtens per exiſtentiam & ſubſiſtentiam Verbi, ſed per aliam propriam ipſius Humanitatis, in rigore loquendo hæc ſententia non differt niſi verbis, à ſententia adducta Patris Vazquez.

§. II.

ALIÆ SOLVTIONES IMPVGNANTVR.

2245 SECVNDO reſpondent apud Fœlicem Patres Suarez & Vazquez, quos alij ſequuntur, Chriſtum vel ſuppoſitum divinum non poſſe propriè prædeſtinari ad Filium Dei, vtpotè expreſsè incluſum vel convenientem ab intrinſeco illis, ſecus ly *hic homo*; quia licèt includat ſubſiſtentiam, ſed non divinam nec humanam determinatè, ſed vage, & ideò potuiſſe illud concretum vt vage, prædeſtinari ad concretum Filij Dei determinatè. Sed contra: tum quia illa præciſsio inter ſuppoſitum vage & determinatè, non eſt in mente divina, ſed in noſtris conceptibus. Deus autem non prædeſtinat, niſi iuxta ſuam cognitionem à qua ſola dirigitur, & non iuxta noſtras. Tum 2. quia ly *hic homo*, prout eſt in mente divina, vel eſt intrinſecè & materialiter Filius Dei, vel non? Si eſt, argumentum factum perſeverat in ſua vi. Si non eſt? Dicant quodnam ſuppoſitum eſt in mente divina tale ſubiectum pro prædeſtinatione. Cum enim prædeſtinatio ſit pars providentiæ, & hæc ſit de ſingularibus & non de vniverſalibus, nec de vagis, aſsignari debet quidam homo determinatus, & individuatus, cui fiat gratia elevandi illum in Filium Dei.

2246 Ex his manet impugnata alia ſolutio diſtinguens in Chriſti Perſonalitate ſubſiſtentiam à Filiatione, docenſquè illum hominem vt ſubſiſtentem tali ſubſiſtentia, prædeſtinari ad Filium Dei ſub alia formalitate. Contra enim: tum quia in mente divina repugnat talis præciſsio. Tum quia ly *homo*, vt ſubſiſtens ſubſiſtentia Verbi, ab intrinſeco habet Filiationem vel incluſam vel debitam, & ſic iſta nequit eſſe gratia reſpectu illius, nec terminus ad quem reſpectu prædeſtinationis.

2247 Quarta ſolutio eſt Cayetani dicentis, per ly *hic homo* intelligi Verbum Incarnatum, præſcindendo ſilicèt à modo Incarnationis, qui modus excogitari poteſt duplex. Vnus verus per vnionem ſubſtantialem Humanitatis ad Verbum, qualis modo eſt. Alter fictus per vnionem accidentalem, qualem ponebant Neſtoriani. Igitur de Verbo Incarnato præciſſe vt tali, dici poteſt quod ſit prædeſtina tum ad ſubſtantialem Incarnationem, quæ vt talis, cum diſtinguatur ratione ab Incarnatione vt ſic, non includitur in illa. Hanc rationem impugnat Pater Gonet ex D. Thoma hic art. 1. ad 2. dicente: *Prædeſtinatio tribuitur Perſonæ Chriſti, non quidem ſecundum ſe, ſed ſecundum quod ſubſiſtit in humana natura. Vndè cum prædixiſſet Apoſtolus, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum Carnem, ſubiunxit, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei, vt daret intelligere quod ſecundum hoc quod eſt factus ex ſemine David ſecundum Carnem, eſt prædeſtinatus Filius Dei.*

2248 Ex qua auctoritate impugnat Cayetanum: tum ex illis verbis: *Prædeſtinatio tribuitur Perſonæ Chriſti ſecundum quod ſubſiſtit in humana natura*: quæ quidem *determinatè explicant Veram Incarnationem*: ergo non eam vt præſcindit à vera: tum ex illis aliis: *Vt daret intelligere quod ſecundum hoc quod eſt factus ex ſemine David, eſt prædeſtinatus*. ergo eſt prædeſtinatus, & ſubiectum prædeſtinationis ſecundum quod eſt factus; ergo non vt præſcindit à facto & ficto. Tum 3. ratione, quia ratio communis nec eſt capax providentiæ, ac per conſequens nec prædeſtinationis, nec item eſt capax vt ipſa vere ſuſcipiat in ſe aliquam gratiam. Nos tamen impugnamus ex dictis contra concretum vagum. Omnia enim contra ipſum oppoſita, etiam ſunt contra hanc Caietani ſolutionem.

2249 Quinta ſolutio eſt aliorum Theologorum, nempè Medina & Albarez, & plurium docentium Chriſtum vt poſsibilem eſſe ſubiectum prædeſtinationis ſui vt exiſtentis. Qui quidem ſtatus vt per ſe patet, ſunt diverſi, & ille non includit iſtum. Eos tamen impugnat Gonet. Primo, quia prædeſtinatio eſt amor ſubiecti, quod vt diſtinctum à termino ametur à Deo, cum illi Deus velſit beneficium termini ad quem prædeſtinatur. Nihil autem purè poſsibile poteſt divinum amorem terminare. Secundo, quia illud eſt ſubiectum prædeſtinationis, cui vt ſuſceptivo gratiæ Deus eam præparat. Subiectum autem purè poſsibile vſquè dum tranſeat ad actuale, non eſt ſuſceptivum gratiæ. Ergo nec eſt ſubiectum prædeſtinationis. Quam vim habeat prima impugnatio, peti debet ex tract. de voluntate Dei. Secunda autem ſpecimen habet alicuius roboris, præcipuè ſi addatur quod decretum transferens poſsibilia ad actualitatem, licèt ſit deſtinativum, ſed non prædeſtinativum, provt hæc vox ſumitur apud Theologos. Sonat enim aliquid ordinis ſuperni, quod quidem ſit, non iuxta ſed ſupra proportionem ſubiecti *quo* ſaltim qualis non eſt ſtatus actualitatis reſpectu ſtatus poſsibilitatis, quando nulla alia intervenit differentia ordinis, ſed ſola differentia ſtatus.

2250 Tandem prædictum argumentum ſolvit Gonet diſtinguens inter Chriſtum vt hominem vt hac numero ſubſiſtentia ſubſiſtentem in Humanitate, & inter ipſum vt ſubſiſtentem in Deitate. Inter quas rationes datur ſufficiens excluſio, ad hoc vt ſub prima prædeſtinetur ad ſecundam, & ad Filium; ſicut & datur ſufficiens excluſio, ad hoc vt in quantum ſubſiſtit in natura humana ſit merens, & ſatiſfactor, & vt ſubſiſtens in divina ſit creditor, & præmiator.

2251 Pro cuius explicatione advertit 1. in Chriſto dari duplex ſubiectum; nempè quod & quo. *Quod* eſt de quo terminus prædicatur. *Quo* eſt illud ratione cuius ſit capax ad gratiã, ad quam antecedit. Vndè *quod*, ex parte ſubiecti, eſt hic homo. *Quo* eſt Humanitas. Ite datur terminus *qui*, & *quo*. Terminus *qui* prædeſtinationis eſt Filius Dei naturalis. Terminus *quo* eſt Filiatio naturalis. 2. notat terminum *quo* diſtingui realiter à ſubiecto *quo*, nempè Filiatio naturalis ab Humanitate; ſecus terminus *qui* à ſubiecto *quod*, nempè Filius naturalis à Chriſto, ſive ab hoc homine. Inſuper inter ſubiectum *quo* (eſt enim ipſa Humanitas) & terminos *qui* & *quo*, etiam datur realis diſtinctio. 3. notat inter ſubiectum *quod*, & terminum *qui*, dari diſtinctionem virtualem, ſive rationis. Patet, quia illud eſt Chriſtus vt ſubſiſtens in natura humana, & vt faciens Perſonam humanam; iſte vero, Chriſtus vt ſubſiſtens in Divina, & vt Filius Dei.

2252 Ex his reſpondet ad argumentum, cum Godoi, terminum prædeſtinationis qui ſit terminus *quo*, non debere includi adhuc realiter in ſubiecto *quo*. Nam iſtud eſt Humanitas, & ille eſt Filiatio naturalis. In ſubiecto autem *quod*, nempè in hoc homine, benè poſſe includi incluſione reali (nam realiter hic homo eſt Filiatio naturalis) dummodo non includatur incluſione formali. Etſi enim in

Chriſto

Digitized by Google

Chriſto vt homine includatur conſtitutivè ſubſiſtentia Verbi, quæ quidem eſt Filiatio naturalis, non tamen in eo quatenus homine includitur vt Filiatio, aut ſub munere Filiationis divinæ, ſed præciſſe ſub munere Perſonalitatis perſonantis naturam humanam. Vndè ſubiectum prædeſtinationis Chriſti vt tale, eſt Perſona divina vt ſubſiſtens in natura humana. At terminus formalis eſt ipſa Perſona divina vt Filius naturalis Dei, ſive ſub ratione & munere Filij Dei; inter quas rationes iam datur ſufficiens diſtinctio & excluſio, vt vna ſit ſubiectum, & altera terminus prædeſtinationis.

2253 In tota hac doctrina tria reperio notatu digna. Primum eſt comparatio inter terminum *quo*, & ſubiectum *quo*, ſcilicèt Filiationem naturalem, quæ realiter ſe excludunt. Secunda eſt comparatio inter ſuppoſitum Chriſti vt faciens Perſonam humanam, & inter ipſum vt faciens divinam, atquè ſecundam Perſonam Trinitatis & Filium Dei, ſub qua duplici formalitate importat excluſionem virtualem & rationis. Tertia eſt quod ſub primis rationibus eſt ſubiectum, ſub vltimis vero eſt terminus prædeſtinationis.

2254 Sentio igitur quod prima comparatio Humanitatis & Filiationis, earum què excluſio realis, ſi tenenda eſſet ſententia Patris Vazquez, eſſet intento ſatis apta. Cum autem tenenda non ſit, parum videtur prodeſſe pro tam difficilis argumenti Scotiſtici ſolutione. Secunda comparatio bona eſt & ad rem, ſed inſufficiens: ferè omnia enim, quæ pro impugnatione ſuppoſiti vagi adducta ſunt ſupra à nobis, hanc ſolutionem infringunt, præcipuè illud de eo quod in divina mente non ſit præciſsio, ſicut eſt in noſtra. Vndè Deus actu ſuo prædeſtinativo nequit Chriſtum vt hominem deſtinare ad Chriſtum vt Deum, ſive vt Filium Dei tamquam ſubiectum ad terminum. Item, quia per vos prædeſtinatio requirit quod terminus decernatur tamquam gratia ſubiecto danda, & in ſubiecto ſuſcipienda. Vndè debet concipi tamquam adveniens ei ex divina voluntate.

2255 Nequit autem Perſona divina vt Filius, ſe habere vt gratia reſpectu Perſonæ Chriſti vt humanæ, cum etiam Filiatio divina vt talis ſit per identitatem realem ab intrinſeco & à parte rei, debita per intrinſecam identitatem Perſonalitati divinæ incluſæ, & componenti Perſonam humanam vt talem, ſiquidem vt talis non ſumitur genericè, ſed vt ſubſiſtens ſubſiſtentia ſpecifica & determinata Perſonali divina, reſpectu cuius nequit à Deo Filiatio divina nec vt adveniens, nec vt gratia proponi. Vndè ſicut ipſe in fine articuli primi, facta antea diſtinctione inter Verbum vt ſubſiſtes in Humanitate, tãquam prædeſtinationis ſubiectum *quod*, & inter ipſum vt Filium naturalem Dei vt terminum *quo*, negat quod ſit prædeſtinatum prædeſtinatione propria & ſtricta complexum Verbi vt ſubſiſtentis in Humanitate, ſive vt Perſonæ humanæ, eo quod tali complexo vnio ad Verbum non ſit gratia, ſed aliquid incluſum in illo; nec illud erit ſtrictè prædeſtinatum ſed latè & impropriè iuxta veſtra principia ad Filium naturalem Dei; quia eſſe talem, eſt quid à parte rei intrinſecum & debitum debito identitatis, vt tali cognito à Deo, qui nec fallitur, nec præſcindit, nec poteſt iudicare ac per conſequens nec prædeſtinare vt gratiam, quod videt debitum debito naturæ. Hæc dixi ad hominem.

§. III.

RESOLVTIO DIFFICVLTATIS CIRCA ſubiectum, & terminum prædeſtinationis Chriſti.

2256 NOTA 1. quod duplex eſt Beatitudo ſuperna quaſi ſubſtãtialis & eſſentialis. Prima & ſuma eſt eſſe phyſicè Deum. Secunda eſt intuitivè videre Deum. De vtraque procedit quæſtio. Nota 2. quod reſpectu Chriſti iuxta primam Beatitudinem ſumpti, duplex poteſt excogitari prædeſtinatio. Vna explicativa formaliter (ad eum modũ quo eſt de facto prædeſtinatio aliorũ Sanctorum, quę explicat ſubiectum, & terminum cum anteceſsione illius ad iſtum). Alia eſt involutiva vtriuſquè (cum tamen aliàs inter ſe ex inconnexis componantur) & per modum vnius, ſic: *Volo quod Verbum fiat homo Deus, & Filius naturalis Dei ob excellentiam Myſterij & gloriam meam,* (vel ſi velis, ob redemptionem.)

2257 Hoc decretum eſt prædeſtinatio formaliter involutiva ſubiecti & termini, abſquè vlla anteceſsione vel excluſione. Decernendo enim quod Verbum fiat & ſit homo, in hoc ipſo imbibitur quod homo incluſivè, & intrinſecè ſit Filius Dei, ſive quod homo incluſivè elevetur ad eſſe Filium Dei. Ad eum modum quo decernendo Deus producere & exiſtere Adamum, per hoc decretum involutè in tali complexo decrevit materiam & formam exiſtere vnitas, & ordinavit vnam ad alteram abſquè vlla præſuppoſitione ex parte decernentis. Eodem modo potuiſſet Deus ſi voluiſſet, cognito Petro & Beatitudine eius prout in ſtatu poſsibilitatis, decernere non prius Petrum, & poſtea Beatitudinem, ſed vno ductu & decreto, ſive prędeſtinatione involuta *velle efficaciter Petrum Beatum*. Vndè in Petro Beato, ſubiectum & terminus ſimul decernuntur vt ſubiectum exiſtentię, & ſic, licèt ex parte rei decretæ Petrus importaret ordinationem paſsivam ad Beatitudinem, & præſuppoſitionem ſubiecti ad terminum; ex modo tamen decernendi involuto vtrumquè vt ſubiectum decerneretur per modum vnius, quin egeret anteceſsione, aut excluſione ex parte actus decernentis. Non ergo eſſet prædeſtinatio iſta explicativa ſed involutiva formaliter, licèt explicativa virtualiter & æquivalẽter, vt nos per noſtras explicationes præciſsivas poſſemus explicare vnum per modum ſubiecti, & aliud per modum termini; v.g. dicendo quod Petrus præexiſtens deſtinatus eſt à Deo ad Beatitudinem. Nota 3. prædeſtinationem adhuc eſſe duplicem, vnam vulgarem ad terminum diſtinctum, & qui ſit gratia; aliam, cui deficiat vnum ex his. His poſsitis.

2258 Dico 1. ſi in prędeſtinatione ſolum attendatur deſtinatio complexi humani vt ſit Filius Dei, Chriſtus vt hic homo prædeſtinatus eſt à Deo vt ſit Filius Dei naturalis prædeſtinatione ſtricta involuta, imò & hæc Beatitudo eſt terminus principalior prædeſtinationis. Prima pars patet ex dictis. Per decretum enim de Verbo vnito Humanitati, ſive de eo vt homine in concreto, eo ipſo ex vi ipſius talis homo vt talis, manet conſtitutivè, & ſubſtantialiter Beatus, & Filius naturalis Dei intrinſecè, ſaltim ſubſecutivè. Ergo manet involutè prædeſtinatus in Filium Dei prædeſtinatione involuta. Nec obeſt quod id, quod prædeſtinatur, debet incipere in tempore: Chriſtus autem pro Perſona Verbi, non incipit in tempore eſſe Filius Dei. Ergo nequit adhuc in prædicto ſenſu eſſe prædeſtinatus. Reſpondetur ex D. Thoma, quod Chriſtus duplici via eſt Filius Dei, nempè vt Deus ante ſæcula ex vi generationis æternæ formaliter, & vt homo ſive vt ſubſiſtens in natura humana (ſuppoſita generatione temporali) ſubſecutivè ab intrinſeco eſt etiam Filius Dei ex num. 2196. Hoc 2. incepit in tempore, licèt non primum, & ſic potuit prædeſtinari ad ſecũdum. Secunda autem pars probatur. Tum quia altior poſſeſsio Dei eſt per vnionem, quam per viſionem, & ſic altior Beatitudo. Tum quia communicatio ſubſtantialis cum ſit infinitè maior, eſt præcipuè intenta, & præordinata à Deo.

2259 Dico 2. prædeſtinatione explicativa formaliter, Chriſtus non fuit propriè prędeſtinatus in Filium Dei; benè vero virtualiter, ſive fundamentaliter quoad noſtros conceptus invltimatos. Prima pars patet, quia cum Deus non præſcindat inter Chriſtum vt hominem, & Chriſtum vt Deum, ſive vt Filium Dei, non potuit cum anteceſsione, vel excluſione vnum deſtinare ad aliud deſtinatione for-

Digitized by Google

formali. Secunda autem pars de virtuali, aut fundamentali in ordine ad noſtros conceptus invltimatos, etiam patet, quia explicationes adductæ ex Suarez, & ex Gonet ſatis præciſsionem per noſtros conceptus invltimatos fulciunt. Dixi *invltimatos* Qui enim rem vltimatè penetret, Deum ordinate per ſuos actus vnam illarum formalitatum ad aliam, non admittet, nec concipiet vtpotè incluſas.

2260 Dico 3. prædeſtinatione explicativa formali Chriſtus prædeſtinatus fuit ad Beatitudinem plenam animæ, licèt minus principaliter, vt conſtat ex nuper dictis. Prima pars patet, quia Chriſtus ſufficienter præcedit pro priori Beatitudinem animæ, & cum ſufficienti diſtinctione, & excluſione vt potuerit prædeſtinari ad illam prædeſtinatione explicativa formali, imò & ſtricta, quantum eſt ex hoc capite. Dixi *ex hoc capite* (quod & in prima concluſione etiam limitavi). Si enim ad ſtrictam prædeſtinationem requireretur, ſicut videtur requiri ad prædeſtinationem cōmunem & vulgarē, quod terminus *ad quem* prædeſtinationis ſit nō ex debito ſuppoſiti, ſed ex gratia, & Dei voluntate, neutra prædeſtinatio Chriſti nec ad Filiationē, nec ad viſionem, eſſet abſolutè & ſtrictè prædeſtinatio reſpectivè ad ſubiectum *quod*, ſive ad ſuppoſitum, etiam vt ſubſiſtens in natura humana; quia vtraquè Beatitudo eſt debita illi; prima debito incluſionis, vel ab intrinſeco identitatis; ſecunda vero iure naturalis exigentiæ, & ex debito ſuppoſiti. Solum ergo vtraquè eſt gratia reſpectu Hominis pro ſubiecto *quo*, & ex hoc capite ſtricta prædeſtinatio, ſi attē datur ad illud, cui vniri fuit gratia, poſt vnionē, elevatæ iam ad ſuppoſitum adhuc ei fuit gratia eſſe ſponſam Filij Dei, & videre Deum. Non autem erit gratia concreto immediato, nec gratia abſolutè, ſed cum addito & tantum reſpectivè ad Humanitatem, quæ licèt non ſit Filius Dei, indirectè tamen & in alio, & modo quo pars in toto, eſt Filius Dei & videns Deum.

2261 Ex his patet reſponſio ad argumentum poſitum à num. 2243. Reſpondetur enim, quod ſubiectum debet non includere terminum pro prædeſtinatione explicativa formali, ſecus pro prædeſtinatione involuta, & in alio. De hac enim iam eſt prolatum non reſpuere incluſionem termini in ſubiecto. Quin obſit, neminem prædeſtinari ad id quod eſt ſibi ab intrinſeco, & ſic nec homo ad rationale, nec rationale ad riſibile. Diſtinguo enim: ſi componatur ex inconnexis, & ſubiecto *quo* non ſit ab intrinſeco, nego: aliter. Vel reſpondetur id eſſe verum de prædeſtinatione explicativa, ſecus de involuta, & reſpectu involutorum inconnexorum, vt patet in decreto indiviſibili de Petro Beato producendo.

2262 Ex dictis ſequitur 1. prædeſtinationē Chriſti non fuiſſe ad gratiam miraculorum, quia hæc non eſt eſſentialiter Beatitudo. Secundo, prædeſtinationem Chriſti non fuiſſe formaliter ad exaltationem ſui nominis, nec ad gloriam corporis, niſi reductivè, quatenus iſta eſt aliquale complementum gloriæ eſſentialis animæ. Sequitur 3. quod hæc propoſitio: Chriſtus vt homo factus eſt Filius Dei; poteſt eſſe ſtrictè vera, dummodo ſumatur de factura non quidem adductivè ſed conſtitutivè, id eſt non quod vt homo præſupponatur, & adducatur ad eſſendum Filium Dei, ſed quod vt homo ita factus & productus ſit, vt conſtitutivè includat & ſit Filius Dei.

2263 Hic agit D. Thomas de prædeſtinatione Chriſti an fuerit exemplar noſtræ prædeſtinationis; & concluſio eſt affirmativa, quatenus ex Chriſti Beatitudine animæ exemplata eſt Beatitudo aliorum. Inſuper agit, an Chriſtus fuerit cauſa noſtræ prædeſtinationis per ſua merita, quatenus eſt electio Petri præ Iuda, & etiam reſpondet affirmativè. De quo latius nos ſupra à num. 2007.

QVÆST. VLTIMA.

DE CHRISTI ADORATIONE.

ARTICVLVS I.

QVÆSITA PRÆAMBVLA DE Adoratione vt ſic.

2264 QVÆRITVR 1. quid ſit adoratio? Reſpondetur cum communi, quod *eſt actus virtuoſus, quo quis alterum honorat, ſe illi ob eius excellentiam ſubmittendo.* Hæc explicatio ſumpta eſt ex Damaſceno oratione 3. de Imaginibus, dicente, quod adoratio eſt *animi cedentis, ſubmiſſi, atq; humilis ſignificatio, &c.*

2265 Ex quibus patet, quod adoratio eſt quaſi quædam ſpecies honorationis: quidquid enim adoratur, honoratur, ſed non è contra. Honoramus enim æquales, imò etiam inferiores: ſolum autem ſuperiores adoramus, eiſq; nos per ſigna ſubmittimus. Vndè Deus honorare & glorificare poteſt alios, neminem autem adorare poteſt. Quæritur 2. in quo differat adoratio ab honoratione. Reſpondetur ex D. Thoma 2. 2. q. 84. & 91. differre, quia honoratio ſtat præciſſè in excellentiæ alterius teſtificatione, quæ ſi fiat verbis, vocatur laus, ſi vero factis aut alijs ſignis externis, vocatur honor: adoratio vero ſuperaddit illi, vt dictum eſt, aliquam ſubmiſſionem. Adoratio à cultu ſtrictè ſumpto non differt. Numquam enim legimus quod Deus, licet Sanctos honoret & glorificet, eos colat: licèt aliquando colere ſumatur latè pro honorare.

2266 Quæritur 3. Qui actus intercedant in adoratione? Reſpondetur communiter, tres. 1. eſt actus quo intellectus cognoſcat, & exiſtimet de excellentia illius, qui venit adorandus. 2. eſt volitio ſe illi propter eius excellētiā ſubmittēdi, habēs pro obiecto ſubmiſſionē vt honeſtā. 3. eſt ipſa exhibitio ſive nota ſubmiſſionis proteſtativa, ſeu teſtificativa. Igitur adoratio cōſiſtit principaliter in hac actione, & nota teſtificativa ſubmiſſionis. Alij enim actus prærequiriruntur, vt voluntas velit adorare ſubmiſſe, ſcilicèt habendo pro obiecto adorationem. Si dicas externam ſubmiſſionem potius eſſe actum humilitatis, quàm Religionis; adoratio autem & cultus eſt actus iſtius, non vero illius. Reſpondetur, vtrumquè poſſe illi ſubmiſſioni convenire ſub diverſis rationibus, ſi nempè fiat ex diverſis motivis vtriuſquè virtutis. Submiſſio enim facta in proteſtationem & honorem debitum dignitati & excellentiæ Superioris, eſt cultus & Religio; facta vero ad temperandum affectum honoris proprij, eſt actus humilitatis. De quo N. Orlando tract. 4. diſp. vltim. quæſt. 1.

2267 Reſtat autem difficultas: an hæc ſubmiſſionis nota vltimo complens adorationem, poſſit plenè interius conſumari, ſicut certum eſt ſæpè conſumari exterius in corpore, vt in Abraham, qui tres vidit, & vnum adoravit? Reſpondeo affirmativè cum Orlando, Suarez & alijs. Probatur. Tum quia ita docet D. Thomas ex Damaſceno 2. 2. quæſt. 84. Tum quia Angeli in Sacra Scriptura ſæpè introducuntur adorantes Deum; adoratio autem ipſorum neceſſe eſt quod conſumetur in ſpiritu. Tum quia ſicut voluntas vtitur membris corporeis, ita poteſt potentijs internis vti, vt per actus ipſarum, ſe coram Deo quaſi comprimat, humiliet, & ſubmittat, in ſignificationem ſuæ parvitatis, & Divinæ dignitatis: quę interior compreſſio ſubmiſſionem ſufficienter denotat & teſtificatur. Quam quilibet ſi velit intra ſe ipſum experietur.

Quæri-

Digitized by Google

2268 Quæritur 4. quotuplex ſit adoratio? Reſpondetur quod eſt multiplex. Primo dividitur in veram & fictã. Illa datur Perſonæ habenti veram excellentiam & dignitatẽ, vel verum titulum. Iſta habentibus fictam: talis eſt quæ datur Dæmonibus vel idolis. Vtraque adhuc dividitur in internam & externam. Illa internè & inviſibiliter, iſta vero externè,& viſibiliter per ſigna conſumatur. Tertio dividitur in duplicem iuxta duplicem excellentiam, increatam ſcilicèt & creatam. Illa vocatur Latria, eſtquè ex communi Eccleſiæ ſenſu, quæ datur alicui ratione increatæ dignitatis & excellentiæ. Cultus ergo ille Religioſus, qui ſoli Deo debetur, vocabulo communi ſignificatur Latria, & eſt ille qui in ſignum & proteſtationem ſuæ excellentiæ, ſupremiquè dominij quod habet in omnes res creatas, tribuitur ſpecialiter Deo. In hoc ſenſu ſumitur in Sacra Scriptura, vbi cultus datus falſis Dijs vocatur Idolatria. Sic cernitur in Actis Apoſtolorum cap. 17. vbi dicitur: *Videns Idolatriæ deditam Civitatem*: & propterea falſos Deos adorantes & colentes, Idolatrę vocantur, prima ad Corinthios 10. In hocquè ſenſu Latria ſumitur à Tridentino ſeſſ. 13. cap. 5. & communiter à Patribus & Scolaſticis.

2269 Alter autem cultus Religioſus, qui datur alicui ratione excellentiæ creatæ, communiter & regulariter vocatur Dulia. Hoc ſignatur vocabulo ex communi acceptione Eccleſiæ & ſenſu Theologorum, ſubmiſſio & veneratio, quę defertur ſanctis ob excellentiam creatam ſuę ſanctitatis. Triplex autem poteſt conſiderari ſervitus & ſubmiſſio. Prima abiecta & vilis, qualis datur in mancipio ad Dominum ſuum. Secunda eſt politica & honoraria, qualis reperitur in ſubditis reſpectu Principum, atquè in inferioribus reſpectu Superiorum. Hoc pacto dicitur de Eſter quod adoravit Regem Aſſuerum, & Iudit Principem Holofernem, & Filij Prophetarum adoraverunt Eliſęum proni in terram. Tertia vero eſt religioſa & pia, qualis eſt illa qua colimus, & veneramur ſanctos propter ipſorum creatam ſanctitatem.

2270 Quia tamen inter ipſos ſanctos & amicos Dei dantur quoad ſanctitatem creatam, varij & inęquales gradus (nam iuxta Apoſtolum ſicut ſtella à ſtella differt in claritate, ſic erit in Sanctis Reſurrectio mortuorum) ita etiã intra ipſos limites adorationis Dulię, dãtur gradus cultus maiores & minores, vt patet in ipſis ritibus & diverſis claſſibus valdè inęqualibus, quibus Eccleſia celebrat ſanctitatem & virtutes Sanctorum. Quia tamen licèt Beatiſſima Virgo habens ſolum excellentiam ſanctitatis creatæ, ſuper excellit omnes Angelos & Sanctos, ſicut Stellas Luna luminare Magnum, licèt non pertingens ad Solem; ideò non adoratur adoratione communi Duliæ, ſed alia ſpecialiſſima Hiperduliæ, quæ facit gradum quaſi ſeorſim ab alijs, valdèque altiorem.

2271 Tandem vtraque adoratio vt ſic dividitur in abſolutam & reſpectivam. Abſoluta eſt quæ defertur alicui ratione excellentiæ, quàm in ſe habet. Quando ergo adoramus Deum ratione ſuæ excellentiæ, adoratio eſt Latria abſoluta. Quando adoramus D. Petrum ratione ſanctitatis, quàm in ſe habet, eſt Dulia abſoluta. Quando vero aliquid adoratur propter excellẽtiã exiſtentẽ nõ in ſe, ſed in alio, tunc eſt reſpectiva Adorationis abſolutæ ſolum eſt capax natura intellectiva, ſicut ſola illa eſt capax ſanctitatis in ſe.

Explicata ergo diviſione & differentia Latriæ ab alijs, reſtat Latriam ipſam dividere in duas: nempè in Latriam abſolutam, & Latriam reſpectivam. Illa eſt de Deo, vel de includente Deum, aut de adorato ratione Dei inexiſtẽtis phyſicè. Iſta vero non eſt de Deo adhuc incluſſo, ſed de alia re creata; tamen adoratur ratione Dei, ſive propter reſpectum ſpecialem quem dicit ad Deum, v.g. Crux propter contactum Chriſti. Vtraquè autem adoratio participat rationem Latriæ, quia vtraquè adorat rem ratione excellentiæ increatæ, ſive propter illam, vel vt incluſſam, vel vt ſpecialiter reſpectam.

2272 In fine notare oportet 1. quod ſubmiſſio externa ex ſe ſola non eſt ſufficienter diverſificativa cultus Latriæ à cultu Duliæ, imò nec ab alijs aſſignatis, ſed in ratione ſpecifica compleri debet per intentionem internam adorantis, qui ſæpè ſubmiſſione genuflexionis intendit adorare Sanctitatem increatam, vt quando illa fit ante Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum. Quando vero illa exhibetur ante Reliquiam alicuius Sancti Martyris ob excellentiam creatam ſanctitatis ipſius, tunc ſolam Duliam exercet, ſicut quando quis genufleſtit locuturus cum Rege, tunc ſolam politicam & honorariam. Sumendum igitur eſt diverſitatis complementum, ab actu interno operantis.

2273 Nota 2. vt probabilius, cum Suarez & alijs contra Vazquez, cultus Latriæ, & Duliæ vnivocè convenire inter ſe, ſiquidem vterquè eſt verè proteſtatio excellentię alterius per illam ſubmiſſionem. Licèt autem excellentia creata & increata vnivocè non conveniant, poſſunt vnivocè convenire proteſtationes de illis vt talibus, ſicut cognitiones & amores noſtri de illis vt talibus. Prædicta quia communia ſunt, ferè ex noſtro Orlando deſumpſimus.

ART. II.

QVA ADORATIONE ADORETVR CHRISTVS vt homo, ſive Humanitas in Chriſto.

2274 QVOD Chriſtus vt Deus, vel Chriſtus abſolutè & ſine addito, adorandus ſit cultu Latriæ abſolutæ eſt de fide, nam abſolutè ſumptus eſt ſuppoſitum divinum, & adorabile ratione increatæ excellentiæ, quàm habet in ſe. Imò idem dicendum eſt de Chriſto, provt in concreto hominis ſive Perſonæ vt ſubſiſtentis in natura humana, quia vt ſic etiam includit divinam Perſonalitatem, & per ſe ſubſecutivè Deitatem.

2275 Nota 1. veritates lineæ intelligibilis, & veritates phyſicas valdè inter ſe inveniri permixtas, implicatas, ſive complicatas, ita vt ſicut ad dividendum inter licorem & herbam in qua continetur, eſt neceſſarium conflatorium, *vn go Alambique*, ita etiam requiritur quaſi conflatorium intellectus, vt præmens obiecta dividat inter licorem veritatum intelligibilium, & inter veritates phyſicas groſſas obiectorum, iuxta dicta in tomo de Scientia Dei à nu. 835.

2276 Nota 2. tripliciter ſumi poſſe quoad adorationem Chriſtum vt hominem. Primo, ita vt vtrumquè in cõplexo ſumatur in recto, ſcilicèt Humanitas & Perſonalitas per modum concreti ſubſtantivi. De quo modo ſupra dicto à num. 822. Secundo, ita vt Perſonalitas & Humanitas ſumantur in complexo, Humanitas tamen in recto, & Perſonalitas in obliquo, vt ſi quis concipiat Humanitatem vt vnitam Verbo, ſive vt completam & terminatam Verbo, ſive Perſonalitate Verbi contingenter & ſupernaturaliter, quod eſt ſumere eam in concreto adiectivo. Tertio ſumi poteſt Humanitas generaliter vt pręciſe reſpicit Verbum, & vt præciſe eſt aliquid ipſius ſive habitaculum ipſius: ad eum modum quo Crux eſt aliquid Chriſti, & ſe habet reſpectivè ad Chriſtum, præſcindendo ſive non curando de conceptu ſpeciali vnionis, ſed ſolum de reſpectivo vt dictum eſt. His autem modis quibus poteſt ſumi in concipi, poteſt etiam ſumi in adorari comparativè ad intentionẽ adorantis.

2277 Nota 3. non eſſe idem aliquid importari de connotato, ac importari in obliquo. Quod enim importatur de connotato, ſe habet omninò excluſivè reſpectu connotantis, vt v.g. terminus reſpectu actionis, & obiectum reſpectu cognitionis, ab illa diſtinctum. At quod ſe habet in obliquo reſpectu concreti, adhuc poteſt ſe habere incluſivè, & vt pars, vt contingit in albo, compoſito quidem ex ſubiecto, & albedine incluſis in ipſo, ex ſubiecto in recto, & albedine vt forma importata in obliquo. Idè de alijs concretis adiectivis.

Digitized by Google

2278 Aſſero ergo 1. Chriſtus vt homo in concreto adoratur adoratione Latriæ abſolutæ, ita communis ſententia. Ratio autem eſt, quia in concreto eſt conſtitutivè quędam Perſona, quæ talis eſt à Perſonalitate divina incluſa in eo, & quæ ab intrinſeco exigit eſſe per indentitatem, & eſt verus Deus. Ergo habet tale concretum in ſe & ratione ſui, excellentiam increatam, propter quam ei debeatur adoratio Latriæ abſolutæ. Non ergo propter ſolam communicationem idiomatum, ſed ex propria conſtitutione habet vt adoretur Latria abſoluta.

2279 Maior difficultas eſt de Humanitate vt vnita Verbo, an tunc ipſa adoretur adoratione Latriæ? Ratio dubitandi eſt, quia adoràtio Latriæ debetur ſoli Deo. Atqui Humanitas Chriſti, quantumvis ſumatur vt vnita hypoſtaticè Deo, non eſt Deus. Ergo nequit adorari adoratione Latriæ. Reſpondet Abelli to. 1. tract. 5. qui eſt de Incarnat. cap. 8. ſect. 1. diſtinguendo cum communi duplicem adorationem Latriæ, ſcilicèt abſolutam & reſpectivam. Illa datur quando fit propter excellentiam inexiſtentem rei adoratæ, ſive quando iſta adoratur propter ſe. Alia eſt reſpectiva, nempè quando quis adoratur propter excellentiam inexiſtentem alteri, ad quod dicit ſpecialem reſpectum & habitudinem. Prima adoratio convenit Chriſto, quia importat ſuppoſitum divinum. Secunda convenit Humanitati vt vnitæ Verbo, quia vt ſic adoratur propter Verbum.

2280 Hæc reſponſio nobis non placet, & ſic: Aſſerimus ſecundo, quod Humanitas provt vnita Verbo, adorari debet eadem adoratione Latriæ, qua adoratur ipſum Verbum, ſiquidem vt vnita eo ipſo manet Divinitate delibuta, & intrinſecè terminata & completa, & deificata. Ita tenet S. Thomas hic quæſt. 25. Et probatur 1. ex adductis ab Abelli citato. Nam Concilium EpheſinumCan. 8. definivit, Chriſtum hominem Deum, vna eſſe adoratione adorandú. Quod N. Cyrilus Alexandrinus Præſes huius Concilij, lib. 1. de Fide ad Reginas explicuit dicens, *in Chriſto non eſſe vnam naturam, quæ adoretur; & alteram quæ non adoretur; ſed vtrumquè ſimul adorari vnica adoratione*. Item ex ſecunda Synodo generali collat. 8. cap. 9. *Si quis duas adorationes introducit, & non vna adoratione Verbum Incarnatum cum propria carne adorat, anathema ſit*. Ex quibus patet, quod adoratio Humanitatis vnitæ Verbo, eſt vnica pro vtroquè. Atqui talis adoratio Chriſti eſt pro Verbo, Latria abſoluta. Ergo & pro Humanitate vt vnita Verbo, eſt etiam Latria abſoluta.

2281 Secundo probatur, quia abſoluta & reſpectiva, licèt conveniant in ratione communi, & quaſi generica Latriæ, ſunt tamen diverſæ adorationes inter ſe, & non poſſunt coire in eandem: & ſic quælibet debet eſſe vel vna, vel altera. Atqui adoratio Verbi, & Humanitatis in ipſo, eſt vna & eadem, & eſt adoratio abſoluta. Ergo nequit eſſe in ſpecie reſpectivæ.

2282 Reſpondebis eandem adorationem reſpectu eiuſdem, non poſſe eſſe Latriam abſolutam, & Latriam reſpectivam; benè vero reſpectu diverſorum, nempè abſolutam reſpectu Verbi, & reſpectivam reſpectu Humanitatis, vt vnitæ Verbo. Sed contra. Primo, quia ſi hanc duplicem rationem haberet adoratio Chriſti, ſequeretur, quod Chriſtus vt homo non adoraretur per modum vnius, & vno ductu directo & indiſtinguente, vt contendunt Concilia & Patres, ſed procederet per modum plurium entitatum, ita vt illa adoratio faceret contrapoſitionem partium, & entitatum; diſtinctè Verbo tribuendo multum, & Humanitati non ita multum. Inſuper ſi eſſet abſoluta & reſpectiva, adoraret Verbum ipſum vt inexiſtens ei, & vt non inexiſtens. Primum vt abſoluta: ſecúdum vt reſpectivę tamquá ad alterum vt terminum reſpectum per Humanitatem.

2283 Contra 2. quia incredibile videtur, quod Humanitas vt vnita Verbo, non habeat ſtrictius vinculum, & multo maiorem rationem adorabilitatis Latricæ, quam habeant Crux & Clavi, ratione contactus. Tertio & principaliter, quia Humanitas vt vnita Verbo, vel ſumitur per modum concreti adiectivi includentis in obliquo conſtitutivè ipſum Verbum vt terminum & complementum ipſius, & ſic vere eſt adorabilis adoratione Latriæ abſolutæ, ſiquidem includit adhuc hoc modo ſumpta, excellentiam increatam intra ſe. Vel ſumitur quaſi connotativè, tamen vt intrinſecè phyſicè habens vnionem & Verbum, licèt extraeſſentialiter; & adhuc hoc pacto eſt adorabilis adoratione Latriæ abſolutæ. Probatur ex definitione vtriuſquè Latriæ. Tunc enim adoratur Humanitas ratione Verbi inexiſtentis ſibi, non autem ratione excellentiæ inexiſtentis alteri: ſicut autem dum adoratur D. Petrus propter ſuam ſanctitatem, adoratur Dulia abſoluta, quia licèt adoretur illa Perſona ob excellentiam ſanctitatis creatæ entitativè diſtinctæ à Perſona D. Petri, eiquè extraeſſentialis imò & accidentalis, eſt tamen quid ei verè & phyſicè & intrinſecè inexiſtens & non alteri, cum vnio & Verbum intrinſicius, intimius & ſubſtancialius inexiſtant phyſicè Humanitati, adoratio ei præſtita ratione ipſorum, magis propriè erit abſoluta, & non reſpectiva, quia fit ratione excellentię magis inexiſtentis ipſi.

2284 In fine Art. nota, valdè attendendum in hac quęſtione & ſequentibus (ſaltum pro diverſitate gradus adorationis per Latriam) quomodo ſumatur Chriſtus vt homo, an videlicèt ſumatur per modum vnius cum partium confuſione ſive indiſtinctione: an vero quaſi Anatomicè, inter partes diſtinguendo. Si 1. modo ſumatur Chriſtus vt Deus per identitaté, vel per ſubſtantivã incluſioné in recto, Latria abſoluta in ſummo gradu adorandus eſt effectu externo & affectu interno. Si vero Humanitas ſumatur in recto vt vnita Verbo in obliquo; cum non æquali nexu Verbum ei inexiſtat, ac eſt identitas, nec ita intimè excellentiá increatam includat; licèt adoratio ſit Latriæ abſolutæ, non eſt eadem in gradu, ſaltim quoad affectum internum, qui modum proponendi intellectus ſubſequitur. De externę adorationis in linea phyſica æqualitate, iam dicetur infra.

ART. III.

RESPONDETVR AD ARGVMENTVM NVM. 2179. & alia proponuntur.

2285 AD argumentum poſitum reſpondetur aliter, diſtinguendo maiorem: adoratio Latriæ debetur ſoli Deo, diſtinguo. Soli Deo tamquam adorato, & vt quod, nego maiorem. Tamquam rationi adorandi, & vt quo, concedo maiorem & minorem, & nego conſequétiam. Licèt enim Humanitas adhuc vt vnita non ſit ipſa Deus, eſt tamen intrinſecè, & ſubſtantialiter habens Deum, & excellentiam increatam phyſicè, & intrinſecè ſibi inexiſtentem. Ad eum modum quo adoratio Dulię ſolum debetur ſanctitati & excellentiæ creatæ, & tamen hoc non tollit, quod debeatur D. Petro & animæ ipſius, ſive complexo ſubſiſtenti in corpore & anima. Quia licèt D. Petrus non ſit ſanctitas, eſt tamen habens intrinſecè, licèt contingenter talem ſanctitatem ſibi inexiſtentem, eumquè ſanctum denominantem. Similer autem & ſtrictius Verbum inexiſtit phyſicè Humanitati vnitæ, eam intrinſecè denominando, Divinè terminatam & perſonalizatam.

2286 Argues 2. ex Damaſceno orat. 3. de imaginibus dicente, Deum adorari Latria propter aliquid ſuprẹmum, ſcilicèt dominium, gloriam, ſanctitatem, maximam beneficientiam erga nos, &c. Atqui nullus ex his titulis compętit Humanitati vt vnitæ: ergo vt vnita, non eſt adorabilis Latria. Confirmatur. Auguſtinus quæſt. 94. in Exodum dixit: *Deum vt Deum Latria, vt Dominum vero adorari Dulia*: quod fortè dixit, quia denominatio Domini advenit ei in tẽpore: multò ergo magis Humanitas adorabitur Dulia, & non Latria. Reſpondetur tamen Damaſcenú loqui, non ſolum de adorabili vt quod, ſed ſimul de titulo adorabilitatis

tatis

tatis vt *quo*. Qui titulus etiam competit Chriſto vt homini in concreto, & etiam Humanitati vt vnitæ quoad intrinſecè inexiſtèter habere, & quoad intrinſecè Deificari. Vndè, nego minorem de Chriſto vt homine in concreto, ſubſtantivo in concreto vero adiectivo, diſtinguo minorē. Nullus ex his titulis convenit ei per incluſionem in obliquo, nego. Per denominationē, ſubdiſtinguo. Per denominationem ſupremæ Dñæ, vel ſupremæ Sanctæ, concedo. Per denominationem intrinſecè, & inexiſtenter Deificatæ, & per illas ſupremitates dignificatæ, nego. Hęc autē diverſitas denominationis non tollit Latriam abſolutā, vt iam eſt dictum.

2287 Ad Auguſtinum autem reſpondetur, quod dum ait Latriam deberi Deo tamquam Deo, Duliam vero ei tamquam Domino, ſumpſiſſe Dominationem ipſam (quę aliàs ſolum eſt conditio pro adoratione iuris increati dominativi Dei) pro ratione formali & motivo adorandi. Quo pacto cum precipue ſumatur ab aliquo creato, ſolum eſt dignum Dulia. Hanc autem interpretationem Auguſtinus non tam dedit ſpontè, quam quaſi coactus, vt ſalvaret textum Græcum, qui, ſervire Dijs, vocavit Duliam.

2288 Argues 3. ergo Humanitas vnita Verbo eſt ęquè adorabilis, ac Verbum. Diſtinguo conſequens: ęquè æqualitate adorari & vt *quod*, & in confuſo, concedo. Æqualitate tituli ſive quo, nego. Vel diſtinguo æqualitate ordinis, concedo, quia vtraquè eſt Latria abſoluta: ęquè æqualitate gradus, nego conſequentiam, quia ius, ratio & principium *quo* adorabilitatis Latriæ, eſt excellentia increata. Quo autem pacto iſta communicetur, & inexiſtat altius rei adorandæ, prętabit altiorem gradum adorabilitatis, ſicut & amabilitatis & venerabilitatis, vt ſæpè dictum eſt, præcipuè hic à nu. 2284. Cum autem intimior ſit nexus identitatis & incluſionis quam vnionis, excellentia increata reddet magis adorabile, ſibi identificatum, quam ſibi vnitum. Intellige de magis quoad, affectum: quoad eſſe iſtum vero, & in re vide arg. num. 2291.

2289 Obijcies 4. iterum ex Damaſceno orat. 1. de Imaginibus, vbi dixit loquendo de Carne Chriſti, *materiam Chriſti non adorari vt Deum*. Ergo nec eadem adoratione. Reſpondetur ad antecedens, nos non dicere quod adoretur vt Deus, ſed vt habens Deum ſibi intrinſecè inexiſtentem, & ipſam Deificantem. Nego autem conſequentiam, quia vna & eadem adoratio poteſt vtrumquè per modum vnius adorare vt *quod*, tuncquè Humanitas, licèt non ratione ſui ſed Verbi, eſt in illo toto Latricè adorata, & coadorata.

2290 Obijcies 5. Chriſto vt homini, aut Humanitati ipſius vnitæ nequit offerri ſacrificium, niſi ſolum vt Deo. Ergo nec poteſt adorari Latria abſoluta. Reſpondet Orlando, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Diſparitas eſt, quia ſacrificij Euchariſtici ſemper Chriſtus eſt principalis offerens, etiam dum fit per Sacerdotes. Sicut autem nemo poteſt ſibi ipſi obedire, ita nec ſibi ſacrificium offerre. Sed contra 1. quia Legiſlator dum fert legē vniverſalem, videtur quod ſe etiam ſubijcit legi, & quod poteſt facere rē mandatā, vt indirectè ſubditus legis. Contra 2. ergo Sacerdos Zacharias offerens ſacrificium Leviticum ante inſtitutionem Euchariſtiæ, poſſet illud offerre Chriſto vt homini, ſive Humanitati vnitæ. Quod tamen difficile eſt. Reſpo ideo aliter, Sacrificium cum ſit proteſtatio ſupræmi dominij ſuper vitam & mortem, ſolum & vnicè, atquè tamquam vnicæ Supræmitati, poſſe fieri Deo vt Deo omnium Domino fontaliter. Latria autem abſoluta cum maiorem habeat latitudinem poteſt convenire Chriſto vt homini. Propterea ſupra duas conceſsimus Latrias abſolutas. Hinc fit quod Angelus adorans Verbum vt Deum ante Incarnationem Latria abſoluta, poſt Incarnationem adoret Verbum vt hominem Latria etiam abſoluta, ſed aliqualiter diverſa ab illa propter diverſum partialiter obiectum *quod* coadoratum, ſicut D. Petrus poſt Reſurrectionem etiam erit diverſum partialiter obiectum *quod* coadoratum.

2291 Tandem obijcies: charitas qua amatur Chriſtus vt homo non terminatur æqualiter ad Humanitatem, & ad Verbum, ſiquidem iſtud amatur ſuper omnia, ſecus illa. Ergo nec adoratio qua adoràtur vt homo. Ergo iſta ſe habebit inæqualiter, ita vt reſpectu Verbi ſit Latria, reſpectu vero Humanitatis vt vnitæ ſit Iperdulia. Reſpondetur conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Diſparitas eſt, quia res diverſimodè ſe habent in linea intelligibili, & in linea phyſica & groſſa. Iuxta 1. enim homo, v.g. poteſt intrare in intellectum aut voluntatem qua animal, quin intret qua rationale. At ſi animal intraturum eſt cubile, æquè intrant phyſicè animal, & rationale. Cum ergo amari, ſumatur penes lineam intentionalem, magis amatur in Chriſto amato Verbum ratione cuius amatur Humanitas, quā ipſa Humanitas. At adoratio fit Suppoſito, quaſi groſſe toti illi, propter excellentiam quam habet totum illud, & ſic vna & æquali adoratione totum adoratur per modum vnius, ac per conſequens non pars Iperdulia, & pars Latria, ſed totum Latria propter excellentiam increatam ſibi inexiſtentem. Vndè non adoratur Humanitas propter relationem ad excellentiam exiſtentem in Verbo, ſed propter excellentiam Verbi inexiſtentem ſibi.

ART. IV.

ALIÆ QVÆSTIONES DE HVMANITATIS adoratione.

2292 QVÆRES 3. An Humanitas ſub aliquo conceptu ſit adorabilis Latria reſpectiva. Videtur quod ſic. Humanitas enim vt vnita Verbo, ſe habet ſub hoc conceptu purè cōnotativè & reſpectivè ſpecialiter. Atqui ſub hac ratione non conſideratur Verbū vt Humanitati inexiſtens, ſed potius vt purè ab Humanitate reſpectum & connotatum. Ergo ſub hac ratione ſolum poterit adorari Latria reſpectiva. Minor probatur exemplo vnionis ſubiecti, ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis, reſpectu cuius forma dupliciter habet conſiderari. Primo vt præciſe terminat vnionem, & ſub hoc conceptu, cum vnio ſe habeat vt relatio tranſcendentalis ad illam, illa purè ſe habebit vt terminus connotatus. Secundo poteſt conſiderari, quatenus mediante vnione ipſa forma, ſe & ſuam denominationem communicat ſubiecto. Facta ergo præciſione inter hos duos conceptus, Humanitas per vnionem ad Verbum ſumptum ſub primo, ſe habebit purè reſpectivè ad illud vt purè terminum, & non vt ſibi inexiſtens media vnione, quia hoc pertinet ad ſecundum conceptum.

2293 Sed reſpondeo ad quæſtionem, nullum eſſe inconveniens, quod Humanitas poſsit ſumi vt purè dicens ſpecialem habitudinem ad Verbum, vt alibi inexiſtens. V.g. ſi in morte Chriſti ſicut fuit facta ſeparatio inter corpus & animam ſolum, facta etiam fuiſſet in triduo inter animam & Verbum, tunc illa anima deberet adorari Latria reſpectiva ratione vnionis quam habuerat ad Verbum, quia iſte nexus eſt titulus ſtrictior ad relinquendam in illa anima adorabilitatem reſpectivam, quam contactus Crucis ad Chriſtum.

2294 Reſpondeo 2. quod facta præciſione adducta in ratione dubitandi, poſſet Humanitas ſub illo conceptu adorari Latria reſpectiva, quia ſub illo conceptu adorabilitas per Verbum, non concipitur vt per excellentiam increatam inexiſtentem in ſe, ſed in alio. Licèt autem verè Verbum eſſet phyſicè inexiſtens ei, tamen non concipitur vt inexiſtens, ſed vt extra. Adoratio autem cum ſit operatio voluntatis, quæ non dirigitur per res vt ſunt, ſed vt concipiuntur, non poſſet aliter adorare, quam Latria reſpectiva. Iſte tamen modus adorandi metaphyſicus, & pro ſpeculatione eſt, non pro praxi, niſi exerceretur vt infra.

2295 Quæres 4. An Humanitas in ſtatu vnitæ Verbo, poſsit adorari adoratione Hiperduliæ propter ſuam, ſummam

ſummam gratiam habitualem & gloriam , ſummamquè creatam ſanctitatem. Non eſt ſe n talis adoratio ſit phyſicè poſsibilis. Si enim humanit. proponatur per ſe ſolam , præſcindendo omninò ab vnione ad Verbum, non eſt dubium quod voluntas eam, ſic propoſitam poſsit velle venerari, & in re adorare. Cumquè talis adoratio eſſet ſolùm ratione excellentiæ ſanctitatis creatæ eximiæ , non pôterat eſſe alia quam Hiperdulia. Difficultas ſolum eſt an talis adoratio advertenter facta eſſet licita: Duplex eſt ſententia.

2296 Prima ſententia negat. Tenent eam Bonaventura, Raguſa, Granado, Lugo, Bazquez ; & ex noſtris Thomas Vbaldenſis tom. 3. de Sacramentalibus, cap. 119. & Orlando quæſt. 3. Probant. 1. quia quilibet debet honorari iuxta maiorem excellentiam, quam habet à parte rei, & non iuxta noſtras præſciſsiones. Nam aliter non colitur decenter. Vt v.g. ſi quis ſit ſimul Comes & Rex, non colitur decenter ſummiſsione & cultu debito Comiti præſcindendo à debito Regi. 2. quia Chriſtum in concreto non bene colit quis ſola Hiperdulia , excuſans ſe , quod in mente ſolum intenderet eā adoratione ratione ſanctitatis creatę præſcindendo ab increata. 3. quia aliàs poſſet etiam Humanitati negare omnem Cultum dicens, quod conſiderabat illā purè per ſua naturalia , præſcindendo ab alijs ſupernis: quæ ſanè dura ſunt.

2297 4 Quia talis adoratio licèt poſſet eſſe honeſta ex probabili opinione contraria (de quo non eſt ſermo) ſecus ab intrinſeco, cum ſit per ſe cultus diminutus, ac per conſequens irreverenter colens. 5. quia ſi poſsit res adorari Hiperdulia & Latria reſpectiva (vt B. Virgo ratione ſui, & vt Mater reſpectivè propter Filium): deò eſt quia in ſe non habet titulum maiorem , licèt eum habeat in alio ſuppoſito diſtincto. Atqui Humanitas habet in ſe, & intrinſecè inexiſtenter, maiorem. Ergo ſi non propter iſtum, diminutè, ac per conſequens irreverenter adoratur.

2298 Secunda ſententia affirmat, quàm tenet Suarez & alij. Probatur 1. ex Divo Thoma quæſt. 25. hic art. 2. dicente : eandem Perſonam Chriſti adorari duplici adoratione , ſcilicèt Latriæ propter Divinitatem, & dulię propter perfectionem Humanitatis. 2. quia Humanitas Chriſti, provt veſtita donis creatis poteſt amari ratione ſui ſolum, cù vt ſic ſit valdè bona & honeſta. Ergo adorari ratione ſui propter talem ſanctitatem creatam. Conſequentia probatur, quia adoratio non ſtat in ſolo actu externo, qui dum ſit verſus ſuppoſitum , non poteſt phyſicè fieri verſus vnam partem & non verſus aliam : ſed ſtat in tali actu externo, provt directo ab intentione adorantis, quę intentio poteſt eſſe præſciſsiva inter partes , non minus quam amor. Vt patet in turificatione facta verſus Sanctum Michaelem tenentem Diabolum ſub pedibus, quæ licèt fiat verſus totam ſtatuam , limitatur ab intentione turificandi Michaelem & non Diabolum.

2299 Tertio , quia ſi aliquid impediret, ne adoratio poſsit determinari ad Humanitatem propter excellētiam creatam, præ Verbo, eſſet quia ſummiſsio teſtificativa ſit toti, & quando quis habet plures dignitates, non licèt eum colere propter inferiorem, præſcindendo ab alijs, ſed debet cultus eſſe iuxta ſuperiorem. Vndè debet cultus eſſe iuxta maiorem & propter onatus maiori. Atqui hoc non ſemper eſt verum, ergo. Probatur minor exemplo adducto ab aliquibus Authoribus de Rege Hiſpaniæ, qui eſt Canonicus Legionenſis, & ſedet in Choro cum alijs Canonicis in loco ſuæ antiquitatis, & tractatur ibi non iuxta Dignitatem Regiam , ſed iuxta Canonicalem. Sed ne aliquis reſpondeat Canonicalem vtpotè Sacram eſſe maioris Ordinis, ideò (quidquid ſit de hoc exemplo) ponamus aliud in concurſu Vniverſitatis Salmanticenſis vel alterius ſimilis, vbi non ſolùm Canonicus , ſed etiam Archiepiſcopus vel Epiſcopus in tali congreſſu ſedet in loco ſui Doctoratus, & tractatur vt Doctor, & non vt Epiſcopus. Vbi clarè cernitur, quod licèt actio externa reverentiæ erga ipſum, ſit ei toti, limitatur tamē iuxta minorem dignitatem Doctoratus, & non iuxta maiorem Epiſcopatus. Ex quibus patet, quod non repugnat præciſsio in adoratione. Ratio autem à priori eſt , quia cum illa minor excellentia verè ſit bona & honeſta, & adorabilis ratione ſui, verè poterit exhiberi propter illud motivum. Nec verum eſt quod talis adoratio & cultus ſit diminutus, ſitquè tractare Perſonam irreverenter. Oppoſitum enim patet in exemplo adducto de Epiſcopo in congreſſu Vniverſitatis.

2300 Tandem probatur, quia Humanitas poteſt rogari à nobis vera oratione (quæ eſt cultus Religioſus & ſubmiſsionis) propter ſe ipſam , & laudari propter magnam gratiam & gloriam ſuam creatas. Ergo & poterit adorari ob eaſdem, ac per conſequens, adoratione Hiperdulię. Reſpondebis conceſſo antecedenti , negando conſequentiam, quia eſt diſpar ratio : nempè quia oratio non tractat oratum nec deprimit orati dignitatē, quaſi eum coæquet cum orante. At ſi Comes v.g. Regē, qui ſimul eſt Comes & Rex, tractet in cultu vt Comitem, non curando de dignitate Regia, illum deprimit , & æquat ſecum , ac per conſequens irreverenter ſe habet ad illum. Adoratio ergo deprimit adoratum ad menſuram adorationis, quod erga Regem eſt irreverentia; ſecus oratio oratum ad menſuram orantis.

2301 Sed contra 1. quia ſicut adoratio ex communi acceptione, ſit Suppoſito pleno, ita & oratio. Eccleſia enim in Litanijs invocat D. Petrum, non vero animam Divi Petri. Secundo quia ſicut adoratio deprimit (non ſemper ſed aliquando) adoratum ad menſuram tituli adorationis , ita & oratio. Si enim in Capitulo Canonicorum Legionenſium, vel Vniverſitatis, aliquid eſſet per vota providēdum, poſſet vnus vocalis Regem Canonicum , vel Epiſcopum qua Capitulares & vocales rogare , vt ſuffragium ferrent pro tali concurrente; & tunc oratio ex parte motivi etiam deprimeret eos ad æqualitatem tituli cum rogante. Ergo quantum ad hoc nulla apparet diſparitas.

2302 Fateor, reſolvendi hanc quęſtionem, difficultatem. Nihilominus vt aggrediamur eā, nota, Perſonam adorandā (vt circa titulos & modum adorationis procedatur dignè & reverenter erga illam , dum proceditur anatomicè) ſumi poſſe, vel abſolutè, vel cum addito. Non cum quolibet addito, ſed cum addito expreſsivo, & per aliquod ſignum teſtificativum ſe tenente ex parte rei adoratæ ; ita vt tale ſignum ſufficienter teſtetur Perſonam tunc proponi , non vt adorandam ſecundum ſe & iuxta ſuam plenam ſive maiorem dignitatem, ſed potius iuxta minorem , vt patet in exemplis adductis. Tale enim ſignum conſignificativum limitationis, expreſſe quaſi proteſtatur tunc proponi vt limitatè adorandam , reſervando tamen illi expreſſe alios titulos maiores, quos aliàs habet, pro alia adoratione; & ſic ſine aliorum titulorum præiudicio, imò eorum iure reſervato Si enim talis proteſtatio deeſſet , irreverenter procederetur circa illam Perſonam, ſi adoratio inferior fieret coram alijs, & ſic adorari irreverens appareret alijs.

2303 Aſſero ergo 1. Nemo poteſt adorari abſolutè, niſi iuxta maiorem dignitatem. Ita prima ſententia. Probatur, quia ita habet vſus communis, taliter quod ſi abſolutè & ſine proteſtatione ommittatur adoratio maior, eſt quia ex communi vſu ſupponitur quod Perſona careat titulo altiori. Aſſero 2. Cum addito limitationem ad talem titulum cōſignificante, benè poteſt. Ita ſecunda ſententia. Ratio eſt, quia talis limitatio conſignificativa, ſupponit fieri ſine pręiudicio, imò cum reſervatione iurium ad altiorem adorationem. Aſſero 3. in mente poteſt quis adorare Humanitatem ob dona creata qua talia. Ratio eſt , quia talis vel advertit in ea alios titulos altiores, vel non ? Si non, licèt procedat diminutè , procedit quantum ad hoc invincibiliter. Si advertit, ſufficiēter cēſendus eſt quod adoret, reſervatis alijs iuribus. Aſſero 4. coram alijs non eſt licita per ſe adoratio Hiperduliæ reſpectu Humanitatis , quia cum

lis

Digitized by Google

lis fuerit de hoc apud Hæreticos, periculoſum eſt illis acquieſcere, licèt cum proteſtationibus valdè expreſsivis poſſet eſſe licita.

2304 Ad argumenta contraria reſpondetur, concedendo in adoratione vt licitè fiat, attendendam eſſe maiorem dignitatem dum eſt fienda abſolutè, ſecus quando cum iuſta cauſa facienda eſt cum addito reſervativo, quia tunc poteſt aliter fieri, vt probatum eſt. Dixi *cum iuſta Cauſa*, quia ſi iſta non adſit, gignitur ſuſpicio alicuius coluſionis, & de eo quod illa reſervatio iurium ad maiorem cultum, non ſit ſincera, ſed potius affectata & cabiloſa, poteritque excitare, ſi ſit inter homines, iurgia & ſcandala. Vndè adhuc cum ſit ex iuſta cauſa (vt v.g. in exemplis adductis de Canonicatu Legionenſi, & congreſſu Epiſcopi Doctoris in Vniverſitate) tunc illa honorationis limitatio, ſolum eſt facienda in præſcriptis à lege vel conſuetudine, v. g. in æqualitate ſedendi iuxta ſuum ordinem, & accipiendi tarificationem vel propinam, ſecus in alijs non præſcriptis, v.g. in tractatione vrbana verbali: ſi enim Miniſter ture aloquens Doctorem, dicat ei: *Audiat veſtra dominatio*, Epiſcopo non dicet ſic, ſed *audiat veſtra Illuſtriſsima dominatio*, (ſi in his, æqualitas honorationis verbalis nō ſit præſcripta.) Nec talis adoratio limitata, eſſet diminuta, ſed proportionata tali addito, iuxta legem vel conſuetudinem.

2305 Confirmatur, quia ſicut in oratione mentali poteſt quis anatomicè adorare Latria ſeorſim Caput Chriſti, pedes Chriſti, manus Chriſti, vt ſic omnia Chriſti maneant adorata ſecundum integralia, diſtinctis adorationibus; ita ex eodem fine poſſet omnia ſubſtantialia anatomicè adorare ſic: *Adoro tuam Humanitatem propter magnam gratiam & gloriam, quibus decorata eſt.* Item adoro ipſam propter vnionem ad Verbum inexiſtens ei. Inſuper adoro ipſum Verbum in ea. Et tandem adoro totum Chriſtum ex illis conſtitutum. Idem dici poteſt de Sacramento Euchariſtiæ, ſi quis intenderet venerari ipſum interno affectu & adoratione, & ſingulas eius partes, ſic: Primo adoro ſpecies ipſas, vt ſigna ſenſibilia gratiæ. 2. ipſas vt continentes Chriſtum intra ſe. Inſuper, ipſum Chriſtum contentum in illis. Et tandem totum Sacramentum ſive complexum ex ſpeciebus elevatis & Chriſto. Vbi in vtraquè meditatione, tres vltimæ adorationes eſſent Latria, ſecus prima. Quæ tamen reſpectu obiecti propoſiti vt adorandi, non propterea eſſet diminuta vt iam eſt dictum, ſiquidem eſſet cum reſervatione iurium, iam explicata.

ART. V. ET §. I.

DE ADORATIONE BEATISSIMÆ VIRGINIS & Sanctorum.

2306 CERTVM eſt 1. de Fide, Beatiſsimam Virginem adorari debere, non quidem Dulia communi ſed Hiperdulia, ſive cultu ordinis valdè altioris propter extraordinariè eximiam excellentiam & dignitatem ſuam coaleſcentem ex triplici titulo. Primus eſt ſuæ ſingulariſſimæ ſanctificationis in vtero, pertingentis vſquè ad originalem iuſtitiam. Secundus eſt propter mirabilem eius gratiam & gloriam, excedentem omnes Angelos & homines Sanctos. Tertius eſt dignitas Maternitatis à ſe promeritæ ſibi inexiſtens, in qua fundatur dignitas Dominæ & Reginæ Angelorum & hominum.

2307 Dubitari poteſt, an Beata Virgo vt Mater Dei poſsit adorari Latria reſpectiva, vltra Hiperduliam per quam adoratur ratione ſui? Ratio dubitandi eſt pro parte affirmativa. Primo, quia poteſt concipi iuxta reſpectum & relationem ſpecialem, quem vt vera & realis Mater dicit ad Filium. Maternitas enim ex conceptu ſuo eſt aliquid dignitatis reſpectivum ad Filium, inducens ad honorationem & ſubmiſsionem præſtandam ei propter Filium. Talis autem adoratio ſub hoc conceptu, cum ſit propter Filium, eſt Latria, & cum non ſit abſoluta, debet eſſe reſpectiva. Secundo Crux adoratur propter contactum ad Chriſtum; qui contactus multo maior & ſtrictior fuit in Virgine reſpectu Chriſti, cum non fuerit ſolum contactus localis & contiguitatis, ſed phyſicè & ſubſtantialis generationis atquè nutritionis ex proprio ſanguine & lacte. Ergo ſtrictior titulus fuit in Virgine quam in Cruce, ad hanc adorationem Latriæ reſpectivæ.

2308 Nec obeſt, quod ab Eccleſia numquam ſit Beatæ Virgini data talis adoratio Latriæ reſpectivæ, ſicut Cruci data eſt. Hoc enim nihil probat, quia Eccleſia, ne foveret ſuſpicionem aliquorum hæreticorum B. Virginem tamquam Deam colentium, prudentiſsimè abſtinuit ab adoratione Latriæ, etiam reſpectivæ. Et propter hanc cautam Sanctus Epiphanus, hæreſi 78. & 79. repræhendit in Siſia, quaſdam Mulieres ob ſacrificium & libationes quas B. Virgini offerebant in ſignum adorationis. Vndè ſicut ex eo quod Eccleſia ob ſcandalum hæreticorum, non petat à Chriſto vt oret pro nobis, non probatur quod non oret, ex dictis ſupra num. 2126. ita nec ex eo quod ob eandem rationem Eccleſia non tribuat B. Virgini Latriam reſpectivam ſicut Cruci, non probatur quod non ſit capax ipſius.

2309 Pro parte negante arguitur 1. Quia quando natura aliqua eſt capax propriæ adorationis propter ſe (ſicut eſt quævis natura rationalis) nequit ei tribui alius cultus reſpectivus propter alium. Patet, quia ſolum propter hanc rationem labia Iudæ proditoris, non ſunt capacia adorationis Latriæ reſpectivæ, propter oſculum datum Chriſto in facie, nec manus crucifigentium Chriſtum propter contactum ad ipſum, (ſed de his exemplis §. vltimo) imò nec pedes Petri tacti à Chriſto in labatorio, nec Magdalena in horto ſignata à Chriſto in fronte, quando reſtitit ei dicens: *Noli me tangere*, imò nec quilibet qui tetigerit hoſtiam conſecratam, ſicut ſunt capaces Lancea & Clavi, niſi quia iſti ſunt quid irrationale & incapax adorationis propter ſe, ſecus illi. Confirmatur, quia niſi obſtaret hæc ratio, facilimè Devoti Sanctiſsimi Ioſeph propter contactum tam repetitum & frequentem ad Puerum Ieſum, adorandum ipſum Latria reſpectiva, defendere, imò & introducere conarentur.

2310 Secundo probatur, quia ſi propter contactum cum Chriſto eſſet ſic adorabilis B. Virgo, multò magis propter Maternitatem imbibentem multiplicatum contactum per novem Menſes in vtero, & poſtea ſæpiſsimè in vberibus, & in brachijs. Atqui propter Maternitatem non: ergo nec propter contactum. Minor probatur, quia cum Maternitas inexiſtat B. Virgini, ſi Maternitas eſt adorabilis vel eſt titulus adorandæ aliqua Latria, eo ipſo reſpectu Virginis Latria deberet eſſe abſoluta, nam eſſet adoratio Virginis propter Maternitatem vere inexiſtentem ei. Quod quidem intolerabile eſſet. Vndè D. Thomas hic quæſt. 25. art. 5. negavit ex profeſſo Beatam Virginem eſſe adorandam Latria reſpectiva.

2311 Pro reſolutione diſtinguendum eſt. Vel enim adoratio Latriæ reſpectivę attenditur præciſſe penes titulum adorabilitatis reſultantem ex ſpeciali contactu, vel non præciſſe penes illum titulum, ſed ſub circunſtantia excitativa de per ſe ſcandali. Si primo modo ſumeretur, dabilis eſſet B. Virgini de per ſe, & ſpeculativè loquendo adoratio Latriæ reſpectivæ, ſecus ſub prædicta circunſtantia, ſive practicè loquendo. Talis autem circunſtantia proveniet ex eo quod B. Virgo ratione ſui, vtpotè creatura rationalis ſancta, habeat titulum propriæ adorationis, vt vrgebat primum argumentum pro parte negante. Primam partem noſtri Aſſerti probant argumenta facta pro parte affirmante.

2312 Ad argumenta autem pro parte negante, quatenus poſſunt eſſe contra nos, reſpondetur. Et ad 1. dicimus, quod aliud eſt an debeatur talis cultus, & aliud eſt, an res intellectiva ſit capax talis cultus. D. Thomas loco citato

B. Virgini negavit ius ad talem adorationem,ſed non egit de incapacitate ad illã. Inſuper dicimus,quod licèt res ſit capax ſecundum ſe, tamen vbi poſsit circunſtantia ſcandali reſultare ex tali adoratione, vt regulariter eò attingeret ſi daretur puræ creaturæ intellectuali, dicimus quod ei concedi practicè non debet, ſecus ſi non adeſſet circunſtantia ob quàm de per ſe reſultaret. Nullum autem ſcandalum ex Crucis adoratione reſultat.

2313 Ad 2. reſpondetur, diverſiſsimos titulos eſſe Maternitatem & contactum, non pro phyſica concatenatione, cum pro hac multum habeant connexionis,ſed pro diverſifica adoratione. Perſona enim quæ adoretur præciſſe propter ſpecialem contactum cum Chriſto (cum Chriſtus qui eſt titulus adorationis non proponatur vt vere inexiſtens Perſonæ,ſed vt aliquid extra illam)tunc Perſona adoratur adoratione ſola reſpectiva, & non adoratione abſoluta. At ſi B. Virgo adoratur propter Maternitatem vt titulum adorandi, adoratio eſt propter titulum inexiſtentem ei, & ſic adoratio illa eſt abſoluta. Nec propterea erit Latria, cum eſt propter Maternitatem,quia licèt iſta ſit reſpectiva ad aliquid increatum, eſt ad illud tamquam ad terminum ad extra: Maternitas autem inexiſtens ad intra,& eſſens adorationis titulus, aliquid vere creatum eſt, & ſic adoratio eſt Hiperduliæ.

2314 Sed objicies pro adoratione Latriæ debita Matri Dei. Matri Regis,& Regi idem honor eſt exhibendus. Nam ſecundo Regum, 2. dicitur,quod poſitus eſt Tronus Matri Salomonis,& ſedit ad dexteram eius. Ergo ſi Chriſtus adoratur adoratione Latriæ,etiam Mater ipſius. Sed reſpondetur ex D. Thoma loco citato, negando deberi Matri Regis eundem honorem ac Regi, licèt debeatur honor conſimilis. Et hoc ſolum probat poſitio Troni pro Matre. Sed dices. Ergo ſi Chriſto debetur honor abſolutus, Virgini debebitur ſaltim reſpectivus, quia hìc eſt conſimilis. Reſpondetur negando deberi, quia licèt deberetur ob contactum,impeditur ob prædictam circunſtantiam. Adde quod cum inter dignitatem Chriſti, & dignitatem Matris detur diſtantia infinita, conſimilitudo adorationis debita ejus Matri,debet eſſe multo minor,quam inter Regem Salomonem,Matremque ipſius,& ſic Hiperdulia ſufficit.

2315 Ex dictis ſequitur Divum Thomam non negaſſe capacitatem in natura intellectiva ad vlteriorem adorationem,præter ſibi ratione ſui debitam. Imò videtur innegabilis teſte experientia: ſæpè enim ſervis alicuius magni Domini propter Dominum maiorem exhibemus reverẽtiam,quam quæ ipſis ob propria merita & magnitudinẽ debebatur, quod præcipuè patet in Nuncio Papæ,in Comite Prorege, in Ambaſiatoribus ſive Miſsis ab vno Rege ad alium Regem. Præcipue autem in Papa adorato, quia eſt Vicarius Chriſti. Ex quo patet quod ſi Beatę Virgini denegatur & benè Latria reſpectiva, non eſt propter incompatibilitatem Hiperduliæ ratione ſui cum Latria ratione Filij,ſed propter iam inſinuatum periculũ.

§. II.

DE ADORATIONE SANCTORVM.

2316 CERTVM eſt 1. Angelos & homines Beatos debere adorari adoratione Duliæ,debita ſanctitati creatæ. De quo dubitari nequit propter exemplaria Sacræ Scripturæ,ſiquidẽm de Abraham dicitur quod tres (nempè Angelos) vidit & vnum adoravit, inſuper Ioſue cap.5.& Pater, Materquè Sanſonis Iudicum 13. Angelis religioſum cultum & honorem tribuerunt. Tum ex Sanctis Patribus qui paſsim reperiuntur apud Auctores. Tum ex vſu antiquiſsimo Eccleſiæ in honorem eorum Templa & Altaria ædificantis, aliiſquè Ritibus & Officiis Divinis Colentis. Tum denique ex fidei profeſsione inſtituta ab Eccleſia, vbi iubetur credi fide Divina Sanctos vna cum Chriſto regnantes adorandos & invocandos eſſe. Et merito quidem,quia lumine naturæ patet quod honor debetur virtuti,& ita dixit Ariſtoteles 1. Æthicorum, cap.5. quia adoratio, cum ſit ratione ſanctitatis eis intrinſecè inexiſtentis,eſt Dulia abſoluta.

2317 Nec obeſt 1. quod Concilium Laodicenum Canone 35. anathematizavit eos, qui derelicta Eccleſia Idolatriam exercent coram Angelis. Reſpondet Bazquez loqui de Angelis malis. Aliter 2. poſſet reſponderi ly *coram Angelis* ſumi pro Angelis habitis pro veris Diis, vel 3. ly *coram Angelis* poni ad Idolatrarum verecundiam notandam,qui peccant coram talibus teſtibus. Nec 2. quod Deuteronom.6. dicitur: *Dominum tuum adorabis,& illi ſoli ſervies.* Quo textu vſus eſt Chriſtus contra Satanam in deſerto. Reſpondetur,intelligi de Latria abſoluta, quam Satanas petebat.

2318 Nec obeſt 3. Angelum Apoc. 19. noluiſſe acceptare adorationem Ioannis,nec Petrum Cornelij Centurionis Actorum 11. Reſp. iſtum,modeſtiæ cauſa; illum vero ideò recuſaſſe adorationem, vt ſignificaret Ioanni, quod, tum ratione vnionis Verbi cum natura humana. Tum ob dignitatem Apoſtolicam, ita elevatur,vt Angelus ſe gerat cum illo vt coæqualis ſive vt conſervus: & quod ipſe non eſſet Chriſtus vt Ioannes genuflectẽs exiſtimabat. Hinc ad illud Mardochæi Æſther 3. nolentis adorare Aman,dicentiſquè, *Tu noſti, quia non pro ſuperbia & contumelia, aut gloria cupiditate,hoc fecerim, ſed timui ne honorem Dei mei ad hominem transferrem,& ne neminem adorarem,excepto Deo meo.* Reſpondet genuflexionem denegaſſe Amano, quia exiſtimabat quod erat Latria apud Hebræos & propria Dei.

2319 Inſuper 3. eſt certum Sanctos in Cœlo exiſtentes, invocandos eſſe, vt conſtat ex antiquo vſu Litaniarum, & etiam ex pręcitata fidei profeſsione. Orant enim in Cœlo ipſi pro nobis,vt conſtat de Ieremia 2. Machab. 15. *Hic eſt Ieremias Propheta Dei, qui multum orat pro Populo & pro vniverſa Sancta Civitate.* Id ipſum dicendum de Sancto Propheta Elia Patre noſtro,licèt non ſit adhuc Beatus,cui quia eſt ſanctus & amicus Dei confirmatus in gratia, ex decreto & conceſsione Eccleſiæ à toto Ordine Carmelitarum tribuitur adoratio Duliæ, ſiquidem ratione ſuæ ſanctitatis & meritorum, illi dedicamus Altaria & Eccleſias: colimus tamquam Patronum & Fundatorem Ordinis Officio & Miſſa ſub Ritu duplicis 1. claſsis,& invocamus in Litanijs.

2320 Sed quomodo ad Sanctos notitia noſtrarum precum perveniat? Quidam docent quod per Angelos vel ſpeciali Dei revelatione: quod ſaltim reſpectu Eliæ & Enoc regulariter eſt medium aptum: licet fortè aliquando ille ipſe venerit in mũdum & proprijs auribus audiverit. Et quod in noſtro Choro Cæſaraugustano extiterit aliquãdo media nocte ad Matutinas in ſuo Feſto,ſedens in præeminenti Sede Generali Ordinis reſervata,manifeſtatuſquè fuerit ſic in viſione cuidam animæ probatiſsimæ virtutis & revelationum, communi plauſu Seniorum huius Conventus receptum erat ante quinquaginta ab hinc annos. De Beatis vero, licèt medium aſsignatum non ſit incongruum, aptius tamen eſt quod eas videant in ipſo Deo tãquam in ſpeculo voluntario,de quo ſupra à n.2006. f.245.

ART. VI. ET §. I.

DE ADORATIONE IMAGINVM ET RELIquiarum. Vbi de Spiritu S. cur non ſit imago.

2321 DISTINGVI 1. debet, inter Imagines & Reliquias: iſtæ enim ſunt tales à cõtactu v.g. illius Sancti cuius Reliquiæ ſunt, licèt illum non repræſentent tamquam ipſius ſimilitudo, ſicut illum repræſentat imago. Hæc diverſitas apparet in Chriſti Cruce vera,quę quidem eſt Reliquia Chriſti propter phyſicum contactum, phyſicamquè perfuſionem à ſanguine ipſius. Eſt autem imago

imago Chriſti propter brachiorum extenſionem repræ- ſentans Chriſtum extēſum. Ratio Imaginis Chriſti & veræ Crucis, cōmunis eſt cuilibet Cruci. Ratio autem reliquiæ propter contactum, ſolū convenit Sanctiſsimæ veræ Cruci.

2322 Non eſt autem abſolutè loquendo, ſumenda pro eodem imago ac idolum. Illa enim eſt ſimilitudo alicuius rei veræ, producta ad repræſentandam illam. Idolum verò eſt ſimilitudo rei falſæ. Et ita in Sacra Scripturà paſsim ſumitur Idolum pro ſimilitudine Deorum falſorum. V.g. Iovis, Martis, Dianæ, &c. qui nūquam extiterunt Dij, ſed in- Iovis, figmentis hominum. Nec dicas: ergo Imagines Sanctiſsimæ Trinitatis & Angelorum erunt Idola, quia ſunt ſimilitudines ipſorum vt corporeorum, quo pacto numquam extiterunt. Sed reſpondetur per illas Imagines non intendi repræſentari quod ipſi in ſe fuerint corporei, ſed vel quod apparuerint in corpore in illaquè figura, & hoc verum eſt. Vel intenduntur repræſentari vltimatè, quod in ipſis verum eſt: in Imagine quidem Trinitatis, quod fuerint tres Perſonæ & vna ſubſtātia. In Angelis verò virtutes & perfectiones ipſorum, ideſt per veſtium albedinem puritas per alas agilitas, licèt iſtæ invltimatè repræſententur per aliquid corporeum.

2323 Curandum eſt de hac diſtinctione, ſumendi Imagines rerum ſpiritualium invltimatè & vltimatè. Licèt enim iſti termini non ſint pro rebus provt à parte rei ſed pro modo tendendi actuum intentionalium; quia tamen Imagines factæ ſunt ad repræſentandum nobis, ideò benè & aptè ipſis convenit, ſic ſumi. Igitur ipſæ vt corporeæ non repræſentant nobis per veram ſimilitudinem res ſpirituales vt tales; quaſi iſtæ ita ſint: ſed vt corporeæ excitant nobis ſpeciem, per quam concipiendo res ſpirituales ad modum corporearum invltimatè; quin ſiſtamus in hoc, tranſeamus ad cognoſcendum vltimatè & veriſsimè, quod res per illas repræſentatæ, non ſunt corporeæ, ſed ſpirituales, habenteſquè hanc & illam naturam, & perfectiones. Vndè ſemper iſtæ Imagines ſunt veræ, & valdè diverſæ ab Idolis.

2324 Sed quia ſæpè aliquæ res, v.g. Cruces caſu evadunt ſimiles vt cōtingit in pavimentorū ſtructura, & ſolet ſcrupulum ingerere aliquibus ibi ambulare, ne videantur Crucem conculcare, ideò advertere viſum fuit, quod ad rationem Imaginis meo videri, non ſufficit ſimilitudo, ſed requiritur quod facta ſit ex intentione repræſentandi. Propter quod exiſtimo, quod quando reperiuntur in terra formatæ aliquæ Cruces ex duplici ligno de per accidens coniuncto, non ſit talis Crux veneranda, quia licèt materialiter ſit ſimilitudo, ſed non formaliter imago. Benè verum eſt, quod quando reperitur ſimilitudo, præſumi debet facta ex intentione repræſentandi, niſi circumſtantiæ oppoſitum perſuadeant vt in tali caſu. Si hoc adverterent ſcrupuloſi, deponerent illam anxietatem curandi, ne conculcent Cruces in pavimentis de per accidens formatas.

2325 Hinc fit quòd licèt lancea, & ſpinæ Chriſti ſint venerandæ, non tamen lanceæ aut ſpinæ communes, quamvis ſint valdè ſimiles lanceæ & ſpinis Chriſti, cum deſerviant alijs vſibus, niſi factæ fuerint ex intentione vt ipſas repræſentent, quia in tali caſu ſunt Imagines ipſarum, ſicut Cruces communes ſunt Imagines non ſolum Chriſti, ſed etiam Sanctiſsimæ veræ Crucis & etiam hoc titulo adorandæ. Quod autem ſimilitudo, vt induat rationem Imaginis, debeat eſſe producta ad repræſentandum (ſive id habeatur ex intentione naturæ, ſive ex intentione operantis) patet in Spiritu Sancto, qui propterea non eſt imago Patris aut Filij; quantumvis in complexo tertiæ Perſonæ ſumptus, ſit conſtitutivè & eſſentialiter Deus, ſimiliſquè ipſis in natura.

2326 Cur autem ſi per productionem ſaltim realiter ſumptam procedit ſimilis, cur non erit ſaltim realiter imago? Interrogo. Si etiam procedit per eam realiter ſimilis, & realiter ſapiens, cur non eſt realiter Filius, aut realiter Verbum? Licèt hoc pertineat ad tractatum de Trinitate, & quod hic dicatur videatur dici dislocatè & extra rem, nihilominus tolerabilius eſt hoc, quàm quod cogitatio meà, in ſubſtantia eadem cum dictis in tractatu de Trinitate, alijs tamen verbis fortè magis explicativis concepta, oblivioni tradatur.

2327 Igitur Filius & imago oriri debet vt vivens à vivente, ſive à vulva viventis productiva in ſimilitudinem naturæ, ſive ad (ex proprio & ſpeciali ſcopo vulvæ & operationis eius) aſsimilandum in natura Perſonam productam. Quod igitur procedat ab alia vulva viventis quæ ex proprio ſcopo, non ſit aſsimilativa Perſonæ productæ in naturà, nec erit imago nec erit Filius, etiam ſi ei adveniat reſultativè & per circuitum aliaquè via non recta, ſed circuitiva, ſimilitudo in naturà: quia non verificatur, quod ortus ille ſit in ſimilitudinem naturæ.

2328 Cum igitur Spiritus Sanctus procedat ex vulvà diverſa ab aſsimilativa in natura, nempè à vulva ſpirativà ſecundaria & poſteriori, vtpotè conflata ex voluntate Patris & Filij, vt iam procedentis à Patre per vulvam aſsimilativam, atquè vt iam aſsimilati Patri; hinc fit, quod non procedat à ſuo principio in ſimilitudinem naturæ; ſive vt ex proprio directo, & immediato ſcopo dante ſimilitudinem naturæ. Quod ſi procedendo ex alia vulva ſecundaria, ſcilicèt ſpirativa, producitur vt amor divinus ſubſiſtens perſonaliter, trahenſquè ratione Divinitatis, & ratione identitatis naturam divinam, vt intret conſtitutivè tertiam Perſonam, cum hoc ſit per circuitionem & reſultantiam, & ex amore communicato per ſpirationem, & non ex immediato ſcopo vulvæ ſpirativæ & ſpirationis, nec verificatur de iſtis quod producant eum in ſimilitudinem naturæ; nec de illo quod procedat in ſimilitudinem naturæ; nec vt imago, quia non eſt productus ad repræſentandum; licèt aliàs reſultativè procedat vt Deus.

2329 Ponamus exempla aliqualiter declarativa. Primum in vermibus qui naſcuntur ab homine, qui licèt naſcantur ex proprijs humoribus; licèt materia illa ita ex concurſu ipſius hominis diſponeretur divinitus, vt ad eius exigentiam Deus infunderet illis animam rationalem, & eſſent homines, adhuc nec eſſent imago nec Filij, quia non ſunt nati ex vulvà primario & ſubſtantialiter, & ex ſcopo aſsimilativà in natura, ſed ex alia vulva diverſæ rationis.

2330 Secundum: finge vnum hominem genitum ab alio, cum tam ardenti complexione, vt vterquè ex proprio ore emoveret flammam ignis attrahentem ab imis eorum, aliquam portionem ſubſtātiæ quæ poſtea ita diſponeretur, vt ad exigentiam diſpoſitionum infunderetur anima rationalis à Deo in tali flamma, & reſultaret homo. Nemo dicet quod iſte proceſſerit vt Filius & imago naturalis eorum. Cuius ratio eſt, quia ortus eſt à vulva oris & actione inflammativa, non autem à vulva per operationem ex proprio ſcopo aſsimilativa (ſicut nec Chriſtus eſſet propriè Filius Virginis ſi productus fuiſſet à Matre in corde vt vulva). Vndè ſicut Spiritus Sāctus licèt accipiat per ſuam proceſsionem intelligentiam, non eſt realiter Verbum, quia eius produci, nec realiter eſt dici. (Dici enim realiter, eſt immediatè & non per circuitum pertinens ad intelligere,) ita nec eſt realiter imago, licèt accipiat ſimilitudinem naturæ; quia eius produci eſt ſpirari ſive trahere amorem, qui trahat ſimilitudinem in eſſentia, non autem eſt adhuc realiter immediata tractio eſſentiæ. Et ſic nec in ſimilitudinem aut Imaginem. Reliqua vide in tract. de Trinit. Et iſta obiter ſufficiant pro firmanda doctrina, de eo quod ad Imaginem, non ſufficiat ſimilitudo producta, niſi ſit producta ad repræſentandum.

§.II. *DE CVLTV IMAGINVM ET RELIQVIARVM.*

2331 CIRCA cultum Imaginum Sacrarum, de Fide eſt eas eſſe retinendas & venerandas, eiſquè debi-

bitum honorem impertiendum, vt conſtat ex profeſsione Fidei à Tridentino concinnata. Id etiam conſtat ex antiquiſſimo Eccleſiæ vſu, & etiam ex Concilijs; habetquè in Sacra Scriptura magnum fundamentum, ſiquidem Deus mādavit Moyſi facere, & ipſe fecit duas Imagines Cherubinorum, poſuitquè eas in Templo, ſicut & poſtea Salomon alias duas eorundem, lib. 3. Reg. 6. Quod autem eis, reliquijſquè ſacris adoratio debeatur, conſtat, quia ſunt quid Sanctum. David enim Pſalm. 98. dixit: *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam Sanctum eſt;* quod quidem de Arca Teſtamenti ad litteram intelligitur. Sepulchra etiam Sanctorum venerabilia eſſe, conſtat ex Iſaiæ 11. *in eum gentes ſperabunt, & erit ſepulchrum eius glorioſum.* Nec mirum, cum per Sanctorum Reliquias multa fiant mirabilia, teſte experientia, & Noſtri Eliſæi oſſa 4. Reg. 13. corpus Defuncti per ſuum contactum à mortuis ſuſcitaverunt. Et Act. 19. ſemicinctia & ſudaria S. Pauli applicata Ægrotis, ſalutem eis conferebant.

2332 Nec contra cultum Imaginum obeſt 1. quod talis adoratio cum fiat Imaginibus ligneis aut Lapideis, ſit Idolatria. Proptereaquè Deus Exodi 20. prohibuit Populo ſuo facere ſibi ſculptile, aut aliquam ſimilitudinem. Reſpondetur enim adorationem fieri non ligno aut Lapidi ſecundum ſe, aut ratione ſui, ſed ratione Exemplaris prout intelligibiliter, & repræſentativè exiſtentis in Imagine. Deus autem prohibuit Populo ſuo non omnem Imaginem vt probatum eſt, ſed vel Idola, vel Imagines veras privatas, & pro ſuo libito, vt ſic illi impediret occaſionem Idolatrandi, ad quod erat valdè pronus, ſicut propter idem periculum occultavit ei corpus & Reliquias Moyſis.

2333 Nec item obſunt 2. Sancti Patres, Imaginem Dei communiter excludentes & merito, quia cum omnis imago noſtra ſit ſimilitudo in figura corporea aut coloribus tantum, nequit repræſentare Deum, imò nec Chriſtum vt Deum, & propterea etiam Imago Chriſti videtur excludenda. Reſpondetur tamen, Patres ſolum excludere Imaginem Dei corpoream, qua Deus immediatè & vltimatè intendatur repræſentari per illam, ſive eſſe ad modum ipſius. Quod autem congruè repræſentetur per illam invltimatè, excitando ad aliam cognitionem veram vltimatam, à Patribus negatum non eſt: & idem de Imagine Chriſti, quæ in Chriſto ex vi ſua corporaliter repræſentato, ſicut animam etiam indirectè, & prout in homine repræſentat, ſic etiam indirectè in illo Divinitatem repræſentet pro noſtris conceptibus veris & vltimatis.

2334 Vndè ſi opponantur duo Concilia Conſtantinopolitana reprobantia cultum Imaginum, reſpondet Boneſpei, non fuiſſe Concilia, ſed Conciliabula Iconoclaſtarum. Liber autem Caroli Magni idem aſſerens, ſuppoſituſquè ab Hingmaro Hiſtorico pro Actis Concilij Francofordienſis, nullius eſt auctoritatis, ſicut nec Concilium Eliberitanum Cap. 36. negans picturas Imaginum in parietibus, vtpotè Provinciale, & numquam ab Eccleſia approbatum, inquit Boneſpei; qui inſuper addit ibi non negari Imagines eſſe colendas, ſed prohiberi pingi in parietibus, quia cum veteraſcunt, ita ſolent deſigurari, vt potius irriſui inſerviant, quam devotioni.

2335 Nec contra cultum Reliquiarum, obeſt 3. quod Chriſtus Lucæ 11. repræhendat Phariſeos, quia ædificabant ſepulchra Prophetarum à Patribus eorum occiſſorum. Reſpondetur enim, eos ſolum repræhendere propter hipocreſim, qua cum vellent Chriſtum & Prophetas occidere imitantes in hoc Patres ſuos, id celabant ficta pietate honorandi mortuos. Nec 4. quod accenſio quædam cereorum ad ſepulchra repræhendatur à Concilio Eliberitano, Can. 34. Reſpondetur reprehend quia ex quadam ſuperſtitione id fiebat ab illis, ex Orlando ſicut & à Concilio Bracharenſi prohibetur Epiſcopis in Proceſsione portatio Reliquiarum. Prohibetur enim quia ipſi portabant eas manibus, ſed ſe faciebant portari ipſi à levitis in ſella ſuper humeros: exceſſus enim honoris ſibi arrogatus, repræhenſibilis erat ob nimietatem.

2336 Nec 4. obeſt indè ſequi, poſſe Reliquias corporum adorari, etiam ſi eſſent converſæ in alias ſubſtantias, ſcilicèt vermium, quia materia prima corporis eadem eſt quæ fuerat in iuſto, habueratquè ad animam eius contactum phyſicum. Reſpondet 1. Orlando cum Lugo, non renuendo adorationem talis materiæ primæ cultu privato, ſed nō publico, tū quia per varias talis materiæ tranſmutationes ad alias formas, deperditur certitudo moralis de eo quod ſit eadem materia, tum quia iuxta communem concipiendi modum cenſetur quod talis materia deperdat illam habitudinem quam habuit, à tali forma. Materia enim cenſetur eſſe illius viventis, qui illam vltimo occupavit.

2337 Reſpondetur tamen ſecundo (licèt pro publico magis attendi debeat quam pro privato, ad identitatem materiæ) regulam facultatis adorandi eas, ſumendam eſſe non à ſola communi exiſtimatione identitatis moraliter certa, ſed etiam ab eo quod non ſit facta talis materia alterius viventis. Tum quia vt iam eſt novi viventis, non cenſetur Reliquia prioris, ſed novum quoddam vivens. Tum ratione periculi ſcandali. Videretur enim quis aſsimulari illis, qui in Sacra Scriptura referuntur adoraſſe veſpertiliones, aliaquè ſimilia.

2338 Objicies tandem: ſi Reliquia & opera aliqua Sanctorum adorantur: ergo etiam quælibet creatura poterit adorari, quatenus eſt opus Dei. Inſuper quælibet creatura ſaltim eſt veſtigium quoddam Dei, quçdam expreſsius, & quædam minus expreſſè. Vndè poterit quis adorare muſcas & culices vt opus Dei, & vt veſtigium Dei; & portare paleam in pabimento repertam, ſecum pro Reliquia. Multò autem certius poterit adorare quemcumquè hominem, cum ſit imago Dei. Reſpondent plures, vt Caietanus, Granadus, Suarez, Lugo, & alij cōcedendo ans. Tum quia ſi veneramur Caracteres & Epiſtolas, quas Sancta Thereſia ſcripſit, multò magis creaturas Dei in quibus ipſe quaſi ſcripſit ſuam bonitatem & ſapientiam, iuxta illud ad Romanos: *Inviſibilia eius per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoquè eius virtus & divinitas.* Tum quia tales res ſunt materia ſufficiens iuramenti ex illo Math. 5. *Nolite iurare per Cœlum, quia Dei Thronus eſt, nec per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius.* Ergo quia relucet ita in ipſis Deus, vt iurare per ea ſit iurare per Deum, qui repræſentatur in illis.

2339 Advertunt tamen & benè, quod iſte cultus debet eſſe privat⁹, & ſub hoc præciſo reſpectu Imaginis, alicuius Divinæ perfectionis. Item, quod adhuc ſub hoc reſpectu ſolum erit licitus ſpeculativè, non autem practicè, quia de per ſe loquendo, poterat gignere aliquam Idolatriæ ſuſpicionem, quę omninò caveri debet. Per quod reſpondetur ad inſtantias factas, excepta illa de palea vel aliquo ſimili, pro Reliquia geſtandis aut habendis. Reliquia enim ex communi vſu dicit aliqualem ſpecialiſsimam habitudinem & quaſi affinitatem cum aliquo ſupernaturali, ſive de ordine ſuperno vt tali, qualis non eſt habitudo ad Deum vt præciſè Auctorem naturæ, nam ille tranſcendit naturam vniverſam. Epiſtolas enim propria manu Sanctæ Thereſię ſcriptas, ideò veneramur vt Reliquias, non quia mulier ſapientiſsima & prudentiſsima fuit, ſed quia mulier Sancta fuit. Hæc dicta ſunt ſatis probabiliter.

2340 Sed fortè dici poſſet, quod non omnis res Dei adorari poteſt, ſi talis res communibus vſibus principaliter ſit deſtinata, ſicut propterea prædicti Doctores (quibus addo Boneſpie hic quæſt. vlt. de Chriſti adoratione) negant adorabiles eſſe lanceas omnes aut omnes clavos & ſpinas, quantumvis ſimiles ſint inſtrumentis Paſsionis Chriſti; quia vſibus communibus ſunt deſtinati: & idem ait de aliqua Cruce ſi eſſet alicui vſu communi deſtinata. Solum ergo adorabiles ſunt, ſi ex aliqua ſpecialitate relu-

ceat

Digitized by Google

ceat in eis Deus, vt reluceet in Cœlo & terra ab ſpeciali Chriſti advertentia & revelatione pro iuramento: ſecus quando talis relucentia ſpecialis non adeſt.

§. VLTIMVS.

ALIQVÆ QVÆSTIONES DE ADORATIONE.

2341 QVÆRES 1. qua adoratione adorandę ſint Imagines & Reliquiæ? Reſpondeo 1. ſi adorentur per modum vnius & involute cum ipſo Sancto, eſſe adorandas adoratione, qua ipſe; ſcilicèt Dulia abſoluta, ſi Sancto debeatur Dulia; & Latria abſoluta, ſi iſta debeatur ei. Ratio eſt, quia tunc Sanctus ipſe adoratur in complexo cum illis. Si vero, ad orantur cum aliqua diſtinctione ſcilicèt reſpectivè ad Sanctum, adorandas cum proportione, ſcilicèt vel Dulia reſpectiva, vel Latria reſpectiva.

2342 Quæres 2. qua adoratione adorandus Pontifex vt Vicarius Chriſti? Reſpondeo, ſi adoretur ſub ratione Capitis Eccleſiæ, adorandum adoratione Duliæ latæ, quia adoratur ratione Sanctitatis conſecrationis inexiſtentis intrinſecè ei. Dixi *lata*, quia non adoratur tunc ratione Sanctitatis creatæ propriæ Filiorum Dei, conſiſtentis in gratia habituali. Reſpondeo 2. ſi adoretur vt Vicarius Chriſti, adhuc tunc non adoratur Latria reſpectiva ſed Dulia lata, quia adoratur ratione dignitatis Vicariatus inexiſtentis ei. Vndè non adoratur præſciſſe ratione alterius, ſcilicèt Chriſti (ſicut ſi adoraretur pręſciſſe vt Imago Chriſti) ſed ratione dignitatis ei inexiſtentis, ſicut ſupradiximus à num. 2313. de Matre Dei, ratione Maternitatis. Ad eum enim modum quo Officium Ambaſiatoris & Miſſi nõ eſt dignum honore conſimili aut coæquali Regio, eo quod non detur ei honor ob Regem, ſicut Imagini, ſed propter illud officium ei inexiſtens: idem dicendum de Vicariatu Chriſti. Imo nec Sancti qui ſunt Imago Chriſti, v.g. Sanctus Franciſcus plagatus, non eſt adorandus Latria reſpectiva, quia non adoratur vt Imago Chriſti, ſed propter eximias ſuas virtutes, quæ eum inexiſtenter fecerunt dignum tali participatione vulnerum Chriſti. Quod ſi purè vt imago ſit adorabilis, eſſet ei debita Latria reſpectiva, ſicut Imagini ligneæ. Sed hoc non eſſet licitum niſi ſpeculativè.

2343 Quæres 3. ſi cõtactus Reliquiarum ſufficit ad adorationẽ, cur nõ adorẽtur labia Iudę oſculantis Chriſtũ, ſaltim ſpeculativè, ſumpta prout ratione contactus? Reſpondeo inſtrumenta Paſsionis Chriſti ratione contactus fuiſſe adorabilia, quia ille contactus (licèt fuerit coram occulis hominum cõtactus ignominię) tamen fuit glorię, quatenus medijs illis triumphavit ab inimicis. Habuerunt tamen de ſpeciali, & de diverſo à contactu Iudæ, quia iſte vt vitalis fuit peccaminoſus, & indenudabilis à culpa, & potius vitale complementum humani inſtrumenti coniuncti ipſius culpæ, ſecus contactus immediatus ipſius lanceę, & ſpinarum vt talium.

2344 Quęres 4. quomodo Imagines proponendę nobis ſint, vt licitè & meritoriè adorentur? Reſp. 1. non ſecundum quod habent de entitativo in ſe, quia ſic ſunt ligna & lapides, vel colores. Reſp. 2. deberi ſimul proponi Prototipum & exemplar, vt iſtud ſit ratio adorandi eas. Patet, quia ſolum ſunt adorabiles ratione ipſius. Reſp. 3. poſſe proponi, quatenus Imago eſt intelligibiliter ipſa res repręſentata, ipſa inquam & non aliud ab ipſa intelligibiliter: de quo ſupra à num. 1518. & in tract. de ſcientia Dei quæſt. 1. Proponi autem poſſunt Imago & Prototipus dupliciter. Primo vterquè in recto & involutè & per modum vnius: & ſic ſæpè oramus Chriſtum in Imagine, alloquimurquè cum ea abſquè vlla diſtinctione, vt cum ipſiſſimo Chriſto. Secundo modo, Imago in recto vt repræſentans Chriſtum in obliquo, & tunc adoramus illam ratione iſtius. Sed prior modus communior & facilior eſt. Et tunc primo modo adoratio eſt abſoluta totius. Secundo modo eſt reſpectiva. Vtroquè autem modo adoranda eſt etiam Imago ipſa vt quod (& hoc eſt quod docet Eccleſia contra Hæreticos) & non ſolus Chriſtus coram Imagine, vt malè docet Durandus.

2345 Quæres 5. an adoratio Duliæ & Latriæ ſint eiuſdem ſpeciei, elicitæ ab eodem habitu Religionis? Plures negant, quia ex D. Thom. Religio ſpecificatur à ſolò Deo, vbi autem excellentia ſpecificat cultum, & in illa eſt tanta diverſitas increatæ & creatæ, etiam virtutes erunt diverſæ, ſicut & charitas proximi, ſi non ſit de illo propter Deum, ſed quia proximus eſt, etiam apud multos eſt virtus diverſa à charitate Dei.

2346 Ex dictis ſequitur, quod dictum eſt de adoratione Imaginum, dici de nomine *IESV* & *MARIÆ*, adorari poſſe eos in ipſis: abſolutè, ſi involutè ſumantur; & reſpectivè ſi in obliquo. Idem de Templis, & de iuſtis ſi pręſciſſe vt Templa Dei ſumantur (præſcindendo à ſanctitate ipſorum) tunc enim adorabuntur Latria modo dicto. Et hæc de adoratione, & de toto tractatu Incarnationis.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

INDICEM QVÆSTIONVM PRIMÆ PARTIS INVENIES ANTE FOLIVM PRIMVM.

QVÆSTIONVM ET ARTICVLORVM HVIVS ſextæ diſtinctionis de Incarnatione Index.

TRACTATVS de Incarnatione altera pars, ſeu diſtinctio 6. fol. 171.

QVÆSTIO XXX.

De potentia Animæ Chriſti, num. 1609.

Art. 1. Aliqui errores confutantur, ibid.

Art. 2. An Chriſtus vt homo ad opera ſuperna phyſicè, vel ſolùm moraliter concurrat? num. 1616.

Art. 3. Argumenta, num. 1621.

Art. 4. Noſtra ſententia, num. 1629.

QVÆSTIO XXXI.

Quos defectus corporis aſſumpſerit Chriſtus? num. 1641.

QVÆST. XXXII.

De Chriſti impeccabilitate, num. 1648.

Art. 1. An peccaverit de facto? ibid.

§. 2. An potuerit de facto? Et quare non? nu. 1657.

Art. 2. & §. 1. Proponuntur ſententiæ 1 & examinatur Scotiſtica, de eo quod attenta ſola vi vnionis Chriſto non repugnet peccatum? n. 1662.

§. 2. ſeu 3. Solvuntur argumenta contra iſtam ſententiam, num. 1679.

§. 4. Alia argumenta ſolvuntur, num. 1692.

Art. 3. Noſtra ſententia, num. 1697.

Art. 4. & §. 1. Advertentia pro Schotiſtis, num. 1716.

§. 2. Argumenta ſolvuntur, num. 1725.

Art. 5. Alia concluſio circa impeccabilitatem, n. 1732.

Art. 6. De alijs peccabilitatem concernentibus, n. 1741.

QVÆSTIO XXXIII.

De libertate Chriſti, præcipuè in præceptis, num. 1743.

Art. 1. An in Chriſto potuerit eſſe præceptum obligans in conſcientia? num. 1744.

Art. 2. & §. 1. Diverſæ viæ componendi præceptum de morte cum impeccabilitate, num. 1755.

§. 2. Aliæ ſententiæ: vbi de ſenſu compoſito, n. 1765.

§. 3. Noſter primus modus componendi, num. 1776.

Art. 3. & §. 1. De alio modo libertatis Chriſti in re præcepta: vbi advertentiæ valdè notabiles de libertate in communi, num. 1787.

§. 2. Illationes & replica, num. 1793.

§. 3. Multa de libertate ex tract. de ſcientia Dei, num. 1800.

Art. 4. & §. 1. Noſtra ſententia de poſſe peccare mixto in Chriſto: vbi plura de libertate, num. 1803.

§. 2. Solvitur replica, num. 1810.

§. 3. Quomodo pro poſſe peccare mixto ſint diſponenda comprincipia: vbi iterum de ſenſu compoſito, num. 1816.

§. 4. Argumentū commune difficile, ſolvitur, n. 1823.

Art. 5. & §. 1. Quomodo cohæreat cum viſione Beata libertas in Chriſto, quoad præcepta & quoad conſilia? num. 1830.

§. 2. Impugnatur ſententia Schoti, num. 1841.

§. 3. Noſtra ſententia, num. 1845.

Art. 6. Argumentum contra libertatem ſumptum à perfectione morali, num. 1854.

§. 2. Noſtra ſententia, num. 1866.

§. 3. De non immutatione iudicij indifferentis, num. 1872.

EPILOGVS QVÆST. 32. & 33.

De impeccabilitate & libertate Chriſti, n. 1881.

Punct. 1. Præmiſſis quæ certa ſunt, examinatur ſententia Schotiſtarum? num. ibid.

Punct. 2. Noſtra ſententia de impeccabilitate Chriſti. num. 1886.

Punct. 3. Difficultas pro concordia libertatis Chriſti cum impeccabilitate, præcepto & viſione, nu. 1895.

Punct. 4. & §. 1. Cardo concordiæ, inveſtigata eſſentia libertatis, num. 1899.

§. 2. De viſione Beata, num. 1906.

Punct. 5. Concordia triplex, num. 1911.

QVÆST. XXXIV.

De motivo Incarnationis & de merito Chriſti, num. 1915.

Art. 1. & §. 1. Incarnationis motivum problematicè eſt redemptio vel excellentia myſterij, num. 1916.

§. 2. De ſecunda parte problematis, num. 1925.

§. 3. Vlterius ſtabilitur prædictorum concordia decretorum, num. 1935.

Art. 2. De merito Chriſti: & quæſtiones aliquæ ex parte merentis, num. 1946.

Art. 3. & §. 1. Quid Chriſtus meruerit ſibi? num. 1958.

§. 2. Quomodo componantur duo textus D. Thomæ? num. 1970

§. 3. De gloria corporis & alijs, num. 1978.

Art. 4. & §. 1. Quid Chriſtus meruit alijs? num. 1990.

§. 2. Quid hominibus? num. 2005.

§. 3. Quid de poſſibili? num. 2010.

§. 4. An plura præmia ſubſtantialia non purè creata? num. 2030.

Art. 5. & §. 1. Per quos actus meruit Chriſtus? nu. 2037.

§. 2. de auxilijs datis Crucifixoribus, num. 2054.

Art. 6. Nodi difficiles, num. 2063.

§. 1. De merito ſolutivo, ibid.

§. 2. Noſtra ſententia, num. 2074.

§. 3. Argumenta contraria, vbi iterum de decreto intentivo, num. 2081.

§. 4. Solvitur argumentum de milite, num. 2096.

§. 5. Advertentiæ, num. 2108.

QVÆST. XXXV.

De oratione Chriſti, num. 2119.

Art. & §. 1. Aliqua dubia, an oraverit & nunc oret? ibid.

§. 2. Quid ſentiendum? num. 2130.

Art. 2. De petitione Verbi ab æterno nomine Humanitatis, num. 2139.

§. 1. Paratur via tantæ difficultati: vbi an Chriſtus vt homo oraverit pro Patribus tempore le præcedentibus, num. 2139.

§. 2. Aliæ ſolutiones, num. 2147.

Art. 3. & §. 1. Eligitur via in ſcholis non trita de acceptatione & petitione Verbi ab Æterno, nomine Humanitatis, num. 2153.

§. 2. De petitione Verbi ab æterno nomine Humanitatis, num. 2164.

§. 3. Argumenta contraria, num. 2167.

Art. 4. & §. 1. Aperitur via pro oratione petitiva Chriſti vt hominis; vbi aliqua de libertate, nu. 2177.

§. 2.

Digitized by Google

283

§.2. Argumenta ſolvuntur, num. 2188.
§.3. Quid de Chriſto in Cœlo, num.2002.
QVÆST. XXXVI. ET ART. I.
De Chriſto vt Sacerdote & Rege, num.2012.
Art. 2. Via nova; vbi alia de Sacerdotio, num.2020.
Art. 3. De Regno temporali Chriſti, num.2031.
Art. 4. Aliqua inferuntur, num.2042.
QVÆSTIO XXXVII.
De ſervitute Chriſti, num.2052.
Art. 1. Aliqua prænotantur, & ſententiæ proponuntur, num.2053.
Art. 2. Argumentum difficillimum ex Epiſtola Adriani & ex Concilio Francofordienſi, nu. 2065.
§.1. Incipit argumentum, num.2066.
§.2. Alias reſponſiones impugnat, num.2077.
Art. 3. & §.1. Pro ſolutione argumenti aliqua notantur, num.2082.
§.2. De ſenſu ſervitutis, num.2095.
Art. 4. & §.1. Solvitur argumentum, num. 3004.
§.2. Alia replica ex Concilio, num.3112.
§.3. Solvitur alia difficilis replica, num.2121.
Art. 5. Argumenta à ratione, num.2130.
Art. 6. Noſtra ſententia, num. 2140.
§.2. Argumenta; vbi problematicè de ſervitute, num. 2145.
QVÆSTIO XXXVIII.
De Filiatione Chriſti, num.2151.
Art. & §.1. Chriſtus vt homo non eſt Filius adoptivus Dei, num. 2152.
§.2. Probatio à ratione, & aliqua argumenta contraria, num. 2162.
§.3. Alia argumenta Scotiſtarum, num.2171.
§.4. An adoptio Scotica ſit digna cenſura, nu.2182.
Art. 2. An Chriſtus vt homo ſit Filius naturalis Dei num. 2188.
Art. 3. & §.1. An Chriſtus vt homo ſit Filius proprius? num.2198.
§.2. Cuius & quomodo Chriſtus ſit Filius proprius proceſsionaliter? num.2209.
§.3. Excluduntur aliorum viæ, num. 2222.
§.4. Aliæ explicationes: vbi nonnulla pro Scotiſtis, num. 2227.
Art. 4. & §.1. De prædeſtinatione Chriſti, num.2239.
§.2. Aliæ ſolutiones impugnantur, num.2245.
§.3. Reſolutio difficultatis, num.2256.
QVÆSTIO VLTIMA.
De Chriſti adoratione, num.2264.
Art. 1. Præambula de adoratione vt ſic, num. ibid.
Art. 2. Qua adoratione adoretur Chriſtus vt homo? ſed Humanitas Chriſti? num. 2274.
Art. 3. Reſpondetur ad argumentū ſupra poſitū, nu.2285.
Art. 4. Aliæ quæſtiones de humanitatis Adoratione, num.2292.
Art. 5. & §. 1. De Adoratione Beatiſsimæ Virginis, & Sanctorum, num.2306.
§. 2. De Adoratione Sanctorum, num.2316.
Art. 6. & §. 1. De Adoratione Imaginum, & Reliquiarum: vbi cur non ſit imago Spiritus Sancti? num.2321.
§. 2. De cultu Imaginum, & Reliquiarū, num. 2331.
§. vlt. Quæſtiones aliæ de Adoratione, num.2341.

INDICEM RERVM PRIMÆ PARTIS INVENIES à fol. 164.

INDEX ALPHABETICVS

Rerum magis notabilium, quæ in hac Poſtrema Parte de Incarnatione, & Diſtinctione ſexta continentur.

NVMERVS INDICAT MARGINALEM.

A

Accidens.

Accidentia ſolo numero diſtincta, non ſemper repugnant eſſe ſimul in eodem ſubiecto, num.2053. Quando repugnant? Ibid.

Actio.

In quo ſenſu actiones dicantur eſſe ſuppoſitorum? num. 1670. & 1671. Dignitas perſonæ nō refunditur in quaſvis actiones, nu.1027. In quas? & quam certa ſit refuſio? Ibid.

Actus.

Quilibet actus meritorius Chriſti eſt in actu primò condignus omni præmio poſsibili purè creato, num.2021. de præmio non purè creato, quid? à num.2022. ſententiæ, ibid. Sententia Patris Bernal examinatur, Ibid. & num. ſeqq. Quilibet actus meritorius Chriſti mereri poteſt vnum præmium non purè creatum, num.2035. Vno tamen exhauriretur, eius cogdignitas, num. 2030. Diſcurſus in oppoſitum ſingularis, num.2036. Deſeritur, ibid.

Actus notionales liberi proprij Perſonarū in Trinitate admittendi, num.2167. Explicantur, ibid. & nu. ſeqq. Multipliciter illuſtrantur, à num. 2168. & 2169.

Admiratio.

Quem locum habere potuit admiratio in Chriſti Humanitate? num. 1640.

Adoratio.

Adoratio, quid? num.2264. Eſt quædam ſpecies honorationis, num.2265. Quos actus importet? num.2266. Poteſt internè compleri, à num.2267. Quotuplex? num. 2268. Chriſti vt hominis adoratio, conſiderata tripliciter, num. 2276. Chriſtus adorandus adoratione Latriæ, à num.2278. Item Humanitas vt vnita Verbo, à nu. 2279. Humanitas in aliquo ſenſu adorari poteſt Latria reſpectiva, num. 2293. An phyſicè & licitè adorari poſsit inferiori cultu, nempè Hiperduliæ propter alios inferiores excellentiæ gradus? latè, 2295. Mens Auctoris ex ſpeciali motivo, à num. 2302. Adoratio Beatiſsimæ Virginis. Vide *MARIA, Imago, Reliquiæ, Sancti.*

Adoratio Pontificis quotuplex & qualis? num. 2348.

Adoptio.

Quid ſit adoptio? num.2162. Quæſtionis, an Chriſtus vt homo ſit Filius adoptivus, triplex ſenſus, num. 2152. Adoptio Chriſti vt hominis, damnatur à Concilio Francofordienſi, & ab Eccleſia, à num. 2153. & à num. 2157. Quid requirat gratia habitualis ex parte ſubiecti ad denominationem adoptivi? num. 2165.

Scotus videtur admittere adoptionem in Chriſto, nu. 2152. Conatus Scotiſtarum pro Duce ſuo, à num. 2163. Cenſuræ Theologorum, num.2181. Mens Auctoris circa men-

Digitized by Google

mentem Scoti, à num.2182. Benigna interpretatio adoptionis Scotiſticæ, num.2184. in ſenſu Scoti adoptio non eſt digna cenſura, ibid. & ſeqq.

Adrianus.

Mens Adriani Pontificis circa ſervitutem Chriſti, expenditur à negantibus ſervitutem, à num.2066. Examinatur pro ſervitute ab Auctore latiſsimè, à num. 2082. Quam ſervitutem excluſerit Adrianus? à num.2095.

Altare.

Chriſtus Dominus etiam eſt Altare ad ſacrificium Sacerdotis, & in quo ſenſu? à num. 2102.

Amor.

Amor Beatificus non fuit in Chriſto meritorius, num. 2041. Diverſæ rationis, & ſpeciei ab amore viæ: & cur? num. 2045. Defenditur iſta diverſitas latè, à num.2046. Meruit Chriſtus per actum amoris regulatum ex directione ſcientiæ infuſæ, num.2042.

Angelus.

Angelorum peccatum, quale? nu.1992. Angeli ex meritis Chriſti acceperunt omnia gratiæ & gloriæ dona, num.1992. In quo ſenſu dici poteſt Chriſtus pro Angelis mortuus? num.2001. & 2004.

Appetitus.

Quomodo ſint agnoſcendæ in Chriſto Paſsiones animæ, ſeu affectus appetitus? & quales? à num.1644.

Auxilium.

Quænam & quomodo data ſint auxilia Crucifixoribus Chriſti ex ipſius patientis meritis ad deſiſtendum ab inferenda ipſi morte? à num. 2054. Doctrina V. Mariæ à Ieſu, ſeu de Agreda denegato Crucifixoribus auxilio, num.2056. Explicatur ab Auctore in bono ſenſu, ibid. & rurſus, num.2116.

Impoſsibilitas evitandi omnia venialia ſine ſpeciali Dei auxilio quomodo cum libertate cohæreat? à num. 2058. Vndè naſcitur? ibid.

B

Beatitudo.

Duplex, num.2256. Explicatur vtraque, ibid.

Beatus.

Beatus & Heterius reſiſtunt in Hiſpanijs Elipando, num.2078.

Beatificus.

Vide *Amor, Status, Viſio.*

Bonoſus.

Bonoſus Neſtorianæ hæreſis Auctor, num.2079.

C

Cauſa.

Cauſæ inſtrumentalis, ſeu inſtrumenti phyſici varia ratio, num.1624. Explicantur ſingulæ ſpecies, ibid. Operari cauſam in diſtans, nulla per medium virtute diffuſa implicat, num.1631. Cauſarum duplex genus, num.1787. Vide *Libertas, Poſsibile, Potentia.*

Cauſalitas.

Cauſalitas Chriſti vt hominis ad opera ſuperna. Vide *Chriſtus.* Sacramentorum cauſalitas phyſica, num.1639. Modus iſtius cauſalitatis, ibid. & num.1640. Cauſalitas phyſica ſuſpenſiva, num.2020. Vide *Sacerdos Sacrificium.*

Chriſtus.

Concurſus Chriſti vt hominis, ad opera ſuperna, expenditur, num. 1616. Qualis fuerit circa opera ſuperna facta ante adventum ipſius? Ibid. Stabilitur iſte concurſus phyſicus in omnia & ſingula opera miraculoſa à num.1629.

Quos defectus corporis aſſumpſerit Chriſtus, & quos non? à num. 1641. Regula quoad hæc ſervanda, nu.1642. & num.1643.

Nullum in Chriſto fuiſſe peccatum de fide eſt, à num. 1648. Quomodo in ſcripturis peccata generis humani Chriſtus appellet ſua? num. 1651. Vide *Impeccabilitas, Vnio, Habitus.*

Præceptum obligans in conſcientia in Humanitate Chriſti poſsibile, à num. 1744. & rurſus à num. 1745. Oſtenditur multipliciter de facto quoad mortem, à num. 1745. Vide *Præceptum.* Libertas Chriſti in ordine ad opera præcepta cum impeccabilitate componitur, à nu.1804. & num. 1899. & 1981. Eiuſdem libertatis Chriſti cum viſione Beata concordia, num.1830. Vide *Libertas, Status, Imperfectio.*

Decretum de Chriſto vt Redemptore ante præviſum abſolutè peccatum, non repugnat, à num 617. & rurſus, num. 1917. Ex tali decreto nullus colligi poteſt peccati amor. Vide *Decretum.*

Chriſtum meruiſſe, de fide eſt, num. 1950. Meruit à primo Conceptionis inſtanti incluſivè, vſquè ad vltimum inſtans vitæ, num.1951. & ſeqq. Quid, quibus, & per quos actus meruit, vide *Meritum.*

Chriſtum oraſſe in hac vita, certum eſt, num.2119. Etiam pro ſe, num.2124. An etiam nunc in Cœlo? à num. 2125. Vide *Oratio.*

Chriſtus Dominus an fuerit in actuali exercitio ſcientiæ infuſæ quoad omnia objecta, eorumquè ſingulas circunſtantias? à num. 2179. Pars negativa proponitur à nu.2181. & illuſtratur numeris ſeqq. Defenditur à n.2188.

Chriſtus Dominus Sacerdos, Hoſtia, Templũ & Altare, à num.2012. Vide *Sacerdos.* Chriſtus Rex, Iudex. Vide *Rex, Iudex.*

Chriſtus vt homo, quouſquè ſervus & Filius. Vide *Adoptio, Servus, Filius.*

Vide de Chriſto ſingula fore verba Indicis.

Concilium.

Rationes, quibus Theologi vtuntur ad ſuadendam in Concilio veritatem definiendam, non ſunt veritates definitæ, num.1671.

Concilij Francofordienſis auctoritas quanta ſit, à num. 2069. Eius mẽs circa ſervitutẽ Chriſti, à n.2066. & n.2082. Damnata eſt in ipſo Concilio adoptio, à nu.2153. & ſeqq.

Concurſus.

Vnio Hypoſtatica non obſtat quo minus Deus præparet concurſum indifferentẽ ad tranſgreſsionem præcepti, num.1812. Quæ poſsibilitas ſufficit vt ei præparet Deus concurſum indifferentem; & quæ impoſsibilitas non officit, ibid.

Concurſus Chriſti vt hominis ad opera ſuperna, expenditur num. 1616. qualis fuerit circa opera ſuperna facta ante adventum Chriſti, ibid. Stabilitur concurſus Humanitatis Chriſti Domini in omnia & ſingula opera miraculoſa & ſuperna, à num.1629. Vbi modus iſtius concurſus multipliciter explicatur, ibid.

Contractus.

Contractus & materia contractus quàm diverſæ res, num. 2100. Quatenus ſufficiat voluntas eum in alio, tamquam in capite ad valorem contractus & moralem libertatem, ibid. & ſeqq. rurſus num.2170.

Contradictio.

Plura quæ contradictionem præ ſeferunt, nullam important, num.1719. Aſsignatur regula generalis pro dignoſcenda contradictione apparenti, vel reali actuum, ibid.

Crux.

Crux quo cultu adoranda? à num.2321. Non omnis ſimilitudo ad Crucem ſufficit ad Crucis Imaginẽ, n.2324.

D

Decretum.

Decretum de Chriſto vt Redemptore ante præviſum abſolutè peccatum non repugnat, num. 637. & rurſus, num.1917. Ex tali decreto, nullus colligi poteſt peccati amor, ibid. Argumentum in oppoſitum valdè ſubtile ſolvitur cum advertentijs valdè notandis, à num.1919.

In negotio Incarnationis, duplex decreti genus, eſſentis & fuiſſentis, num. 1935. Etiam Adamo non peccante Chriſtus veniſſet, num.1936. Auctoritas pro hac ſententia num. 1937. Quo ſenſu intelligendi Patres, dum vnicè aſsignant pro motivo Incarnationis redemptionem, à num.1938.

Ordo decreti intentivi & executivi, à num.2083. quando decretum intentivum non differt ab executivo? ibid. Decreti purè intentivi & executivi multiplex diſcrimen, nu.2084.

Digitized by Google

num.2084.& num.2085. Vtilitas diſtinguendi eos ordines, ibid.& num.2086.

Defectus.

Quos defectus corporis aſſumpſerit Chriſtus & quos non? à num.1641. Regula quoad hos ſervanda, num.1642. & num.1643.

Denominatio.

Humanitas nequit ab Omnipotentia denominari omnipotens; nec inmenſa ab inmenſitate, num.1612.& 1613. Et cur? ibid.& num.ſeq.

Denominationes complexæ in duplici differentia, nu. 1824. & 1826. Maximè attendendæ pro dignoſcenda earum libertate, ibid.

Deſiderium.

Affectui deſiderij, quæ rei futuritio aut propoſitio ſufficit, num.2177.

Dignitas.

Dignitas perſonæ non refunditur in quaſvis actiones, num.2027. in quas? & quam certa ſit iſta refuſio, ibid.

Diſpenſatio.

Petitio diſpenſationis de præcepto impoſito ſibi à Patre Chriſto poſsibilis & libera, à num.1776. Petitur ex inde concordia præcepti cum libertate, ibid. ad vſquè 1786.

Dominium.

Dominij indirectum & vtile diviſio, num.2038. Et à curata explicatio Auctoris, ibid.& num.ſeqq. Dominium & poteſtas Regia Chriſti Domini ſuperioris ordinis poteſtate & dominio aliorum Regum, à num.2042. Ex multiplici capite, ibid.

Donatio.

Donatio liberabilis quid in rigore importat? nu.2101. Quæ onerofitas obſtet gratuitati donationis & quæ non obſtet, num.2102.& ſeqq. Vbi plurima ſatis vtilia & ſubtilia, ibid. num.2104.

E

Elias.

N. P. Elias viſus eſt in Choro Cæſarauguſtani Conventus aſsiſtere, num.2320.

Elipandus.

Elipandi & Fœlicis error, à nu.2066. & rurſus à 2081. Servitus ab Elipando in Chriſtum inducta, Neſtorianiſmum continet, à num.2087.& ſeqq. Iterum a num.2095. Reſipiſcientia Elipandi, num.2081.

Euchariſtia.

Euchariſtici ſacrificij proprietas explicata, num.2024. & 2025.

Excellentia.

Excellentia myſterij primarium motivum Incarnationis, à num. 1925. Quæ noviſsimè impulerint Auctorem in hanc ſententiam, à num. 1620. Cur permiſſerit Deus circa rem hanc inter Doctores Eccleſiæ tantam diverſitatem? à num.1933.

Executio.

Ordo executivi & intentivi decreti, quando executivus ab intentivo non differt, vtriuſquè multiplex diſcrimen & vtilitas diſtinguendi eos ordines. Vide *Decretū.*

F

Fœlix.

Fœlicis & Elipandi error, à nu.2066. & rurſus à 2081.

Filiatio & Filius.

Circa Filiationem Chriſti vt hominis quam variæ ſententiæ, num. 2151.

Chriſtus vt homo Filius naturalis formaliter & per ſe; non vero formaliter conſtitutivè, num.2195.& 2196. Conſtitutivè formaliter eſt Filius proprius, contradiſtinctè à naturali & adoptivo, à num.2198.

Filius ex parte termini, & Filius proceſsionaliter, qua diverſa? à num.2209. Rurſus 2229.

Chriſtus vt homo proceſsionaliter vnicè eſt Filius Proprius Patris Æterni, num.2209. Quo ſenſu dici poſsit Filius totius Trinitatis? à num.2212.

Circa modum quo Chriſtus vt homo ſit Filius naturalis, varij dicendi & diſcurrendi modi, à num.2222. Impugnantur, ibid.& à num.2227.

Similitudo generica quoad naturam non ſufficit ad proprietatem generationis, aut geniti vel Filij, à n 2212. & rurſus à num. 2224.

Inſinuatur via ſpecialis declarandi conceptum generationis, & rationem cur ſecunda Perſona præ tertia ſit Filius? num.2223.

Filiatio adoptiva Chriſti vt hominis damnatur à Concilio Francofordienſi, & ab Eccleſia, nu.2153.& à nu.2157. Quid ſit Filiatio adoptiva, & reliqua ad adoptionem pertinentia, vide verb. *Adoptio.*

Fomes.

Fomes in actu primo & in actu ſecundo, nu.1741. Quid vterquè? ibid. Repugnat Humanitati Chriſti, num 1743. Motus circa obiecta inhoneſta in Chriſto nulli, ibid.

Francofordienſe Concilium.

Mens Adriani Papæ & Concilij Francofordienſis circa ſervitutem Chriſti expenditur à negantibus ſervitutem, à num. 2066. Ab Auctore pro ſervitute latiſsimè examinatur à num. 1082. Quam ſervitutem excluſerint Adrianus & Synodus Francofordienſis, à nu.2095. Auctoritas Concilij Francofordienſis quanta ſit, à num.2069.

Fuga.

Chriſti mors ſecundum ſe potuit eſſe obiectum honeſtæ fugæ, num.1656.

G

Generatio.

Ad proprietatem generationis, aut geniti non ſufficit ſimilitudo generica quoad naturam, à num. 2212. & à 2224.

Declaratur ſpecialiter conceptus generationis, n.2223. Vbi de ratione cur ſecunda Perſona præ tertia ſit Filius. Vide rurſus, num.2316.

Gratia.

Gratiæ habitualis ſeu formæ ſanctificantis, qualis ſit acceſſus ad Deum, & in qua linea? num.1693.

Gratia habitualis, & habitus infuſi influunt in actus iuſti pro inſtanti determinato præceptos, illæſa libertate, num. 1737. Explicatur modus tuendi eorum libertatem, ibid. & num.1738.

Mereri potuit ſibi Chriſtus gratiam habitualem, & per quos actus? num.1961. De facto non eam meruit, à num. 1964. Concordia locorum Divæ Thomæ circa rem hanc, à num.1970. Tentatur à multis, à num.1971. Datur ab Auctore, num.1976.

Quid requirat gratia ex parte ſubiecti ad denominationem adoptivi? num.2165.

H

Habitus.

Habitus infuſi influunt in actus iuſti pro inſtanti determinato præceptos, illæſa libertate, num.1737. Modus eorum libertatem tuendi explicetur, ibid. & num.1738.

Habitus tam vitioſus quam erroneus in Chriſto repugnat, etiam divinitus, num.1747.& 1749. Aſsignatur multiplex repugnantiæ caput, ibid.

Hæreticus.

Qui nam fuerit error Hæreticorum. Vbiquiſtarum? nu. 1609. Expungitur num.1610.

Hoſtia.

Chriſtus Dominus Sacerdos, Hoſtia Templum & Altare, à num. 2012. Explicatur quomodo Hoſtia, ibid. & num.ſeq. Vide Sacrificium.

Humanitas.

Concurſus Chriſti vt hominis ad opera ſuperna expenditur, num. 1616. Qualis fuerit circa opera ſuperna facta ante adventum Chriſti, ibid.? Stabilitur concurſus phyſicus Humanitatis Chriſti Domini in omnia & ſingula opera, miraculoſa & ſuperna, à num.1629. Vbi modus iſtius concurſus multipliciter explicatur, ibid.

Quam & quomodo Chriſti Domini Humanitas diffundat virtutem per medium quando operatur in diſtans ad opera ſuperna? à num.1632.

Fomes repugnat Humanitati Chriſti, num. 1743. Et

etiam motus quilibet circa objecta inhoneſta, ibid.

Verbi Divini ab Æterno tamquam capitis ipſius Humanitatis aſſumendę tutela deſcribitur, à num. 2157. Adſtituitur Verbum Divinum ab Æterno caput Humanitatis & Tutor, cum legitimitate contrahendi nomine ipſius, ibid. Senſus Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & V. Mariæ de Agreda de hac capitali tutela, num. 2157. 2158. 2172. & 2166. & ſeqq. Fūdatur hęc oppinio in Scriptura, à num. 2158. & ratione, ibid. Verbum ab Æterno nomine Humanitatis contractus cum Patre celebrat, admittit, perit, acceptat, ibid. Vtilitas huius doctrinæ Maxima, à n. 2153. Difficultates contra ipſam ſoluťę, à n. 2167.

I

Imago.

Imago quid requirat, à num. 2323. Vbi ſubtilitates aliquæ, & cur Spiritus Sanctus non procedat vt Imago, à nom. 2326. Imagines adorandæ, à num. 2321. & 2331. Quo cultu? ibid. Quemodo? num. 2344.

Diſcrimen inter Imagines & Reliquias, à num. 2321.

Immenſitas.

Immenſitas nequit Humanitatem denominare immenſam, num. 1612. & 1613. & cur? ibid. & ſeqq.

Impeccabilitas.

Impeccare & peccatum eſſe alioquin impoſsibile, compoſibilia ſunt, num. 1657. Doctrina valdè notabilis, ibid. & à nu. 1902. In Chriſto non fuit expedita peccandi potentia & cur? num. 1658.

Impeccabilitas Humanitatis ex vi donorum certa eſt, à nu. 1658. Ex vi vnionis, negatur ab Scoto, nu. 1660. Scoti ſententia proponitur, ibid. & latius à num. 1662. Suadetur à num. 1663. Defenditur à num. 1679. ad vſquè 1696. Deſeritur tamen, à num. 1699. Specialiter num. 1704. & à num. 1706.

Explicatur qualis fuerit incompatibilitas vnionis hypoſtaticæ cum peccato, num. 1681. Vbi duplex vnius cum alio incompatibilitas diſtinguitur, radicalis & formalis: & explicatur vtraquè, ibid. Peccatum diſſolutivum aut impeditivum vnionis hypoſtaticæ, non eſt poſsibile, à num. 1732. & num. 1739. & cur? ibid.

Præcepti obligantis in conſcientia & libertatis cum impeccabilitate Chriſti concordia valdè difficilis, num. 1743. Tentatur à multis, à num. 1755. Malè petitur à negatione præcepti, ibid. Malè à ſola libertate quoad circumſtantias, num. 1759. Malè à paritate prædeterminationis, à num. 1765. a num. 1765. Malè à paritate prædefinitionis regulatę per ſcientiam mediam, à num. 1769. Exponitur ab Auctore duplici via, à num. 1776. Altera qua ſequitur alios: alia noviſsima, qua neminem habet quem ſequatur, num. 1789. & rurſus in Epilog. nu. 1899. & 1912. Vide libertas.

Imperfectio.

Imperfectio moralis quid ſit? nu. 1854. & 1855. & ſeqq. Fuit Chriſto phyſicè aliquomodo impoſsibilis, nu. 1866. Quomodo cum iſta impoſsibilitate moralis imperfectionis componatur poſsibilitas oppoſiti, & libertas? à num. 1868. & 1869.

Impoſsibile.

Effectus liber poteſt eſſe impoſsibilis comparativè ad cauſas mediatas & remotas, quamvis debeat eſſe poſsibilis comparativè ad cauſas proximas. num. 1787. & 1788. & ſeqq. Impoſsibilitas à remotis non obſtat libertati, ibid. Ad impoſsibile non datur poſſe, quo ſenſu intelligendum, num. 1802. & rurſus num. 1810.

Incarnatio.

De Incarnationis motivo ſententia, num. 605. & rurſus num. 1916. ſententia Auctoris, à num. 1917. & 1925.

Primarium motivum Incarnationis, excellentia myſterij, à num. 1915. Vide Excellentia.

Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis ſenſus in extaſi acceptus de primo decreto Incarnationis, eiuſquè motivo, à num. 1925. Venerabilis Mariæ de Agreda ſenſus idem, à num. 1930. In negotio Incarnationis duplex decreti genus eſſentis & ſuiſſentis. Vide *Decretum.*

Paſsibilitas vel ipſius diſpenſatio non eſt circunſtantia, ſed propter eas Incarnationis & adventus Chriſti; num. 1943. Et quomodo? ibid.

Infinitùm.

Infinitudo meritorum Chriſti, confirmatur num. 1947. Cur ipſis effectiva proceſsio à cauſis finitis, non impediat infinitatem in linea obſequij? num. 1949. Inter infinita ſimpliciter, inæqualitas nu. 2028. Vnde poſsit oriri? Ibid.

Inſtrumentum.

Inſtrumenti phyſici varia ratio, num. 1624. Explicantur ſingulæ ſpecies, ibid.

Index.

Poteſtas iudiciaria Chriſti, num. 2037. Quo tempore Chriſtus eam exercuerit, ibid. & num. 2048.

Iuſtitia.

Iuſtitiæ motivum ſpecificativum, num. 2104.

L

Libertas.

Libertatis concordia cum præcepto obligante in conſcientia & impeccabilitate Chriſti valdè difficilis, num. 1743. Vndè malè, & vndè benè petatur, vide impeccabilitas. Eſſentia exponitur, num. 1787. Effectus liber debet eſſe poſsibilis comparativè ad cauſas proximas & poteſt eſſe impoſsibilis comparativè ad mediatas & remotas, ibid. & num. 1788. & ſeqq. In negotio libertatis attendenda maximè eſt linea virium ſeu cauſæ proximæ, & linea cauſæ remotæ, ibid. Impoſsibilitas à remotis non obſtat libertati, ibid.

Componitur libertas Chriſti in ordine ad opera præcepta cum impeccabilitate, num. 1804. & ſeqq. & in Epilog. num. 1899. & 1911.

Libertas non requirit quod vtrumquè extremum contradictionis ſit poſsibile exercitè, num. 1744. Sufficit ſi alterum ſit exercitè poſsibile; & alterum ſolum ſignatè, ibid. & ſeqq. Solvuntur ex hac doctrina plures paralogiſmi, à num. 1796. & à num. 1802. Impoſsibilitas non proveniens à cauſis proximis ſeu à linea virium vndecumquè proveniat, non obſtat libertati actionis; à nu. 1788. & 1802. Quo ſenſu intelligendum ad impoſsibile non datur poſſe, num. 1802. & rurſus num. 1810.

Libertas non tollitur prædefinitione Dei, non quidem quia evitabile, ſed quia non immutat proxima comprincipia, à num. 1813.

Libertatis Chriſti cum viſione Beata concordia difficilis, num. 1830. Vndè difficultas? ibid. & num. ſeqq. Viſio Beata videtur obſtare iudicio indifferenti, num. 1831. & ſeqq. Quomodo à multis ſolvatur difficultas? à num. 1832. Auctoris mens, à num. 1840. & 1906. & 1912.

Viſio Beata non ſolum moraliter, ſed etiam phyſicè neceſsitat ad amorē, à nu. 1835. Componitur in Chriſto cum iudicio indifferenti requiſito ad libertatem, à num. 1846. Modus componendi ex diſpenſatione duplici ſtatus in Chriſto, Viatoris ſimul & Beati, ibid. & numer. ſeqq. Vide *Viſio.*

Ad meritum requiritur libertas proxima formalis, à num. 1841. Iſta neceſsitas eſt indiſpenſabilis, ibid. Oppoſita Scoti ſententia omninò ſingularis de Chriſto, à nu. 1835. Impugnatur à num. 1841.

Quomodo cum impoſsibilitate moralis imperfectionis componatur poſsibilitas oppoſiti & libertas, à num. 1868. & 1869.

Iudicij indifferentis cum viſione Beata compoſitio tentatur per ſuſpenſionem aliarum cognitionum in portione Viatrice, à num. 1872. Suadetur his diſcurſus ratione & exemplo, num. 1873. & 1875.

Impoſsibilitas evitandi omnia venialia ſine ſpeciali Dei privilegio quomodo cum libertate cohæreat, à num. 2058.

Conciliatur modus orandi pro rebus re ipſa præteritis cum indifferentia Iudicij requiſiti ad libertatem, à num. 2188.

Liberalitas.

Donatio liberalis, quid in rigore importat? nu. 2105. Quæ onerofitas obſtet gratitudini & Quæ non obſtet? num.

nu.2102.& ſeqq. Vbi plurima ſatis vtilia & ſubtilia, ibid.

M

Mariæ Deipara.

Quo cultu adoranda? a n. m. 2306. Hyperdulia debetur: & ex quot titulis? Ibid. An Latriæ cultu adorabilis ſit? a num.2307. Mens Auctoris, num.2311.

Maria Magdalena de Pazzis.

Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis ſenſus in extaſi acceptus de primo decreto Incarnationis, eiuſquè motivo, a num.1925.

Maria à Ieſu de Aggreda.

V. Mariæ de Aggredæ ſenſus circa primum decretum Incarnationis, eiuſquè motivum.

Doctrina denegato Crucifixoribus auxilio gratiæ, nu. 2056. Explicatur in bono ſenſu, ibid. Et iterum nu.2116.

Meritum.

Ad meritum requiritur libertas proxima formalis, à num.1841. Eſt indiſpenſabilis iſta neceſsitas, ibid. Oppoſita Scoti ſententia omninò ſingularis de Chriſto, a num. 1836. Impugnatur, à num.1841.

Meriti definitio, num.1946. Meriti conditiones, ibid. Diviſio in remunerandum & ſolitivum, a nu.2063. vtriuſquè exacta conſideratio, num.2066. & 2067. Meriti remunerandi cauſalitas ad inſtar efficientis quo ſenſu intelligenda? num.2072. Meriti ſolutivi conceptus exploditur, a num.2074. Componuntur ſine ipſo difficultates pro quibus inventum eſt, latè a num.2082. & rurſus num.2096. Exornatur argumento celebri Militis anticipatè accipientis arma vt vincat & ſolvat, a num.2097.& ſeqq.

Infinitudo meritorum Chriſti, confirmatur num.1947. Cur ipſis effectiva proceſsio à cauſis finitis, non impediat infinitatem in linea obſequij, num. 1949. Chriſtum meruiſſe de fide eſt, num.1950. Meruit à primo Conceptionis inſtanti incluſivè, vſquè ad vltimum inſtans vitæ, num.1951.& 1952. & 1953. Non meruit in vulnere lateris, & cur? num.1955. Per quos actus meruit, a nu. 2037.

Chriſtus Dominus nec de cõgruo quidem Incarnationem meruit, a num.714.& rurſus nu.1958. Potuit tamen, num. 1959. Mereri ſibi potuit gratiam habitualem, & per quos actus, num.1961. De facto non meruit, à nu.1964. Concordia locorum Divi Thomæ, à num.1970. Tentatur à nonnullis, a num.1971. Datur ab Auctore, num.1976. Res eadem poteſt haberi & titulo meriti, & titulo proprietaris, num.1962.

Meruit ſibi Chriſtus gloriam corporis, & exaltationem nominis, a num.1978. Nequè dignitatem capitis, nequè poteſtatem Sacerdotalem accepit ex meritis & cur? à num.1988. quidquid gratiæ, gloriæ, donorum, cuicumquè creaturæ datum eſt poſt Chriſtum prævisum, datum eſt ex meritis ipſius Chriſti, a num.1990. Elegans comparatio inter vim meritivam Chriſti & Omnipotentiam Dei, ibid. Angelis etiam meruit omnia dona gratiæ & gloriæ, a num.1991. Chriſtus prædeſtinatis meruit prædeſtinationem ipſam, non ſolum quoad effectus, ſed quoad ipſum actum Dei, num.2007.& num.2009. latè.

Quilibet actus meritorius Chriſti eſt in actu 1. condignus omni præmio poſsibili purè creato, nu.2011. De præmio non purè creato, quid? a num.2022. Sententiæ, ibid. Sententia Patris Reinal examinatur, ibid. & num. ſeqq. Quilibet actus meritorius Chriſti, mereri poteſt vnum præmium non purè creatum, nu.2035. Vno tamen exhauriretur eius condignitas, num.2030. Diſcurſus in oppoſitum ſingularis, num.2036. Deſeritur, ibid.

Amor Beatificus non fuit in Chriſto meritorius, num. 2041. Meruit Chriſtus per actum amoris regulatum ex directione ſcientiæ infuſæ, num.2042.

Temporalis anticipatio præmij ad meritum, quomodo explicanda in linea meriti remunerandi, a num. 2076. Specialiter, num.2081. Remiſsivè diſcrimen inter merita infinita, & finita non ſufficit, ibid. & numer.ſeqq.

Anticipatio doni ad obſequium in humanis raro ſe poteſt habere vt præmium reſpectu meriti, & cur? nu.2087.

Principium meriti nequit cadere in meritum, nu.2108. Illationes ex indè quoad bonum vſum gratiæ, nu.2109.

Miraculum.

Stabilitur cõcurſus phyſicus Humanitatis Chriſti Domini in omnia & ſingula opera miraculoſa & ſuperna, à num.1629. Vbi modus iſtius concurſus multipliciter explicatur, ibid.

Supponi miraculum, vt aliquod opus fiat, & opus eſſe miraculoſum, diverſa ſunt, num. 1684. Vbi doctrina ſubtilis & notanda.

Chriſti mors dupliciter conſideratur, num.1646. Secundum ſe potuit eſſe obiectum honeſtæ fugæ, ibid.

Motivum.

De motivo Incarnationis ſententiæ, num.605. & rurſus, a nu.1916. Sententia Auctoris, a nu.1917. & 1925.

Primarium motivum Incarnationis excellentia myſterij, a num.1925. Quæ noviſsimè impulerint Auctorem in hanc ſententiam, a num. 1936. Cur permiſerit Deus circa rem hanc inter Doctores Eccleſiæ tantam diverſitatem, num.1935.

De motivo Incarnationis ſenſus Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, a num. 1925. Senſus circa idem Venerabilis Mariæ de Aggr. a num.1930.

N

Natura.

Natura & naturæ conditio, quomodo differant? n.2113.

Notio.

Notionales actus proprij Perſonarum in Trinitate, admittendi, a num.2167. Explicatur latè, ibid.& n.2168.

O

Obedientia.

Obedientia propria reſpicit præceptum proprium, num. 1757. Satisfit PP. oppoſitum inſinuare viſis, n.1758. Quo ſenſu PP. dixerint ex nutu ſolo ſuperioris, colligi perfectionem obedientiæ, ibid.

Omnipotentia.

Nequit Humanitas ab Omnipotentia fieri Omnipotens, num.1612.& 1613. & cur? ibid. & numer.ſeqq.

Operatio.

Operari in diſtans nulla per medium virtute diffuſa, implicat num.1631. Quam, & quomodo Chriſti Domini Humanitas diffundat virtutem per medium, quando operatur in diſtans, ad opera ſuperna? a num.1632.

Ordo.

Ordo decreti intentivi executivi, a num.2083. Vtilitas diſtinguendi eos ordines, num.2084. 2085. 2086.

Oratio.

Oratio quid? num.2121. Oraſſe Chriſtum in hac vita certum eſt, num.2119. Etiam pro ſe, num.2124. An etiam nunc in Cælo, a num. 2125. Rei difficultas ab Auctore propoſita, a num.2130. Deciſio per doctrinas valdè notabiles, à num. 2002. Oratio Chriſti efficax & abſoluta ſemper eſt exaudita, num.2134. Non autem omnis inefficax, ibid.& numer.ſeqq.

Orationis circa res alioqui præteritas arduitas & difficultas, à num.2139. Ponderatur ab Auctore, à nu. 2143. Explicatur ſenſus Eccleſiæ, dum pro præteritis videtur orare, a num.2146. & rurſus à num.2148. Aperitur nova diſcurrendi via pro communi ſententia, à num. 2153. & altera rurſus, à num. 2177. Ex eo quod Chriſtus Dominus non fuerit in actuali exercitio ſcientiæ infuſæ quoad omnia obiecta, eorumquè ſingulas circumſtantias conciliatur modus orandi pro rebus re ipſa præteritis, à num. 2188.

P

Paſsibilitas.

Paſsibilitas vel ipſius diſpenſatio non eſt circumſtantia, ſed proprietas Incarnationis & adventus Chriſti num.1943. & quomodo? ibid.

Paſsio.

Quomodo ſint agnoſcendæ in Chriſto Paſsiones animæ ſeu affectus appetitus? & quales, à num.1644.

Peccatum.

Nullum in Chriſto fuiſſe de fide eſt, à num.1648. Quomodo in Scripturis peccata generis Humani Chriſtus appellet ſua, num.1652.

Poſſe peccare & peccatum eſſe alioquin impoſſibile, compoſſibilia ſunt, num. 1657. Vbi doctrina valdè notabilis.

Qualis fuerit incompatibilitas vnionis hypoſtaticæ cum peccato, num.1681.

Peccatum diſſolutivum aut impeditivum vnionis hypoſtaticæ, non eſt poſſibile, à num.1732. & num.1739. & cur? ibid.

Impoſſibilitas evitandi omnia peccata venialia ſine ſpeciali Dei privilegio quomodo cum libertate cohæreat, à num.2058. Vndè naſcitur? ibid.

Axioma Arauſicani: nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum, quo ſenſu intelligendum? nu.2117.

Petitio.

Petitio diſpenſationis de præcepto impoſito ſibi à Patre Chriſto poſſibilis & libera, à num. 1776. petitur ex inde concordia præcepti cum libertate, ibid. ad vſquè 1786. Duplex petitionis genus, num.1173. Quam ſumiſſionem importet, ibid. Vide *Verbum.*

Poſſibile.

Poſſibile logicè & poſſibile phyſicè, ſeu reſpectivè ad cauſas, in quo differant? num. 1787. Poteſt res concipi poſſibilis in linea cauſæ proximæ, & eſſe impoſſibilis à remotis, ibid. & rurſus, à num.1817.

Pœna.

Reatus pœnæ æternæ ne divinitus quidem componi poteſt cum hypoſtatica vnione, num.1751.

Pœnæ & præmij diſcrimen quoad poſsibilitatem anticipationis, num.2088.

Potentia.

Potentia & concurſus Chriſti vt hominis ad opera ſuperna expenduntur, num.1616. Qualis fuerit circa opera ſuperna facta ante adventum Chriſti his concurſus, ibid. Vide concurſus & operatio.

Impoſſibilitas à remotis non obſtat potentiæ liberæ ſeu libertati, num.1787. Vide libertas.

Potentia triplex: Proxima: Remota: & Mixta, à num. 1789. Explicantur ſingula membra, ibid. & ſeqq.

Potentia proxima mixta peccandi, ſeu potentia peccandi ſolum ſignatè quid ſit? num.1790. & 1792. Data eſt in Chriſto non obſtante impeccabilitate, à num. 1804. Componitur per hanc potentiam libertas Chriſti in ordine ad opera præcepta, cum impeccabilitate, ibid. & ſeqq. & in Epilogo n.1899. & 1911. Quomodo diſponenda & aptanda eſt in Chriſti Humanitate, n.1817. 1818. & ſeqq.

Poteſtas.

Regia poteſtas Chriſti Domini ſuperioris ordinis poteſtate aliorum regum, à num.2042. Ex multiplici capite, ibid. Vide Regnum.

Poteſtas Chriſti Domini ſpiritualis & temporalis, num. 2043. Poteſtas ſpiritualis in Chriſto plura munera comprehendit, num. 2044. Præcipuè explicantur ibid.

Poteſtas iudiciaria Chriſti, num. 2047. Quo tempore Chriſtus exercuerit, ibid. & num.2048.

Præceptum.

Præceptum obligans in conſcientia in Humanite Chriſti poſſibile, à num.1744. & rurſus à num.1755. Fuit tale de facto quoad mortem, & alia à num.1745. Oſtenditur multipliciter, ibid.

Obligatio præcepti in conſcientia, quid importet? num.1746.

Præceptum de ſubeunda morte in Chriſto Domino pro redemptione generis humanis fuit ex naturali obligatione charitatis, & cur? num. 1756. Obedientia propria reſpicit præceptum proprium, num. 1757. Satisfit PP. oppoſitum inſinuare viſis, num.1758. Quo ſenſu PP. dixerint ex nutu ſolo ſuperioris colligi perfectionem obedientiæ? ibid.

Præcepti obligantis in conſcientia, & libertatis cum impeccabilitate Chriſti concordia valdè difficilis, n.1743.

Tentatur à multis, à num.1745. Malè petitur à negatione præcepti, ibid. Malè à ſola libertate quoad circunſtantias, num.1759. Malè à paritate prædeterminationis, à num. 1765. Malè à prædeterminationis regulatæ per ſcientiam mediam, à num. 1769. Exponitur ab Auctore duplici via, à num. 1776. Altera, quâ ſequitur alios: alia noviſsima, quæ neminem habet quem ſequatur, num. 1789. & rurſus in Epilogo num. 1899. 1911. Petitio diſpenſationis de præcepto impoſito ſibi à Patre Chriſto poſſibilis & libera, à num.1776. Petitur exinde concordia præcepti cum libertate, ibid. ad vſquè 1786.

Prædeſtinatio.

Chriſtus prædeſtinatus meruit prædeſtinationem ipſam, non ſolum quoad effectus, ſed quoad ipſum actum Dei, num.2007 & num.2009. latè.

Prædeſtinatio Chriſti, in quo ſenſu ventilanda, à num. 2239. Prædeſtinatum eſſe, ſimpliciter dici de Chriſto poteſt, num.2240. Quid de prædeſtinatione Humanitatis ad gratiam & gloriam n.2241. Quid de locutione: Hic homo prædeſtinatus eſt, vt eſſet Filius Dei naturalis? à n.2242. Proponitur difficultas, à num.2243. Variæ ſolutiones, à num.2244. Auctoris mens & ſolutio, à num.2256. Prædeſtinatio, alia eſt explicativa formaliter; alia involuta & in alio, num.2256. Explicatur vtraquè, ibid. & num. ſeqq. In quo ſenſu prædeſtinationis poſſit admitti locutio illa celebris? à num.2258.

Prædefinitio.

Prædefinitio Dei non tollit libertatem, non quidem quia evitabilis, ſed quia non immutat proxima comprincipia, à num.2819.

Præmium.

Præmium duplicis generis: purè creatum, & increatum, num.2020. Explicatur vtrumquè, ibid.

De Chriſti merito circa vtrumquè præmium, vide Meritum.

Temporalis anticipatio præmij ad meritum quomodo explicanda in linea meriti remunerandi, à num. 2076. Specialiter num.2081. remiſsivè diſcrimen inter merita infinita & finita non ſufficit, ibid. & ſeqq.

Anticipatio doni ad obſequium in humanis rato ſe poteſt habere vt præmium reſpectu meriti; & cur? num.2087.

Præmij & pœnæ diſcrimen quoad poſsibilitatem anticipationis, num.2088.

Q

R

Reatus.

Reatus æternæ pœnæ nec divinitus quidem componi poteſt cum hypoſtatica vnione, num.1751.

Reduplicativ.

Particulæ reduplicantis vis, num.2188. Varietas dum applicatur Chriſto vt homini, ibid. & num.ſeqq. Reduplicatio nō ſemper cadit ſuper phyſicas formas, ſed ſupra formale complexi metaphyſici, num.2189. & 2190.

Regnum & Rex.

Rex Chriſtus Dominus, num.2032. Regnum & Regia poteſtas Chriſti directa & dominativa in Chriſto qua homine, placet Auctori, à num.2032. Et multipliciter probatur, à num.2033. Formaliter non conſiſtit in vnione hypoſtatica, num.2036.

Regia poteſtas Chriſti Domini ſuperioris ordinis poteſtate aliorum Regum, à num.2041. Ex multiplici capite, ibid.

Reliquiæ.

Quomodo differant ab Imaginibus hic? nu.2321. Quomodo adorandæ? ibid.

S

Sacerdos.

Poteſtatem Sacerdotalem nequaquam accepit ex meritis

Digitized by Google

ritis Chriſtus Dominus, & cur? a num. 1988.

Sacerdos Chriſtus Dominus, num. 2012. Explicatur Sacerdotium Chriſti Domini, ibid. & ſeqq. Quo ſenſu dicatur, & ſit Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, a num. 2027.

Formalis conſtitutio Chriſti in Sacerdotem non conſiſtit in vnione hypoſtatica, & cur? num. 2026. Eius Sacerdotium ſpecie diverſum, a num. ibid.

Sacramentum.

Sacramenta phyſicè cauſant gratiam, num. 1639. Et modus, ibid. & nu. 1640. Quo ſenſu Sacramēta fluxiſſe ex vulnere lateris Chriſti dicenda ſunt? num. 1955.

Sacrificium.

Rigor & proprietas mactationis, & ſacrificij in Sacerdotio Chriſti, non explicatur ſatis per cauſalitatem moralem mortis ſuæ, a nu. 2017. Explicatur ab Auctore per cauſalitatem phyſicam ſuſpenſivam, a num. 2020.

Sacrificij Euchariſtici proprietas explicata, num. 2024. 2025.

Sanctitas.

Formæ ſanctificantis, qualis ſit acceſſus ad Deum, & in qua linea? num. 1693. Sanctitatis duplex genus, num. 2212. Alia eſt propria Filiorum, alia eſt ſanctitas purè conſecrationis, & munditiei, ibid. Sanctitas propria Filiorum quid importet? ibid. & rurſus, a num. 2235. Vnio hypoſtatica ſolum eſt ſanctitas conſecrationis, num. 2208.

Sanctus.

Sanctorum adoratio, de fide, num. 2316. Qualis eſſe debeat? ibid. Quomodo ad Sanctos pervenit notitia noſtrarum precum? num. 2320.

Chriſtus.

Chriſtus Dominus an fuerit in actuali exercitio ſcientiæ infuſæ quoad omnia obiecta, eorumquè ſingulas circunſtantias? a num. 2179. Pars negativa proponitur, à num. 2181. & illuſtratur, num. ſeq. Defenditur, a num. 2188. Conciliatur exinde modus orandi pro rebus re ipſa præteritis, & indifferentia iudicij requiſiti ad libertatē, ibid.

Scotus.

Impeccabilitas ex vi vnionis, negatur ab Scoto, num. 1660. Scoti ſententia proponitur, ibid. & latius, a n. 1663. Defenditur, a num. 1679. Deſeritur, a num. 1699. Specialiter, num. 1704. & a num. 1706.

Scotus videtur admittere adoptionem in Chriſto, nu. 2152. Conatus Scotiſtarum pro Duce ſuo, a num. 2163. Cenſuræ Theologorum, num. 2182. Mens Auctoris circa mentem Scoti, a num. 2182. In ſenſu Scoti adoptio non eſt digna cenſura, num. 2184.

Scoti ſententia circa prædeſtinationem Chriſti vt hominis ad eſſe Filium naturalem, num. 2243. Difficile eius argumentum, ibid. Solutiones inutiles, a num. 2244. ad vſquè 2255. Soluitur ab Auctore, a num. 2256.

Servus.

Servitus quid importet? num. 2053. Quotuplex? num. 2060. Quid ſit ſervitus naturalis, quid legalis? num. 2060. & 2061. Quid ſervus in ſenſu vulgari, quid inquid dativo & eſſentiali? a num. 2140.

De Chriſti ſervitute quam ardua quæſtio? a nu. 2058. Mens Adriani Papæ, & Concilij Francofordienſis circa ſervitutem Chriſti, expenditur à negantibus ſervitutem, a num. 2066. Examinatur pro ſervitute ab Auctore, à num. 2082. Quam ſervitutem excluſſerint Adrianus & Synodus, a num. 2095. Servitus ab Elipando in Chriſtum inducta Neſtorianiſmum continet, a num. 2087.

Circa ſervitutem Chriſti ſententia Auctoris, a num. 2140, Chriſtus vt homo ſervus attenta definitione eſſentiali ſervitutis, ibid. Non vero accepta ſervitute vulgariter, num. 2144. Cur in veteri Teſtamento toties expreſſa fuerit Chriſti ſervitus, numquam in Novo? num. 2139.

Defenditur tādem ab Auctore problematicè in Chriſto ſervitus, à num. 2148. Fundamenta problematis, ibid. & num. ſeqq.

Spiritus Sanctus.

Cur Spiritus Sanctus, tertia Perſona Trinitatis, præ ſecunda, nequè ſit Filius, nequè procedat vt Imago? num. 2213. & num. 2316.

Status.

Status duplex in Chriſto, Viatoris ſimul & Beati, num. 1846. Exponitur armonia & inconfuſio duplicis iſtius ſtatus, ratione, ſimilitudine, & exemplis, ibid. & num. ſeqq. Status Viatoris in Chriſto per quam ſcientiam dirigatur? à num. 1848. Mirabilis compoſitio cum ſtatu Beati, à num. 1845.

Supernum.

Concurſus Chriſti vt hominis ad opera ſuperna, à num. 1616. Eſt Filius & vniverſaliſſimus, a num. 1619.

A cæteris donis ſupernis poteſt divinitus ſeparari vnio hypoſtatica, num. 170.

Suppoſitum.

In quo ſenſu actiones dicantur eſſe ſuppoſitorum? num. 1670. 1671.

T

Thomas.

Divi Thomæ ſententia de motivo Incarnationis? num. 605. & rurſus, num. 1916.

D. Thomas multa problematicè dixit, num. 2050. Non cenſendus à D. Thoma diſcedere, qui moraliter ſecurus eſt de eius ſententia, ibid. Dictum Franciſci Victoriæ Dominicani de quadam ſententia S. Thomæ, ibid.

Timor.

Quid timor donum, & Timor, paſsio? num. 1659. Specificativum vtriuſquè, ibid. & num. 1751.

V

Vbiquiſta.

Error Vbiquiſtarum, num. 1609. Expungitur, n. 1610.

Veniale.

Impoſsibilitas evitandi omnia venialia ſine ſpeciali Dei privilegio, quomodo cum libertate cohæreat? à num. 2056. Vndè naſcitur? ibid.

Verbum.

Verbi Divini ab æterno tanquam capitis Humanitatis aſſumendæ, tutela deſcribitur, a num. 2157. Aſſtruitur Verbum Divinum ab æterno caput Humanitatis & Tutor, cum legitimitate contrahendi nomine ipſius, ibid. Senſus circa hæc Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzi, & V. Mariæ de Aggr. num. 2157. 2162. & 2166. Fundatur hæc oppinio in Scriptura, à num. 2158. Et ratione, ibid. Verbum ab Æterno nomine Humanitatis contractus cum Patre celebrat, admittit, petit, acceptat, ibid. Vtilitas huius doctrinæ maxima, à num. 2153. Difficultates contra ipſam, à num. 2167. Solvuntur, ibid.

Viator.

Vide *Status.*

Viſio.

Ex vi viſionis, impeccabilitas Humanitatis eſt certa, à num. 1658.

Libertatis Chriſti cum viſione Beata concordia difficilis, num. 1830. Vide difficultas? ibid. Viſio Beata videtur obſtare iudicio indifferenti, num. 1831. & ſeqq. Quomodo multis ſolvatur difficultas? à num. 1732. Auctoris mens, à num. 1846. & 1906. & 1912.

Viſio Beata non ſolum moraliter, ſed etiam phyſicè neceſsitat ad amorem, à num. 1835. Componitur cum iudicio indifferenti requiſito ad libertatem, a num. 1846. & rurſus, novo diſcurſu, à num. 1872. Viſio Beatifica an pati poſsit ſucceſsionem in repræſentando? à num. 2005. Quorum fuerit pars affirmativa? ibid. Explicatur exemplo opportuniſsimo, num. 2006.

Vitium.

Vide *Habitus.*

Vnio.

Ex vi vnionis impeccabilitas negatur ab Scoto. Vide *Impeccabilitas, Scotus.*

Qualis fuerit incompatibilitas vnionis hypoſtaticæ cum peccato? num. 1681. Vnio hypoſtatica ſeparari poteſt divinitus à cæteris donis, num. 1701. Licit alioquin non ſit formalis ſanctitas, impoſsibilitat Humanitati peccatum, num. 1704. Quantum, & quomodo? num. 1706.

Peccatum diſſolutivum aut impeditivum vnionis hypoſtaticæ,non eſt poſsibile: & cur? à num.1732.& 1739. Vide *Habitus, Reatus*.

Vnio hypoſtatica non immutat modum operandi Humanitatis,nec pertinet ad lineam virium,num.1812.Nec obſtat quo minus Deus præparet concurſum indifferentem Humanitati ad tranſgreſsionem præcepti, ibid.

Vnio hypoſtatica non eſt formalis conſtitutio Chriſti in Sacerdotem, vel in Regem,num.2026.& 2036.

Vnio hypoſtatica ſolum eſt ſanctitas conſecrationis, num.2208.& iterum, à num.2236.

Voluntarium.

Voluntarium per ſe & in capite, num.2154. Explicatur vtrumquè, ibid. Quatenus ſufficiat voluntarium in alio, tanquam in capite,ad valorem contractus, & moralem libertatem, ibid. & ſeqq. Rurſus,num.2170.

F I N I S.

Digitized by Google

ſummam gratiam habitualem & gloriam , ſummamquè creatam ſanctitatem. Non eſt ſe n talis adoratio ſit phyſicè poſsibilis.Si enim humanit. proponatur per ſe ſolam , præſcindendo omninò ab vnione ad Verbum, non eſt dubium quod voluntas eam,ſic propoſitam poſsit velle venerari,& in re adorare. Cumquè talis adoratio eſſet ſolùm ratione excellentiæ ſanctitatis creatæ eximiæ , non poterat eſſe alia quam Hiperdulia. Difficultas ſolum eſt an talis adoratio advertenter facta eſſet licita?Duplex eſt ſententia.

2296 Prima ſententia negat.Tenent eam Bonaventura, Raguſa,Granado, Lugo, Bazquez ; & ex noſtris Thomas Vbaldenſis tom.3.de Sacramentalibus,cap.119. & Orlando quæſt.3.Probant. 1. quia quilibet debet honorari iuxta maiorem excellentiam,quam habet à parte rei,& non iuxta noſtras præſciſsiones Nam aliter non colitur decenter. Vt v.g. ſi quis ſit ſimul Comes & Rex, non colitur decenter ſummiſsione & cultu debito Comiti præſcindendo à debito Regi. 2. quia Chriſtum in concreto non bene colit quis ſola Hiperdulia , excuſans ſe , quod in mente ſolum intenderet eā adorationē ratione ſanctitatis createę præſcindendo ab increata. 3. quia aliàs poſſet etiam Humanitati negare omnem Cultum dicens,quod conſiderabat illā purè per ſua naturalia , præſcindendo ab alijs ſupernis: quæ ſanè dura ſunt.

2297 4 Quia talis adoratio licèt poſſet eſſe honeſta ex probabili opinione contraria (de quo non eſt ſermo) ſecus ab intrinſeco,cum ſit per ſe cultus diminutus, ac per conſequens irreverenter colens. 5. quia ſi poſsit res adorari Hiperdulia & Latria reſpectiva (vt B. Virgo ratione ſui,& vt Mater reſpectivè propter Filium) ideò eſt quia in ſe non habet titulum maiorem , licèt eum habeat in alio ſuppoſito diſtincto. Atqui Humanitas habet in ſe,& intrinſecè inexiſtenter,maiorem. Ergo ſi non propter iſtum, diminutè,ac per conſequens irreverenter adoratur.

2298 Secunda ſententia affirmat,quàm tenet Suarez & alij.Probatur 1. ex Divo Thoma quæſt. 25. hic art.2. dicente ; eandem Perſonam Chriſti adorari duplici adoratione , ſcilicèt Latriæ propter Divinitatem,& dulię propter perfectionem Humanitatis. 2.quia Humanitas Chriſti, provt veſtita donis creatis poteſt amari ratione ſui ſolum, cū vt ſic ſit valdè bona & honeſta.Ergo adorari ratione ſui propter talem ſanctitatem creatam.Conſequentia probatur,quia adoratio non ſtat in ſolo actu externo,qui dum ſit verſus ſuppoſitum , non poteſt phyſicè fieri verſus vnam partem & non verſus aliam : ſed ſtat in tali actu externo, provt directo ab intentione adorantis,quę intentio poteſt eſſe præſciſsiva inter partes , non minus quam amor. Vt patet in turificatione facta verſus Sanctum Michaelem tenentem Diabolum ſub pedibus,quæ licèt fiat verſus totam ſtatuam , limitatur ab intentione turificandi Michaelem & non Diabolum.

2299 Tertio , quia ſi aliquid impediret, ne adoratio poſsit determinari ad Humanitatem propter excellētiam creatam, præ Verbo, eſſet quia ſummiſsio teſtificativa ſit toti,& quando quis habet plures dignitates,non licèt eum colere propter inferiorem, præſcindendo ab alijs,ſed debet cultus eſſe iuxta ſuperiorem. Vndè debet cultus eſſe iuxta maiorem & proportionatus maiori. Atqui hoc non ſemper eſt verum, ergo. Probatur minor exemplo adducto ab aliquibus Authoribus de Rege Hiſpanię,qui eſt Canonicus Legionenſis,& ſedet in Choro cum alijs Canonicis in loco ſuæ antiquitatis,& tractatur ibi non iuxta Dignitatem Regiam , ſed iuxta Canonicalem. Sed ne aliquis reſpondeat Canonicalem vtpotè Sacram eſſe maioris Ordinis, ideò (quidquid ſit de hoc exemplo) ponamus aliud in concurſu Vniverſitatis Salmanticenſis vel alterius ſimilis, vbi non ſolùm Canonicus , ſed etiam Archiepiſcopus vel Epiſcopus in tali congreſſu ſedet in loco ſui Doctoratus,& tractatur vt Doctor,& non vt Epiſcopus. Vbi clarè cernitur,quod licèt actio externa reverentiæ erga ipſum, ſit ei toti,limitatur tamē iuxta minorem dignitatem Doctoratus,& non iuxta maiorem Epiſcopatus. Ex quibus patet,quod non repugnat præciſsio in adoratione.Ratio autem à priori eſt , quia cum illa minor excellentia verè ſit bona & honeſta,& adorabilis ratione ſui,verè poterit exhiberi propter illud motivum. Nec verum eſt quod talis adoratio & cultus ſit diminutus,ſitquè tractare Perſonam irreverenter. Oppoſitum enim patet in exemplo adducto de Epiſcopo in congreſſu Vniverſitatis.

2300 Tandem probatur,quia Humanitas poteſt rogari à nobis vera oratione (quæ eſt cultus Religioſus & ſubmiſsionis) propter ſe ipſam , & laudari propter magnam gratiam & gloriam ſuam creatas. Ergo & poterit adorari ob eaſdem,ac per conſequens,adoratione Hiperdulię.Reſpondebis conceſſo antecedenti , negando conſequentiam, quia eſt diſpar ratio : nempè quia oratio non tractat oratum nec deprimit orati dignitatē,quaſi eum coæquet cum orante.At ſi Comes v.g.Regē,qui ſimul eſt Comes & Rex, tractet in cultu vt Comitem,non curando de dignitate Regia, illum deprimit , & æquat ſecum , ac per conſequens irreverenter ſe habet ad illum. Adoratio ergo deprimit adoratum ad menſuram adorationis,quod erga Regem eſt irreverentia;ſecus oratio oratum ad menſuram orantis.

2301 Sed contra 1. quia ſicut adoratio ex communi acceptione,ſit Suppoſito pleno,ita & oratio.Eccleſia enim in Litanijs invocat D.Petrum, non vero animam Divi Petri.Secundo quia ſicut adoratio deprimit (non ſemper ſed aliquando) adoratum ad menſuram tituli adorationis , ita & oratio. Si enim in Capitulo Canonicorum Legionenſium,vel Vniverſitatis, aliquid eſſet per vota providēdum, poſſet vnus vocalis Regem Canonicum , vel Epiſcopum qua Capitulares & vocales rogare , vt ſuffragium ferrent pro tali concurrente;& tunc oratio ex parte motivi etiam deprimeret eos ad æqualitatem tituli cum rogante. Ergo quantum ad hoc nulla apparet diſparitas.

2302 Fateor,reſolvendi hanc quęſtionem,difficultatem. Nihilominus vt aggrediamur eā,nota,Perſonam adorandā (vt circa titulos & modum adorationis procedatur dignè & reverenter erga illam , dum proceditur anatomicè) ſumi poſſe,vel abſolutè,vel cum addito.Non cum quolibet addito, ſed cum addito expreſsivo, & per aliquod ſignum teſtificativum ſe tenente ex parte rei adoratæ ; ita vt tale ſignum ſufficienter teſtetur Perſonam tunc proponi , non vt adorandam ſecundum ſe & iuxta ſuam plenam ſive maiorem dignitatem,ſed potius iuxta minorem , vt patet in exemplis adductis. Tale enim ſignum conſignificativum limitationis, expreſſe quaſi proteſtatur tunc proponi vt limitatè adorandam , reſervando tamen illi expreſſe alios titulos maiores,quos aliàs habet,pro alia adoratione;& ſic ſine aliorum titulorum præiudicio, imò eorum iure reſervato Si enim talis proteſtatio deeſſet , irreverenter procederetur circa illam Perſonam,ſi adoratio inferior fieret coram alijs,& ſic adorari tunc appareret irreverens alijs.

2303 Aſſero ergo 1. Nemo poteſt adorari abſolutè,niſi iuxta maiorem dignitatem. Ita prima ſententia.Probatur, quia ita habet vſus communis, taliter quod ſi abſolutè & ſine proteſtatione omittatur adoratio maior,eſt quia ex communi vſu ſupponitur quod Perſona careat titulo altiori.Aſſero 2.Cum addito limitationem ad talem titulum cōſignificante,benè poteſt.Ita ſecunda ſententia Ratio eſt, quia talis limitatio conſignificativa,ſupponit fieri ſine pręiudicio,imò cum reſervatione iurium ad altiorem adorationem. Aſſero 3. in mente poteſt quis adorare Humanitatem ob dona creata qua talia. Ratio eſt , quia talis vel advertit in ea alios titulos altiores,vel non ? Si non, licèt procedat diminutè , procedit quantum ad hoc invincibiliter.Si advertit,ſufficiēter cēſendus eſt quod adoret,reſervatis alijs iuribus. Aſſero 4. coram alijs non eſt licita per ſe adoratio Hiperduliæ reſpectu Humanitatis , quia cum

lis

Digitized by Google

lis fuerit de hoc apud Hæreticos, periculoſum eſt illis acquieſcere, licèt cum proteſtationibus valdè expreſsivis poſſet eſſe licita.

2304 Ad argumenta contraria reſpondetur, concedendo in adoratione vt licitè fiat, attendendam eſſe maiorem dignitatem dum eſt fienda abſolutè, ſecus quando cum iuſta cauſa facienda eſt cum addito reſervativo, quia tunc poteſt aliter fieri, vt probatum eſt. Dixi *cum iuſta Cauſa*, quia ſi iſta non adſit, gignitur ſuſpicio alicuius coluſionis, & de eo quod illa reſervatio iurium ad maiorem cultum, non ſit ſincera, ſed potius affectata & cabiloſa, poteritque excitare, ſi ſit inter homines, iurgia & ſcandala. Vndè adhuc cum fit ex iuſta cauſa (vt v.g. in exemplis adductis de Canonicatu Legionenſi, & congreſſu Epiſcopi Doctoris in Vniverſitate) tunc illa honorationis limitatio, ſolum eſt facienda in præſcriptis à lege vel conſuetudine, v. g. in æqualitate ſedendi iuxta ſuum ordinem, & accipiendi purificationem vel propinam, ſecus in alijs non præſcriptis, v.g. in tractatione vrbana verbali: ſi enim Miniſter tunc aloquens Doctorem, dicat ei: *Audiat veſtra dominatio*, Epiſcopo non dicet ſic, ſed *audiat veſtra Illuſtriſsima dominatio*, (ſi in his, æqualitas honorationis verbalis nō ſit præſcripta.) Nec talis adoratio limitata, eſſet diminuta, ſed proportionata tali addito, iuxta legem vel conſuetudinem.

2305 Confirmatur, quia ſicut in oratione mentali poteſt quis anatomicè adorare Latria ſeorſim Caput Chriſti, pedes Chriſti, manus Chriſti, vt ſic omnia Chriſti maneant adorata ſecundum integralia, diſtinctis adorationibus; ita ex eodem fine poſſet omnia ſubſtantialia anatomicè adorare ſic: *Adoro tuam Humanitatem propter magnam gratiam & gloriam, quibus decorata eſt.* Item adoro ipſam propter vnionem ad Verbum inexiſtens ei. Inſuper adoro ipſum Verbum in ea. Et tandem adoro totum Chriſtum ex illis conſtitutum. Idem dici poteſt de Sacramento Euchariſtiæ, ſi quis intenderet venerari ipſum interno affectu & adoratione, & ſingulas eius partes, ſic: Primo adoro ſpecies ipſas, vt ſigna ſenſibilia gratiæ. 2. ipſas vt continentes Chriſtum intra ſe. Inſuper, ipſum Chriſtum contentum in illis. Et tandem totum Sacramentum ſive complexum ex ſpeciebus elevatis & Chriſto. Vbi in vtraquè meditatione, tres vltimæ adorationes eſſent Latria, ſecus prima. Quæ tamen reſpectu obiecti propoſiti vt adorandi, non propterea eſſet diminuta vt iam eſt dictum, ſiquidem eſſet cum reſervatione iurium, iam explicata.

ART. V. ET §. I.

DE ADORATIONE BEATISSIMÆ VIRGINIS & Sanctorum.

2306 CERTVM eſt 1. de Fide, Beatiſsimam Virginem adorari debere, non quidem Dulia communi ſed Hiperdulia, ſive cultu ordinis valdè altioris propter extraordinariè eximiam excellentiam & dignitatem ſuam coaleſcentem ex triplici titulo. Primus eſt ſuæ ſingulariſſimæ ſanctificationis in vtero, pertingentis vſquè ad originalem iuſtitiam. Secundus eſt propter mirabilem eius gratiam & gloriam, excedentem omnes Angelos & homines Sanctos. Tertius eſt dignitas Maternitatis à ſe promeritæ ſibi inexiſtens, in qua fundatur dignitas Dominæ & Reginæ Angelorum & hominum.

2307 Dubitari poteſt, an Beata Virgo vt Mater Dei poſsit adorari Latria reſpectiva, vltra Hiperduliam per quam adoratur ratione ſui? Ratio dubitandi eſt pro parte affirmativa. Primo, quia poteſt concipi iuxta reſpectum & relationem ſpecialem, quem vt vera & realis Mater dicit, ad Filium. Maternitas enim ex conceptu ſuo eſt aliquid dignitatis reſpectivum ad Filium, inducens ad honorationem & ſubmiſsionem præſtandam ei propter Filium. Talis autem adoratio ſub hoc conceptu, cum ſit propter Filium, eſt Latria, & cum non ſit abſoluta, debet eſſe reſpectiva. Secundo Crux adoratur propter contactum ad Chriſtum; qui contactus multo maior & ſtrictior fuit in Virgine reſpectu Chriſti, cum non fuerit ſolum contactus localis & contiguitatis, ſed phyſice & ſubſtantialis generationis, atquè nutritionis ex proprio ſanguine & lacte. Ergo ſtrictior titulus fuit in Virgine quam in Cruce, ad hanc adorationem Latriæ reſpectivæ.

2308 Nec obeſt, quod ab Eccleſia numquam ſit Beatæ Virgini data talis adoratio Latriæ reſpectivæ, ſicut Cruci data eſt. Hoc enim nihil probat, quia Eccleſia, nè foveret ſuſpicionem aliquorum hæreticorum B. Virginem tamquam Deam colentium, prudentiſsimè abſtinuit ab adoratione Latriæ, etiam reſpectivæ. Et propter hanc cauſam Sanctus Epiphanius, hæreſi 78. & 79. repræhendit in Sifia, quaſdam Mulieres ob ſacrificium & libationes quas B. Virgini offerebant in ſignum adorationis. Vndè ſicut ex eo quod Eccleſia ob ſcandalum hæreticorum, non petat à Chriſto vt oret pro nobis, non probatur quod non oret, ex dictis ſupra num. 2126. ita nec ex eo quod ob eandem rationem Eccleſia non tribuat B. Virgini Latriam reſpectivam ſicut Cruci, non probatur quod non ſit capax ipſius.

2309 Pro parte negante arguitur 1. Quia quando natura aliqua eſt capax propriæ adorationis propter ſe (ſicut eſt quævis natura rationalis) nequit ei tribui alius cultus reſpectivus propter alium. Patet, quia ſolum propter hanc rationem labia Iudæ proditoris, non ſunt capacia adorationis Latriæ reſpectivæ, propter oſculum datum Chriſto in facie, nec manus crucifigentium Chriſtum propter contactum ad ipſum, (ſed de his exemplis §. vltimo) imò nec pedes Petri tacti à Chriſto in labatorio, nec Magdalena in horto ſignata à Chriſto in fronte, quando reſtitit ei dicens: *Noli me tangere*, imò nec quilibet qui tetigerit hoſtiam conſecratam, ſicut ſunt capaces Lancea & Clavi, niſi quia iſti ſunt quid irrationale & incapax adorationis propter ſe, ſecus illi. Confirmatur, quia niſi obſtaret hæc ratio, facilimè Devoti Sanctiſsimi Ioſeph propter contactum tam repetitum & frequentem ad Puerum Ieſum, adorandum ipſum Latria reſpectiva, defendere, imò & introducere conarentur.

2310 Secundo probatur, quia ſi propter contactum cum Chriſto eſſet ſic adorabilis B. Virgo, multò magis propter Maternitatem imbibentem multiplicatum contactum per novem Menſes in vtero, & poſtea ſæpiſsimè in vberibus, & in brachijs. Atqui propter Maternitatem non: ergo nec propter contactum. Minor probatur, quia cum Maternitas inexiſtat B. Virgini, ſi Maternitas eſt adorabilis vel eſt titulus adorandæ aliqua Latria, eo ipſo reſpectu Virginis Latria deberet eſſe abſoluta, nam eſſet adoratio Virginis propter Maternitatem vere inexiſtentem ei. Quod quidem intolerabile eſſet. Vndè D. Thomas hic quæſt. 25. art. 5. negavit ex profeſſo Beatam Virginem eſſe adorandam Latria reſpectiva.

2311 Pro reſolutione diſtinguendum eſt. Vel enim adoratio Latriæ reſpectivæ attenditur præciſſe penes titulum adorabilitatis reſultantem ex ſpeciali contactu, vel non præciſſe penes illum titulum, ſed ſub circunſtantia excitativa de per ſe ſcandali. Si primo modo ſumeretur, dabilis eſſet B. Virgini de per ſe, & ſpeculativè loquendo adoratio Latriæ reſpectivæ, ſecus ſub prædicta circunſtantia, ſive practicè loquendo. Talis autem circunſtantia provenit ex eo quod B. Virgo ratione ſui, vtpotè creatura rationalis ſancta, habeat titulum propriæ adorationis, vt vrgebat primum argumentum pro parte negante. Primam partem noſtri Aſſerti probant argumenta facta pro parte affirmante.

2312 Ad argumenta autem pro parte negante, quatenus poſſunt eſſe contra nos, reſpondetur. Et ad 1. dicimus, quod aliud eſt an debeatur talis cultus, & aliud eſt, an res intellectiva ſit capax talis cultus. D. Thomas loco citato

B. Virgini negavit ius ad talem adorationem,ſed non egit de incapacitate ad illã. Inſuper dicimus,quod licèt res ſit capax ſecundum ſe , tamen vbi poſsit circunſtantia ſcandali reſultare ex tali adoratione, vt regulariter id contingeret ſi daretur puræ creaturæ intellectuali , dicimus quod ei concedi practicè non debet, ſecus ſi non adeſſet circunſtantia ob quàm de per ſe reſultaret.Nullum autem ſcandalum ex Crucis adoratione reſultat.

2313 Ad 2. reſpondetur, diverſiſsimos titulos eſſe Maternitatem & contactum, non pro phyſica concatenatione, cum pro hac multum habeant connexionis,ſed pro diverſifica adoratione. Perſona enim quæ adoretur præciſſe propter ſpecialem contactum cum Chriſto (cum Chriſtus qui eſt titulus adorationis non proponatur vt vere inexiſtens Perſonæ,ſed vt aliquid extra illam)tunc Perſona adoratur adoratione ſola reſpectiva , & non adoratione abſoluta. At ſi B. Virgo adoratur propter Maternitatem vt titulum adorandi, adoratio eſt propter titulum inexiſtentem ei, & ſic adoratio illa eſt abſoluta. Nec propterea erit Latria , cum eſt propter Maternitatem,quia licèt iſta ſit reſpectiva ad aliquid increatum, eſt ad illud tamquam ad terminum ad extra: Maternitas autem inexiſtens ad intrà,& eſſens adorationis titulus, aliquid vere creatum eſt, & ſic adoratio eſt Hiperduliæ.

2314 Sed objicies pro adoratione Latriæ debita Matri Dei.Matri Regis,& Regi idem honor eſt exhibendus.Nam ſecundo Regum, 2. dicitur,quod poſsitus eſt Tronus Matri Salomonis,& ſedit ad dexteram eius. Ergo ſi Chriſtus adoratur adoratione Latriæ,etiam Mater ipſius. Sed reſpondetur ex D. Thoma loco citato, negando deberi Matri Regis eundem honorem ac Regi , licèt debeatur honor conſimilis. Et hoc ſolum probat poſitio Troni pro Matre. Sed dices. Ergo ſi Chriſto debetur honor abſolutus, Virgini debebitur ſaltim reſpectivus , quia hìc eſt conſimilis. Reſpondetur negando deberi , quia licèt deberetur ob contactum,impeditur ob prædictam circunſtantiam. Adde quod cum inter dignitatem Chriſti , & dignitatem Matris detur diſtantia infinita , conſimilitudo adorationis debita ejus Matri,debet eſſe multo minor,quam inter Regem Salomonem,Matremque ipſius,& ſic Hiperdulia ſufficit.

2315 Ex dictis ſequitur Divum Thomam non negaſſe capacitatem in natura intellectiva ad vlteriorem adorationem,prætèr ſibi ratione ſui debitam. Imò videtur innegabilis teſte experientia : ſæpè enim ſervis alicuius magni Domini propter Dominum maiorem exhibemus reverẽtiam,quam quæ ipſis ob propria merita & magnitudinẽ debebatur , quod præcipuè patet in Nuncio Papæ,in Comite Protege , in Ambaſiatoribus ſive Miſsis ab vno Rege ad alium Regem. Præcipue autem in Papa adorato, quia eſt Vicarius Chriſti. Ex quo patet quod ſi Beatę Virgini denegatur & benè Latria reſpectiva , non eſt propter incompatibilitatem Hiperduliæ ratione ſui cum Latria ratione Filij,ſed propter iam inſinuatum periculũ.

§. II.

DE ADORATIONE SANCTORVM.

2316 CERTVM eſt 1. Angelos & homines Beatos debere adorari adoratione Duliæ,debita ſanctitati creatæ. De quo dubitari nequit propter exemplaria Sacræ Scripturæ,ſiquidem de Abraham dicitur quod tres (nempè Angelos) vidit & vnum adoravit, inſuper Ioſue cap.5. & Pater, Materquè Sanſonis Iudicum 11. Angelis religioſum cultum & honorem tribuerunt.Tum ex Sanctis Patribus qui paſsim reperiuntur apud Auctores. Tum ex vſu antiquiſsimo Eccleſiæ in honorem eorum Templa & Altaria ædificantis , aliiſquè Ritibus & Officijs Divinis Colentis. Tum denique ex fidei profeſsione inſtituta ab Eccleſia, vbi iubetur credi fide Divinã Sanctos vna cum Chriſto regnantes adorandos & invocandos eſſe. Et merito quidem,quia lumine naturæ pàtet quod honor debetur virtuti,& ita dixit Ariſtoteles 1. Æthicorum, cap.5. quæ adoratio , cum ſit ratione ſanctitatis eis intrinſecè inexiſtentis,eſt Dulia abſoluta.

2317 Nec obeſt 1. quod Concilium Laodicenum Canone 35. anathematizavit eos , qui derelicta Eccleſia Idolatriam exercent coram Angelis. Reſpondet Bazquez loqui de Angelis malis. Aliter 2.poſſet reſponderi ly *coram Angelis* ſumi pro Angelis habitis pro veris Dijs , vel 3. ly *coram Angelis* poni ad Idolatrarum verecundiam notandam,qui peccant coram talibus teſtibus. Nec 2.quod Deuteronom.6. dicitur: *Dominum tuum adorabis,& illi ſoli ſervies.* Quo textu vſus eſt Chriſtus contra Satanam in deſerto. Reſpondetur,intelligi de Latria abſoluta, quam Satanas petebat.

2318 Nec obeſt 3.Angelum Apoc.19.noluiſſe acceptare adorationem Ioannis,nec PetrumCornelij Centurionis Actorum 11.Reſp.iſtum,modeſtiæ cauſa; illum vero ideò recuſaſſe adorationem , vt ſignificaret Ioanni , quod, tum ratione vnionis Verbi cum natura humana.Tum ob dignitatem Apoſtolicam, ita elevatur,vt Angelus ſe gerat cum illo vt coæqualis ſive vt conſervus: & quod ipſe non eſſet Chriſtus vt Ioannes genuflectẽs exiſtimabat.Hinc ad illud Mardoquei Æſther 3.nolentis adorare Aman,dicentiſquè, *Tu noſti, quia non pro ſuperbia & contumelia, aut gloria cupiditate,hoc fecerim, ſed timui ne honorem Dei mei ad hominem transferrem,& ne quem adorarem,excepto Deo meo.* Reſpondet genuflexionem denegaſſe Amano , quia exiſtimabat quod erat Latria apud Hebræos & propria Dei.

2319 Inſuper 3.eſt certum Sanctos in Cœlo exiſtentes, invocandos eſſe , vt conſtat ex antiquo vſu Litaniarum, & etiam ex prędicata fidei profeſsione. Orant enim in Cœlo ipſi pro nobis,vt conſtat de Ieremia 2. Machab.15. *Hic eſt Ieremias Propheta Dei , qui multum orat pro Populo & pro vniverſa Sancta Civitate.* Id ipſum dicendum de Sancto Propheta Elia Patre noſtro,licèt non ſit adhuc Beatus,cui quia eſt ſanctus & amicus Dei confirmatus in gratia , ex decreto & conceſsione Eccleſiæ à toto Ordine Carmelitarum tribuitur adoratio Duliæ , ſiquidem ratione ſuæ ſanctitatis & meritorum, illi dedicamus Altaria & Eccleſias : colimus tamquam Patronum & Fundatorem Ordinis Officio & Miſſa ſub Ritu duplicis 1. claſsis,& invocamus in Litanijs.

2320 Sed quomodo ad Sanctos notitia noſtrarum precum perveniat ? Quidam docent quod per Angelos vel ſpeciali Dei revelatione : quod ſaltim reſpectu Eliæ & Enoc regulariter eſt medium aptius: licet fortè aliquando ille ipſe venerit in mũdum & proprijs auribus audiverit. Et quod in noſtroChoro Cæſarauguſtano extiterit aliquãdo media nocte ad Matutinas in ſuo Feſto,ſedens in præeminenti Sede Generali Ordinis reſervata,manifeſtatuſquè fuerit ſic in viſione cuidam animæ probatiſsimæ virtutis & revelationum; communi plauſu Seniorum huius Conventus receptum erat ante quinquaginta ab hinc annos. De Beatis vero , licèt medium aſsignatum non ſit incongruum, aptius tamen eſt quod eas videant in ipſo Deo tãquam in ſpeculo voluntario,de quo ſupra à n.2006.f.245.

ART. VI. ET §. I.

DE ADORATIONE IMAGINVM ET RELIquiarum.*Vbi de Spiritu S. cur non ſit imago.*

2321 DISTINGVI 1. debet, inter Imagines & Reliquias: iſtæ enim ſunt tales à cõtactu v.g.illius Sancti cuius Reliquiæ ſunt , licèt illum non repræſentẽt tamquam ipſius ſimilitudo, ſicut illum repræſentat imago.Hæc diverſitas apparet in Chriſti Cruce vera,quę quidem eſt Reliquia Chriſti propter phyſicum contactum, phyſicamquè perfuſiouem à ſanguine ipſius. Eſt autem

imago

Digitized by Google

imago Chriſti propter brachiorum extenſionem repræſentans Chriſtum extẽſum. Ratio Imaginis Chriſti & veræ Crucis, cõmunis eſt cuilibet Cruci. Ratio autem reliquiæ propter contactum, ſolũ convenit Sanctiſsimæ veræ Cruci.

2322 Non eſt autem abſolutè loquendo, ſumenda pro eodem imago ac idolum. Illa enim eſt ſimilitudo alicuius rei veræ, producta ad repræſentandam illam. Idolum verò eſt ſimilitudo rei falſæ. Et ita in Sacra Scriptura paſsim ſumitur Idolum pro ſimilitudine Deorum falſorum. V.g. Iovis, Martis, Dianæ, &c. qui nũquam extiterunt Dij, ſed in-figmentis hominum. Nec dicas: ergo Imagines Sanctiſsimæ Trinitatis & Angelorum erunt Idola, quia ſunt ſimilitudines ipſorum vt corporeorum, quo pacto numquam extiterunt. Sed reſpondetur per illas Imagines non intendi repræſentari quod ipſi in ſe fuerint corporei, ſed vel quod apparuerint in corpore in illaquè figura, & hoc verum eſt. Vel intenduntur repræſentari vltimatè, quod in ipſis verum eſt: in Imagine quidem Trinitatis, quod fuerint tres Perſonæ & vna ſubſtãtia. In Angelis verò virtutes & perfectiones ipſorum, idest per veſtium albedinem puritas per alas agilitas, licèt iſtæ invltimatè repræſententur per aliquid corporeum.

2323 Curandum eſt de hac diſtinctione, ſumendi Imagines rerum ſpiritualium invltimatè & vltimatè. Licèt enim iſti termini non ſint pro rebus prout à parte rei ſed pro modo tendendi actuum intentionalium; quia tamen Imagines factæ ſunt ad repræſentandum nobis, ideò benè & aptè ipſis convenit, ſic ſumi. Igitur ipſæ vt corporeæ non repræſentant nobis per veram ſimilitudinem res ſpirituales vt tales; quaſi iſtæ ità ſint: ſed vt corporeæ excitant nobis ſpeciem, per quam concipiendo res ſpirituales ad modum corporearum invltimatè, quin ſiſtamus in hoc, transeamus ad cognoſcendum vltimatè & veriſsimè, quod res per illas repræſentatæ, non ſunt corporeæ, ſed ſpirituales, habenteſquè hanc & illam naturam, & perfectiones. Vndè ſemper iſtæ Imagines ſunt veræ, & valdè diverſæ ab Idolis.

2324 Sed quia ſæpè aliquæ res, v.g. Cruces caſu evadunt ſimiles vt cõtingit in pavimentorũ ſtructura, & ſolet ſcrupulum ingerere aliquibus ibi ambulare, ne videantur Crucem conculcare, ideò advertere viſum fuit, quod ad rationem Imaginis meo videri, non ſufficit ſimilitudo, ſed requiritur quod facta ſit ex intentione repræſentandi. Propter quod exiſtimo, quòd quando reperiuntur in terra formatæ aliquæ Cruces ex duplici ligno de per accidens coniuncto, non ſit talis Crux veneranda, quia licèt materialiter ſit ſimilitudo, ſed non formaliter imago. Benè verum eſt, quod quando reperitur ſimilitudo, præſumi debet facta ex intentione repræſentandi, niſi circumſtantiæ oppoſitum perſuadeant vt in tali caſu. Si hoc adverterent ſcrupuloſi, deponerent illam anxietatem cutandi, ne conculcent Cruces in pavimentis de per accidens formatas.

2325 Hinc fit quòd licèt lancea, & ſpinæ Chriſti ſint venerandæ, non tamen lanceæ aut ſpinæ communes, quamvis ſint valdè ſimiles lanceæ & ſpinis Chriſti, cum deſerviant alijs vſibus, niſi factæ fuerint ex intentione vt ipſas repræſentent, quia in tali caſu ſunt Imagines ipſarum, ſicut Cruces communes ſunt Imagines non ſolum Chriſti, ſed etiam Sanctiſsimæ veræ Crucis & etiam hoc titulo adorandæ. Quod autem ſimilitudo, vt induat rationem Imaginis, debeat eſſe producta ad repræſentandum (ſivè id habeatur ex intentione naturæ, ſive ex intentione operantis) patet in Spiritu Sancto, qui propterea non eſt imago Patris aut Filij; quantumvis in complexo tertiæ Perſonæ ſumptus, ſit conſtitutivè & eſſentialiter Deus, ſimiliſquè ipſis in natura.

2326 Cur autem ſi per productionem ſaltim realiter ſumptam procedit ſimilis, cur non erit ſaltim realiter imago? Interrogo. Si etiam procedit per eam realiter ſimilis, & realiter ſapiens, cur non eſt realiter Filius, aut realiter Verbum? Licèt hoc pertineat ad tractatum de Trinitate, & quod hic dicatur videatur dici dislocatè & extra rem, nihilominus tolerabilius eſt hoc, quàm quod cogitatio mea, in ſubſtantia eadem cum dictis in tractatu de Trinitate, alijs tamen verbis fortè magis explicativis concepta, oblivioni tradatur.

2327 Igitur Filius & imago oriri debet vt vivens à viventi, ſive à vulva viventis productiva in ſimilitudinem naturæ, ſive ad (ex proprio & ſpeciali ſcopo vulvæ & operationis eius) aſsimilandum in natura Perſonam productam. Quod igitur procedat ab alia vulva viventis quæ ex proprio ſcopo, non ſit aſsimilativa Perſonæ productæ in naturà, nec erit imago nec erit Filius, etiam ſi ei adveniat reſultativè & per circuitum aliaquè via non recta, ſed circuitiva, ſimilitudo in naturà: quia non verificatur, quod ortus ille ſit in ſimilitudinem naturæ.

2328 Cum igitur Spiritus Sanctus procedat ex vulva diverſa ab aſsimilativa in natura, nempè à vulva ſpirativà ſecundaria & poſteriori, vtpotè conflata ex voluntate Patris & Filij; vt iam procedentis à Patre per vulvam aſsimilativam, atquè vt iam aſsimilati Patri; hinc fit, quod non procedat à ſuo principio in ſimilitudinem naturæ; ſive vt ex proprio directo, & immediato ſcopo dante ſimilitudinem naturæ. Quod ſi procedendo ex alia vulva ſecundária, ſcilicèt ſpirativa, producitur vt amor divinus ſubſiſtens perſonaliter, trahenſquè ratione Divinitatis, & ratione identitatis naturam divinam, vt intret conſtitutivè tertiam Perſonam, cum hoc ſit per circuitionem & reſultantiam, & ex amore communicato per ſpirationem, & non ex immediato ſcopo vulvæ ſpirativæ & ſpirationis, nec verificatur de iſtis quod producant eum in ſimilitudinem naturæ, nec de illo quod procedat in ſimilitudinem naturæ; nec vt imago, quia non eſt productus ad repræſentandum; licèt aliàs reſultativè procedat vt Deus.

2329 Ponamus exempla aliqualiter declarativa. Primum in vermibus qui naſcuntur ab homine, qui licèt naſcantur ex proprijs humoribus; licèt materia illa ita ex concurſu ipſius hominis diſponeretur divinitus, vt ad eius exigentiam Deus infunderet illis animam rationalem, & eſſent homines, adhuc nec eſſent imago nec Filij, quia non ſunt nati ex vulvà primario & ſubſtantialiter, & ex ſcopo aſsimilativa in natura, ſed ex alia vulva diverſæ rationis.

2330 Secundum: finge vnum hominem genitum ab alio, cum tam ardenti complexione, vt vterquè ex proprio ore emoveret flammam ignis attrahentem ab ipſis eorum, aliquam portionem ſubſtãtiæ quæ poſtea ita diſponeretur, vt ad exigentiam diſpoſitionum infunderetur anima rationalis à Deo in tali flamma, & reſultaret homo. Nemo dicet quod iſte proceſſerit vt Filius & imago naturalis eorum. Cuius ratio eſt, quia ortus eſt à vulva oris & actione inflammativa, non autem à vulva per operationem ex proprio ſcopo aſsimilativa (ſicut nec Chriſtus eſſet propriè Filius Virginis ſi productus fuiſſet à Matre in corde vel vulva). Vndè ſicut Spiritus Sãctus licèt accipiat per ſuam proceſsionem intelligentiam, non eſt realiter Verbum; quia eius produci, nec realiter eſt dici. (Dici enim realiter, eſt immediatè & non per circuitum pertinens ad intelligere,) ita nec eſt realiter imago, licèt accipiat ſimilitudinem naturæ, quia eius produci eſt ſpirari ſive trahere amorem, qui trahat ſimilitudinem in eſſentia, non autem eſt adhuc realiter immediata tractio eſſentiæ. Et ſic hec in ſimilitudinem aut Imaginem. Reliqua vide in tract. de Trinit. Et iſta obiter ſufficiant pro firmanda doctrina, de eo quod ad Imaginem, non ſufficiat ſimilitudo producta, niſi ſit producta ad repræſentandum.

§. II. DE CVLTV IMAGINVM ET RELIQVIARVM.

2331 CIRCA cultum Imaginum Sacrarum, de Fide eſt eas eſſe retinendas & venerandas, eiſquè debi-

Digitized by Google

bitam honorem impertiendum, vt conſtat ex profeſsione Fidei à Tridentino conſcriptata. Id etiam conſtat ex antiquiſſimo Eccleſiæ vſu,& etiam ex Concilijs; habetquè in Sacra Scriptura magnum fundamentum, ſiquidem Deus mádavit Moyſi facere, & ipſe fecit duas Imagines Cherubinorum, poſuitquè eas in Templo, ſicut & poſtea Salomon alias duas eorundem, lib. 3. Reg. 6. Quod autem eis, reliquijſquè ſacris adoratio debeatur, conſtat, quia ſunt quid Sanctum. David enim Pſalm. 98. dixit: *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam Sanctum eſt*; quod quidem de Arca Teſtamenti ad litteram intelligitur. Sepulchra etiam Sanctorum venerabilia eſſe, conſtat ex Iſaiæ 11. *in eum gentes ſperabunt, & erit ſepulchrum eius glorioſum.* Nec mirum, cum per Sanctorum Reliquias multa nant mirabilia, teſte experientia,& Noſtri Eliſæi oſſa 4. Reg. 13. corpus Defuncti per ſuum contactum à mortuis ſuſcitaverunt. Et Acto. 19. ſemicinctia & ſudaria S. Pauli applicata Ægrotis, ſalutem eis conferebant.

2332 Nec contra cultum Imaginum obeſt 1. quod talis adoratio cum fiat Imaginibus ligneis aut Lapideis, ſit Idolatria. Propterea què Deus Exodi 20. prohibuit Populo ſuo facere ſibi ſculptile, aut aliquam ſimilitudinem. Reſpondetur enim adorationem fieri non ligno aut Lapidi ſecundum ſe, aut ratione ſui, ſed ratione Exemplaris provt intelligibiliter, & repræſentativè exiſtentis in Imagine. Deus autem prohibuit Populo ſuo non omnem Imaginem vt probatum eſt, ſed vel Idola, vel Imagines veras privatas,& pro ſuo libito, vt ſic illi impediret occaſionem Idolatrandi, ad quod erat valdè pronus, ſicut propter idem periculum occultavit ei corpus & Reliquias Moyſis.

2333 Nec item obſunt 2. Sancti Patres, Imaginem Dei communiter excludentes & merito, quia cum omnis imago noſtra ſit ſimilitudo in figura corporea aut coloribus tantum, nequit repræſentare Deum, imò nec Chriſtum vt Deum, & propterea etiam Imago Chriſti videtur excludenda. Reſpondetur tamen, Patres ſolum excludere Imaginem Dei corpoream, qua Deus immediatè & vltimatè intendatur repræſentari per illam, ſive eſſe ad modum ipſius. Quod autem congruè repræſentetur per illam invltimatè, excitando ad aliam cognitionem veram vltimatam, à Patribus negatum non eſt: & idem de Imagine Chriſti, quæ in Chriſto ex vi ſua corporaliter repræſentato, ſicut animam etiam indirectè, & provt in homine repræſentat, ſic etiam indirectè in illo Divinitatem repræſentet pro noſtris conceptibus veris & vltimatis.

2334 Vndè ſi opponantur duo Concilia Conſtantinopolitana reprobantia cultum Imaginum, reſpondet Boneſpei, non fuiſſe Concilia, ſed Concildiabula Iconoclaſtarum. Liber autem Caroli Magni idem aſſerens, ſuppoſituſquè ab Hingmaro Hiſtorico pro Actis Concilij Francofordienſis, nullius eſt auctoritatis, ſicut nec Concilium Eliberitanum Cap. 36. negans picturas Imaginum in parietibus, vtpotè Provinciale,& numquam ab Eccleſia approbatum, inquit Boneſpei: qui inſuper addit ibi non negari Imagines eſſe colendas, ſed prohiberi pingi in parietibus, quia cum veteraſcunt, ita ſolent deſigurari, vt potius irriſui inſerviant, quam devotioni.

2335 Nec contra cultum Reliquiarum, obeſt 3. quod Chriſtus Lucæ 11. repræhendat Phariſeos, quia ædificabant ſepulchra Prophetarum à Patribus eorum occiſſorum. Reſpondetur enim, eos ſolum repræhendere propter hipocreſim, qua cum vellent Chriſtum & Prophetas occidere imitantes in hoc Patres ſuos, id celabant ficta pietate honorandi mortuos. Nec 4. quod accenſio quædam cereorum ad ſupulchra repræhendatur à Concilio Eliberitano, Can. 34. Reſpondetur reprehend quia ex quadam ſuperſtitione id fiebat ab illis, ex Orlando ſicut & à Concilio Bracharenſi prohibetur Epiſcopis in Proceſsione portatio Reliquiarum. Prohibetur enim quia ipſi portabant eas manibus, ſed ſe faciebant portari ipſi à levitis in ſella ſuper humeros: exceſſus enim honoris ſibi arrogatus, repræhenſibilis erat ob nimietatem.

2336 Nec 4. obeſt indè ſequi, poſſe Reliquias corporum adorari, etiam ſi eſſent converſæ in alias ſubſtantias, ſcilicèt vermium, quia materia prima corporis eadem eſt quæ fuerat in iuſto, habueratquè ad animam eius, contactum phyſicum. Reſpondet 1. Orlando cum Lugo, non renuendo adorationem talis materiæ primæ cultu privato, ſed nó publico, tú quia per varias talis materiæ tranſmutationes ad alias formas, deperditur certitudo moralis de eo quod ſit eadem materia, tum quia iuxta communem concipiendi modum cenſetur quod talis materia deperdat illam habitudinem quam habuit, à tali forma. Materia enim cenſetur eſſe illius viventis, qui illam vltimo occupavit.

2337 Reſpondetur tamen ſecundo (licèt pro publico magis attendi debeat quam pro privato, ad identitatem materiæ) regulam facultatis adorandi eas, ſumendam eſſe non à ſola communi exiſtimatione identitatis moraliter certa, ſed etiam ab eo quod non ſit facta talis materia alterius viventis. Tum quia vt iam eſt novi viventis, non cenſetur Reliquia prioris, ſed novum quoddam vivens. Tum ratione periculi ſcandali. Videretur enim quis aſsimulari illis, qui in Sacra Scriptura referuntur adoraſſe vel pei tiliones, aliaquè ſimilia.

2338 Objicies tandem: ſi Reliquia & opera aliqua Sanctorum adorantur: ergo etiam quælibet creatura poterit adorari, quatenus eſt opus Dei. Inſuper quælibet creatura ſaltim eſt veſtigium quoddam Dei; quędam expreſsius, & quædam minus expreſſe. Vndè poterit quis a... are muſcas & culices vt opus Dei, & vt veſtigium Dei;& portare paleam in pabimento repertam, ſecum pro Reliquia. Multò autem certius poterit adorare quemcumquè hominem, cum ſit imago Dei. Reſpondent plures, vt Caietanus, Granadus, Suarez, Lugo,& alij cócedendo ans. Tum quia ſi veneramur Caracteres & Epiſtolas, quas Sancta Thereſia ſcripſit, multò magis creaturas Dei in quibus ipſe quaſi ſcripſit ſuam bonitatem & ſapientiam, iuxta illud ad Romanos: *Inviſibilia eius per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoquè eius virtus & divinitas.* Tum quia tales res ſunt materia ſufficiens iuramenti ex illo Math. 5. *Nolite iurare per Cœlum, quia Dei Tronus eſt, nec per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius.* Ergo quia relucet ita in ipſis Deus, vt iurare per ea ſit iurare per Deum, qui repræſentatur in illis.

2339 Advertunt tamen & benè, quod iſte cultus debet eſſe privat^9,& ſub hoc præciſo reſpectu Imaginis, alicuius Divinæ perfectionis. Item, quod adhuc ſub hoc reſpectu ſolum erit licitus ſpeculativè, non autem practicè, quia de per ſe loquendo, poterat gignere aliquam Idolatriæ ſuſpicionem, quę omninò caveri debet. Per quod reſpondetur ad inſtantias factas, excepta illa de palea vel aliquo ſimili, pro Reliquia geſtandis aut habendis. Reliquia enim ex communi vſu dicit aliqualem ſpecialiſsimam habitudinem, & quaſi affinitatem cum aliquo ſupernaturali, ſive de ordine ſuperno vt tali, qualis non eſt habitudo ad Deum vt præciſe Auctorem naturæ, nam ille tranſcendit naturam vniverſam. Epiſtolas enim propria manu Sanctæ Thereſię ſcriptas, ideò veneramur vt Reliquias, non quia mulier ſapientiſsima & prudentiſsima fuit, ſed quia mulier Sancta fuit. Hæc dicta ſunt ſatis probabiliter.

2340 Sed fortè dici poſſet, quod non omnis res Dei adorari poteſt, ſi talis res communibus vſibus principaliter ſit deſtinata, ſicut propterea prædicti Doctores (quibus addo Boneſpie hic quæſt. vlt. de Chriſti adoratione) negant adorabiles eſſe lanceas omnes aut omnes clavos & ſpinas, quantumvis ſimiles ſint inſtrumentis Paſsionis Chriſti; quia vſibus communibus ſunt deſtinati:& idem ait de aliqua Cruce ſi eſſet alicui vſu communi deſtinata. Solum ergo adorabiles ſunt, ſi ex aliqua ſpecialitate relu-

ceat

Digitized by Google

ceat in eis Deus, vt relucet in Cœlo & terra ab ſpeciali Chriſti advertentia & revelatione pro iuramento: ſecus quando talis relucentia ſpecialis non adeſt.

§. VLTIMVS.

ALIQVÆ QVÆSTIONES DE ADORATIONE.

2341 QVÆRES 1. qua adoratione adorandę ſint Imagines & Reliquiæ? Reſpondeo 1. ſi adorentur per modum vnius & involute cum ipſo Sancto, eſſe adorandas adoratione, qua ipſe; ſcilicèt Dulia abſoluta, ſi Sancto debeatur Dulia; & Latria abſoluta, ſi iſta debeatur ei. Ratio eſt, quia tunc Sanctus ipſe adoratur in complexo cum illis. Si vero, adorantur cum aliqua diſtinctione ſcilicèt reſpectivè ad Sanctum, adorandas cum proportione, ſcilicèt vel Dulia reſpectiva, vel Latria reſpectiva.

2342 Quæres 2. qua adoratione adorandus Pontifex vt Vicarius Chriſti? Reſpondeo, ſi adoretur ſub ratione Capitis Eccleſiæ, adorandum adoratione Duliæ latæ, quia adoratur ratione Sanctitatis conſecrationis inexiſtentis intrinſecè ei. Dixi *latæ*, quia non adoratur tunc ratione Sanctitatis creatæ propriæ Filiorum Dei, conſiſtentis in gratia habituali. Reſpondeo 2. ſi adoretur vt Vicarius Chriſti, adhuc tunc non adoratur Latria reſpectiva ſed Dulia lata, quia adoratur ratione dignitatis Vicariatus inexiſtentis ei. Vndè non adoratur præſciſſe ratione alterius, ſcilicèt Chriſti (ſicut ſi adoraretur pręſciſſe vt Imago Chriſti) ſed ratione dignitatis ei inexiſtentis, ſicut ſupradiximus à num. 2313. de Matre Dei, ratione Maternitatis. Ad eum enim modum quo Officium Ambaſſiatoris & Miſſi nõ eſt dignum honore conſimili aut coæquali Regio, eo quod non detur ei honor ob Regem, ſicut Imagini, ſed propter illud officium ei inexiſtens: idem dicendum de Vicariatu Chriſti. Imo nec Sancti qui ſunt Imago Chriſti, v.g. Sanctus Franciſcus plagatus, non eſt adorandus Latria reſpectiva, quia non adoratur vt Imago Chriſti, ſed propter eximias ſuas virtutes, quæ eum inexiſtenter fecerunt dignum tali participatione vulnerum Chriſti. Quod ſi purè vt imago ſit adorabilis, eſſet ei debita Latria reſpectiva, ſicut Imagini ligneæ. Sed hoc non eſſet licitum niſi ſpeculativè.

2343 Quæres 3. ſi cõtactus Reliquiarum ſufficit ad adorationẽ, cur nõ adorẽtur labia Iudę oſculantis Chriſtũ, ſaltim ſpeculativè, ſumpta provt ratione contactus? Reſpondeo inſtrumenta Paſſionis Chriſti ratione contactus fuiſſe adorabilia, quia ille contactus (licèt fuerit coram occulis hominum cõtactus ignominię) tamen fuit glorię, quatenus medijs illis triumphavit ab inimicis. Habuerunt tamen de ſpeciali, & de diverſo à contactu Iudæ, quia iſte vt vitalis fuit peccaminoſus, & indenudabilis à culpa, & potius vitale complementum humani inſtrumenti coniuncti ipſius culpæ, ſecus contactus immediatus ipſius lanceę, & ſpinarum vt talium.

2344 Quęres 4. quomodo Imagines proponendę nobis ſint, vt licitè & meritoriè adorentur? Reſp. 1. non ſecundum quod habent de entitativo in ſe, quia ſic ſunt ligna & lapides, vel colores. Reſp. 2. deberi ſimul proponi Prototipum & exemplar, vt iſtud ſit ratio adorandi eas. Patet, quia ſolum ſunt adorabiles ratione ipſius. Reſp. 3. poſſe proponi, quatenus Imago eſt intelligibiliter ipſa res repręſentata, ipſa inquam & non aliud ab ipſa intelligibiliter: de quo ſupra à num. 1518. & in tract. de ſcientia Dei quæſt. 1. Proponi autem poſſunt Imago & Prototipus dupliciter. Primo vterquè in recto & involutè & per modum vnius: & ſic ſæpè oramus Chriſtum in Imagine, alloquimurquè cum ea abſquè vlla diſtinctione, vt cum ipſiſſimo Chriſto. Secundo modo, Imago in recto vt repræſentans Chriſtum in obliquo, & tunc adoramus illam rationè iſtius. Sed prior modus communior & facilior eſt. Et tunc primo modo adoratio eſt abſoluta totius. Secundo modo eſt reſpectiva. Vtroquè autem modo adoranda eſt etiam Imago ipſa vt quod (& hoc eſt quod docet Eccleſia contra Hæreticos) & non ſolus Chriſtus coram Imagine, vt malè docet Durandus.

2345 Quæres 5. an adoratio Duliæ & Latriæ ſint eiuſdem ſpeciei, elicitæ ab eodem habitu Religionis? Plures negant, quia ex D. Thom. Religio ſpecificatur à ſolò Deo, vbi autem excellentia ſpecificat cultum, & in illa eſt tanta diverſitas increatæ & creatæ, etiam virtutes erunt diverſæ, ſicut & charitas proximi, ſi non ſit de illo propter Deum, ſed quia proximus eſt, etiam apud multos eſt virtus diverſa à charitate Dei.

2346 Ex dictis ſequitur, quod dictum eſt de adoratione Imaginum, dici de nomine *IESV* & *MARIÆ*, adorari poſſe eos in ipſis: abſolutè, ſi involutè ſumantur; & reſpectivè ſi in obliquo. Idem de Templis, & de iuſtis ſi pręſciſſe vt Templa Dei ſumantur (præſcindendo à ſanctitate ipſorum) tunc enim adorabuntur Latria modo dicto. Et hæc de adoratione, & de toto tractatu Incarnationis.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

INDICEM QVÆSTIONVM PRIMÆ PARTIS INVENIES ANTE FOLIVM PRIMVM.

QVÆSTIONVM ET ARTICVLORVM HVIVS ſextæ diſtinctionis de Incarnatione Index.

TRACTATVS de Incarnatione altera pars, ſeu diſtinctio 6. fol.171.

QVÆSTIO XXX.

De potentia Animæ Chriſti, num.1609.
Art. 1. Aliqui errores confutantur, ibid.
Art. 2. An Chriſtus vt homo ad opera ſuperna phyſicè, vel ſolùm moraliter concurrat? num.1616.
Art. 3. Argumenta, num. 1621.
Art. 4. Noſtra ſententia, num.1629.

QVÆSTIO XXXI.

Quos defectus corporis aſſumpſerit Chriſtus? num. 1641.

QVÆST. XXXII.

De Chriſti impeccabilitate, num. 1648.
Art. 1. An peccaverit de facto? ibid.
§. 2. An potuerit de facto? Et quare non? nu. 1657.
Art. 2. & §. 1. Proponuntur ſententiæ : & examinatur Scotiſtica, de eo quod attenta ſola vi vnionis Chriſto non repugnet peccatum? n.1662.
§. 2. ſeu 3. Solvuntur argumenta contra iſtam ſententiam, num. 1679.
§. 4. Alia argumenta ſolvuntur, num.1692.
Art. 3. Noſtra ſententia, num. 1697.
Art. 4. & §. 1. Advertentia pro Schotiſtis, num.1716.
§ 2. Argumenta ſolvuntur, num. 1725.
Art. 5. Alia concluſio circa impeccabilitatem, n.1732.
Art. 6. De alijs peccabilitatem concernentibus, n.1741.

QVÆSTIO XXXIII.

De libertate Chriſti, præcipuè in præceptis, num. 1743.
Art. 1. An in Chriſto potuerit eſſe præceptum obligans in conſcientia? num.1744.
Art. 2. & §. 1. Diverſæ viæ componendi præceptum de morte cum impeccabilitate, num.1755.
§. 2. Aliæ ſententiæ: vbi de ſenſu compoſito, n.1765.
§. 3. Noſter primus modus componendi, num.1776.
Art. 3. & §. 1. De alio modo libertatis Chriſti in re præcepta: vbi advertentiæ valdè notabiles de libertate in communi, num.1787.
§. 2. Illationes & replica, num.1794.
§. 3. Multa de libertate ex tract. de ſcientia Dei, num. 1800.
Art. 4. & §. 1. Noſtra ſententia de poſſe peccare mixto in Chriſto: vbi plura de libertate, num.1803.
§. 2. Solvitur replica, num.1810.
§. 3. Quomodo pro poſſe peccare mixto ſint diſponenda compiincipia: vbi iterum de ſenſu compoſito, num.1816.
§. 4. Argumentū commune difficile, ſolvitur, n.1823.
Art. 5. & §. 1. Quomodo cohæreat cum viſione Beata libertas in Chriſto, quoad præcepta & quoad conſilia? num.1830.
§. 2. Impugnatur ſententia Schoti, num.1841.
§. 3. Noſtra ſententia, num. 1846.
Art. 6. Argumentum contra libertatem ſumptum à perfectione morali, num. 1854.
§. 2. Noſtra ſententia, num. 1856.
§. 3. De non immutatione iudicij indifferentis, num.1872.

EPILOGVS QVÆST. 32. & 33.

De impeccabilitate & libertate Chriſti, n.1881.
Punct. 1. Præmiſsis quæ certa ſunt, examinatur ſententia Schotiſtarum? num.ibid.
Punct. 2. Noſtra ſententia de impeccabilitate Chriſti. num.1886.
Punct. 3. Difficultas pro concordia libertatis Chriſti cum impeccabilitate, præcepto & viſione, nu.1895.
Punct. 4. & §. 1. Cardo concordiæ, inveſtigata eſſentia libertatis, num.1899.
§. 2. De viſione Beata, num. 1906.
Punct. 5. Concordia triplex, num.1911.

QVÆST. XXXIV.

De motivo Incarnationis & de merito Chriſti, num. 1915.
Art. 1. & §. 1. Incarnationis motivum problematicè eſt redemptio vel excellentia myſterij, num. 1916.
§. 2. De ſecunda parte problematis, num.1925.
§. 3. Vlterius ſtabilitur prædictorum concordia decretorum, num.1935.
Art. 2. De merito Chriſti: & quæſtiones aliquæ ex parte merentis, num. 1946.
Art. 3. & §. 1. Quid Chriſtus meruerit ſibi? num. 1958.
§. 2. Quomodo componantur duo textus D. Thomæ? num.1970
§. 3. De gloria corporis & alijs, num. 1978.
Art. 4. & §. 1. Quid Chriſtus meruit alijs? num.1990.
§. 2. Quid hominibus? num.2005.
§. 3. Quid de poſsibili? num.2010.
§. 4. An plura præmia ſubſtantialia non purè creata? num.2030.
Art. 5. & §. 1. Per quos actus meruit Chriſtus? nu.2037.
§. 2. de auxilijs datis Crucifixoribus, num.2054.
Art. 6. Nodi difficiles, num.2063.
§. 1. De merito ſolutivo, ibid.
§. 2. Noſtra ſententia, num.2074.
§. 3. Argumenta contraria, vbi iterum de decreto intentivo, num.2082.
§. 4. Solvitur argumentum de milite, num.2096.
§. 5. Advertentiæ, num.2108.

QVÆST. XXXV.

De oratione Chriſti, num.2119.
Art. & §. 1. Aliqua dubia, an oraverit & nunc oret? ibid.
§. 2. Quid ſentiendum? num. 2130.
Art. 2. De petitione Verbi ab æterno nomine Humanitatis, num. 2139.
§. 1. Paratur via tantæ difficultati: vbi an Chriſtus vt homo oraverit pro Patribus tempore ſe præcedentibus, num. 2139.
§. 2. Aliæ ſolutiones, num.2147.
Art. 3. & §. 1. Eligitur via in ſcholis non trita de acceptatione & petitione Verbi ab Æterno, nomine Humanitatis, num.2153.
§. 2. De petitione Verbi ab æterno nomine Humanitatis, num.2164.
§. 3. Argumenta contraria, num.2167.
Art. 4. & §. 1. Aperitur via pro oratione petitiva Chriſti vt hominis; vbi aliqua de libertate, nu.2177.

§. 2.

Digitized by Google

§.2. Argumenta ſolvuntur, num. 2188.
§.3. Quid de Chriſto in Cœlo, num.2002.

QVÆST.XXXVI.ET ART.I.

De Chriſto vt Sacerdote & Rege, num.2012.
Art. 2. Via nova; vbi alia de Sacerdotio, num.2020.
Art.3. De Regno temporali Chriſti, num.2031.
Art. 4. Aliqua inferuntur, num.2042.

QVÆSTIO XXXVII.

De ſervitute Chriſti, num.2052.
Art. 1. Aliqua prænotantur, & ſententiæ proponuntur, num.2053.
Art. 2. Argumentum difficillimum ex Epiſtola Adriani & ex Concilio Francofordienſi, nu. 2065.
§.1. Incipit argumentum, num.2066.
§.2. Alias reſponſiones impugnat, num.2077.
Art.3.& §.1. Pro ſolutione argumenti aliqua notantur, num.2082.
§.2. De ſenſu ſervitutis, num.2095.
Art.4 & §.1. Solvitur argumentum, num. 3004.
§ 2. Alia replica ex Concilio, num.3111.
§.3. Solvitur alia difficilis replica, num.2121.
Art. 5. Argumenta à ratione, num.2130.
Art. 6. Noſtra ſententia, num. 2140.
§.2. Argumenta; vbi problematicè de ſervitute, num. 2145.

QVÆSTIO XXXVIII.

De Filiatione Chriſti, num.2151.
Art. & §.1. Chriſtus vt homo non eſt Filius adoptivus Dei, num. 2152.
§.2. Probatio à ratione, & aliqua argumenta contraria, num. 2162.
§.3. Alia argumenta Scotiſtarum, num.2171.
§.4. An adoptio Scotica ſit digna cenſura, nu.2182.
Art. 2. An Chriſtus vt homo ſit Filius naturalis Dei num. 2188.
Art.3. & §.1. An Chriſtus vt homo ſit Filius proprius? num.2198.
§.2. Cuius & quomodo Chriſtus ſit Filius proprius proceſsionaliter? num.2209.
§.3. Excluduntur aliorum viæ, num. 2222.
§.4. Aliæ explicationes: vbi nonnulla pro Scotiſtis, num. 2227.
Art.4.& §.1. De prædeſtinatione Chriſti, num.2239.
§.2. Aliæ ſolutiones impugnantur, num.2245.
§.3. Reſolutio difficultatis, num.2256.

QVÆSTIO VLTIMA.

De Chriſti adoratione, num.2264.
Art. 1. Præambula de adoratione vt ſic, num. ibid.
Art. 2. Qua adoratione adoretur Chriſtus vt homo? ſeu Humanitas Chriſti? num. 2274.
Art. 3. Reſpondetur ad argumentũ ſupra poſitũ, nu.2285.
Art. 4. Aliæ quæſtiones de humanitatis Adoratione, num.2292.
Art. 5. & §. 1. De Adoratione Beatiſsimæ Virginis, & Sanctorum, num.2306.
§. 2. De Adoratione Sanctorum, num.2316.
Art. 6. & §. 1. De Adoratione Imaginum, & Reliquiarum: vbi cur non ſit imago Spiritus Sancti? num.2321.
§. 2. De cultu Imaginum, & Reliquiarũ, num. 2331.
§. vlt. Quæſtiones aliæ de Adoratione, num.2341.

INDICEM RERVM PRIMÆ PARTIS INVENIES à fol. 164.

INDEX ALPHABETICVS

Rerum magis notabilium, quæ in hac Poſtrema Parte de Incarnatione, & Diſtinctione ſexta continentur.

NVMERVS INDICAT MARGINALEM.

A

Accidens.

Accidentia ſolo numero diſtincta, non ſemper repugnant eſſe ſimul in eodem ſubiecto, num.2053. Quando repugnant? ibid.

Actio.

In quo ſenſu actiones dicantur eſſe ſuppoſitorum? num. 1670.& 1671. Dignitas perſonæ nõ refunditur in quaſvis actiones, nu.2027. In quas? & quam certa ſit refuſio? ibid.

Actus.

Quilibet actus meritorius Chriſti eſt in actu primo condignus omni præmio poſsibili purè creato, num.2011. de præmio non purè creato, quid? à num.2022. ſententiæ, ibid. Sententia Patris Bernal examinatur, ibid. & num. ſeqq. Quilibet actus meritorius Chriſti mereri poteſt vnum præmium non purè creatum, num.2035. Vno tamen exhauriretur, eius condignitas, num. 2030. Diſcurſus in oppoſitum ſingularis, num.2036. Deſeritur, ibid.

Actus notionales liberi proprij Perſonarũ in Trinitate admittendi, num.2167. Explicantur, ibid. & nu.ſeqq. Multipliciter illuſtrantur, à num. 2168. & 2169.

Admiratio.

Quem locum habere potuit admiratio in Chriſti Humanitate? num. 1649.

Adoratio.

Adoratio, quid? num.2264. Eſt quædam ſpecies honorationis, num.2265. Quos actus importet? num.2266. Poteſt internè compleri, à num.2267. Quotuplex? num. 2268. Chriſti vt hominis adoratio, conſiderata tripliciter, num. 2276. Chriſtus adorandus adoratione Latriæ, à num.2278. Item Humanitas vt vnita Verbo, à nu.2279. Humanitas in aliquo ſenſu adorari poteſt Latria reſpectiva, num. 2292. An phyſicè & licitè adorari poſsit inferiori cultu, nempè Hiperduliæ propter alios inferiores excellentiæ gradus? latè, 2295. Mens Auctoris ex ſpeciali motivo, à num. 2302. Adoratio Beatiſsimæ Virginis. Vide *MARIA, Imago, Reliquia, Sancti.*

Adoratio Pontificis quotuplex & qualis? num.2341.

Adoptio.

Quid ſit adoptio? num.2162. Quæſtionis, an Chriſtus vt homo ſit Filius adoptivus, triplex ſenſus, num. 2152. Adoptio Chriſti vt hominis, damnatur à Concilio Francofordienſi, & ab Eccleſia, à num. 2153. & à num. 2157. Quid requirat gratia habitualis ex parte ſubiecti ad denominationem adoptivi? num.2165.

Scotus videtur admittere adoptionem in Chriſto, nu. 2152. Connatus Scotiſtarum pro Duce ſuo, à num. 2163. Cenſuræ Theologorum, num.2182. Mens Auctoris circa men-

Digitized by Google

mentem Scoti, à num.2181. Benigna interpretatio adoptionis Scotiſticæ, num.2184. in ſenſu Scoti adoptio non eſt digna cenſura, ibid. & ſeqq.

Adrianus.

Mens Adriani Pontificis circa ſervitutem Chriſti, expenditur à negantibus ſervitutem, à num.2066. Examinatur pro ſervitute ab Auctore latiſsimè, à num.2082. Quàm ſervitutem excluſerit Adrianus? à num.2095.

Altare.

Chriſtus Dominus etiam eſt Altare ad ſacrificium Sacerdotis, & in quo ſenſu? à num. 2102.

Amor.

Amor Beatificus non fuit in Chriſto meritorius, num. 2041. Diverſæ rationis, & ſpeciei ab amore viæ: & cur? num. 2045. Defenditur iſta diverſitas latè, à num.2046. Meruit Chriſtus per actum amoris regulatum ex directione ſcientiæ infuſæ, num.2042.

Angelus.

Angelorum peccatum, quale? nu.1992. Angeli ex meritis Chriſti acceperunt omnia gratiæ & gloriæ dona, num.1992. In quo ſenſu dici poteſt Chriſtus pro Angelis mortuus? num.2001. & 200.

Appetitus.

Quomodo ſint agnoſcendæ in Chriſto Paſsiones animæ, ſeu affectus appetitus? & quales? à num.1644.

Auxilium.

Quænam & quomodo data ſint auxilia Crucifixoribus Chriſti ex ipſius patientis meritis ad deſiſtendum ab inferenda ipſi morte? à num.2054. Doctrina V. Mariæ à Ieſu, ſeu de Agreda denegato Crucifixoribus auxilio, num.2056. Explicatur ab Auctore in bono ſenſu, ibid. & rurſus, num.2116.

Impoſsibilitas evitandi omnia venialia ſine ſpeciali Dei auxilio quomodo cum libertate cohæreat? à num. 2058. Vndè naſcitur? ibid.

B

Beatitudo.

Duplex, num.2256. Explicatur vtraquè, ibid.

Beatus.

Beatus & Heterius reſiſtunt in Hiſpanijs Elipando, num.2078.

Beatificus.

Vide *Amor, Status, Viſio.*

Bonoſus.

Bonoſus Neſtorianæ hæreſis Auctor, num.2079.

C

Cauſa.

Cauſæ inſtrumentalis, ſeu inſtrumenti phyſici varia ratio, num.1624. Explicantur ſingulæ ſpecies, ibid. Operari cauſam in diſtans, nulla per medium virtute diffuſa implicat, num.1631. Cauſatum duplex genus, num.1787. Vide *Libertas, Poſsibile, Potentia.*

Cauſalitas.

Cauſalitas Chriſti vt hominis ad opera ſuperna. Vide *Chriſtus*. Sacramentorum cauſalitas phyſica, num.1639. Modus iſtius cauſalitatis, ibid. & num.1640. Cauſalitas phyſica ſuſpenſiva, num.2020. Vide *Sacerdos Sacrificium.*

Chriſtus.

Concurſus Chriſti vt hominis, ad opera ſuperna, expenditur, num. 1616. Qualis fuerit circa opera ſuperna facta ante adventum ipſius? Ibid. Stabilitur iſte concurſus phyſicus in omnia & ſingula opera miraculoſa à num.1629.

Quos defectus corporis aſſumpſerit Chriſtus, & quos non? à num. 1641. Regula quoad hæc ſervanda, nu.1642. & num.1643.

Nullum in Chriſto fuiſſe peccatum de fide eſt, à num. 1648. Quomodo in ſcripturis peccata generis humani Chriſtus appellet ſua? num. 1651. Vide *Impeccabilitas, Vnio, Habitus.*

Præceptum obligans in conſcientia in Humanitate Chriſti poſsibile, à num. 1744. & rurſus à num. 1745. Oſtenditur multipliciter de facto quoad mortem, à num. 1745. Vide *Præceptum*. Libertas Chriſti in ordine ad opera præcepta cum impeccabilitate componitur, à nu.1804. & num. 1899. & 1921. Eiuſdem libertatis Chriſti cum viſione Beata concordia, num.1830. Vide *Libertas, Status, Imperfectio.*

Decretum de Chriſto vt Redemptore ante præviſum abſolutè peccatum, non repugnat, à num 637. & rurſus, num. 1917. Ex tali decreto nullus colligi poteſt peccati amor. Vide *Decretum.*

Chriſtum meruiſſe, de fide eſt, num. 1950. Meruit à primo Conceptionis inſtanti incluſivè, vſquè ad vltimum inſtans vitæ, num.1951. & ſeqq. Quid, quibus, & per quos actus meruit, vide *Meritum.*

Chriſtum oraſſe in hac vita, certum eſt, num.2119. Etiam pro ſe, num.2124. An etiam nunc in Cœlo? à num. 2125. Vide *Oratio.*

Chriſtus Dominus an fuerit in actuali exercitio ſcientiæ infuſæ quoad omnia obiecta, eorumquè ſingulas circunſtantias? à num. 2179. Pars negativa proponitur à nu.2181. & illuſtratur numeris ſeqq. Defenditur à n.2188.

Chriſtus Dominus Sacerdos, Hoſtia, Templū & Altare, à num.2012. Vide *Sacerdos*. Chriſtus Rex, Iudex. Vide *Rex, Iudex.*

Chriſtus vt homo, quouſquè ſervus & Filius. Vide *Adoptio, Servus, Filius.*

Vide de Chriſto ſingula ferè verba Indicis.

Concilium.

Rationes, quibus Theologi vtuntur ad ſuadendam in Concilio veritatem definiendam, non ſunt veritates definitæ, num.1671.

Concilij Francofordienſis auctoritas quanta ſit, à num. 2069. Eius mēs circa ſervitutē Chriſti, à n.2066. & n.2081. Damnata eſt in ipſo Concilio adoptio, à nu.2153. & ſeqq.

Concurſus.

Vnio Hypoſtatica non obſtat quo minus Deus præparet concurſum indifferentē ad tranſgreſsionem præcepti, num.1812. Quæ poſsibilitas ſufficit vt ei præparet Deus concurſum indifferentem; & quæ impoſsibilitas non officit, ibid.

Concurſus Chriſti vt hominis ad opera ſuperna, expenditur num. 1616. qualis fuerit circa opera ſuperna facta ante adventum Chriſti, ibid. Stabilitur concurſus Humanitatis Chriſti Domini in omnia & ſingula opera miraculoſa & ſuperna, à num.1629. Vbi modus iſtius concurſus multipliciter explicatur, ibid.

Contractus.

Contractus & materia contractus quàm diverſæ res, num. 2100. Quatenus ſufficiat voluntarium in alio, tamquam in capite ad valorem contractus & moralem libertatem, ibid. & ſeqq. rurſus num.2170.

Contradictio.

Plura quæ contradictionem præ ſeferunt, nullam important, num.1719. Aſsignatur regula generalis pro dignoſcenda contradictione apparenti, vel reali actuum, ibid.

Crux.

Crux quo cultu adoranda? à num.2321. Non omnis ſimilitudo ad Crucem ſufficit ad Crucis Imaginē, n.2324.

D

Decretum.

Decretum de Chriſto vt Redemptore ante præviſum abſolutè peccatum non repugnat, num. 637. & rurſus, num.1917. Ex tali decreto, nullus colligi poteſt peccati amor, ibid. Argumentum in oppoſitum valdè ſubtile ſolvitur cum advertentijs valdè notandis, à num.1919.

In negotio Incarnationis, duplex decreti genus, efficientis & ſufficientis, num. 1935. Etiam Adamo non peccante Chriſtus veniſſet, num.1936. Auctoritas pro hac ſententia num. 1937. Quo ſenſu intelligendi Patres, dum vnicè aſsignant pro motivo Incarnationis redemptionem, à num.1938.

Ordo decreti intentivi & executivi, à num.2083, quando decretum intentivum non differt ab executivo? ibid. Decreti purè intentivi & executivi multiplex diſcrimen, nu.2084.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

num.2084.& num.2085. Vtilitas diſtinguendi eos ordines, ibid.& num.2086.

Defectus.

Quos defectus corporis aſſumpſerit Chriſtus & quos non? à num.1641. Regula quoad hos ſervanda, num.1642. & num.1643.

Denominatio.

Humanitas nequit ab Omnipotentia denominari omnipotens; nec inmenſa ab inmenſitate, num.1612.& 1613. Et cur? ibid.& num.ſeq.

Denominationes complexæ in duplici differentia, nu. 1824. & 1826. Maximè attendendæ pro dignoſcenda earum libertate, ibid.

Deſiderium.

Affectui deſiderij, quæ rei futuritio aut propoſitio ſufficit, num.2177.

Dignitas.

Dignitas perſonæ non refunditur in quaſvis actiones, num.2027. in quas? & quam certa ſit iſta refuſio, ibid.

Diſpenſatio.

Petitio diſpenſationis de præcepto impoſito ſibi à Patre Chriſto poſsibilis & libera, à num.1776. Petitur ex inde concordia præcepti cum libertate, ibid. ad vſquè 1786.

Dominium.

Dominij indirectum & vtile diviſio, num.2038. Et à curata explicatio Auctoris, ibid.& num.ſeqq. Dominium & poteſtas Regia Chriſti Domini ſuperioris ordinis poteſtate & dominio aliorum Regum, à num.2042. Ex multiplici capite, ibid.

Donatio.

Donatio liberabilis quid in rigore importat? nu.2101. Quæ onerositas obſtet gratuitati donationis? quæ non obſtet, num.2102.& ſeqq. Vbi plurima ſatis vtilia & ſubtilia, ibid. num.2104.

E

Elias.

N. P. Elias viſus eſt in Choro Cæſarauguſtani Conventus aſsiſtere, num.2320.

Elipandus.

Elipandi & Fœlicis error, à nu.2066. & rurſus à 2082. Servitus ab Elipando in Chriſtum inducta, Neſtorianiſmum continet, à num.2087.& ſeqq. Iterum a num.2095. Reſipiſcentia Elipandi, num.2081.

Euchariſtia.

Euchariſtici ſacrificij proprietas explicata, num.2024. & 2025.

Excellentia.

Excellentia myſterij primarium motivum Incarnationis, à num. 1925. Quæ noviſsimè impulerint Auctorem in hanc ſententiam, à num. 1626. Cur permiſerit Deus circa rem hanc inter Doctores Eccleſiæ tantam diverſitatem? à num.1933.

Executio.

Ordo executivi & intentivi decreti, quando executivus ab intentivo non differt, vtriuſquè multiplex diſcrimen & vtilitas diſtinguendi eos ordines. Vide *Decretū*.

F

Fœlix.

Fœlicis & Elipandi error, à nu.2066. & rurſus à 2082.

Filiatio & Filius.

Circa Filiationem Chriſti vt hominis quam variæ ſententiæ, num. 2151.

Chriſtus vt homo Filius naturalis formaliter & per ſe; non vero formaliter conſtitutivè, num.2195.& 2196. Conſtitutivè formaliter eſt Filius proprius, contradiſtinctè à naturali & adoptivo, à num.2198.

Filius ex parte termini, & Filius proceſsionaliter, qua diverſa? à num.2209. rurſus 2229.

Chriſtus vt homo proceſsionaliter vnicè eſt Filius Proprius Patris Æterni, num.2209. Quo ſenſu dici poſsit Filius totius Trinitatis? à num.2212.

Circa modum quo Chriſtus vt homo ſit Filius naturalis, varij dicendi & diſcurrendi modi, à num.2222. Impugnantur, ibid.& à num.2227.

Similitudo generica quoad naturam non ſufficit ad proprietatem generationis, aut geniti vel Filij, à n.2222. & rurſus à num. 2224.

Inſinuatur via ſpecialis declarandi conceptum generationis, & rationem cur ſecunda Perſona præ tertia ſit Filius? num.2223.

Filiatio adoptiva Chriſti vt hominis damnatur à Concilio Francofordienſi, & ab Eccleſia, nu.2153. & à nu.2157. Quid ſit Filiatio adoptiva, & reliqua ad adoptionem pertinentia, vide verb. *Adoptio*.

Fomes.

Fomes in actu primo & in actu ſecundo, nu.1741. Quid vterquè? ibid. Repugnat Humanitati Chriſti, num 1743. Motus circa obiecta inhoneſta in Chriſto nulli, ibid.

Francofordienſe Concilium.

Mens Adriani Papæ & Concilij Francofordienſis circa ſervitutem Chriſti expenditur à negantibus ſervitutem, à num. 2066. Ab Auctore pro ſervitute latiſsimè examinatur à num. 2082. Quam ſervitutem excluſerint Adrianus & Synodus Francofordienſis, à nu.2095. Auctoritas Concilij Francofordienſis quanta ſit, à num.2069.

Fuga.

Chriſti mors ſecundum ſe potuit eſſe obiectum honeſtæ fugæ, num.1656.

G

Generatio.

Ad proprietatem generationis, aut geniti non ſufficit ſimilitudo generica quoad naturam, à num. 2222. & à 2224.

Declaratur ſpecialiter conceptus generationis, n.2223. Vbi de ratione cur ſecunda Perſona præ tertia ſit Filius. Vide rurſus, num.2326.

Gratia.

Gratiæ habitualis ſeu formæ ſanctificantis, qualis ſit acceſſus ad Deum, & in qua linea? num.1693.

Gratia habitualis, & habitus infuſi influunt in actus iuſti pro inſtanti determinato præceptos, illæſa libertate, num. 1737. Explicatur modus tuendi eorum libertatem, ibid. & num.1738.

Mereri potuit ſibi Chriſtus gratiam habitualem, & per quos actus? num.1961. De facto non eam meruit, à num. 1964. Concordia locorum Divæ Thomæ circa rem hanc, à num.1970. Tentatur à multis, à num.1971. Datur ab Auctore, num.1976.

Quid requirat gratia ex parte ſubiecti ad denominationem adoptivi? num.2165.

H

Habitus.

Habitus infuſi influunt in actus iuſti pro inſtanti determinato præceptos, illæſa libertate, num.1737. Modus eorum libertatem tuendi explicetur, ibid. & num.1738.

Habitus tam vitioſus quam erroneus in Chriſto repugnat, etiam divinitus, num.1747.& 1749. Aſsignatur multiplex repugnantiæ caput, ibid.

Hæreticus.

Quinam fuerit error Hæreticorum. Vbiquiſtarum? nu. 1609. Expungitur num.1610.

Hoſtia.

Chriſtus Dominus Sacerdos, Hoſtia Templum & Altare, à num. 2012. Explicatur quomodo Hoſtia, ibid. & num.ſeq. Vide Sacrificium.

Humanitas.

Concurſus Chriſti vt hominis ad opera ſuperna expenditur, num. 1616. Qualis fuerit circa opera ſuperna facta ante adventum Chriſti, ibid.? Stabilitur concurſus phyſicus Humanitatis Chriſti Domini in omnia & ſingula opera, miraculoſa & ſuperna, à num.1629. Vbi modus iſtius concurſus multipliciter explicatur, ibid.

Quam & quomodo Chriſti Domini Humanitas diffundat virtutem per medium quando operatur in diſtans ad opera ſuperna? à num.1632.

Fomes repugnat Humanitati Chriſti, num. 1743. Et

etiam motus quilibet circa objecta inhoneſta, ibid.

Verbi Divini ab Æterno tamquam capitis ipſius Humanitatis aſſumendę tutela deſcribitur, à num. 2157. Adſtruitur Verbum Divinum ab Æterno caput Humanitatis & Tutor, cum legitimitate contrahendi nomine ipſius, ibid. Senſus Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, & V. Mariæ de Agreda de hac capitali tutela, num. 2157. 2158. 2172. & 2166. & ſeqq. Fūdatur hęc opinio in Scriptura, à num. 2158. & ratione, ibid. Verbum ab Æterno nomine Humanitatis contractus cum Patre celebrat, admittit, petit, acceptat, ibid. Vtilitas huius doctrinæ Maxima, à n. 2153. Difficultates contra ipſam ſolutę, à n. 2167.

I

Imago.

Imago quid requirat, à num. 2323. Vbi ſubtilitates aliquæ, & cur Spiritus Sanctus non procedat vt Imago, à num. 2326. Imagines adorandæ, à num. 2321. & 2331. Quo cultu? ibid. Quomodo? num. 2344.

Diſcrimen inter Imagines & Reliquias, à num. 2321.

Immenſitas.

Immenſitas nequit Humanitatem denominare immenſam, num. 1612. & 1613. & cur? ibid. & ſeqq.

Impeccabilitas.

Impeccare & peccatum eſſe alioquin impoſsibile, compoſsibilia ſunt, num. 1657. Doctrina valdè notabilis, ibid. & à nu. 1902. In Chriſto non fuit expedita peccandi potentia & cur? num. 1658.

Impeccabilitas Humanitatis ex vi donorum certa eſt, à nu. 1658. Ex vi vnionis, negatur ab Scoto, nu. 1660. Scoti ſententia proponitur, ibid. & latius à num. 1662. Suadetur à num. 1663. Defenditur à num. 1679. ad vſquè 1696. Deſeritur tamen, à num. 1699. Specialiter num. 1704. & à num. 1706.

Explicatur qualis fuerit incompatibilitas vnionis hypoſtaticæ cum peccato, num. 1681. Vbi duplex vnius cum alio incompatibilitas diſtinguitur, radicalis & formalis: & explicatur vtraquè, ibid. Peccatum diſſolutivum aut impeditivum vnionis hypoſtaticæ, non eſt poſsibile, à num. 1731. & num. 1739. & cur? ibid.

Præcepti obligantis in conſcientia & libertatis cum impeccabilitate Chriſti concordia valdè difficilis, num. 1743. Tentatur à multis, à num. 1755. Malè petitur à negatione præcepti, ibid. Malè à ſola libertate quoad circunſtantias, num. 1759. Malè à paritate prædeterminationis, à num. 1765. à num. 1765. Malè à paritate prædefinitionis regulatę per ſcientiam mediam, à num. 1769. Exponitur ab Auctore duplici via, à num. 1776. Altera qua ſequitur alios: alia noviſsima, qua neminem habet quem ſequatur, num. 1789. & rurſus in Epilog. nu. 1899. & 1911. Vide libertas.

Imperfectio.

Imperfectio moralis quid ſit? nu. 1854. & 1855. & ſeqq. Fuit Chriſto phyſicè aliquomodo impoſsibilis, nu. 1866. Quomodo cum iſta impoſsibilitate moralis imperfectionis componatur poſsibilitas oppoſiti, & libertas? à num. 1868. & 1869.

Impoſsibile.

Effectus liber poteſt eſſe impoſsibilis comparativè ad cauſas mediatas & remotas, quamvis debeat eſſe poſsibilis comparativè ad cauſas proximas, num. 1787. & 1788. & ſeqq. Impoſsibilitas à remotis non obſtat libertati, ibid. Ad impoſsibile non datur poſſe, quo ſenſu intelligendum, num. 1802. & rurſus num. 1810.

Incarnatio.

De Incarnationis motivo ſententia, num. 605. & rurſus num. 1916. ſententia Auctoris, à num. 1917. & 1925.

Primarium motivum Incarnationis, excellentia myſterij, à num. 1915. Vide Excellentia.

Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis ſenſus in extaſi acceptus de primo decreto Incarnationis, eiuſquè motivo, à num. 1925. Venerabilis Mariæ de Agreda ſenſus idem, à num. 1930. In negotio Incarnationis duplex decreti genus eſſentis & ſuiſſentis. Vide *Decretum.*

Paſsibilitas vel ipſius diſpenſatio non eſt circunſtantia, ſed proprietas Incarnationis & adventus Chriſti; num. 1943. Et quomodo? ibid.

Infinitum.

Infinitudo meritorum Chriſti, confirmatur num. 1747. Cur ipſis effectiva proceſsio à cauſis finitis, non impediat infinitatem in linea obſequij? num. 1939. Inter infinita ſimpliciter, inæqualitas nu. 2028. Vndè poſsit oriri? ibid.

Inſtrumentum.

Inſtrumenti phyſici varia ratio, num. 1624. Explicantur ſingulæ ſpecies, ibid.

Index.

Poteſtas iudiciaria Chriſti, num. 2027. Quo tempore Chriſtus eam exercuerit, ibid. & num. 2048.

Iuſtitia.

Iuſtitiæ motivum ſpecificativum, num. 2104.

L

Libertas.

Libertatis concordia cum præcepto obligante in conſcientia & impeccabilitate Chriſti valdè difficilis, num. 1743. Vndè malè, & vndè benè petatur, vide impeccabilitas. Eſſentia exponitur, num. 1787. Effectus liber debet eſſe poſsibilis comparativè ad cauſas proximas & poteſt eſſe impoſsibilis comparativè ad mediatas & remotas, ibid. & num. 1788. & ſeqq. In negotio libertatis attendenda maximè eſt linea virium ſeu cauſæ proximæ, & linea cauſæ remotæ, ibid. Impoſsibilitas à remotis non obſtat libertati, ibid.

Componitur libertas Chriſti in ordine ad opera præcepta cum impeccabilitate, num. 1804. & ſeqq. & in Epilog. num. 1899. & 1911.

Libertas non requirit quod vtrumquè extremum contradictionis ſit poſsibile exercitè, num. 1744. Sufficit ſi alterum ſit exercitè poſsibile; & alterum ſolum ſignatè, ibid. & ſeqq. Solvuntur ex hac doctrina plures paralogiſmi, à num. 1796. & à num. 1802. Impoſsibilitas non proveniens à cauſis proximis ſeu à linea virium vndecumquè proveniat, non obſtat libertati actionis; à nu. 1788. & 1802.

Quo ſenſu intelligendum ad impoſsibile non datur poſſe, num. 1802. & rurſus num. 1810.

Libertas non tollitur prædiffinitione Dei, non quidem quia evitabile, ſed quia non immutat proxima comprincipia, à num. 1813.

Libertatis Chriſti cum viſione Beata concordia difficilis, num. 1830. Vndè difficultas? ibid. & num. ſeqq. Viſio Beata videtur obſtare iudicio indifferenti, num. 1831. & ſeqq. Quomodo à multis ſolvatur difficultas? à num. 1832. Auctoris mens, à num. 1840. & 1906. & 1912.

Viſio Beata non ſolum moraliter, ſed etiam phyſicè neceſsitat ad amorē, à nu. 1835. Componitur in Chriſto cum iudicio indifferenti requiſito ad libertatem, à num. 1846. Modus componendi ex diſpenſatione duplici ſtatus in Chriſto, Viatoris ſimul & Beati, ibid. & numer. ſeqq. Vide *Viſio.*

Ad meritum requiritur libertas proxima formalis, à num. 1841. Iſta neceſsitas eſt indiſpenſabilis, ibid. Oppoſita Scoti ſententia omninò ſingularis de Chriſto, à nu. 1835. Impugnatur à num. 1841.

Quomodo cum impoſsibilitate moralis imperfectionis componatur poſsibilitas oppoſiti & libertas, à num. 1868. & 1869.

Iudicij indifferentis cum viſione Beata compoſitio tentatur per ſuſpenſionem aliarum cognitionum in portione Viatrice, à num. 1872. Suadetur bis diſcurſus ratione & exemplo, num. 1873. & 1875.

Impoſsibilitas evitandi omnia venialia ſine ſpeciali Dei privilegio quomodo cum libertate cohæreat, à num. 2058.

Conciliatur modus orandi pro rebus re ipſa præteritis cum indifferentia Iudicij requiſiti ad libertatem, à num. 2188.

Liberalitas.

Donatio liberalis, quid in rigore importat? nu. 2101. Quæ onerofitas obſtet gratituitati? Quæ non obſtet? num.

nu.2102.& ſeqq. Vbi plurima ſatis vtilia & ſubtilia, ibid.

M

Mariæ Deiparæ.

Quo cultu adoranda? a nu. m. 2306. Hyperdulia debetur: & ex quot titulis? Ibid. An Latriæ cultu adorabilis ſit? a num.2307. Mens Auctoris, num.2311.

Maria Magdalena de Pazzis.

Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis ſenſus in extaſi acceptus de primo decreto Incarnationis, eiuſquè motivo, a num.1925.

Maria à Ieſu de Aggreda.

V. Mariæ de Aggredæ ſenſus circa primum decretum Incarnationis, eiuſquè motivum.

Doctrina denegato Crucifixoribus auxilio gratiæ, nu. 2056. Explicatur in bono ſenſu, ibid. Et iterum nu.2116.

Meritum.

Ad meritum requiritur libertas proxima formalis, à num.1841. Eſt indiſpenſabilis iſta neceſsitas, ibid. Oppoſita Scoti ſententia omninò ſingularis de Chriſto, a num. 1836. Impugnatur, à num.1841.

Meriti definitio, num.1946. Meriti conditiones, ibid. Diviſio in remunerandum & ſolutivum, a nu.2063. vtriuſquè exacta conſideratio, num.2066 & 2067. Meriti remunerandi cauſalitas ad inſtar efficientis quo ſenſu intelligenda? num.2072. Meriti ſolutivi conceptus exploditur, a num.2074. Componuntur ſine ipſo difficultates pro quibus inventum eſt, latè a num.2082. & rurſus num.2096. Exornatur argumento celebri Militis anticipatè accipientis arma vt vincat & ſolvat, a num.2097.& ſeqq.

Infinitudo meritorum Chriſti, confirmatur num.1947. Cur ipſis effectiva proceſsio à cauſis finitis, non impediat infinitatem in linea obſequij, num. 1949. Chriſtum meruiſſe de fide eſt, num.1950. Meruit à primo Conceptionis inſtanti incluſivè, vſquè ad vltimum inſtans vitæ, num.1951.& 1952. & 1953. Non meruit in vulnere lateris, & cur? num.1955. Per quos actus meruit, a nu. 2037.

Chriſtus Dominus nec de cógruo quidem Incarnationem meruit, a num.714.& rurſus nu.1958. Potuit tamen, num. 1959. Mereri ſibi potuit gratiam habitualem, & per quos actus, num.1961. De facto non meruit, à nu.1964. Concordia locorum Divi Thomæ, à num.1970. Tentatur à nonnullis, a num.1971. Datur ab Auctore, num.1976. Res eadem poteſt haberi & titulo meriti, & titulo proprietatis, num.1962.

Meruit ſibi Chriſtus gloriam corporis, & exaltationem nominis, a num.1978. Nequè dignitatem capitis, nequè poteſtatem Sacerdotalem accepit ex meritis & cur? à num.1988. quidquid gratiæ, gloriæ, donorum, cuicumquè creaturæ datum eſt poſt Chriſtum prævisum, datum eſt ex meritis ipſius Chriſti, a num.1990. Elegans comparatio inter vim meritivam Chriſti & Omnipotentiam Dei, ibid. Angelis etiam meruit omnia dona gratiæ & gloriæ, a num.1991. Chriſtus prædeſtinatis meruit prędeſtinationem ipſam, non ſolum quoad effectus, ſed quoad ipſum actum Dei, num.2007.& num.2009. latè.

Quilibet actus meritorius Chriſti eſt in actu 1. condignus omni pręmio poſsibili purè creato, nu.2011. De præmio non purè creato, quid? a num.2022. Sententiæ, ibid. Sententia Patris Bernal examinatur, ibid. & num. ſeqq. Quilibet actus meritorius Chriſti, mereri poteſt vnum præmium non purè creatum, nu.2035. Vno tamen exhauriretur eius condignitas, num.2030. Diſcurſus in oppoſitum ſingularis, num.2036. Deſeritur, ibid.

Amor Beatificus non fuit in Chriſto meritorius, num. 2041. Meruit Chriſtus per actum amoris regulatum ex directione ſcientiæ infuſæ, num.2042.

Temporalis anticipatio præmij ad meritum, quomodo explicanda in linea meriti remunerandi, a num. 2076. Specialiter, num.2081. Remiſsivè diſcrimen inter merita infinita, & finita non ſufficit, ibid. & numer.ſeqq.

Anticipatio doni ad obſequium in humanis raro ſe poteſt habere vt præmium reſpectu meriti, & cur? nu.2087.

Principium meriti nequit cadere in meritum, nu.2108. Illationes ex indè quoad bonum vſum gratiæ, nu.2109.

Miraculum.

Stabilitur cócurſus phyſicus Humanitatis Chriſti Domini in omnia & ſingula opera miraculoſa & ſuperna, à num.1629. Vbi modus iſtius concurſus multipliciter explicatur, ibid.

Supponi miraculum, vt aliquod opus fiat, & opus eſſe miraculoſum, diverſa ſunt, num. 1684. Vbi doctrina ſubtilis & notanda.

Chriſti mors dupliciter conſideratur, num.1646. Secundum ſe potuit eſſe obiectum honeſtæ fugæ, ibid.

Motivum.

De motivo Incarnationis ſententiæ, num.605. & rurſus, a nu.1916. Sententia Auctoris, a nu.1917. & 1925.

Primarium motivum Incarnationis excellentia myſterij, a num. 1925. Quæ noviſsimè impulerint Auctorem in hanc ſententiam, a num. 1926. Cur permiſerit Deus circa rem hanc inter Doctores Eccleſiæ tantam diverſitatem, num.1933.

De motivo Incarnationis ſenſus Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, a num. 1925. Senſus circa idem Venerabilis Mariæ de Aggr. a num.1930.

N

Natura.

Natura & naturæ conditio, quomodo differant? n.2113.

Notio.

Notionales actus proprij Perſonarum in Trinitate, admittendi, a num.2167. Explicatur latè, ibid.& n.2168.

O

Obedientia.

Obedientia propria reſpicit præceptum proprium, num. 1757. Satisfit PP. oppoſitum inſinuare viſis, n.1758. Quo ſenſu PP. dixerint ex nutu ſolo ſuperioris colligi perfectionem obedientiæ, ibid.

Omnipotentia.

Nequit Humanitas ab Omnipotentia fieri Omnipotens, num.1612.& 1613. & cur? Ibid. & numer.ſeqq.

Operatio.

Operari in diſtans nulla per medium virtute diffuſa, implicat num.1631. Quam, & quomodo Chriſti Domini Humanitas diffundat virtutem per medium, quando operatur in diſtans, ad opera ſuperna? a num.1632.

Ordo.

Ordo decreti intentivi executivi, a num.2083. Vtilitas diſtinguendi eos ordines, num.2084. 2085. 2086.

Oratio.

Oratio quid? num.2121. Oraſſe Chriſtum in hac vitâ certum eſt, num.2119. Etiam pro ſe, num.2124. An etiam nunc in Cælo, a num. 2125. Rei difficultas ab Auctore propoſita, a num.2130. Deciſio per doctrinas valdè notabiles, à num. 2002. Oratio Chriſti efficax & abſoluta ſemper eſt exaudita, num.2134. Non autem omnis inefficax, ibid.& numer.ſeqq.

Orationis circa res alioqui præteritas árduitas & difficultas, à num.2139. Ponderatur ab Auctore, à nu. 2143. Explicatur ſenſus Eccleſiæ, dum pro præteritis videtur orare, a num.2146. & rurſus à num. 2148. Aperitur nova diſcurrendi via pro communi ſententia, à num. 2153. & altera rurſus, à num. 2177. Ex eo quod Chriſtus Dominus non fuerit in actuali exercitio ſcientiæ infuſæ quoad omnia obiecta, eorumquè ſingulas circunſtantias conciliatur modus orandi pro rebus re ipſa prętęritis, à num. 2188.

P

Paſsibilitas.

Paſsibilitas vel ipſius diſpenſatio non eſt circunſtantia, ſed proprietas Incarnationis & adventus Chriſti num.1943. & quomodo? ibid.

Paſsio.

Quomodo ſint agnoſcendæ in Chriſto Paſsiones animæ ſeu affectus apetitus? & quales, à num.1644.

Pecca-

Peccatum.

Nullum in Chriſto fuiſſe de fide eſt, à num.1648. Quomodo in Scripturis peccata generis Humani Chriſtus appellet ſua, num.1652.

Poſſe peccare & peccatum eſſe alioquin impoſsibile, compoſsibilia ſunt, num. 1657. Vbi doctrina valdè notabilis.

Qualis fuerit incompatibilitas vnionis hypoſtaticæ cum peccato, num.1681.

Peccatum diſſolutivum aut impeditivum vnionis hypoſtaticæ, non eſt poſsibile, à num.1732. & num.1739. & cur? ibid.

Impoſsibilitas evitandi omnia peccata venialia ſine ſpeciali Dei privilegio: quomodo cum libertate cohæreat, à num.2038. Vndè naſcitur? ibid.

Axioma Arauſicani: nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum, quo ſenſu intelligendum? nu.2117.

Petitio.

Petitio diſpenſationis de præcepto impoſito ſibi à Patre Chriſto poſsibilis & libera, à num. 1776. petitur exinde concordia præcepti cum libertate, ibid. ad vſquè 1786. Duplex petitionis genus, num.2273. Quam ſumiſſionem importet, ibid. Vide *Verbum.*

Poſsibile.

Poſsibile logicè & poſsibile phyſicè, ſeu reſpectivè ad cauſas, in quo differant? num. 1787. Poteſt res concipi poſsibilis in linea cauſæ proximæ, & eſſe impoſsibilis à remotis, ibid. & rurſus, à num.1817.

Pœna.

Reatus pœnæ æternæ ne divinitus quidem componi poteſt cum hypoſtatica vnione, num.1751.

Pœnæ & præmij diſcrimen quoad poſsibilitatem anticipationis, num.2088.

Potentia.

Potentia & concurſus Chriſti vt hominis ad opera ſuperna expenduntur, num.1616. Qualis fuerit circa opera ſuperna facta ante adventum Chriſti his concurſus, ibid. Vide concurſus & operatio.

Impoſsibilitas à remotis non obſtat potentiæ liberæ ſeu libertati, num.1787. Vide libertas.

Potentia triplex: Proxima: Remota: & Mixta, à num. 1789. Explicantur ſingula membra, ibid. & ſeqq.

Potentia proxima mixta peccandi, ſeu potentia peccandi ſolum ſignatè quid ſit? num.1790. & 1792. Data eſt in Chriſto non obſtante impeccabilitate, à num. 1804. Componitur per hâc potentiam libertas Chriſti in ordine ad opera præcepta, cum impeccabilitate, ibid. & ſeqq. & in Epilogo n.1899. & 1911. Quomodo diſponēda & aptanda eſt in Chriſti Humanitate, n.1817. 1818. & ſeqq.

Poteſtas.

Regia poteſtas Chriſti Domini ſuperioris ordinis poteſtate aliorum regum, à num.2042. Ex multiplici capite, ibid. Vide Regnum.

Poteſtas Chriſti Domini ſpiritualis & temporalis, num. 2043. Poteſtas ſpiritualis in Chriſto plura munera comprehendit, num. 2044. Præcipuè explicantur ibid.

Poteſtas iudiciaria Chriſti, num. 2047. Quo tempore Chriſtus exercuerit, ibid. & num.2048.

Præceptum.

Præceptum obligans in conſcientia in Humanite Chriſti poſſibile, à num.1744. & rurſus à num.1755. Fuit tale de facto quoad mortem, & alia à num.1745. Oſtenditur multipliciter, ibid.

Obligatio præcepti in conſcientia, quid importet? num.1746.

Præceptum de ſubeunda morte in Chriſto Domino pro redemptione generis humanis fuit ex naturali obligatione charitatis, & cur? num. 1756. Obedientia propria reſpicit præceptum proprium, num. 1757. Satisfit PP. oppoſitum inſinuare viſis, num.1758. Quo ſenſu PP. dixerint ex nutu ſolo ſuperioris colligi perfectionem obedientiæ? ibid.

Præcepti obligantis in conſcientia, & libertatis cum impeccabilitate Chriſti concordia valdè difficilis, n.1743. Tentatur à multis, à num.1747. Malè petitur à negatione præcepti, ibid. Malè à ſola libertate quoad circunſtantias, num.1759. Malè à paritate prædeterminationis, à num. 1765. Malè à prædeterminationis regulatæ per ſcientiam mediam, à num. 1769. Exponitur ab Auctore duplici via, à num. 1776. Altera quæ ſequitur alios: alia noviſsima, quæ neminem habet quem ſequatur, num. 1789. & rurſus in Epilogo num. 1899. 1911. Petitio diſpenſationis de præcepto impoſito ſibi à Patre Chriſto poſsibilis & libera, à num.1776. Petitur exinde concordia præcepti cum libertate, ibid. ad vſquè 1786.

Prædeſtinatio.

Chriſtus prædeſtinatus meruit prædeſtinationem ipſam, non ſolum quoad effectus, ſed quoad ipſum actum Dei, num.2007. & num.2009. late.

Prædeſtinatio Chriſti, in quo ſenſu ventilanda, à num. 2239. Prædeſtinatum eſſe, ſimpliciter dici de Chriſto poteſt, num.2240. Quid de prædeſtinatione Humanitatis ad gratiam & gloriam n.2241. Quid de locutione: Hic homo prædeſtinatus eſt, vt eſſet Filius Dei naturalis? à n.2242. Proponitur difficultas, à num.2243. Variæ ſolutiones, à num.2244. Auctoris mens & ſolutio, à num.2256. Prædeſtinatio, alia eſt explicativa formaliter; alia involuta & in alio, num.2256. Explicatur vtraque, ibid. & num. ſeqq. In quo ſenſu prædeſtinationis poſsit admitti locutio illa celebris? à num.2258.

Prædefinitio.

Prædefinitio Dei non tollit libertatem, non quidem quia evitabilis, ſed quia non immutat proxima communia principia, à num.2819.

Præmium.

Præmium duplicis generis, purè creatum, & increatum, num.2020. Explicatur vtrumque, ibid.

De Chriſti merito circa vtrumque præmium, vide Meritum.

Temporalis anticipatio præmij ad meritum quomodo explicanda in linea meriti remunerandi, à num. 2076. Specialiter num.2081. remiſsivè diſcrimen inter merita infinita & finita non ſufficit, ibid. & ſeqq.

Anticipatio doni ad obſequium in humanis raro ſe poteſt habere vt præmium reſpectu meriti; & cur? num.2087.

Præmij & pœnæ diſcrimen quoad poſsibilitatem anticipationis, num.2088.

Q

R

Reatus.

Reatus æternæ pœnæ nec divinitus quidem componi poteſt cum hypoſtatica vnione, num.1751.

Reduplicativæ.

Particulæ reduplicantis vis, num.2188. Varietas dum applicatur Chriſto vt homini, ibid. & num. ſeqq. Reduplicatio nõ ſemper cadit ſuper phyſicas formas, ſed ſupra formale complexi metaphyſici, num.2189. & 2190.

Regnum & Rex.

Rex Chriſtus Dominus, num.2031. Regnum & Regia poteſtas Chriſti directa & dominativa in Chriſto qua homine, placet Auctori, à num.2032. Et multipliciter probatur, à num.2033. Formaliter non conſiſtit in vnione hypoſtatica, num.2036.

Regia poteſtas Chriſti Domini ſuperioris ordinis poteſtate aliorum Regum, à num.2041. Ex multiplici capite, ibid.

Reliquiæ.

Quomodo differant ab Imaginibus hic? nu.2321. Quomodo adorandæ? ibid.

S

Sacerdos.

Poteſtatem Sacerdotalem nequaquam accepit ex me-

ritis

ritis Chriſtus Dominus, & cur? a num. 1988.

Sacerdos Chriſtus Dominus, num. 2012. Explicatur Sacerdotium Chriſti Domini, ibid. & ſeqq. Quo ſenſu dicatur, & ſit Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, a num. 2017.

Formalis conſtitutio Chriſti in Sacerdotem non conſiſtit in vnione hypoſtatica, & cur? num. 2016. Eius Sacerdotium ſpecie diverſum, a num. ibid.

Sacramentum.

Sacramenta phyſicè cauſant gratiam, num. 1639. Et modus, ibid. & nu. 1640. Quo ſenſu Sacramēta fluxiſſe evulnere lateris Chriſti dicenda ſunt? num. 1955.

Sacrificium.

Rigor & proprietas mactationis, & ſacrificij in Sacerdotio Chriſti, non explicatur ſatis per cauſalitatem moralem mortis ſuæ, a nu. 2017. Explicatur ab Auctore per cauſalitatem phyſicam ſuſpenſivam, a num. 2020.

Sacrificij Euchariſtici proprietas explicata, num. 2024. 2025.

Sanctitas.

Formæ ſanctificantis, qualis ſit acceſſus ad Deum, & in qua linea? num. 1693. Sanctitatis duplex genus, num. 2212. Alia eſt propria Filiorum, alia eſt ſanctitas puræ conſecrationis, & munditiei, ibid. Sanctitas propria Filiorum quid importet? ibid. & rurſus, a num. 2235. Vnio hypoſtatica ſolum eſt ſanctitas conſecrationis, num. 2208.

Sanctus.

Sanctorum adoratio, de fide, num. 2316. Qualis eſſe debeat? ibid. Quomodo ad Sanctos pervenit notitia noſtrarum precum? num. 2320.

Chriſtus.

Chriſtus Dominus an fuerit in actuali exercitio ſcientiæ infuſæ quoad omnia obiecta, eorumquè ſingulas circunſtantias? a num. 2179. Pars negativa proponitur, à num. 2181. & illuſtratur, num. ſeq. Defenditur, a num. 2188. Conciliatur exinde modus orandi pro rebus re ipſa præteritis, & indifferentia iudicij requiſiti ad libertatē, ibid.

Scotus.

Impeccabilitas ex vi vnionis, negatur ab Scoto, num. 1660. Scoti ſententia proponitur, ibid. & latius, a n. 1663. Defenditur, a num. 1679. Deſeritur, a num. 1699. Specialiter, num. 1704. & a num. 1706.

Scotus videtur admittere adoptionem in Chriſto, nu. 2152. Conatus Scotiſtarum pro Duce ſuo, a num. 2161. Cenſuræ Theologorum, num. 2182. Mens Auctoris circa mentem Scoti, a num. 2182. In ſenſu Scoti adoptio non eſt digna cenſura, num. 2184.

Scoti ſententia circa prædeſtinationem Chriſti vt hominis ad eſſe Filium naturalem, num. 2243. Difficile eius argumentum, ibid. Solutiones inutiles, a num. 2244. ad vſquè 2255. Soluitur ab Auctore, a num. 2256.

Servus.

Servitus quid importet? num. 2053. Quotuplex? num. 2060. Quid ſit ſervitus naturalis, quid legalis? num. 2060. & 2061. Quid ſervus in ſenſu vulgari, quid inquid dativo & eſſentiali? a num. 2140.

De Chriſti ſervitute quam ardua quæſtio? a nu. 2052. Mens Adriani Papæ, & Concilij Francofordienſis circa ſervitutem Chriſti, expenditur à negantibus ſervitutem, a num. 2066. Examinatur pro ſervitute ab Auctore, à num. 2082. Quam ſervitutem excluſſerint Adrianus & Synodus, a num. 2095. Servitus ab Elipando in Chriſtum inducta Neſtorianiſmum continet, a num. 1087.

Circa ſervitutem Chriſti ſententia Auctoris, a num. 2140, Chriſtus vt homo ſervus attenta definitione eſſentiali ſervitutis, ibid. Non vero accepta ſervitute vulgariter, num. 2144. Cur in veteri Teſtamento toties expreſſa fuerit Chriſti ſervitus, numquam in Novo? num. 2139.

Defenditur tādem ab Auctore problematicè in Chriſto ſervitus, à num. 2148. Fundamenta problematis, ibid. & num. ſeqq.

Spiritus Sanctus.

Cur Spiritus Sanctus, tertia Perſona Trinitatis, præ ſecunda, nequè ſit Filius, nequè procedat vt Imago? num. 2213. & num. 2316.

Status.

Status duplex in Chriſto, Viatoris ſimul & Beati, num. 1846. Exponitur armonia & inconfuſio duplicis iſtius ſtatus, ratione, ſimilitudine, & exemplis, ibid. & num. ſeqq. Status Viatoris in Chriſto per quam ſcientiam dirigatur? à num. 1848. Mirabilis compoſitio cum ſtatu Beati, à num. 1846.

Supernum.

Concurſus Chriſti vt hominis ad opera ſuperna, à num. 1616. Eſt Filius & vniverſaliſsimus, a num. 1629.

A cæteris donis ſupernis poteſt divinitus ſeparari vnio hypoſtatica, num. 1701.

Suppoſitum.

In quo ſenſu actiones dicantur eſſe ſuppoſitorum? num. 1670. 1671.

T

Thomas.

Divi Thomæ ſententia de motivo Incarnationis? num. 605. & rurſus, num. 1916.

D. Thomas multa problematicè dixit, num. 2050. Non cenſendus à D. Thoma diſcedere, qui moraliter ſecutus eſt de eius ſententia, ibid. Dictum Franciſci Victoriæ Dominicani de quadam ſententia S. Thomæ, ibid.

Timor.

Quid timor donum, & Timor, paſsio? num. 1659. Specificativum vtriuſquè, ibid. & num. 1751.

V

Vbiquiſta.

Error Vbiquiſtarum, num. 1609. Expungitur, n. 1610.

Veniale.

Impoſsibilitas evitandi omnia venialia ſine ſpeciali Dei privilegio, quomodo cum libertate cohæreat? à num. 2056. Vndè naſcitur? ibid.

Verbum.

Verbi Divini ab æterno tanquam capitis Humanitatis aſſumendæ, tutela deſcribitur, à num. 2157. Aſſtruitur Verbum Divinum ab æterno caput Humanitatis & Tutor, cum legitimitate contrahendi nomine ipſius, ibid. Senſus circa hæc Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzi, & V. Mariæ de Agr. num. 2157. 2162. & 2166. Fundatur hæc oppinio in Scriptura, à num. 2158. Et ratione, ibid. Verbum ab Æterno nomine Humanitatis contractus cum Patre celebrat, admittit, petit, acceptat, ibid. Vtilitas huius doctrinæ maxima, à num. 2153. Difficultates contra ipſam, à num. 2167. Solvuntur, ibid.

Viator.

Vide *Status.*

Viſio.

Ex vi viſionis, impeccabilitas Humanitatis eſt certa, à num. 1658.

Libertatis Chriſti cum viſione Beata concordia difficilis, num. 1830. Vide difficultas, ibid. Viſio Beata videtur obſtare iudicio indifferenti, num. 1831. & ſeqq. Quomodo multis ſolvatur difficultas? à num. 1732. Auctoris mens, à num. 1846. & 1906. & 1912.

Viſio Beata non ſolum moraliter, ſed etiam phyſicè neceſsitat ad amorem, à num. 1835. Componitur cum iudicio indifferenti requiſito ad libertatem, a num. 1846. & rurſus, novo diſcurſu, à num. 1872. Viſio Beatifica an pati poſsit ſucceſsionem in repræſentando? à num. 2005. Quorum fuerit pars affirmativa? ibid. Explicatur exemplo opportuniſsimo, num. 2006.

Vitium.

Vide *Habitus.*

Vnio.

Ex vi vnionis impeccabilitas negatur ab Scoto. Vide *Impeccabilitas, Scotus.*

Qualis fuerit incompatibilitas vnionis hypoſtaticæ cum peccato? num. 1681. Vnio hypoſtatica ſeparari poteſt divinitus à cæteris donis, num. 1701. Licèt alioquin non ſit formalis ſanctitas, impoſsibilitas Humanitati peccatum, num. 1704. Quantum, & quomodo? num. 1706.

Ff Pecca-

Digitized by Google

Peccatum diſſolutivum aut impeditivum vnionis hypoſtaticæ,non eſt poſsibile: & cur? à num.1732.& 1739. Vide *Habitus, Reatus.*

Vnio hypoſtatica non immutat modum operandi Humanitatis,nec pertinet ad lineam virium,num.1812.Nec obſtat quo minus Deus præparet concurſum indifferentem Humanitati ad tranſgreſsionem præcepti, ibid.

Vnio hypoſtatica non eſt formalis conſtitutio Chriſti in Sacerdotem, vel in Regem,num.1026.& 2036.

Vnio hypoſtatica ſolum eſt ſanctitas conſecrationis, num.2208. & iterum, à num.2236.

Voluntarium.

Voluntarium per ſe & in capite, num.2154. Explicatur vtrumquè , ibid. Quatenus ſufficiat voluntarium in alio, tanquam in capite,ad valorem contractus, & moralem libertatem, ibid. & ſeqq. Rurſus,num.2170.

FINIS.

Digitized by Google